3 to 5 — 10

12-173

R. P. VINCENTII

TANCREDI

DE

MATRIMONIO

TOMVS SECVNDVS.

Bibliot.
Sala A
Numero 17
Tabla
Num. 173

R. P. VINCENTIVS

TANCREDI

DE

MATRIMONIO

TOMVS SECVNDVS.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA

i 17784633

R. 6520
BB.ª

R. P. VINCENTII
TANCREDI
PANORMITANI
SACRAE THEOLOGIAE PROFESSORIS
SOCIETATIS IESV

Compuesto el P.e Pedro de Monteregio

DE SANCTO MATRIMONII SACRAMENTO

TOMVS POSTERIOR
COMPLECTENS LIBROS QVATVOR

In quibus vniuersa P. Thomæ Sanchez doctrina de impedimentis raptorum, ac secundarum nuptiarum pœnis. De dispensationibus præsertim ex Rom. Curiæ stylo. De vsu coniugij quoad locum tempus &c. De iure diuortij alijsque materijs valde necessarijs breui periodo, ac dilucidè, explicatur, & vindicatur.

OPVS THEOLOGIS, VTRIVSQVE IVRISPERITIS, CONFESSARIIS ac Iudicibus in vtroque foro Ecclesiastico, & Sæculari valdè commodum, & vtile.

Del Col.
Jesus de Granada

de la Comp.ª de
BB.ª

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA

PANORMI,
Apud Decium Cyrillum M.DC.XXXXVIII. Cum Priuilegio.

Sumptibus Iacobi Maringo. Superiorum Permissu.

ERRATA.	CORRIGE.
Fo. 12. col. 1. lin. 1. ſpiritualia.	Sponſalia.
Fo. 13. col. 2. lin. 7. contrahi.	*adde* poſſe matrimonium.
Fo. 17. col. 2. lin. 15. non eſt.	ratio eſt.
Fo. 18. col. 1. lin. 27. extra Iudicem.	extra iudicium.
Fo. 19. col. 2. lin. 20. non eſt.	ratio eſt.
Fo. 22. col. 2. lin. 33. nempe illa.	nempe illis.
Fo. 37. col. 2. lin. 19. *de legibus l. 4. c. 24.*	Suar. *de leg. c.* 14.
Fo. 75. col. 2. lin. 36. & ſine.	& non ſine.
Fo. 95. num. 3. lin. 10. oblatio.	ablatio.
Fo. 136. col. 1. lin. 6. ſententiam poſtea.	ſententiam quam poſtea.
Fo. 145. num. 13. lin. 4. irritum.	initum.
Fo. 260. col. 2. lin. 5. diſq. vero ſep.	diſput. verò ſeq.
Fo. 248. col. 1. num. 3. lin. 14. obliti.	abeliti.
Fo. 302. num. 19. lin. 9. quando fuit	quando non fuit.
Fo. 302. num. 22. lin. pen. obſtat in reſcripto	obſtat ſi in reſcripto.
Fo. 308. num 28. lin. 10. facultas.	*pone* exequendi in fauorem.
Fo. 317. num. 3. lin. 6. exteri.	cœteri.
Fo. 318. col. 1. lin. 3. quod ſi.	*pone* confeſſarius extra.
Fo. 318. col. 2. num. 9. lin. 6. quod quia.	quod additur ex eo.
Fo. 327. col. 2. num. 5. lin. vlt. conſentire.	conſiſtere.
Fo. 329. num. 3. lin. 1. Dico ſecundo.	Dico ſecundo tenetur.
Fo. 336. num. 3, lin. 27. reddit id.	reddit id quod debet.
Fo. 348. col. 1. lin. 1. declaratio.	delectatio.
Fo. 358. num. 3. lin. 3. ad hoc vt teneatur.	ad hoc vt tueatur.
Fo. 369. num. 5. lin. 3. occaſionem.	occiſionem.
Fo. 390. col. 1. lin. 9. obligatio quam.	obligatio ob quam.
Fo. 391. col. 2. num. 1. lin. 3. nempe.	neque.
Fo. 396. col. 1. num. 2. lin. 2. per votum.	poſt votum.
Fo. 398. col. 2. lin. vlt. etiam ſi cœtera.	etiam ſi cætera requiſita concurrant, quia iura ad hoc requirunt licentiam coniugis
Fo. 399. col. 2. lin. 10. & etiam.	& eſt.
Fo. 406. col. 2. lin. vlt. quia ad hoc.	quæ ad hoc.
Fo. 408. col. 1. num 4. lin. 8. docent.	donec.
Fo. 414. col. 1. lin. vlt. commotio.	commeſtio.
Fo. 420. col. 1. num. 2. lin. 19. ſacrilegium.	adulterium.
Fo. 422. num. 15. lin. 2. etiam.	& cæt.
Fo. 430. col. 2. non requiritur.	non reperitur.

LIBER SEPTIMVS

DE IMPEDIMENTIS MATRIMONIVM DIRIMENTIBVS, VEL SOLVM IMPEDIENTIBVS

Vbi de ſecundis nuptijs, earumque pœnis, a iure Ciuili impoſitis, de benedictionibus nuptialibus, ac varijs bigamiæ ſpeciebus agitur.

DISPVTATIO I.

An poſſit Pontifex, vel Epiſcopus impedimenta Matrimonium dirimentia ſtatuere.

1 DE fide eſt poſſe Eccleſiam ſtatuere impedimenta matrimonium dirimentia ſuis fidelibus. ita eſt ſtabilitũ *in Conc. Trid. ſeſſ. 24. de mat. cap. 3. & 4.* & aliis etiam Cõciliorũ, & Pontificum decretis. Infidelibus vero non poteſt Pontifex impedimẽta hæc ſtatuere. Ratio eſt quia Infideles ſunt extra gremium Eccleſiæ ergo nullas habet in eos Iuriſdictionẽ ſpiritualem. at ſi habitent loca dominio temporali Eccleſiæ ſubiecta, tunc habet Pontifex in hos Infideles ſupremam iuriſdictionem, & poteſt eis impedimenta ſtatuere; ſicuti poteſt Princeps Infidelis ſuis ſubditis; quamuis Ledeſma 3. *p.* 4. *q.* 61. *a.* 2. *col.* 2. & Abulen. 1. *reg.* 8. *q.* 178. velint Põtificem poſſe ſtatuere impedimenta Infidelibus habitantibus loca ſubiecta cęteris Principibus fidelibus.

2 Ad hæc autem impedimenta licitè & validè ſtatuenda requiritur iuſta cauſa; ita vt ſi ea non ſubſit non teneat impedimentum; & matrimoniũ contra illud contractum, erit validũ, & abſque peccato; quia matrimoniũ eſt Iure Naturæ, & Diuino inuentum, & conceſſum: ergo non poteſt ad libitum Pontifex illud prohibere. eſt communis ſententia.

3 Iuſta exiſtente cauſa poteſt Pontifex aliquibus certis perſonis prohibere ne matrimonium inter ſe ineant; quia hoc minus eſt, quam legem generalẽ ſtatuere, qua matrimonium initum intra certum genus perſonarum v. g. inter adoptantem & adoptatam, inter Affines &c. reddatur nullum. quod tamen poſſe diximus *num.* 1. sic Hoſt. *ſum. tit. de matr. contr. contra interdictum Eccl.* Card. *Clem. vinic. n. vlt. de rerum permut.* Felin. *c. ex parte v. quartus caſus. n.* 6. *de conſt.* Addit. ad. Nauar. *l.* 4. *conſ. de matr. contrac. contra inter. Eccl. in* 2. *edit. conſ.* 1. Palud. 4. *d.* 34. *q.* 1. *a.* 1. *n.* 10. D. Anton. 3. *p. ti.* 1. *c.* 16. alij Can. cum Palud. & D. Anton. Theol.

4 Imo dicendum eſt poſſe Pōtificem ex Iuſta cauſa aliquem prorſus inhabilem reddere ad quodcumque matrimonium; ita vt teneatur inuitus vitam cælibem ducere, vt fecit Vrbanus V. cum Barbone Vicecomite, & liberis eius rebellibus Eccleſiæ; quia poteſt Pontifex in pœnam delicti hoc naturæ Iure quemlibet priuare, ſicuti poteſt plectere, & vita priuare ſic Calderinus, cum Alex. de Neuo *C. tuas n.) 7. de ſponſ. duor.*

5 Epiſcopi non poſſunt impedimenta hæc in ſuis diœceſibus ſtatuere quia hoc Pontifici eſt reſeruatum ex generali Eccleſiæ conſuetudine, nullus enim textus inuenitur, qui id Pontifici reſeruet. Sic DD. communiter cū Palud. *l. c.* Couar. 4. *deor.* 2. *p.c.* 6. §. 10. *n.* 16. Alex. de Neuo. Abb. Ant. *d. c. tua.*

DISPVTATIO II.

An Pontifice interdicente ſuo præcepto vel conſtitutione matrimonium, eo ipſo reddatur irritum, ſi contra talem prohibitionem ineatur.

1 Dico primo matrimonium contractum contra Pontificis prohibitionem eſt validum ſi prohibitio ſit ſimplex abſque decreto irritante. ſic apertè deciditur *c.* 2. *de matr. contr. contra interd. Eccl.* ibi *(licet enim contra interdictum Eccleſiæ ad ſecunda vota trāſire non debuerit; non eſt tamen conueniēs vt ob id ſolum ſacramētum Coniugij diſſoluatur &c.)* ſic Alex. de Neuo *c. penul. n.* 21. *de ſpon. imp.* 1. dicēs eſſe omniū. Ric. 4. *d.* 32 *a.* 5. *q.* 2. Pal. *d.* 34. *q.* 1. *a.* 1. D. Ant 3. *p. t.* 1. *c.* 16. in fine principij cōtr. Deciū *c.* 2 *de teſtib. col.* 2. *ver. & prædicta, in noua edit. n.* 17. Fel. *c. ex parte num.* 6. *de conſt.* Magdalenun *de num. teſtiū in teſt. requ. p.* 1. *c.* 10. *n.* 102. Viuald. *cand. Sacr. ſp. de mat. n.* 83. Couar. Matien. Lud. Lop. *n.* 5 *cit.* aſſerentes matrimonium contractum contra pontificis prohibitionem eſſe nullū, quādo cauſa prohibitionis eſt perpetua; validum vero ſi cauſa ſit temporalis; quæ ſententia vera non eſt, nam omnia impedimenta ſolum impedientia ſunt perpetua; & tamen matrimonium contra ea contractum eſt validum.

2 Quin etiam validum erit matrimonium contractum contra prohibitionem Pontificis, etiam ſi ſit decretum generale irritans, vt ſi Pontifex dicat: prohibeo te ne matrimonium cōtrahas, & ſi quid contra hoc geſtum fuerit, irritum ſit; nam iſta clauſula irritās tantum intelligitur vt contra geſtum non valeat in præiudicium alicuius, & ita intelligitur *cap. pen. de ſpōſ. impub.* ibi *(quod ſi contra interdictum noſtrum in præiudicium ipſius aliquid fuerit attentū id irritum eſſe decernimus)* sic intellige Gloſſ. *d. c.* Innoc. & Alex. de Neuo aſſerentes matrimonium contra præceptum Pontificis etiam cum decreto irritante eſſe validum, nimirum quando non eſt contractum in præiudicium alicuius.

3 Quod ſi matrimonium prohibeatur cum decreto irritante, ac faciente ſpecificam mentionē illius, tunc ſi cauſa prohibitionis eſt perpetua irritum omninò erit matrimonium, contra talem ptohibitionem contractum; ſi vero cauſa ſit temporalis nō erit irritum; ſed ſenſus erit vt ſit nullum, ſolum in quantum parat præiudicium litis pendentis; quia non debet cenſeri inducta irritatio, quando prohibitio eſt ex cauſa temporali; cum talis irritatio ſit res grauiſſima.

4 Immo ſponſalia valida erunt etiam ſi ineantur contra præceptum Pontificis abſque vllo decreto irritante; quia non eſt promiſſio rei iniuſtæ ex parte obiecti, quæ ſcilicet in ſe ſit iniqua vt eſt ver. gr. promiſſio matrimonij inter impeditos. idem dicas de ſponſalibus irritis tempore, quo Epiſcopus, aut parochus matrimonium prohibuit, vt dicam *diſp.* 6. At inualida erunt ſi Pontifex interdicat aliquibus ex iuſta cauſa ne ſponſalia de futuro contrahant, & addat decretum irritans generale, vt ſi quid contra geſtum fuerit, ſit irritum

nam

nam cum non ſit tanti momenti ſpõſalia irritare, non requiritur clauſula ſpecificè irritans, vt requiritur in matrimonio ob rei grauitatem.

5 Et hęc quę huc vſq; diximus vera sũt ſiue prohibitio Pontificis ſit per modum conſtitutionis, ſiuè per modum prȩcepti, nulla enim eſt differentia quoad hoc ſic Anchar. *Clem. vnic. q.* 5. *n.* 9. *de rer. perm.* Couarr. 4. *decr.* 2. *p. c.* 6. *n.* 6. Matienzo. *l.* 5. *recop. t.* 1. *rub. gl.* 1. *n.* 146. Lud. Lop. 2. *p. inſtr. de matr. c.* 46. §. *porro aduertendum.* Contra Ant. *C. tua frat. n.* 5. *de ſpon. duor. Hoſt. c. pen. fine de ſponſ. impub.* Io. And. ibi Card. *n.* 9. & alios volentes nullum eſſe matrimoniũ quando prohibitio eſt per modum conſtitutionis, ſed audiendi non ſunt.

6 Aduerte tamen quod quando prohibitio eſt temporalis, licet validum ſit matrimonium contra eam initũ; tamen coniux qui culpæ reus eſt nõ poteſt petere debitum intra tempus arbitrio Iudicis prȩſcriptum in pœnam delicti; & idem dicas ſi ambo coniuges fuerint in culpa, niſi tamen ſit periculum incontinẽtiæ, tunc enim alia pœna ſunt puniendi. vt in ſimili Palud. 4. *d.* 32. *q.* 1. *ar.* 4. *n.* 19. D. Ant. 3. *p. t.* 1. *c.* 17. Turrec. *c. non oport. & v.* 2. *fine.* 33. *q.* 4. Caeta *repet. C. ad limina* 30. *q.* 1. §. 4. *n.* 549. loquente de celebrantibus nuptias tempore prohibito conſtat ex *C.* 1. *de matr. contr. contra interd. Eccl.* ita Hort. *c. tua frat. d.* vbi Ant. *n.* 5. Henri; *C. fin. eod. tit. n.* 4. Turrec. *loc. cit. a.* 2. *nnm.* 2. & alij.

7 Hinc fit lite pendente ſiue ante, ſiue poſt appellat de matrimonij valore, ſeparandos eſſe coniuges; nec interim eſſe licitũ contrahere aliud matrimonium; & ſi contracto priori matrimonio ante litem motam, poſtea aliud contrahatur, non debet fieri ſeparatio à priori; quia poſſeſſio illi fauet. habetur *ex c. Tua fraternitas de ſponſ. duor.* Abb. Alex. de Neuo, & alijs. ibi.

DISPVTATIO III.

An Princeps ſæcularis fidelis, vel infidelis poſſit ſuis ſubditis ſtatuere impedimenta matrimonium dirimentia.

1 Hodie Princeps ſęcularis fidelis nõ poteſt talia impedimenta matrimonio fidelium ſtatuere; poteſt tamen matrimonio Infidelium ſibi ſubditorum, quia quamuis ex naturæ ſuæ poteſtatis poſſit impedimenta dirimentia ſtatuere tum fidelibus, tum Infidelibus ſibi ſubditis, ex eo quod Regis eſt prouidere quidquid ad ſui Regni tranquillitatem pertinet, quæ tranquillitas etiam in matrimonijs ineundis deſideratur. tamen Pontifex quoad fideles hãc poteſtatem ſibi merito reſeruauit, vt patet *ex cap. Tua de ordine cognit. & cap.* 1. *de ſponſ.* nam hodie eorum matrimonium naturæ limites excedit ob rationem Sacramẽti, quam habet. ſic Victoria *relect. de mat. 1. p. 2. par. nu.* 12. Enriq. *l.* 12. *de mat. c.* 1. *n.* 4. Petrus Ledeſ. *de mat. q.* 50. *a.* 1. *dub.* 1. Bart. a Ledeſ. *dub.* 29. *de mat. concl.* 1. Bellarm. *lib.* 1. *de matr. c.* 32. *ad finem* Ledeſ. 2. *p.* 4. *qu.* 61. *a.* 2. *col.* 2. Sotus 4. *d.* 40. *q. vnic. ar.* 5. *col.* 4. *ver. interrogantis.*

2 Prĩceps vero infidelis poteſt ſtatuere impedimenta matrimoniũ dirimẽtia ſuis ſubditis ob dictam rationẽ *n.* 1. nec ipſis talis poteſtas per leges Eccleſiaſticas eſt adempta; *C. Gaudemus de diuer.* ſic Emm. ſà. *ſum. v. mat. de imp. dirim.* 18. D. Th. 4. *d.* 39. *q. vnic. ar.* 2. *ad* 3. Abul. 1. *reg.* 8. *q.* 175. Veracruz. 1 *p. ſpec. ar.* 32. *in prob.* 2. 8. *concl.* Palacios 4 *d.* 39. *diſ. vnic. f.* 916. *col.* 1. Ouand. 4. *diſ* 39. *diſ. vnic. prop.* 7. Enriq. *d. c.* 1. *n.* 5. Taper. *ar.* 20. Louani. *col.* 4. §. *in his igitur caſibus* Manuel. 1. *t. ſum.* 2. *edit. c.* 320. *n.* 1. Vega 2. *to. ſum. c.* 34. *caſu* 129. Ledeſ. 2. *p.* 4. *q.* 6. *ar.* 2. *Paulo poſt princ.* cognoſcitur tamen impedimentũ apud infideles eſſe dirimens ex eorum conſuetudine, & exiſtimatione, quod ſi adhuc incertũ ſit an ſit dirimens, vel ſolum impediens, iudicandum erit iuxta dicta *diſp. præcedenti.* quãdo de eorum vſu non conſtat.

3 Hebræorum vero Resp. non potest talia impedimenta statuere, quia nec Principem habet, nec libera est; Illa vero impedimenta, quæ statuisset ante Christi passionem quãdo eorum Resp. libera erat; hodie adhuc durarent, quia leges Reip. sæcularis non sunt per Christum abolitæ. sic Ledes. Manuel, Vega *l.c.* cum Soto 4. *d.* 39. *q.vnic. a.*1. *ad.* 3.

4 Hinc deducitur 1 si fidelis habens domicilium apud Infideles contrahat matrimonium contra prohibitionem Ecclesiæ, nullum esse matrimonium; quia leges Ecclesiæ vbique obligant fideles, sicut etiam nullum erit, si fidelis habitans loca Infidelium contrahat cũ impedimẽto dirimente à Principe Infideli statuto. vide de his *li.*3. *dis.*18

5 Deducitur 2. Infideles ineuntes matrimonium apud Principes Christianos habere pro Iudice competente ad cognoscendum de validitate matrimonij &cet. solum Iudicem sæcularem, & si vnus coniugum sit fidelis: is, qui litem mouet, & est actor, debet adire Iudicem competentem reo, vt si fidelis intendat matrimoniũ esse nullum, debet adire Iudicem sæcularem; quia actor sequitur forum Rei C. *si clericus de foro comm.* Atsi alius tertius litem moueat, debet adire Iudicem Ecclesiasticum, quia dignius debet trahere ad seminus dignũ *ff. de rei vendi.* sed matrimonium ex parte fidelis est dignius; ergo.

* Circa hanc disputationem aduerte licet duo à Sancio *n.* 1. affirmari, primum est posse Principem sæcularem fidelẽ spectata natura rei statuere in fidelibus impedimenta matrimonij. aliud est Ecclesiam ex eo quod matrimonium est sacramentum adimere potuisse, & de facto hanc facultatem ab ipsis ademisse. Vtrumque impugnat Pontius *lib.*6. *cap.* 2. *n.*3. primum his verbis (*leuissimis fundamentis commotus Thomas Sanchez concessit eam potestatem sæculari Principi fideli*) & ponit suam conclusionem, quam probat ibi: (*nequaquam potest princeps sæcularis fidelis legem aliquam statuere ad substantiam matrimonij directè, vel indirectè pertinentem, quæ vim habeat, nisi ab Ecclesia tacitè, vel expressè probetur ex defectu potestatis, & omissis leuibus alijs argumentis moueor ea tantum consideratione, quia matrimonium quamuis ex se contractus quidam sit subiectus etiam principi sæculari; attamen per Christi institutionem eleuatum est ad rationem Sacramenti, itaque res sacra est; ergo non subditur ex eo tempore potestati Principis sæcularis etiam fidelis. quod .n. materia huius sacramenti contractus sit non satis est vt possit Princeps sæcularis leges condere, cum ex quo ea materia per Christum sacra facta est, tam extra eius iurisdictionem, & & potestatem sit; sicuti licet homo ante ordinationem sit materia subiecta iurisdictioni sæculari, & similiter bona alia, & prædia; attamen post ordinationem, vel postquam donatione sacra, vel Eccl. sacra sunt, abstrahũtur à dominio sæcularis principis, & nullam neque in personis, neque in bonis iurisdictionem habet, sic ergo & in nostro casu dicendum est postquam matrimonio accessit ratio sacramenti*) Secundum Sancij dictum impugnat Pontius verbis immediatè sequentibus (*præterea si matrimonium etiam post Christi institutionem, quia contractus est, subiectum esset principum sæcularium dispositioni nequaquam inuitis principibus fidelibus posset Ecclesia ab illis auferre potestatem leges condendi, & sibi reseruare, quo enim iure id posset, sicuti neque hominem subditum sæculari principi posset Pontifex eximere à Iurisdictione ipsius, neque interdicere etiam ne circa alios contractus leges statuere*) & Paulo post concludit (*quare rectè & consequenter Petrus Soto lect.* 4. *de matrimonio in fine cum falsò existimaret eã potestatem habere principes sæculares, docuit leges ciuiles ex pietate quadam cessisse in hac parte legibus Pontificijs, atque adeò hodie etiamsi vellent posse statuere leges irritantes contractum matrimonij*) Hæc Pontius. quibus profecto verbis satis apertè insinuat nostrum Sancium non esse consequenter loquutũ, dum putans posse principes sæculares fideles statuere impedimenta matrimonij;

monij; nihilominus docet posse Ecclesiam hanc potestatẽ adimere,& de facto ab ipsis ademisse; nam licet hoc expressis verbis non dicat,tamen dum dicit Sotum consequenter loqui, qui asserit non posse Ecclesiam adimere hanc potestatem principibus sæcularibus fidelibus, posito quod ipsi illam habeant;ergo à contrario sensu infert Sanchez non esse loquutum consequenter; dum asseruit potuisse Ecclesiam adimere, & de facto ademisse potestatem ponendi impedimẽta matrimonio, quamuis spectata natura rei principes possent illa statuere.

Videndum igitur nobis erit an rectè Pontius vtrumque Sancij dictum impugnet. Et quoad primum dictũ, nimirum posse principes sæculares fideles statuere impedimẽta matrimonij spectata natura rei, non puto adeò leuia esse Sancij argumenta, vt à Pontio reprehendendus sit; sed potius adeo solida; vt merito multi, & graues Doctores hanc sententiam fuerint sequuti, afferam ego tam Sancij, quam Pontij argumenta, vt ingeniosus lector vim eorum pandet, at iudicium proferat. Et Sancij quidem argumenta hæc sunt (Omissis ijs, quæ *lib.3. disp.* 4.attulit; ad quæ ipse etiam se remittit) primo ad Regem spectat prouidere ea,quæ ad bonum, & tranquillitatem Reipublicę pertinent; sed ad bonum & tranquillitatem Reipublicæ pertinet circa matrimonia sancire leges, illa impediendo,& irritando, ergo ad Regem spectat spectata natura rei matrimonij impedimenta statuere. Maior supponitur hic vt clarissima à nostro auctore quare neque ego immoror in re tã clara probanda; potestas enim regia, vt ipse ait ad hoc potissimum instituta est,vt pacem, & tranquillitatem populorũ conseruet. Vide D. Thom. 1. 2. *q.* 90. *ar.* 2. *& qu.* 95. *ar.* 1. *&* 4. Aristot.1. *Ethic.cap.*2.*& lib.*5.*cap.*1.& Ciceronem *lib.*2.*de offic.*Minor etiam est aperta, quis enim nesciat ex bonis connubijs pacem regnorum oriri, ex malis vero discordias, inimicitias, & alia mala. ita ex Trid. *sess.* 24. *cap.* 1. *ex conc,col.tit. de mat.* ex D.Th. *in* 4. *d.* 28. *q.,vnica ar.* 3. ad 3. vbi reddit rationem cur Ecclesia semper odio habuerit matrimonia clandestina, & ex *l.*1. *ff. sol. matr.* quemadmodum dos &c.vt notant Bart.Iason.Paulus Alex & alij ibi: Secundum Sancij argumẽtum est. Potest princeps sæcularis alios contractus ciuiles ob Reipublicæ bonum irritare: ergo potest etiam contractus matrimonij, cum etiam pertineat ad bonum Reipublicæ. antecedens iam probatum supponit *lib.* 3. *disp.* 4.*à n.* 4. vbi numerat contractus à lege ciuili irritatos nempè contractum minorum absque auctoritate curatorum; alienationem maioratus, & sæpè impedit dominij translationem: consequentia probatur,quia non potest assignari vlla disparitas, vt patebit ex sequenti argumento, quod est huiusmodi in formam syllogisticam redactum; si princeps secularis fidelis attenta natura rei non posset statuere impedimenta matrimonij, cum possit cæteros contractus annullare, maxime esset, quia matrimonium est sacramentum: sed hæc ratio non obstat: ergo. *M*aior est doctrina Pontij, hoc enim est eius præcipuũ argumentum, vt ex eius verbis patet, & infrà clarius videbimus. Minor autem probatur, quia materia matrimonij est contractus ciuilis, qui potest à Principe sæculari ex iusta causa irritari reddendo inhabiles contrahẽtes, & inualidum ipsum contractum: Confirmatur quia si ratio sacramenti impediret rationem contractus, sequeretur quod neque Ecclesia posset irritare matrimonia, neque Concilium Tridentinum potuerit irritare matrimonia clandestina *sess.*24 *de ma. cap.* 1. sed hoc est absurdum, & contra fidem: ergo quod matrimonium sit sacramentum non impedit quin sit contractus. sequela probatur quia Pontifex non potest quidquam disponere circa materiam, & formam sacramentorum, vt colligitur ex Trid. *sess.* 21. doctrina de Sacramento Cha-

restiæ

riſtiæ *cap.* 2. ſed ſolum potuit ex eo, quia cum materia ſit contractus ciuilis, ipſe annullauit contractum; niſi fieret cum debita ſolemnitate.

Hæc ſunt Sancij argumenta, quæ à Pontio leuia dicuntur. ſed non aduertit dum Sancium accuſat quod leuibus argumentis fuerit ad hanc ſententiam aſſerendam permotus, Theologię etiam lumina ſe accuſare, qui hanc ſententiam docuerũt, quos apud Sancium citatos habes, & quidem D. Th. *in* 4. *diſt.* 34. *q. vnicà ar.* 1. *ad* 4. hæc habet (*matrimonium autem in quantum eſt officium naturæ ſtatuitur lege naturæ, in quantum eſt ſacramentum ſtatuitur iure diuino, in quantum eſt in officium cõmunitatis ſtatuitur lege ciuili, & ideo ex qualibet iſtarum legum poteſt aliqua perſona effici ad matrimonium illegitima, nec eſt ſimile de alijs ſacramentis, quæ ſunt ſacramenta tantum*) Hæc S. Doctor. Immo ferè omnes qui poſt Sancium ſcripſerunt vel id ſupponũt, vel aperte docent ijſdem permoti Sancij argumentis. Ita expreſſe Rebellius *li.* 3. *de mat. qu.* 1. *n.* 2. Reginaldus *lib.* 31. *cap.* 8. *n.* 53. vbi circa medium dicit (*de natura matr. eſt, vt ſit contractus, adeoq; naturã aliorũ contractuũ ſequitur.* Laym. *tract.* 1. *ar.* 2. *cap.* 4. *de matr.* Clandeſtino *n.* 2. vbi ait (*cum quæuis reſpublica cauſam, & publicam certum perſonarum genus v.g. pupillos, prodigos inhabiles reddere ad contrahendum poſſit, ſequitur quod Reſpublica Eccleſiaſtica, quæ matrimonij contractum propter annexam rationem ſacramenti ſuæ iuriſdictioni reſeruauit*) ex quo modo loquendi ſupponit poſſe principes ſæculares, ſed eam poteſtatem Ecclesiam ab ipsis ademiſſe, ac sibi reſeruaſſe. Filiuccius 2. *p. de ſacr. matr. cap.* 1. *n.* 3. vbi ait. (*non obſtat autẽ quod matrimonium ſit ſacramentum, quia materia, vt diximus, eſt contractus ciuilis. eaque ratione poteſt illud irritum reddere, proinde ac ſi ſacramentum non eſſet.* Stefanus Baurus *tra.* 12. *de matr. vt eſt ſacramentum q. v.* qui ex eo quod matrimonium sit etiam contractus ciuilis probat etiam poſſe principem ſæcularem fidelem ſtatuere impedimenta matrimonij. Coninch. *diſ.* 31 *dub* 1.

Videat ergo Pontius an Sancius leuibus motus argumentis id aſſeruerit cum omnes quos viderim, qui poſt Sancium ſcripſerunt, hanc ſententiã ſequũtur nullo alio moti argumento, quam ijs, quæ ipſe poſuit. excepto Hurtado, & Auerſa.

Sed consideremus Pontij argumẽta an tantam vim habeant, vt ſaltem reſpectu ipſorum Sancij argumenta leuia dicantur: ipſe vnico tantum fundamento putat euelli poſſe omnia Sancij argumenta, vt patet ibi (*moueor vnica tantum conſideratione, quia matrimonium quamuis ſit contractus ciuilis eſt eleuatus à Chriſto ad rationem ſacramenti; ergo res ſacra eſt, ergo non ſubditur ex eo tempore poteſtati Principis ſæcularis etiam fidelis*) Hanc conſequẽtiam confirmat paritate illa quod (*ſicuti homo ante quam ſuſcipiat ordines eſt ſubiectus iuriſdictioni Principis ſæcularis, at poſtquam ordines ſuſcipit non amplius illi ſubijcitur, ita in noſtro caſu poſtquam matrimonium fuit, ſacramentum*) verũ Pontius ni fallor hoc argumento nihil conuincit, & iam ſolutum eſſe Sancij rationibus animaduertere debebat, præcipuè 2. & 3. à nobis ſupra poſita. debebat etiam D. Thom. aduertere *loc. ſup. cit.* ibi (*matrimonium in quantum eſt officium communitatis ſtatuitur lege ciuile.*

Sed quid dicam ad illius confirmationem, quam Pontius tanti facit, vt illa ſola putet confirmari poſſe conſequentiam ex antecedenti illo toties decantato negatam. Certe ni fallor in ea fallaciam committi, argumentatur enim à ſenſu compoſito addiuiſum. in forma igitur ſyllogiſtica eam diluamus, vt appareat clarius an verum dicam. Cõfirmatio talis eſt. homo ante ſuſceptionem ordinis eſt materia ſubiecta iuriſdictioni ſæculari cum omnibus ſuis bonis &c. attamen poſt ordinationẽ nõ ſubditur iuriſdictioni ſeculari; ergo ſimiliter licet materia huius ſacramenti ſit contractus ciuilis, tamen poſtquam per Chriſtum ea

mate-

materia ſacra facta eſt, & eleuata ad rationem ſacramenti non ſubditur iuriſdictioni principis ſæcularis.

Ad hoc argumentum Reſpondeo cõcedo antecedens,& nego conſequetiam, fallacia autem in hoc conſiſtit quod Pontius accipit hominem ordinatum iam in ſenſu compoſito nẽpè poſtquam ordines ſuſcepit, & ex hoc argumentatur ad ſenſum diuiſum; nempè ad materiam ſacramenti, quæ eſt contractus humanus, nondum eleuatus ad rationem ſacramenti, niſi poſtquam accedit forma debita nã prius debet ſtare ratio contractus in aliquo priori & deinde ratio ſacramẽti,ſi.n. hæc non poſſet ita considerari non bene dicerent omnes catholici dum defendunt Ecclesiam potuiſſe irritare matrimonia clandeſtina, ex eo quia irritauit rationem cõtractus nec D.Th. *loco ſupra citato.* poſſet congrue illam diuisionem facere quare argumentum Pontij fauet noſtræ ſententiæ in hunc modum, sicuti homo qui eſt proximè ordinandus ſubijcitur iuriſdictioni Principis ſæcularis, sicuetiam alij homines; ita contractus humanus,qui eſt proxima materia ſacramẽti matrimonij,ſubijcitur iuriſdictioni principis ſæcularis, sicuti ceteri cõtractus,& ſicuti poſtquã homo eſt ordinatus, ceſſat eſſe ſub iuriſdictione principis ſæcularis; ita etiam poſtquã materiæ huius ſacramẽti accedit legitima forma,& fit matrimoniũ ratũ,ac ſacramentum, ceſſat eſſe ſub iuriſdictione Principis ſæcularis, immo & Pontificis quoad dirimendum ipſum, niſi in casibus *lib.* 2. expositis.

Poterit igitur Princeps ſæcularis impedimenta decernere circa matrimonium, quatenus eſt contractus ciuilis irritando contractum matrimonij, quod non ſit celebratum cum tali vel tali ſolemnitate ſpectante ad bonum publicum, & per hoc reddit materiã illam incapacem ad hoc vt eleuetur ad eſſe ſacramenti; nam cum materia ſit ille contractus humanus, & princeps annullat contractum, facit vt nõ ſit amplius materia apta ad ſacramentum matrimonij; ſicuti ſi poſſet facere ſuo iuſſu vt panis conſecrandus nõ eſſet panis, iam poſſet circa Euchariſtię ſacramentum aliquid, nempè impedire ne talis materia, quæ ante eius prohibitionem erat apta ad conſecrationem poſt eius prohibitionem ſit inepta.& ſic paritas quam affert Pontius de homine ordines ſacros ſuſcepturo procedit pari paſſu, & nobis fauet vt dictum eſt; nam poteſt princeps ante ſuſceptionem ordinum illum punire ob aliquod delictum, & ad triremes damnare; & ſic impediret ordinum ſuſceptionem indirectè & per accidens. quare ni fallor ſatis apertè conſtat Pontij argumentum, præterquam quod ſit toties decantatum, & ab omnibus, & ab ipſo Sãcio ſolutum, non habere tantam vim, vt iure potuerit dicere Sancium leuibus fundamentis innixum docuiſſe poſſe Principem ſæcularem fidelem ſtatuere impedimenta matrimonij ſpectata natura rei. quod ſ..it primum Pontij dictum contra noſtrum auctorem,

Iam verò vide an conſequenter loquutus fuerit Sanchez dum conceſſo quod poſſent Principes ſæculares fideles ſtatuere impedimenta matrimonij, aſſeruit Eccleſiam potuiſſe hanc iuriſdictionem ab ipſis adimere,& defacto ademiſſe. probat is primam partem ſuæ propoſitionis, quia in contractu matrimonij fundatur ratio ſacramenti, quæ ſuperioris ordinis eſt, & ad finem ſupernaturalem ſpectat, ergo poteſt ſummus Pontifex poteſtatem adimere principibus fidelibus. hæc conſequentia probatur, quia ſicuti potuit approbare matrimonium inter raptorem, & raptam *cap. fin. de rapt.* quamuis leges ciuiles contrariũ ſtatuant *l.vnica C. de rap. virginum*; ita poteſt etiam quodcumque aliud impedimentum poſitum à principibus ſæcularibus in matrimonio irritum reddere quod Sancij argumentũ quam ſit efficax & paucis verbis magnam ſupponat doctrinam conſideret lector.

Secundam partem nempè de facto

Ponti-

Pontifices ademiſſe hanc poteſtatem principibus fidelibus probat *ex cap. tua de ord.cognit.cap.multorum* Alex. 2. 35.*qu.6. ex cap.1.deſponſalibus*, & alijs iuribus, & auctoritate SS.Greg. *li.4. Epiſtola* 50. S. Th. 4.*d.42. qu. 2. ar. 4.* D. Bonau. *ibid. art.2.ad finem.* & multorum Doctorum, quos videre eſt apud ipſum in hac *diſ.nu.2.* ex ratione congruentiæ,nam dedecet, vt de matrimonio, quæ hodie tanta res eſt, nempè ſacramentum diſponant leges ciuiles, & principes ſæculares.

Has Sancij rationes, quæ adeò validæ ſunt, vt omnes Doctores qui hãc ſentẽtiam docuerunt ſiue ex antiquis, ſiuè ex recentioribus, qui poſt Sancium ſcripſerunt, ijs tantum contenti fuerint, nec alias afferant,putat Pontius ſolis verbis, quæ ſupra attuli infringere. ibi (*præterea ſi matrimonium etiam poſt Chriſti inſtitutionem, quia cõtractus eſt, ſubiectum eſſet Principum ſecularium diſpoſitioni nequaquam inuitis principibus fidelibus poſſet Eccleſia ab illis auferre poteſtatem leges condendi, & ſibi reſeruare,quo enim iure id poſſet? ſicuti neque hominem ſubditum ſæculari principi poteſt Pontifex eximere à Iuriſditione ipſius, neque interdicere etiamne circa alios contractus leges ſtatuere*) Dixi ſolis verbis, quia nullam video rationis ſpeciem nedum rationem, quæ Pontij doctrinam confirmet quod ſane fuſe oſtendiſſem niſi abſtinendum eſſet iuſtas ob cauſas ab hac tractatione ob præceptum A.R.P.N.Mutij Vitelleſchi quem nuper amiſſum ob ſingularem prudentiam & morum comitatem fleuit Societas vniuerſa ridentes excepere ſuperi.

DISPVTATIO IV.

An conſuetudo poſſit aliqua impedimenta dirimentia inducere, vel illa, quæ ſunt poſita à Iure, abolere.

1 REſpon. conſuetudinem legitimè præſcriptam, ac rationabilem, vt petitur *c.final. de conſuetud. ad legem ſtatuendam, & ſtatutam derogandam*, habere vires ad inducendum nouum impedimentum dirimens matrimonium, itaut ſi contra talem conſuetudinem matrimonium ineatur nullũ ſit; nec requiritur vt ſcandalum oriatur ſi contra talem conſuetudinem fiat vt volunt aliqui Abbas ſcilicet *C. quod ſuper de conſ.& affin.num.*4.Pręp.*c. quod dilectio eod.tit.n.7.*vbi Alex. de Neuo,Nauar. *ſum.c.22.n.73.hiſpana.* Ratio eſt quia *cap. ſuper eo* in ſecunda ſui parte expreſſè deciditur dirimendum eſſe eſſe matrimonium, quod contra receptam conſuetudinem initum ſit, nec fit mentio de ſcandalo; nec *c.1. de cogn.ſpir. dum petit ſcandalum* ibi (*niſi conſuetudo, quæ ſcandalum generet aliter ſe habere noſcatur*) obſtat. quia ſenſus eſt niſi conſuetudo iuſta, & legitimè præſcripta, ex cuius tranſgreſſione meritò ſcandalum oriri poſſit aliter ſe habeat, ita vt ſcandalum non ſit cauſa impedimenti, ſed ſola conſuetudo.

2 Immo nec requiritur ſcientia Pontificis, ſed ſufficit ſola conſuetudo, quæ debet eſſe tum Laicorum; tum Clericorum; quia voluntas Principis, qua *d.c.fin.de conſuetud.* decreuit cõſuetudine poſſe legem ſtatui,& derogari, eſt tacita tolerantia; & ſcientia conſuetudinis, quæ in poſterum inducetur. quod autem requiratur conſuetudo Clericorum, & Laicorum patet quia alias deficit poteſtas in inducentibus Conſuetudinem; cum defectus conſuetudinis ſtatus laicalis non poſſit quicquam immutare circa leges Eccleſiaſticas, ſic Couarr.*decr.2.p.c.6.* §.10.Ant. *c.1.deſponſ.n.* 8. & 12. Abb. *n.9.* Alex. de Neuo *n.10.11.21.& 22. n.18.*Ludouic. Lopez.*2.p.inſtr. de mat. c.* 46. *col.* 5.

3 Dico ſecundo verius eſt conſuetudinem poſſe impedimentum aliquod Iure Canonico poſitum tollere, ita vt aliqui inhabiles ad contrahendum inter ſe propter impedimentum de Iure Canonico, fiant habiles ex eo quod conſuetudo tale impedimentũ abſtulerit. Ratio eſt quia *can.fin. de conſuetud.* generaliter ſtatuitur conſuetudinem

tudinem habere vires ad derogãdum legi; ergo non debemus negare poſſe derogare legi ſtatuenti impedimentum matrimonij, cum nulla ibi fiat exceptio. Nec obſtat *cap. quod ſuper in* fine *de conſanguin. & affin.* qui dicit cõſuetudinem contra impedimentum matrimonij non obſtare; ſed potius eſſe corruptelam, quia poteſt dari noua cauſa, quæ tollat talem iniquitatem; nam quamuis lex reprobat aliquam conſuetudinem vt iniquam, & ipſam etiã futuram annullet; tamen adueniente noua cauſa poteſt poni conſuetudo contra talem legem, vt habet veriſſima ſententia, quam docet Abbas, Francus, Decius, Felin. Barbatius apud Sanc. *n.* 14. poſt principium cum Petro Rauenna *de conſuet. ſec.* 3. *nu.* 11. Bald. Nouel. *de dote p.* 6. *priu.* 21. *n.* 19. Couar. 3. *var. c.* 43. *n.* 4. Ant. Gom. *l.* 51. *Tauri n.* 26. Auiles *c.* 8. *prætorum gloſſa coſtumbre n.* 3. Dueñas *reg.* 144. *lim.* 1. Tauall. *q.* 704. *pract. n.* 6. Nec requiritur vt talis conſuetudo ſciente Principe introducatur, vt etiam dictum eſt *numero præcedenti* cum *cap. fin. de conſuetud.* id non exigat Nec dicas talem conſuetudinem non poſſe eſſe rationi conſentaneam; quia tunc aliqua conſuetudo eſt ſecundum rectam rationem quando de ea re, de qua eſt conſuetudo poſſet ferri aliqua iuſta lex, vt docent Sotus *lib.* 1. *de iuſt. q.* 7. *a* 2. *ver. quam vero longum. Sylu. v. conſuetudo q.* 1. ſed poteſt ferri aliqua lex, quæ tollat illud impedimentum, quod per conſuetudinem ablatum iam eſt; ergo conſuetudo tollens aliquod impedimentum poteſt eſſe rationabilis. ita etiam docet *Innoc. c.* 1. *in fine de cognat. ſpirit.* ſuppl. Gabr. 4. *d.* 42. *q.* 1. *a* 3. *dub.* 6. Contra ferè omnes DD. aſſerentes conſuetudinem non poſſe abolere aliquod impedimentum. putant .n. id expreſsè deciſum eſſe *d. cap. fin. de conſuetud. & dicto cap. ſuper eo de cognat. ſpirituali.*

4 Aduerte tamen concordes eſſe Doctores primo vt nulla conſuetudo quocunque ſcandalo adiuta poſſit dirimere matrimonium legitimè initũ quia eſt vinculum iuris naturalis vel Diuini, contra quod nulla valet conſuetudo: ſecundo vt conſuetudo à Pontifice approbata poſſit inducere impedimenta matrimonij, & inducta tollere quia tunc talis conſuetudo eſt ac noua conſtitutio Pontificis. tertio vt valeat conſuetudo impediens matrimonium ad tempus in pœnam alicuius delicti. vide Angelum *matrimonium* 3. *imp.* 17. *n.* 1. Sylu. *matri.* 2. *q.* 3. Brunell. *de ſponſ. concl.* 20. *n.* 9. Gaet. *rep. c. ad limina* 30. *qu.* 1. §. 4. *nu.* 80. & 296. Ant. *c. ſuper eo fin. de cog. ſpir.* vbi Abbas. *n.* 6. Alex. de Neuo *n.* 16. Alber. *in dictiona. lit. I. ver. impedim.* 1. *verſ. an aliqua conſuetudo.*

DISPVTATIO V.

An habens impedimentum dirimens vel impediens Matrimonium ita ſit obligatus vt nunquam poſſit illud contrahere etiam ſi metu graui ad id cõpellatur, & ſi contrahat habeat eius peccatum duplicem malitiam.

1 REſpondeo ad primum quæſitum ſi impedimentum ſit ſolum impediens etiã iure naturali; vt eſt votũ ſimplex Caſtitatis, aut ſponſalia prius cum alia inita, non eſt mortale cõtrahere matrimoniũ, ad quod metu graui vg. mortis quis compellitur; imo nec erit veniale, ſi vero animo, & abſque fictione contrahatur; quia vinculum horum impedimentorũ non obligat cũ tãto diſcrimine; nec ẽt votũ ingrediẽdi Religionẽ, & alia vota vt *diſp.* 62. *lib.* 1. dictum eſt; immo addo ſi metus incutiatur ad hoc vt conſũmet matrimonium. poterit taliter impeditus illud conſummare; ſi initum ſit coram Paracho, & teſtibus, & ipſe accedat animo maritali; quia probabile eſt metũ grauẽ in his circũſtãtijs nõ irritare matrimoniũ, vt *diſp.* 18. *lib.* 4. dictũ eſt; ergo probabile eſt nullã eſſe culpã in copula, tenetur tamẽ ille qui habet votũ metu ceſsãte nõ petere debitũ. nã nec poſſet petere ẽt ſi ſpõte matrimoniũ iniſſet cũ tali impedimẽto. Sed pro

bilius eſt nõ poſſe copulã habere abſq; peccato mortali, quia probabilius eſſe diximus *cit. diſp.* 18. matrimonium metu contractum eſſe nullum; vnde illa copula erit fornicaria: poterit igitur ille, qui metu graui compellitur contrahere matrimonium etiam illud conſummare, quando matrimonium eſt ritè contractum ſequendo probabilem ſententiam; iuxta vero noſtram ſententiam non poteſt, quia nos putamus probabilius matrimonium contractum metu graui eſſe nullum.

2 At ſi impedimentum ſit dirimens quamuis ſine peccato mortali poſſit contrahi matrimonium ob metum grauem ſi fiat abſque animo conſummandi, & ceſſante ſcandalo, & etiam ſine veniali ſi abſit fictio vt *nu.* 1. dictũ eſt, quia eadem militat ratio; tamen illud conſummare erit peccatũ mortale, etiam ſi adſit periculum mortis quia per talem metum non redditur validum matrimonium, in quo eſt impedimentum dirimens: ſicuti perficitur validum quando eſt impedimẽtum ſolum impediens ſecundum probabilem ſententiam: nam quando lex Eccleſiaſtica valdè expedit ad bonum Cõmune tuendum debet ſeruari etiã cum mortis periculo, vt communiter docent DD. ſed lex dirimens matrimonia expedit valde bono communi in aliquibus caſibus, vt vſus Eccleſiæ teſtatur; ergo debet ſeruari etiam cũ vitæ periculo, ſic etiam Caet. 12. *q.* 96. *a.* 4. Sotus *l.* 1. *de iuſt. qu.* 6. *ar.* 4. *ad fin. corp.* Rutilius Bonſius *trac. de fuga l.* 1. *dif.* 1. *q.* 4. *in ſol. ad* 5. Metina 1. 2. *q.* 69. *a.* 4. *col.* 9. *ad.* 2. eſtque receptiſſima ſententia. nec illi, qui aſſerunt matrimonium metu graui contractum, & conſummatum eſſe validum id probãt ex hoc capite, quia lex Eccleſiaſtica non obligat cum tanto periculo, ſed quia putant non eſſe metum cadentẽ in virum conſtantem illum, qui cogit inire, & conſummare matrimoniũ.

3 Vnde patet certiſſimum eſſe peccare læthaliter illum, qui nullo compulſus metu contrahit matrimonium cum impedimento dirimente, etiam ſi habeat animum nõ conſummandi; Contrauenitur enim præcepto Iuri Eccleſiaſtico vel naturali in re graui; non tamen erit ſacrilegium quia qui contrahit non ipſe efficit irritum Sacramentum, ſed Ius naturale, aut Eccleſiaſticum ſtatuens impedimentum dirimens. quamuis grauiſſimi DD. cum magna probabilitate putent eſſe ſacrilegium, quia putant irritari Sacramentum per ipſum contrahentem teſte Petro Ledeſ. *de mat. q.* 50. *ar.* 1. *diff.* 3. *poſt* 2. *concl.*

QVAERES.

An copula habita inter eos, qui habent impedimentum dirimens ad contrahendũ matrimonium; addat ſupra malitiam fornicationis nouam circumſtantiam neceſſario aperiendam.

4 Reſpond. ſi Eccleſia conſtituit impedimentum dirimẽs obſpeciale motiuum virtutis, quod etiam inuenitur in copula illicita, tunc eſt circumſtantia ſpecie diuerſa, & neceſſario aperiẽda; ſi vero Eccleſia prohibet matrimonium in delicti pœnam, vel ad aliquod damnum vitandum, non eſt noua ſpecialis malitia in copula illicita. vnde ob hanc rationem.

5 Infertur primo eſſe circumſtantiã ſpecie diuerſam, ac neceſſario fatendam ſi quis habeat copulam cum ea, cum qua habet impedimentum conſanguinitatis, vel Affinitatis, & eſſe inceſtum *ex c. lex illa* 36. *q.* 1. ſecundo ſi habeat copulam cum cognata ſpirituali eſſe ſacrilegiũ vt vult D. Th. 2. 2. *q.* 134. *ar.* 10. *ad.* 2. D. Ant. 2. *p. t.* 5. *c.* 2. Em. sà. *v. luxuria nu.* 2. Gaet. 22. *dict. §. vltimo.* tertio ſi fornicetur cum cognata legali reducitur ad inceſtum tale peccatum & habet ſpecialem malitiam. ſic Martinus de magiſtris. *trac. de temp. q.* 9. *conclu.* 7. ſicuti etiam reducitur ſi cupulam habet cum conſanguinea in primo gradu ſponſæ de futuro. ſic P. Ledeſma *de matr. q.* 55. *a.* 4. *dub.* 1. *circa ſolut. ad* 2. *§. nihilominus* Ratio eſt quia in his caſibus motiuum

pro-

prohibitionis matrimonij reperitur etiam in copula fornicaria; obſeruantia enim debita cognatis,quæ fuit motiuum prohibitionis inter tales conſanguineos reperitur etiam in copula fornicaria, vt ſcilicet ea ob talem obſeruantiam non habeatur inter Cognatos &c.

6 Infertur ſecundo eſſe peccatum diuerſum ſpecie a ſimplici fornicatione acceſſum fidelis cum infideli, vel fidelis cum hæretica, & pertinere ad ſacrilegium: quia Eccleſia ſtatuens impedimentum cultus diſparitatis mota eſt, quia talis copula cadit in dedecus Religionis Chriſtianæ.

7 Infertur tertio impotentem vt ſi ſit frigidus, vel Eunuchus, peccare contra naturam ſi copulam habeat; vnde debet hanc circumſtantiam aperire; quia ratio ob quam matrimonium his fuit prohibitum eſt ne fruſtretur finis, quem habuit natura in coitu; quæ fruſtratio finis reperitur etiam in copula illicita. vnde patet non eſſe ſpecialem malitiam,ſi ceſſet matrimonij prohibitio in predictis caſibus, & ſic ſi Pontifex diſpenſet cũ fideli vt ineat matrimonium cum Turca, & habita diſpenſatione, illi copulam habeant ante initum matrimonium, erit ſimplex fornicatio, nullam habens nouã rationem malitię, iam enim ceſſauit Eccleſiæ prohibitio.

8 Infertur quarto ſi quis poſt votum ſimplex, aut ſolemne caſtitatis, aut ordinem ſacrum fornicetur committere ſacrilegium præter ſimplicem fornicationem: ſicuti etiam coniugatus committet adulterium ſi fornicetur. ſed non erit duplex malitia, vna ſcilicet contra votum, & altera contra impedimentum, & prohibitionẽ Eccleſiæ, quia idem eſt finis Eccleſiæ prohibentis, nempe obſeruatio voti, & fides matrimonij in coniugato.

9 Infertur quinto non eſſe malitiam neceſſario detegendam in confeſſione ſi quis habeat copulam cum rapta conſentiente antequam ad locum tutum peruenerit; quia ratio, qua Concilium Tridentinũ irritauit matrimonium inter hos fuit vt haberetur plena libertas in ſtatu perpetuo,quale eſt matrimonium; quæ ratio non militat in copula fornicaria: vnde nouam nõ addet malitiam. ſicuti nec copula cũ fœmina, cum qua eſt impedimentum criminis, de quo infra dicetur, habet nouam malitiam, quia in ea deficit ratio prohibitionis matrimonij, quæ eſt pœna delicti admiſſi. Et ne detur anſa captandæ mortis alterius coniugis, quæ non eſt, quando copula ſimpliciter eſt fornicaria.

DISPVTATIO VI.

Quot, & quæ ſint impedimenta dirimentia, & impedientia ſolum matrimonium, & an conuenienter aſſignentur, & qualiter aliquot ex ſolum impedientibus intelligantur.

1 VEritas Catholica eſt expediens fuiſſe vt Eccleſia ſtatueret aliqua impedimenta dirimentia vltra illa, quæ Iure Naturæ dirimunt matrimonium ita Conc. Tridentinum *ſeſſ. 24. de matr. can.* 4. hoc poſito.

Reſ ad 1. queſitũ impedimenta dirimentia matrimonium eſſe 14.

Error, conditio, votum, cognatio, crimẽ
Cultus diſparitas, vis, ordo, ligamen,
honeſtas
Si ſit Affinis, ſi fortè coire nequibis
Si Parochi, & duplicis deſit præſentia teſtis
Raptaue ſit mulier, nec parti reddita tutæ.

In his duobusversib⁹ vltimis ſunt duo impedimẽta à Conc. Trid. *ſeſſ. 24. ca. 1. & 6.* poſita, dicũtur autẽ dirimere matrimonium, quia ita illud prohibent, vt ſi contra talem prohibitionẽ ineatur nullum ſit. Numerus autem, & congruentia horum impedimentorũ optimè colligitur ex D. Tho. *d. 34. q. vnica art. 1.* ſumuntur enim tum ex parte ipſius contractus, tum ex parte ipſorum contrahentium.

2 Impedimenta vero ſolum impediẽtia ſunt 12. quinque quæ non oriuntur ex delicto ſunt.

Eccleſiæ vetitum, nec non tempus feriatum

Atque catechiſmus, ſpiritualia, adiungito votum.

Septem ſunt illa, quæ ex crimine proficiſcuntur.

Inceſtus; Raptus ſpõſatæ, mors mulieris
Suſceptus propriæ ſobolis, mors præsbyteralis
Vel ſi pæniteat ſolemniter, aut monialẽ
Accipiat, prohibẽt hæc coniugiũ ſociãdũ

Hæc dicuntur ſolum impedientia, quia prohibent matrimonium licitè fieri vt videbimus; ſed non reddent illud nullum, ſi contra talem prohibitionem, & cum his impedimentis ineatur.

Hæc autem omnia impedimenta infra per totum hunc librum explicabuntur nunc in hac diſputatione aliquot impedientia tãtum exponemus

3 Nomine igitur interdicti, quod matrimonium impedit venit propriè Interdictum hominis, qui ob legitimã cauſam v. g. ſi opponatur impedimẽtum matrimonio, quod debet contrahi, vel ſi credat fore vt magnæ rixæ oriantur, vel ob feſti veneratione; Interdicat ad tempus matrimonium & hic poteſt eſſe etiam Parochus vt dictum eſt *diſp.* 15. *lib.* 3. & tenent Palud. 4. *d.* 24 *q.* 1. *ar.* 1. *n.* 10. *concl.* 4. Anto. Cucus *lib.* 5. *inſt. mat. ti.* 12. *nu.* 12. Em. sa. *matrimonium n.* 1 *de imp. dirim.* D. Ant. *ſum. c.* 16. *ti.* 1. 3. *p.* Angles Florib. 1. *p. de mat q.* 11. *de imp. ordin. a.* 2. qui tamen falsò aſſerit hodie hoc impedimẽtum eſſe dirimens.

4 Leuatio de ſacro fonte proprij filij explicata per illud verbum, ſuſceptus propriæ ſobolis, impedit coniugem eleuantem, hoc eſt patrinum, ne poſſit licitè contrahere aliud matrimonium; ſed ad hoc impedimentum inducendum requiritur, vt coniux, qui eſt patrinus in Baptiſmo, vel in confirmatione hac intentione faciat vt alter priuetur petitione debiti ob cognationem ſpiritualẽ contractam inter eos; vnde requiritur vt filius ſit communis, aut alterius coniugis, qui non eſt patrinus, tunc enim contrahitur talis cognatio. & idem dices ſi baptizet filium communem, vel alterius coniugis, quia oritur etiam eadẽ cognatio ſpiritualis. ſic D. Ant. *l. cit. c.* 17. §. 4. Maiol. *lib.* 3. *de irregular. c.* 25. *n.* 16. Enriquez *lib.* 12. *de matr. c.* 2. *nu.* 1. Bellar. *lib.* 1. *de matr. c.* 18. §. *ſunt præterea* loquens quando coniux baptizat.

5 Interficiens Sacerdotem impeditur à matrimonio licitè contrahendo: ſi tamen contrahit, validum erit. requiritur vero vt is interfector ſit in iudicio contentioſo conuictus huius delicti quia *cap.* 2. *de pœnit. & remiſſ.* petitur vt conuictus ſit. vbi Hoſt. Abbas, Lud. lop. 2. *p. inſtr. de ma. c.* 46. §. *præterea* & adnumeraſſe Roſella *v. impedim.* 8. *imp.* 8. *Armil. matrim. n.* 59. *imp.* 9. Sotus 4. *d.* 379. *vnic. a.* 1. *col. pen.* Palacios 4. *diſp.* 34. *diſ.* 2. Toled. *lib.* 7. *ſum. c.* 15. *n.* 6.

6 Solemnis pœnitentia, & publica dum durat, matrimonium impedit: non ob pœnitentiam, quæ bona eſt; ſed ob delictum commiſſum. tamen hoc impedimentum iam non eſt in vſu, quia pœnitentia ſolemnis non eſt in vſu. ſic Armilla *l. c. imped.* 10. Bart. a Led. *dub.* 59. *de mat.*

7 Ille etiam qui ſcienter ſanctimonialem duxit prohibetur ne matrimoniũ contrahat, at ſi contraxit, eſt validum ex C. Hi *ergo* 27. *q.* 1.

Aduerte tandem aliquos addere hoc impedimentum ſolum impediẽs, nempe interfectionem proprij filij, ducuntur ex *c.* 1 *de his qui filios occid.* vbi gloſſ. dicit non eſſe dandam huic licẽtiam nubendi, niſi ſit timor incontinentiæ.

DISPVTATIO VII.

An tempore feriarum interdicatur matrimonium, eius conſummatio, benedictiones, ac traductio ſponſæ in ſponſi domum.

ANtequam ad ſingula reſpondeã ſciendum eſt hodie poſt Trid. duo tempora tantum eſſe, quæ impedimentum hoc feriarum conſtituunt, nimirum ab Aduentu ſcilicet à primis veſperis ſabbati ante primã Dominicam Aduentus vſque ad epi-

phaniam

phaniam incluſiuè, hoc eſt vt in toto illo die duret impedimentum: & à feria quarta Cinerum, ſcilicet à media nocte illius feriæ vſque ad octauam Paſchatis incluſiuè. ita colligitur ex ipſis verbis Conc. Trid. *ſeſſ. 24. de matr. cap.* 10. & ex conſuetudine. Em. sà. *matr. n. 2. de impedim. impedi.* Ant. Cucus *lib. inſt. mai. ti. 12. n.* 7. His poſitis.

2 Dico primo in his ferijs certum eſſe apud omnes non poſſe celebrari ſine peccato mortali ſolemnes nuptiarum benedictiones, quas vocant velationes, vt patet ex uerbis concilij ibi (*ab aduentu Domini noſtri Ieſu Chriſti vſq; in diem Epiphaniæ, & à feria quarta Cinerum vſque ad octauam Paſchatis incluſiuè antiquas ſolemnium nuptiarum benedictiones diligenter omnibus obſeruari S. Synodus præcepit*) vnde ſacerdos benedicens nuptias in his temporibus debet pœna arbitraria puniri, cum nulla ſit in iure taxata; ipſi vero ſponſi ſeparandi ſunt etiamſi copulam iã habuerint, donec duret tempus feriarum, quando non eſſet periculum incontinentiæ in alterutro coniuge; tunc enim alia pœna ſunt puniendi, ſic etiam Palud. *4. d. 32. q. 1. ar. 4. n.* 19. D. Ant. *3. p. ti. 1. c.* 17. Aſtenſ. *ſum. 2. p. li. 8. ti. 30. a. vni. q. 2.* Gaeta *repet. C. ad limina. 30. q. 1. §. 4.* 550. Turrecr. *c. non oportet. il. 2. 33. q. 4* Sylu. *ma. 7. q. 2. dic. 6.*

3 Nec poteſt Epiſcopus diſpenſare in hoc impedimento vt ſcilicet feriarum tempore benedictiones nuptiarum ſolemnes recipiantur; quia eſt prohibitio *Clem. 3. C. Cappellanus de ferijs*, & Conc. Trid. *loc. cit.* Epiſcopus autem non poteſt in lege ſuperioris, & Concilij Generalis diſpenſare, niſi in caſu magnæ, & vrgentis neceſſitatis vt diximus *lib. 2. diſp.* 40. qui tamen caſus rarò poteſt occurrere in hac re; quamuis Sotus *4. d. 32. q. vnic. a. 3.* Veracru. *1. p. ſpec. a.* 14. & alij contra Enriq. *lib. 11. de matr. ca.* 16. *n. 2. com. l. T.* cum Henr. Rothæo ſimpliciter negantem, affirment poſſe Epiſcopum iure ordinario ad id diſpenſare vide Dueña *reg.* 248.

4 Non ſunt tamen prohibita his temporibus feriarum ſponſalia de futuro, aut denunciationes, ſeu bandia, quia nullus textus id vetat, ſic etiam Silu. Caualcant. Bart. à Ledeſma & Alij, apud Sanch. hic *n.* 8.

5 Dico ſecundo certum eſt tempore feriarum contrahi (vbi non eſt conſuetudo ne his temporibus contrahatur) quia id nullo Iure prohibetur, nã C. *nec vxorem 33. q. 4.* vbi dicitur nec vxorem ducere, intelligitur de traductione ſponſæ ad domum ſponſi, vt videbimus, & patet ex vſu & conſuetudine Ecclesiæ; paſſim enim feriarũ tempore contrahuntur matrimonia, sic tenent ex iuriſtis Ant. Bald. Abbas *C. cappellanus v. quocumq; de ferijs* Raineri. *ſum. tit. de imp. feriarum* Rebuffus *praxi benefic. reg de diſp. in gradib. poth. gl. 5. n. 55.* Nauar. *ſum. c. 22. n. 71.* Montaluu. *l. 18. t. 2. par. 4.* Greg. Lopez. ibi *v. por palabras.* Caualcan. *2. p. deciſ. 12. de contrac.* & in ordine *deciſ. 58. n. 17.* Gaeta. *rep. cap. ad limina 30. q. 1. §. 4. num.* 548. ex Theologis D. Bon. Soto Caet. D. Ant. Abulenſis Viquerius Enriquez Philiarcus Petrus a Ledeſ. Em. sà. quos refert. San. *n.* 12.

6 *I*mmo verius puto non eſſe prohibitam traductionem ſponſæ ad domũ ſponsi; ſed tantum prohiberi ſolemnitatem, nimirum illam, quæ fit cõuiuijs, & alijs signis vanæ lætitiæ. ratio eſt quia non inuenitur nimia mẽtis euagatio, vbi hæc ſolemnitas non eſt in traductione ſponſæ. sic etiam Goff. *ſum. tit. de mat. contra. cont. int. eu. n. 2. H*oſtiensis referens Tancredũ *d. c. capellanus. n. 2.* Nauarr. *l. c.* Gaeta. *l. c. n.* 549. Caualcan. *l. c.* Graff. *1. p. deciſ. lib. 2. c. 85. num. 28.* Vega *2. t. ſum. c. 34. caſu* 179. Bellar. *lib. 1. de mat. c.* 46. *fine* .Angelus *matrimonium 3. imp. 2. ad finem* Alex. *in Encherid. 2. p. præc. 6.* vbi de ſtatu matrim. *§. ſi a dominica.* Lud. Lop. *2. p. inſt. de matr. c.* 46. & quamuis Nauar. Angel. Alex. Lud. Lop. *n. præced.* putent eſſe mortale traducere ſponſam cum ſolemnitate; tamen puto nullum eſſe peccatum si fiat traductio ſponſæ his feriarum temporibus, & celebrentur Conuiuia, & alia lætitiæ signa moderata.

rata & ſi aliquis ſit exceſſus, erit tantum culpa venialis; niſi adeò magnus ſit vt ſanctitati talium temporum notabiliter detraheretur, tunc enim erit Mortale. Nam quamuis Iura ſtrictè loquantur, vt conſtat *ex c.nec.vxorem d.* tamen conſuetudo temperauit hunc rigorem Iuris, & idem dicas de iis, qui ſuſcipiunt benedictiones ante tempus feriarum, ſed reſeruant celebrationem eorum pro tali tempore; quod diximus de ijs, qui traducunt ſponſam eo tempore, & celebrant conuiuia.

7 Sunt tamen multi vt Io. de fiburg. *ſum.confeſſ. l.4. t.17.qu.1.* Tabiena *impedimentum. imped.* 14.*nu.* 1. Viguerius *lib.inſt. ca.26.§.7.* Nau. *ſum.Hiſ. c.* 22. *n.*71. qui putant eſſe peccatum Mor. traducere ſponſam etiamſi fiat ſine ſolemnitate; ratio eorum precipua eſt quia textus id prohibent indiſtinctè, & abſolutè.

8 Dico tertio his feriarum temporibus non eſt prohibitum matrimoniũ conſummare; vnde non ſolum licitum eſt poſt primam copulam petere, & reddere; ſed etiam nulla eſt culpa primam copulam habere; quia nulla eſt prohibitio talis conſummationis in his ferijs; nam *tex.c. Capellanus de ferijs.c.non oportet 2. 33.q.4.c. nec vxorem* 33. *qu.* 4. & Trid. *ſeſſ.* 24.*de matr. cap.*10. loquuntur de benedictionibus & ſolemni traductione, non vero de copula. ita expreſſè Petrus Soto *lec.* 14.*de mat. §. huic proximum eſt.* Bellar. *c.*31. Caualcan. Nauar. Vega. Lup. Lop. *lo. cit. num.* 6.

9 At multi Iuriſtæ putant non licere his ferijs matrimonium conſummare ita Sylu. *matr.7.q.*2. Angel. *debitum n.* 1. Io. de Fiburg. Gaeta *lo. ci.* Bal. Abb. Ant. Io. And. Panorm. Card. Imola *Ca. vir cum propria de ferijs* cum D. Anton. 3.*p.t.*1.*c.*17.*fin.* Palud. 4. *d.*32. *q.*1. *a.*4. *n.*20. Bart. de Ledeſ. *de matr. dub.* 60. *fine.* & quidam putant eſſe mortale, D. Anton. Roſell. Angel. Sylu. & Tabiena; Alij vero tantum volunt eſſe veniale vt Gaet. & Bart. à Ledeſma. tandem multi ex his DD. putant conſummato iam matrimonio prima vice eſſe peccatum petere, & reddere ſicuti quando vxor eſt benedicta, & coniuges vidui non ſunt. vide præſertim Graff. 2.*part.deciſ.lib.*2.*ca* 13.*n.*15. Gaet. Sylu. Angel. Palud. *loc.cit.*

DISPVTATIO VIII.

An tempore interdicti, & ceſſationis à Diuinis liceat matrimonium inire, & nuptias benedicere.

1 REſpondeo ad primam partem quæſiti matrimonium tempore Interdicti, & Ceſſationis à Diuinis cõtractum eſt validum, & licitè contrahitur abſque peccato etiam ſi contrahentes ſint ſpecialiter, & perſonaliter interdicti &c. Conſtat *ex c.Cappellanus de ferijs*, vbi dicitur (*eam eſſe Romanæ Eccl.conſuetudinem vt matrimoniũ quocunq; tempore contrahatur*) & ex *C.nõ eſt de ſponſal.* qui loquitur de ceſſatione à Diuinis, præſertim cum omnia ſacramenta, quæ ſunt permiſſa tempore interdicti, ſint etiam permiſſa in ceſſatione à Diuinis. Ratio eſt quia matrimonium cum non ſit purè ſacramentum, ſed habeat rationem contractus, habet ſua ſpecialia impedimenta; nec interdicitur inſtar aliorum ſacramentorum; ſed debet exprimi eius interdictio. ita etiam Nauar. *ſum.c.*27.*n.*179. Innoc. *c.non eſt.fine. de ſpons.* vbi Hoſt. Io. Andr. *n.*5. Ant. *n.*10. Abb. *n.*8. Card. *n.*4. *q.*1. Præp. *n.*7. Alex. de Neuo *n.*21. Anchar. *fin.* Calderin. *de interd.mem.* 2. 6. *§.viſo de effectu inter.* Couarr. *C.alm mater.2.p.§.*2. *nu.* 7. Borgaſ. *de irregul. p.* 6. *de ſent. interdi. n.*50. & ex Theol. Palud. 4. *d.*18. *q.*8. *a.*2. *concl.*4. *n.*27. *& d.*26. *q.*2. *a.*2. *nu.*12. Enriq. *lib.*11. *de mat.c.*16. *n.*2. *com.lit. S & c.*2. *n.*1. *com.lit. F. de ex l.*13. *c.*45. *n.*3. Cañedo *de ſacr.trac de inter.c.* 8. *nu.* 56. Vega 1. *t.ſum.c.*103. *caſu* 6. Em. sà. *v.interd.n.*17. Philiar. *de off. Sac.t.*1. *p.*1. *li.*4. *c.*3. *§.vltim.n.*7. Petrus Ledeſ. *de matr. q.*50. *a. vnic. dub.* 3. *poſt* 4. *conclu.* contra Vgolinum putantem non licere tunc matrimonium contrahere. *de*

cenſ.

cenſ. tab. 5. cap. 7. §. 3. num. 1.

2 Immo poterit etiam celebrari in Eccleſia ſpecialiter interdicta, quia omnia ſacramenta permiſſa tempore Interdicti poſſunt in Eccleſia ſpecialiter interdicta celebrari, cum nulla ſit huius rei prohibitio, vt docent Couarr. Nauar. Enriquez Philiar. Calderin. & Alij, ergo etiam & matrimonium; vnde patet à fortiori licitum eſſe facere denunciationes tempore interdicti, & quamuis miſſa, in qua fiũt denunciationes, celebraretur cõtra formam interdicti, ita vt eſſet peccatum celebrare; non erit peccatum tunc facere denunciationes.

3 Ad aliam partem queſiti Dico primo nõ poſſe tempore interdicti nuptias benedici, quia benedictio nuptialis eſt officium Diuinum, & pertinet ad actum ordinis ſic Palud. Philiar. Enriquez. *l.c.* Metina *li. 1 ſu. n.c. 11. §. 13.* Viual. *cand. ſacr. 2. p. de inter. n. 209.* Manuel. *t. 1. ſum. 2. edit. c. 16. n. 2.* Graff. *2. p. deciſ. li. 1. c. 1. n. 25.* Calderi. Hoſt. Io. And. Ant. Alex. de Neuo. Anch. *cit. n. 1.* Contra Roſellam *interdictum 2. nu 7* Angel. *inter. 6. n. 30.* Gaeta. *repet. c. ad limina. 30 q. 1. §. 4. n. 547.*

At hodie cum mederatione poſita C. *Alma mater de ſent. excom. in 6.* nimirum ſubmiſſa voce, ianuis clauſis, excluſis excommunicatis, ac interdictis licitè poſſunt conferri nuptiales benedictiones caſu quo coniuges ipſi habeant priuilegium aſſiſtendi Diuinis v.g. Bullam Cruciatæ, alias enim non poſſunt accipere benedictiones, cum laicis ſit interdictum Diuinis aſſiſtere. ratio eſt quia cum prædicta moderatione conceſſit *d. C. Alma mater* omnia Diuina officia poſſe celebrari. ſic etiam Enriqu. *l. 13. de excom. c. 44. num. 1. lit. D.*

4 In Ecclesia vero ſpecialiter interdicta non poſſunt benedictiones recipi nec cætera Diuina officia etiam cum prędicta moderatione celebrari, quia *Ca. Alma mater* loquitur ſolum in interdicto generali D. Ant. *3. p. t. 26. c. 3. ver. item in Eccleſia* Nauar. *ſum. ca. 27. n. 175.* Couar. *d. c. alma mater. 2. p. §. 4. n. 1. & §. 5. n. 2.* Villadiego *de irreg. c. de interdicto* quod incipit *dictum eſt etiam quod celebrans col. 3.* Paul. fuſcus *li. 2. de regi. & viſi. Eccl. c. 32. nn. 4.* Calderin. *de interdi. mem. 2. col. 7. fol. 3.* Manuel. *t. 1. ſum. addit. c. 116. num. 6.* Vgolin. *de cenſ. tab. 5. de inter. c. 10. n. 5. q. 1. n. 1.* in principio & alij apud. Sanchez *n. 12.* licuti nec poſſunt in priuatis oratorijs, aut extra Ecclesiam hæ benedictiones, aut Diuina officia celebrari, quia *d. c. verſ. Adycimus*, limitatur conceſſio vt poſſint celebrari in Eccleſijs, aut monaſterijs; ergo non debet extendi ad alia loca, quæ Eccleſiæ non ſunt, vt ſunt Oratoria priuata; preſertim cum talis conceſſio ſit iuris communis correctoria; in hoſpitali vero auctoritate Epiſcopi erecto id poteſt, quia in fauorabilibus nomine Eccleſiæ venit, sicuti etiam in Monaſterijs Monialium, quia generaliter tex: dicit in Monaſterijs. ita etiam Couarr. & Calderinus contra Nauarr. & Vgolinum putantes prædictam conceſſionem *C. alma mater* non coarctari ad Ecclesiam, ſed poſſe vbique Diuina officia celebrari cum posita moderatione, ſed prior ſententia valde placet, cum habeat fortiſſimas rationes.

5 At tempore ceſſationis generalis à Diuinis non poſſunt nuptiæ benedici etiam cum dicta moderatione *C. Alma mater*; quia eo tempore non licet diuina officia cum prędicta moderatione celebrare, quod patet ex ipſo nomine ceſſationis à Diuinis, quod importat omnimodam ceſſationem, & ita vſus obtinuit; vnde quamuis in rigore Iuris eſſet verum quod docent Archid. *c. ſi Canonici de offic. ord. in 6.* Nauar. *ſum. c. 27. n. 188. fin.* Villadiego *de irreg. violantis interdictum §. dictum eſt etiam col. 3.* & Io. de fibur. *ſum. conſ. lib. 3. t. 33. qu. 221.* poſſe ſcilicet tali tempore Diuina officia celebrari, vt in interdicto; tamen noſtra ſententia eſt vſu, & conſuetudine vniuerſali recepta. ita Couarr. *d. c. alma 2. p. §. 4. n. 8.* Curial. *trac. de ceſſat. à diuinis fol. 11* Margallo *de hor. can. fol. 17.* Ludo Lop.

2. *p. inſt. ca.* 21. *de interd. tit. de ceſſ. a diuin. ver. his nihilominus* Guti. *li.* 1. *q. can. cap.* 10. *nu.* 6.

6 Dico 2. in ſolemnitatibus in quibus Iure interdictũ ſuſpenditur, nimirũ in die Natalis Domini, Pentecoſtes, Paſchatis, Aſcenſionis, Aſſumptionis B. Virginis, & in feſto Euchariſtiæ cum tota octaua, licet etiam ſolemniter benedictiones nuptiales facere; niſi ſit alia prohibitio, vt eſt in Natali Domini, & Paſcha, de quibus *diſp. præcedenti n.* 1. dictum eſt, quia hæ benedictiones pertinent ad officium Diuinũ: ergo cum officia Diuina his temporibus poſſint celebrari tempore interdicti, vti prius ante tempus interdicti ex *C. Aſma mater*; etiam poterunt celebrari hæ benedictiones, nec obſtat quod hærequirant peculiarẽ Miſſam, quia poteſt in illis diebus quæuis alia miſſa celebrari. ita etiam docent Calderin. *de int. mem* 6 *. v. dubitant quidam* Nauar. *l. c. n.* 185. Couar. *l. c.* §. 5. *nu.* 5. D. Ant. 3. *p. t.* 26. *c.* 4. *in princ. col.* 2. Vgol. *de cenſ. tab.* 5. *de interd. c.* 7. §. 10. *n.* 2.

7 Vnde infertur Sacerdotem, qui tempore interdicti benedicit nuptias die Natalis Domini, aut tempore Paſchatis peccare tantũ contra præceptum non benedicendi nuptias his diebus; non contra interdictum, & ſic non incurret irregularitatem, quæ ſtatuitur contra violatores interdicti; quia præceptum interdicti quoad officia celebranda ceſſat eo tempore, & ſolum remanet aliud præceptum non celebrandi nuptias, ſicuti ſi quis haberet votum ieiunandi ſextis ſerijs, si Natalis Domini accidat, ſexta feria, & ille carnes comederet, ſolum peccaret contra votum, quia prohibitio veſcendi carnibus illa die ceſſat ob Natalem Domini ſecundum probabiliorem ſententiam, & remanet voti obligatio vt tradunt Em. sà. *v. ieiuniũ nu.* 6. Sylu. Tab. Armil. Lud. Lopez. apud Sanch. *n.* 16.

8 Nec ſolum tempore interdicti, ſed etiam ceſſationis à Diuinis licet in prædictis feſtiuitatibus ſolemnes benedictiones facere, Diuina officia celebrare, quia benigna illa conceſſio in honorem feſtiuitatum, non debet coarctari (intelligè tamen hæc omnia celebrari poſſe extra Ecclesiam ſpecialiter interdictam etiam in prædictis feſtiuitatibus) ita expreſſè Vgolinus *prox. cit. n.* 5. quia ceſſat ratio cõceſſionis in prædicta Ecclesia, cum iam extra illam poſſit ſolemnitas feſtiuitatum celebrari. Contra Margallum *de hor. can. f.* 17. 23.

9 Dico tertio si coniuges sint interdicti generali interdicto locali, quo ſcilicet locus aliquis interdicitur poſſunt benedici extra illum locum, quia interdictum locale non obligat extra locum interdictum; ſi vero interdictum sit perſonale ſed generale, quia ſcilicet aliqua vniuersitas interdicitur vt omnes Ciues Panormi; tum si vir eſt ex illa ciuitate non poteſt benedictio nuptialis ipsis dari, etiã extra ciuitatẽ, & locum interdictum, nisi vir mutaret domicilium: quia dum manet pars illius communitatis, manet interdicto ligatus: at si vxor eſt interdicta tali interdicto generali perſonali tunc poteſt benedici cum viro extra locum interdici; nam ipſa ſortitur munera, honores, & forum viri *l. fæmina ff. de ſanat.* ergo gaudebit ea immunitate viri non interdicti. ita Calder. *de inter. mem.* 6. §. *viſo de effectu* Armilla *v. interdictum n.* 53. Tabien. *interdic.* 5. *n.* 14. *q.* 13. quod si ſpecialiter sint interdicti, vel dederunt cauſam culpabilem interdicto ferendo, nullo in loco poſſunt recipere benedictiones nuptiales, siue sit coniux sic interdicta, siue vir: quia interdictum ſpeciale perſonæ, illam comitatur, donec habeatur abſolutio, sic etiam *cit.* DD.

DISPVTATIO IX.

An tempore, quo alter, aut vterque coniux eſt excommunicatus validè, aut licitè contrahatur matrimonium?

1 DIco primo ligatum excommunicatione siue maiori, siue minori

nori peccare mortaliter ſi ante abſolutionem contrahat matrimonium, quia vtraque excommunicatio priuat ſub mortali receptione ſacramentorum, ſic etiam Palud. 4. *de* 26. *q.* 2. *a.* 2. *con.* 2. *&* 3. *n.* 9. *&* 10. Nauar. *ſum. ca.* 22. *n.* 81. Caet *ſum. v. matr. c.* 1. *fin.* Armilla *v. excommunicatio n.* 9. & loquẽtes etiã *de excom maio.* Enriq. *li.* 13. *de excom. c.* 10. *n.* 1. Alex. *in ſuo Enchirid.* 6. *præc. de ſtat. mat.* § 1. Viguerius *lib. inſt. c.* 16. §. 7. *v.* 8. *imp.* 1. Gaet. Nauarra & Alij, duplex autem in hoc caſu committitur peccatum, vnum eſt contrahere cum excommunicatione contra præceptum Eccleſiæ, alterum eſt recipere cum peccato mortali ſacramentũ matrimonij. Nam quamuis excommunicatus non haberet aliud peccatũ mortale tamen eo ipſo quod ſciẽs, & prudens vult cum excommunicatione contrahere committit peccatũ mortale. non tamen tertium peccatum ex eo quod miniſtret hoc ſacramentum cum culpa læthali, quia non eſt miniſter conſecratus, vt dictum eſt *diſp.* 6. *lib.* 2. at matrimonium ab hoc excommunicato contractum, validũ erit, cum nullus reperiatur textus illud irritans, ita etiam docent D. Th. Palud D. Ant. Caet. Toledo, Graffis. Barthol. & Petrus Ledeſma Lud. Lop. Viuald. ex theologis quos habet Sanc. *diſ. hac nu.* 1. cum Io. And. Ant. Abb. Anch. Alex. de Neuo Præp. Henric. *cap. ſignificaſti de eo qui duxit in matr.* Ant. Cucum *lib.* 5. *inſt. mai. tit.* 11. *num.* 170. Gaeta *repet. c. ad limin.* 30. *q.* 1. §. 4. *n.* 13. & alijs iuris peritis contra Martinum de Magiſtris aſſerentem nullũ eſſe matrimonium initum à ligato excommunicatione maiori.

2 Dico ſecundo nullam eſſe culpam contrahere cum eo, quem ſcis eſſe excommunicatum excommunicatione maiori, vel minori, modo non ſit publicus clerici percuſſor, aut denunciatus (tũc enim mortale eſt cum hoc contrahere) immo quamuis excommunicatus maiori excommunicatione peccet ſi ſe ingerat & alium inuitet ad contrahendum ſecum, cum faciat contra Eccleſiaſticã prohibitionẽ; tamen ſi eſt ab altero prẽuentus, non peccat ſi conſentiat, & cum eo contrahat, quia probabilius eſt petentem ſacramẽta à miniſtro excommunicato etiam non parato quamuis nulla ſit neceſſitas, non peccare, nec ipſum miniſtrum excommunicatum peccare, aut irregularitatem incurrere, quando non eſt denunciatus, aut publicus Clerici percuſſor. & docẽt Sotus 4. *d.* 22. *q.* 1. *a.* 4. *col.* 3. *ver. ait vero.* Ledeſ. 1. *p.* 4. *q.* 5. *ar.* 6. *dub. pen.* Lud. Lopez 2. *p. inſtr. vbi de ſac. in genere c.* 59. *col.* 18. & aliqui teſte Victoria *ſum. de excom. nu.* 339. non eſt quia Concilium Cõſtantienſe conceſſit omnibus fidelibus vt in nullo teneantur euitare huiuſmodi excommunicatos ad vitanda ſcandala, & pericula, & ad ſubueniendum conſcientijs timoratis, & per conſequens indirectè cõceſſit ipſis excommunicatis, vt poſſent communicare cum alijs etiam in ſacramentorum adminiſtratione: abſurdum enim eſt me nõ teneri vitare hunc excommunicatum, & ipſum mecum participando peccare; immo ſi excommunicatus ſit talis vt poſſit habere abſolutionem, & prẽueniat alium, (quo caſu peccat mortaliter) ille præuentus non peccabit ex eo quod cooperatur peccato alterius, nam licitum eſt vti malitia alterius parati ad proprium commodum, quando ille bene poſſet opus illud exequi; poteſt autem excommunicatus, qui poteſt petere abſolutionem bene opus exequi illam petendo. ergo &c.

3 Vnde ſi excõmunicatus non poſſet abſolutionem obtinere, qui cum illo cõtrahit peccabit eodem peccato ratione cooperationis. Et ſi excõmunicatus ſit vitandus, & alius illum inuitet ad ſecum contrahendum duplex peccatum committit inuitans, vnum ſcandali; quia inuitat ad peccatum, alterum contra prohibitionem Eccleſiæ, quæ ſub mortali obligat vitare excommunicatum publicè denunciatum, aut publicum percuſſorem. quid autem dicendum ſit quando am-

bo eſſent excommunicati patet facilè ex dictis, ſemper enim ille, qui inuitat peccabit, & in caſibus, in quibus inuitatus peccat, erit etiam peccatum ſcandali, at inuitatus non peccat, niſi ſit aut ipſe, aut inuitans nõ toleratus

4 Contraria tamen ſententia, quæ docet peccare mortaliter recipientẽ ſacramenta ab excommunicato non denunciato, & conſequenter peccare petentem ab excommunicato non vitando vt ſecum contrahat, eſt communis, & probabiliſſima, ratio eius eſt quia quiſq; lege charitatis tenetur vitare peccatum alterius; at peccat excommunicatus miniſtrans ſacramẽta. vide Suar. *3.p.q.65.a.4.diſ.18.ſec.1. col. 5. lit. B.*

5 Dico tertio non eſt peccatum cõtrahere ſponſalia cum quacumque excommunicatione, niſi tantum veniale ex eo quia participant in contractu humano, caſu quo talis participatio in cæteris contractibus eſſet veniale; quod verum eſt etiam ſi ſpõſalia ſint iurata, quia excommunicato non interdicitur iuramentum extra Iudicem; at mortale eſt recipere benedictiones cum excommunicatione quatenus participat in re ſacra cũ alijs aſſiſtentibus dum miſſæ intereſt, & quatenus recipit benedictionem, quia ipſe eſt excluſus à precibus Eccleſiæ quales ſunt nuptiales benedictiones ſi excommunicatio ſit maior, nam excõmunicationi minori ligato nulla erit culpa eas recipere, quia excommunicatio minor tantum receptione ſacramentorum priuat, vt ait etiam Palud. *diſ.16.4. qu. 2.a.2. concl. 3. num.* 10. hoc etiam tradunt Henri. *C. ſignificaſti n. 2. de eo qui dux.* Vgol. *de cenſ. tab. 2.de exco.c.* 7. §. 2. *n.* 9.

6 Hinc infertur excommunicatum quacunque excommunicatione, debere prius abſolui ab excommunicatione caſu quo eſſet mortale cum illa contrahere, confeſſionem tamen nõn tenetur prẽmittere, etiam ſi peccatum mortale habeat, ſed ſufficit ſi ſit contritus vel attritus bona fide putans eſſe contritionẽ, quia in ſola perceptione Euchariſtiæ debet prẽmitti cõfeſſio ſacramentalis ab eo, qui eſt in peccato mortali, benedictionem vero recipere in mortali nulla eſt culpa. ſic etiam Veracruz *app. ad ſpec. dub.* 13. *concl.* 2.

7 Dico tandẽ ſuſpensũ ſi ſit in ordinibus minoribꝰ, non peccare matrimoniũ ineũdo, aut benedictiones in Eccleſia recipiendo, etiam ſi eſſet ſuſpenſus ab Eccleſiæ ingreſſu; quia intelligitur interdictus Eccleſiæ ingreſſus vt clerico, non vt laico; ſi vero interdiceretur non per ſuſpenſionem ingreſſus Eccleſiæ, tunc extra Eccleſiam poſſet recipere benedictiones, quia nullus actus extra Eccleſiam per illud interdictum prohibetur, eſt commnis ſententia.

DISPVTATIO X.

An Catechiſmus impediat matrimonium ineundum.

1 CAtechiſmus, quem inter impedimenta impedientia numerauimus *diſp.6.* eſt inſtructio fidei, quę fit ante ianuam Eccleſiæ; per hunc catechiſmum ille qui puerum tenet, & reſpondet pro eo ad fidei poſtulata dum Sacerdos dicit, credis etc. contrahit cognationem ſpiritualem imperfectam, quæ non dirimit, ſed tantum impedit matrimonium prohibitum, ſiue de cætero talis inſtructio baptiſmum precedat, ſi poſt eius collationem fiat, vt vult verior opinio quam etiam tenent *4.decr.2.p.c.6.§.4. n.*11. Ouand. *4.d.* 42. *diſ. vnic. prop.* 7. Hieronym. Paulus *in prouinciali fol.*16. Enriq. *l.*12. *de matr.c.2.nu.* 1. contra Bart. a Lud. *de matr. dũb.*46. §. *de catechiſmo* putantem requiri vt ſit poſt baptiſmum.

2 Et quamuis requiratur ad hanc cognationem contrahendam vt patrinus teneat puerum in toto tempore catechiſmi; tamen non requiritur vt cœxiſtat baptiſmo, vt vult Albertus Magnus *4.d.*42. *a.* 5. vel vt abſq; baptiſmo fiat. vt tenet Ouan. quia *c.2.de*

cognat.

cognat. ſpir. in 6. indiſtinctè loquitur. vnde etiamſi baptiſmus non ſequatur quia v.g. poſt catechiſmũ infans moritur, adhuc talis cognatio contrahitur, quia ea non dependet ex futuro euentu ; ſed ſtatim perfecto Catechiſmo contrahitur. vna tantum contrahitur cognatio ſi idem ſit patrinus Baptiſmi, & Catechiſmi, vt docet Palacios *4.d.42.diſp. vnic.col.*30 *fol.*928.

3 Hodie tamen hæc cognatio ſublata eſt per Tridentinũ *ſeſſ.*24.*de matr.c.*2. quod numeratis in eo decreto perſonis inter quas vult contrahi cognationem ſpiritualem vt reſtringeret multitudinem cognationum ad vitanda incommoda non numerat Catechiſmum ; præſertim cum Pius V. anno 1566. 28. Nouemb. ait non eſſe recedendum à præcisis illius verbis, verba autem ſunt hęc (*per Baptiſmum, vel Confirmationem, & iure antiquo circa hoc correcto, ſic concludatur. omnibus inter alias perſonas huius ſpiritualis cognationis impedimentis omnino ſublatis*) ita etiam Veracrux 1. *p. ſpec. a.* 22. Quand.*prop.*8.*l.c.*Enriq. Bart.a Led. *l. c.in poſteriori edit.fine* Em.sà.*v.matrim. n.*4. *vbi de imped. non dir.* & eſt hodie communis.

Quare Parochus tenetur deſcribere, & notare an patrinus ſit tantum Catechiſmi, vel Baptiſmi; quia ſi hoc non facit defraudabit intentionem Concilij, & præbebit occaſionem diſſoluendi matrimonia valida inita cum ſolo impedimento catechiſmi; nam ſi indifferenter ſcribit Petrus v. g. fuit patrinus non poteſt cognoſci an fuerit patrinus in Baptiſmo ; quo caſu impedimentum eſt dirimens; vel in catechiſmo, quo caſu nullum eſt per nos impedimentum.

4 Contraria ſententia, quæ vult hodie extare etiam hoc impedimentum, & à Conc. Trid. tantum fuiſſe reſtrictum ad primum gradum, ad quem reſtricta eſt cognatio in Baptiſmo, eſt ſatis probabilis, ducitur ex eo quod ex præfatione Concilij in prædicto decreto colligitur voluiſſe tantum auferre cognationes ſpirituales dirimentes matrimonium. ita in proprijs terminis Palacios *loc. cit. fol.* 927. & Bart. à Led. *in priori edit.l. c.*

DISPVTATIO XI.

Quo pacto votum ſimplex matrimonium impediat & non dirimat.

1 DIco primo votum ſimplex, ſeu Iuramentum caſtitatis, etiamſi ſit emiſſum ab utroque contrahente: vel ingrediendi Religionem, aſſumẽdi ordinem ſacrum, non ineundi matrimonium, impedit licitè matrimonium inire ; at ſi cum his votis ineatur, non eſt irritum. habetur *c. conſuluit, & c.Rurſus qui clerici vel vouent in* 6. *& alibi*. Ratio eſt quia ea vota ſeu iuramenta aduerſantur è diametro matrimonio ; ergo non poteſt licitè illud inire ille, qui habet hęc vota; quod autem id non dirimant, non eſt quia non important traditionem ; ſed ſolam promiſſionem, at promiſſio ſolum impedit translationem rei promiſſæ in alium : non tamẽ reddit nullam, quia facta eſt à vero Domino, & ſic v. g. ſi promitto tibi equum, non poſſum abſque peccato contra fidem promiſſam illum alteri dare ; at ſi dedero, ille, qui accipit equum, efficitur verus Dominus, cum donatio à me facta fuerit valida : eſt cõmunis: quod intellige etiam ſi vota fuerint conditionalia, vt voueo Religionem ſi Pater viuet; quamuis enim non tenear ingredi Religionem ante impletam conditionem ; non tamen poſſum licitè inire matrimonium, quia teneor ſeruare me talem vt poſſim conditione impleta (poſtquam ſcilicet Pater benè ſe habebit) Religionem ingredi: ſic etiam Abulenſis. *ca.* 30. *num. q. vltim.* Poteſt tamen Eccleſia matrimonia poſt talia vota ſimplicia irritare, vt fecit Greg. XIII. in fauorem Societ. Ieſu anno 1584. ſtatuens vota ſimplicia poſt Biennium Nouitiatus emiſſa irritare matrimonium poſt ea contractum.

2 Vnde certiſſimum eſt illum, qui talibus votis eſt ligatus non poſſe ſine

ſacrilegio contrahere matrimonium abſque diſpenſatione, etiamſi vehementiſſimis carnis ſtimulis vrgeatur; & paſſim cadat in peccata contra votum, ſiue illud ſit emiſſum ante, ſiue poſtquam expertus eſt tales tentationes: conſtat ex vſu Eccleſiæ, & ratio eſt quia cum materia votorum ſit res grauiſſima, non relinqui debuit iudicio cuiuſcumque prudentis, ad hoc vt determinet an ſit vtilius, & melius inire matrimonium contra votū, aut votum ſeruare; ſed debet expectari authoritas ſuperioris, qui diſpẽſet. Nam quamuis expediat huic perſonæ determinatæ matrimonium cõtrahere contra votum factum: tamen vt pars Eccleſiæ eſt, poterit ipſi tale matrimonium non eſſe expediens. ſic Valen. 2, 2. *diſ.* 6. *q.* 6. *p.* 2. *dub.* 4. *col.* 10.

3 Patet etiam eum, qui ſcit aliquem eſſe ligatum vno ex prædictis votis, peccare mortaliter ſi cum eo contrahat, nam cooperatur peccato alterius, nec excuſatur à tali peccato, ex eo, quod alter ſit paratus; quia votum caſtitatis &c. eſt impedimentum ſpeciale matrimonij vt contractus eſt; ergo impedit vtrumque contrahentẽ. ſic Turrec. *cap. nos nouimus* 17. *qu.* 2. quod eſt ex D. Aug. *epiſt.* 70. *ad Bonifac. Comitem. ar.* 2. *n.* 4. Aſtens. *ſum.* 2. *p. l.* 8. *t.* 16. *a. vnic. q.* 7. Sylu. *mat.* 7. *qu.* 5. *d.* 6. Nauar. *ſum. c.* 22. *n.* 27. Gre. Lop. *l.* 11. *fin. tit.* 2. *p.* 4. Matienzo *lib.* 5. *reco. tit.* 1. *rubr. gl.* 1. *nu.* 151.

4 At ſi aſtrictus aliquo ex his votis matrimonium impedientibus petat ab aliquo Doctore, vel Confeſſario &c. an validum ſit matrimonium initum contra talem votum à ſe emiſſum, abſque vllo peccato ſcandali, ſeu occaſionis peccandi, poteſt interrogatus reſpondere veritatem: dicendo non eſſe irritum matrimonium; ſed eſſe peccatum læthale contrahere illud. Nam ſicuti Doctor in ſcriptis absque peccato hanc doctrinam ſcribit; ita etiam interrogatus poteſt illam docere. ſic Abulenſis *c.* 30. *nu. q.* 63. Matien. *n.* 152. verum tamen eſt quod ratione Charitatis, qua etiam tenemur auertere à proximo quantum poſſumus peccati occaſionem, prudenter eſt eludendus ſic interrogans, & ſi quis incautè reſpondeat, committet peccatum veniale quia præceptũ hoc charitatis non obligat ita ſtrictè ad ponendam tantam circumſpectionem: ſi vero in reſpondente ſit malitia, quia v.g. ita reſpondet, tali modo, & tempore, vt ille qui interrogat meritò credat eum velle, vt poſito voto matrimonium contrahat, erit peccatum mortale; tunc enim erit tacita inductio. ſic Nauar. *ſum. c* 22. *n.* 73.

QVAERES I.

An liceat aliquando conſulere vt ineatur matrimonium contra votum caſtitatis &c. caſu quo ille, qui eſt voto aſtrictus ita eſt vexatus tentationibus venereis, vt paſſim ſuccumbat, nec eſt ſpes vt ſe contineat adhibitis alijs medijs. tunc enim minus malum eſt vnum peccatum committere contra votum, & inire matrimonium, quo vitabit tot peccata fornicationis, & ſacrilegia.

5 Reſpon. huius quæſiti deciſio pendet ab illa quæſtione; an liceat conſulere minus malum ad maius vitandum, quando alia via nequit vitari.

6 Quare Dico primo licitum eſſe cõſulere Petro v.g. qui vult omnino Frã ciſcũ interficere, nec alia via poteſt à tali opinione auerti, vt det illi verbera, vel aliquod vulnus &c. (nec requiritur vt conſulens in eo caſu exprimat conditionem ſi maius malum patraturus eſt, nam ea ſubintelligitur vt docet Gaet. *opus. t.* 1. *trac.* 31. 17. *reſponſionum reſ.* 13. *ad* 3. Sotus *lib.* 7. *de iuſt. q.* 1. *a.* 5. *col.* 5. Salon. 2. 2. *qu.* 78. *a.* 4. *contr.* 1. *col.* 7. probatur ex D. Auguſt. *lib.* 2. *de adulterinis coniugijs*, vbi Sanctus Doctor ei qui decreuerat vxorẽ necare, quo aliam duceret, conſulit hæc (*ſi facturus es quod non licet, iam facias adulterium, non facias homicidiũ*) ratio eſt quia taliter conſulens ſolum conſulit electionem minus mali, quod eſt bonum obiectum citat Sanch. *hic*

nu. 15.

nu. 15. Inn. Io. Andr. Sylu. Card. Anch. Ang. & alios Canoniſtas cum Enriq. *l.* 4. *de pœnit. c.* 27. *n.* 9. Molin. *t.* 2. *de iuſt. tr.* 2, *diſ.* 335. §. *hac tamen concl.* Salon. 2. 2. *q.* 52. *a.* 7. *contr.* 7. Arag. 2. 2. *q.* 62. *a.* 7. *col.* 15. & alijs Theologis.

7 Immo in hoc caſu licet etiam inducere ad minus malum perpetrandum & materiam offerre v. g. enſem, quo feriat Petrum, quem volebat occidere; aut opem ferre latroni, & rem furto ablatam, ſimul cum fure aſportare, ne maius inferat damnum, nec taliter inducens tenetur ad reſtitutionem faciendam Petro pro damno illato; quia nec ratione rei acceptæ, nec iniuſtæ acceptionis tenetur; cum non peccauerit inducendo, aut opem ferendo. ſunt etiam in hac ſententia Caet. *ſum. v.* Tyrannis. Nauar. *ſum. hiſp. c.* 24. *n.* 14. *& lat. c.* 14. *n.* 40. Sotus *lib.* 4. *de iuſt q.* 7. *a.* 3. *ad finem corporis & lib.* 6. *q.* 1. *a.* 5. *col.* 3. Io. Metina *de reſt. q.* 7. *ad* 1. Salon. 2. 2. *q.* 62. *a.* 7. *cõtr.* 7. Carbon. *de reſt. q.* 69. *concl.* 5. & quod liceat offerre materiam, tradunt etiã Valentia 2. 2. *qu.* 21. *diſp.* 5. *p.* 4. *col.* 2. Oleaſt. *gen.* 19. Arboreus *lib.* 10. *theoſophiæ c.* 2. Carbon. *l. cit. poſt* 3. *concl.* qui excuſant factũ Loth obtulentis proprias filias volẽtibus ſodomiam committere ex eo quia obtulit materiam minoris mali; de qua quæſtione vide Pereiram *in c.* 19. *geneſ.* immo etiam ſi poſſem alia via minus malum conſulere abſque eo quod inferatur damnum in bonis alterius, tamen non teneor ad reſtitutionem, quia ſolum pecco contra charitatem, non contra Iuſtitiam, nisi ex officio tenear impedire damnum illius, cui infertur ex meo conſilio ad vitandum maius malum.

8 Et quamuis ille, qui vult malum inferre non ſit paratus ad malum maius, & ad minus: vt ſi nil cogitet de verberibus Ioanni infligendis; ſed tãtum velit illum v. g. occidere, nihilominus licet conſulere, & inducere vt eum verberibus cedat, poſito quod ſit determinatus ad illum occidẽdum; nam ſi non eſt talis determinatio; ſed tãtum quædam propenſio ad malum maius nõ poſſũ minus conſulere, vt ſi videã Petrũ ad ſodomiã valdè propenſũ, ſed non determinatũ, nõ poſſũ cõſulere vt fornicetur, ſicuti neque poſſum conſulere alteri v. g. fœminæ, vt cum illo, qui eſt paratus ad ſodomiã, vel ad aliud maius malum, fornicetur. nam in his casibus eſſet inductio ad malum ſimpliciter. Sotus *lib.* 6. *a.* 5. *col.* 7. *v. ex his ergo & v. his tamen non obſtantib. col.* 5. *de iuſt.* Salon. 2. 2. *q.* 78. *a.* 4. *contr.* 1. *col.* 7. Vega 1. *tom. ſum. c.* 9. *caſu vnic.* Molin. *t.* 2. *de iuſt. d.* 335. §. *hac tamen.*

QVAERESII.

An liceat conſulere vt inferatur minus malum Paulo vt vitẽ maius in Petro.

9 Reſpondeo ſi quis ſit determinatus inferre malum maius, & minus duobus v. g. occidere Petrum, & furari à Paulo, vel illi manum amputare, nemo poteſt conſulere vt inferat damnum minus Paulo, ad euitandum maius in Petro, & conſulens peccabit contra iuſtitiam, & reſtituere tenetur, quia conſulens eſt directè cauſa vnius minoris mali Paulo illati: nec fas eſt vni prodeſſe, cum damno alterius: quid enim debet Paulus Petro vt amputetur ipsi manus, quo Petrus a morte liberetur? ita etiam Sotus, Vega, Molin. *l. c.* & alij Theologi; immo quamuis ille eſſet adhuc dubius an maius malum inferat Petro, an vero Paulo, peccabit conſulens vt inferat minus vni determinato v. g. Petro, & tenebitur ad reſtitutionem ob dictam rationem.

10 Sicuti nec poſſum æquale malum ad aliquod æquale vitandum conſulere; quia electio æqualis mali nullam habet rationem boni; non tamen teneor ad reſtitutionem ob illatum dãnum, quia non fui cauſa influens in illud per meum Consilium; at ille qui eligit minus, vel æquale damnum, ſemper peccabit, & ad reſtitutionem tenetur ob iniuriam illatam, quia tenetur

netur vtrumque malum non operari. ſic Sotus P. Molina *diſc.it.ad* 2. Salon. *l.c. in ſolut.ad.* 3. quamuis Carbon. *de reſt.q.*69.*ad* 4.dicat poſſe concedi æquale malum conſulere.

11 In quatuor tamen caſibus hoc licitum eſt abſque peccato. Primus eſt ſi malefactor velit vtrumque damnũ inferre Paulum ſcilicet necare, & Petrum mutilare; tunc enim poſſum conſulere vnum ex his malis; quia minus eſt vnum lædere, quam duos, peccare tamen contra charitatem ſi conſulerem vt inferat maius damnum relicto minori; niſi habeam peculiarem rationem v.g. quia Paulus cui inferendum erat minus malum, ſit mihi propinquior, vel dignior &c.

12 Secundus caſus eſt quando minus malum eſſet modicum, aut ſi is, in cuius damnum conſulitur minus malum, teneatur illud pati ad vitandum maius in alio, vt ſi quis velit Regem occidere, poſſum conſulere vt plebeium occidat vel Ioannem feriat, quia hi tenentur ad Regis vitam tuendam mortem pati.

13 Tertius eſt quando malefactor non vult determinatæ perſonę nocere; ſed in communi; tunc enim poſſum conſulere etiam in communi vt illi damnum inferat, cui minus nocebit. ſic Adrianus *quodlib.* 1. *ar.* 3. *ad* §. & Salon. 2.2.*q.*22. *a.* 7.*conſ.*7.

14 Quartus eſt quando velit nocere tertię perſonę determinatę v.g. Paulo, poſſum conſulere vt aliũ lædat non determinando perſonam, vt ſi quis velit à paupere furari, vel à me, poſſum dicere vade, & ſi furari vis, ab alijs furare, vel à diuite, non à paupere: quia tunc tantum illum auerto à malo, quod vult mihi, vel pauperi inferre; non tamen poſſum conſulere vt à determinata perſona furetur. v. g. à Petro diuite. Ex his.

15 Reſp. ad quęſitum initio diſputationis propoſitum directè: moraliter loquendo non licet conſulere habenti votum caſtitatis, vel alia impedimenta matrimonij vt illud contrahat, etiamſi ſit valde agitatus ſtimulis carnis, ita ut ſæpius, & paſſim cadat in ſacrilegia contra prædicta vota; quia hic poteſt petere diſpenſationem, nec eſt omnino determinatus ad mala illa, & peccata patranda; ſed ob fragilitatem cadit. Sed ſi talis eſſet vt nec vellet petere diſpenſationem, nec a venereis deſiſtere, poteſt tunc conſuli vt ineat matrimonium, & potius vnũ peccatum ſemel committat, quã tot ſacrilegia, patet ex dictis; immo abſolutè concedunt poſſe tunc id conſuli. Ang.*matr.*3.*imp.* 5. Veracr. 1.*p.ſpecu.a.* 15. *dub.vlt.* Matien.*recop. lib.* 5.*ti.* 1.*rubr.gl.* 1. *nu.* 152.

16 Sunt tñ aliqui Theologi vt Caet. 2.2.*q.*78.*ar.*4.*notab.*3. Valent.*diſ.*1. *q.* 21.*p.*4.*col.*4. qui velint non licere conſulere minus malum; ſed tantum offerre materiam minoris mali: Alij tamen indiſtinctè dicunt eſſe illicitum vt ſunt Gabr. Conrad. Syiu. & Eman. sà. apud Sanch. *n.* 14. ducuntur *ex C. ſuper eo de vſuris* ibi *(multò magis prohibendus eſt quis, ne etiam pro redimenda vita captiui vſurarum crimine inuoluatur.* Secundo quia is, qui malum minus eligit peccat; ergo & is qui conſulit; & eſt ſatis probabilis hęc ſententia.

* Circa ea quæ hic *num.* 1. dicta ſunt Pontius *lib.*6. *cap.* 12.*n.*1. ait noſtrum auctorem plura alia iura (nempe illa, quæ Pontius affert) adducere ad probandum vota ſimplicia caſtitatis non dirimere ſubſequens matrimonium, ſed ſolum impedire, ſed non eſſe ad rem, quia loquuntur etiam de votis caſtitatis emiſſis in religione, & profeſſione quæ olim non habebant vim dirimendi matrimonium. Mihi verò maximè efficacia nedum ad rem eſſe videntur, quod ſic oſtendo.

Hi textus loquuntur de voto caſtitatis ſimplici, & dicunt non dirimere matrimonium ſubſequens, ſed ſolum impedire, ita vt habens votum caſtitatis peccet ineundo matrimonium: ergo ſunt valdè ad rem, quam Sanchez probare intendit: conſequẽtia poſito antecedenti eſt certiſſima: Sanchez enim hoc vult probare, vt vidimus in concluſione *n.* 1. poſita: ergo

go ſi textus idem aſſerunt eius doctrinam confirmant, & faciunt ad rem, quam ipſe intendit. Antecedens autem probatur afferendo ſingula iura, quæ Pontius dicit non eſſe ad rem. primum eſt C. *quidam d.27.* ibi (*quidã nubentes poſt votum aſſerunt adulteros eſſe : ego autem dico quod grauiter peccent qui tales diuidunt*) vbi textus corrigit eos ; qui aſserunt matrimonium poſt votum contractum eſſe nullum ; & per conſequens copula habita in eo adulterium ; & dicit verum eſſe matrimonium, ſed eos qui poſt votum illud ineunt grauiter peccare. ita Io. de franc. *v. quidam* vbi ait (*hæc eſt ſecunda pars decreti, quæ corrigit, & dicit quod vouentes ſimpliciter licet non debeant contrahere, tamen tenet eorum matrimonium*) & Gloſſa *v. Auguſt.* ait hæc (*omnino autem intelligẽdum eſt hoc de voto ſimplici, vt Gratianus exponit in fine huius diſtinc.*

Secundus textus allatus à Sanchez eſt *cap. ſi vir eadem diſt.* ex Theod. *in pœnitentiali*, in quo non eſt opus Gloſſæ opera ad videndum an loquatur de voto ſimplici ; ſed ex ipſis verbis patet ibi (*ſi vir ſimplex votum virginitatis habens adiungitur vxori, poſtea non dimittat vxorem, ſed pœniteat tribus annis*) ergo ex hoc textu probatur quod aſſumimus ; ſcilicet votum caſtitatis ſimplex non dirimere matrimonium ; alias qui poſt votum ſimplex ducit vxorem illam deberet dimittere, vt pote non veram vxorem cuius tamen oppoſitum dicitur in d. textu.

Tertius denique eſt ille *ex cap. nuptiarũ 27.q.1.* vbi ex toto diſcurſu illius capitis tam clarè colligitur agi de voto ſimplici vt nulla ſubſit dubitatio, & Gloſſa ante eius explicationem hęc habet (*moderni Doctores totum hoc caput intelligunt de voto ſimplici quod matrimonium non impedit* (ideſt dirimit) *ſicuti intellexerunt Auguſtinus & Gregorius*) & infra v vxores (*hic habes quod votum ſimplex non dirimit matrimoniũ ex ſua natura.*) Vide ergo Ponti an hæc iura, quæ præter illa, quæ tu approbas, attulit noſter Sanchez, faciant ad rem nec ne, nam omnia loquuntur de voto caſtitatis ſimplici, & aiũt non dirimere matrimonium poſtea contractum ; ſed ſolum impedire: neque vllam mentionem faciunt, quod hæc vota fuerint emiſſa in profeſſione religionis, nec eſt vnde id colligi queat.

Sed age ſanè loquãtur prędicti textus, vt vis de voto caſtitatis emiſſo in religione : attamen cur non ſint ad rẽ, vnde oſtendes ? immò fortius confirmant : in hunc modum, vota ſimplicia etiam emiſſa in religione non dirimunt matrimonium ; ergo multò minus vota ſimplicia in ſæculo emiſſa dirimunt matrimonium ; conſequentia eſt certa, nam illa vota quæ fiunt in religionis profeſſione fiunt magna deliberatione ; & publicè coram alijs religioſis ; & faciunt vt verè ſic vouens mutet ſtatum ; & vt ſic vouens poſſit cogi ad hoc vt permaneat in voto ſuſcepto. Contra verò in votis emiſſis in ſæculo hæc non eueniunt ; nam ſæpè fiunt ſine multa deliberatione, & ſecretò, nec per ea vouens propriè mutat ſtatum, aut arctius Eccleſiæ ſubditur : ergo ſi vota ſimplicia emiſſa in religione non reddunt irritum matrimonium ; multo minus reddent irrita vota ſimplicia caſtitatis emiſſa in ſæculo. antecedens autem ſcilicet quod vota ſimplicia caſtitatis emiſſa in religione non dirimant matrimonium probatur ex teſtibus præallegatis. neque Pontius aduerſatur, immò latè probat *lib. 7. a cap. 5.* vota emiſſa à religioſis antiquitus fuiſſe ſimplicia, nec diremiſſe matrimonium, & *cap. 8.* expreſſius tradens differentiã inter votum ſolemne emiſſum in religione, & ſimplex, hanc inter alias aſſignat quod votum ſolemne reddit vouentes inhabiles ad matrimonium ; non autem ſimplex ; ex quibus omnibus conſtat textus à Sancio allatos valdè confirmare ſuam ſententiam, ſiuè loquatur de votis ſimplicibus in ſæculo emiſſis, ſiuè de votis ſimplicibus emiſſis in religione, ſemper enim

verum

verum eſt dicere vota ſimplicia caſtitatis nõ dirimunt matrimonium ſubſequens, niſi aliquod ſpeciale decernatur, vt de facto decreuit Greg. XIII. in Societate Ieſu irritando matrimonium contractum à ſcholaſticis poſt vota ſimplicia.

DISPVTATIO XII.

Explicatur impedimentum raptus & eius pœna tam iure ciuili quam Canonico impoſita.

QVAERESI.
Quid ſit raptus.

1 ANte ſolutionem quæſiti ſciendũ eſt tres eſſe pœnas raptus, duas de iure ciuili, & vnam de iure canonico. De iure Ciuili *l. vn. Codic. de rapt. virgin.* ſtatuta eſt pœna mortis raptoribus mulieris honeſtæ, & vt bona raptoris, & eorum, qui opem tulerunt ſtatim fiant raptæ. de iure Canonico raptor cum ſuis fautoribus excommunicatur *Cap. ſi quis virginem* 36 *q.* 2. ſed hæc excommunicatio nõ eſt lata; ſed ferenda per ſententiam Iudicis, vt docet Maior 4. *q.* 29. *d.* 29. *ad fin.* Caet. 2. 2. *q.* 154. *a.* 7. *in ſol. ad* 3. *dub.* Veracruz. *app. ad ſpec. de raptu fol.* 83. præſertim cum ibi dicatur, Anathematizentur, quod verbum eſt futurum & denotat excommunicationem ferendam. ex Tiraq. *l. ſi vnquam ver. reuertatur C. de reu. donat. nu.* 183. hoc poſito.

2 Reſpon. ad hoc vt conſtituatur raptus pro foro externo, (pro interno & conſcientiæ infra dicam) quatuor requiruntur cõditiones; prima eſt vt raptus fiat cum violentia, vel metu violentiæ, vt ſi puella videat homines armatos iuxta dicta *li.* 4. *diſ.* 5. ita D. Th. 2. 2. *q.* 154. *ar.* 7. quẽ omnes theologi ſequuntur aſſerentes ad raptum requiri violentiam, & quamuis parentes conſentiant vt puella abducatur, erit tamen proprie raptus ſi ipſa diſſentiat; quia parentes non habent dominium in corpus ipſius. ita D. Thom. *dic. l.* D. Ant. 2 *p. t.* 5. *c.* 2. Nauar. *ſum. ca.* 16. *n.* 3. *lib.* 2. *de reſtit. c.* 3. *p.* 4. & ex iuris peritis docent requiri violentiam Maſcar. *de prob. concl.* 1259. *n.* 29. Peguera *deciſ. crim. ca.* 43. *n.* 8. Vela *de prœnis delic. cap.* 29. *§. vno autem* Decia. *trac. crim. lib.* 8. *ca.* 7. *nu.* 19. Carren. *prac. crimin. vbi de raptu §. ſecundo caſu n.* 7.

3 Hinc infertur primo non eſſe raptum ſi fœmina aſſentiatur abductioni & poſtea per vim cognita ſit, contra vero ſi inuita abducatur, & poſtea volens habeat copulam, erit raptus: licet non conſummatus, vnde non erit pœna ordinaria puniendus, ratio eſt quia in his ſpectatur initium *l.* Diuus 14. *ff. ad l.* Iuliam *de ſicarijs.* & non ea quæ poſtea accidũt. ſic Decianus *n.* 38.

4 Infertur ſecundo non eſſe raptum ſi fœmina importunis precibus abducatur; niſi cum precibus aliæ circumſtantiæ concurrant vt magnus timor reuerentialis vt dictum eſt *lib.* 4. *diſp.* 7. quia ſolæ preces importunæ vim non faciunt, vnde raptor pœna extraordinaria eſt puniendus, non pœnis Raptoribus conſtitutis *& l. vnic. Co. de raptu virg.* quæ decidit Raptum admitti ſiue mulier velit, ſiue nolit, præſumit vim inferri illis importunis precib⁹, ſuaſionibus &c. & ita etiã intelligũt Dec. *n.* 19. Salic. *ea l. n.* 29. Ruin. *cõſ.* 122. *n.* 5. *vol.* 4. Cant. *q. crim. quæ tangentibus punitio delicti c.* 4. *n.* 20. qui tamẽ benè docent ſatis eſſe ad pœnas raptus incurrendas, ſi mulier doloſis per ſuaſionibus, aut fraudibus abducatur & conſtat *ex dicta l. vnica.*

5 Infertur tertio eſſe raptum ſi fœmina, quæ eſt ſub parentum cuſtodia, vel fratrum, vel sub mariti, aut tutorum poteſtate, abducatur à domo ipſis inuitis, aut neſcientibus; quamuis fœmina conſentiens, & volens abducatur, quia iſta non poteſt per ſuam ſpontaneam voluntatem remittere Iniuriam hanc prædictis parentibus &c. irrogatam; quare Raptor debet puniri pœna extraordinaria, cum non ſit proprié raptus; eſt enim voluntas ipſius mulieris cõſentientis. vide Maſcard. Canteram, Carreri. Decia. *n.* 21.

Boſ-

Boſſium *prac. crim. tit. de rap. muli. n.* 16. Azebedum *lib. 8. recep. tit.* 13. *l.* 2. *n.* 41. *& n.* 2. Perez. *l.* 8. *ordinam. tit.* 15. *rubric. f.* 278. Peguer. *deciſ. crim. c.* 43. *n.* 6. Iulium Clarũ. *lib.* 5. *recep.* §. *raptus n.* 3. Bermond. Chouer. *de publicis concubin. vbi de ſtupro n.* 29. *in tom.* 11. *tractatuum. p.* 1.

6 At ſi præceſſit tractatus de matrimonio ineundo, & fuere concluſa ſponſalia, tunc ſponſus extrahens è domo puellam ſibi ſponſam, & modo ipſa ad id conſentiat nõ incurret pœnas raptus, etiam ſi parentes &c. ſint inuiti, & contradicant, quia Ius Ciuile in hoc correctum eſt per Ius Canonicum *ex c. penul. de rap.* vbi id expreſſis verbis deciditur ibi (*cum ibi dicatur raptus admitti; vbi nil ante de nuptijs agitur; iſte raptor dici non debet cum habuerit mulieris aſſenſum; & prius eam deſponſauerit, quam cognouerit; licet parentes reclament &c.*) ſic etiam Decian. *d. trac. c.* 13. *n.* 47. Boſſius *nu.* 17. Barbatius *conſ. vlt. n.* 1. *vol.* 2. & alij apud ipſos cum Corneo *conſ.* 80. *n.* 7. *vol.* 2. qui aduertit verba illa Canonis (*vbi nil de nuptijs agitur*) debere intelligi cũ effectu, & per conſequens requiri vt sint concluſa, & peracta ſponſalia; & hoc eſt verum, quamuis deinde matrimonium non sit ſecutum vt bene docent Decius *conſ.* 234. *nu.* 8. *vol.* 2. Vela *de pœnis delic. c.* 29. Boſſius, & Decianus proxime cit.

7 Immo quãuis nullus tractatus præceſſerit matrimonij; ſi tamen illud poſtea ſequatur, etiamsi parentes nõ conniueant. non eſt plectendus raptor pœnis ordinarijs raptori impoſitis, ſed mitioribus vt praxis ipſa teſtatur. sic etiam Decianus *nu.* 48. & Peguera *quæſt. crim. cap.* 42. vbi late hanc rem tractat. putat tamen requiri vt parentes conniueant.

8 Secunda conditio requiſita ad hoc vt incurrantur pœnę raptoribus impoſitæ, eſt, vt mulier rapiatur cauſa explendæ libidinis, quia raptus eſt ſpecies luxuriæ, at ſi copula non ſecuta eſt ex eo, quod raptor noluit illam habere cum poſſet; non eſt puniendus raptor pœnis ordinarijs, niſi rapta ſit monialis: vt bene notat Decianus cum Couarr. *infra. cit.* Contra vero ſi non habuit copulam, quia non potuit ob aliquam occaſionem, eſt puniẽdus pœnis raptoribus impoſitis. quod ſi quis conatus eſt rapere, & non rapuit, non eſt puniendus pœna ordinaria ſecundum veriorem ſententiam quamuis tentauerit monialem rapere ita Couarr. *Clem. ſi furioſus de homic.* 2. *p. n.* 8. Ant. Gomez. *l.* 80. *Taur. n.* 40. Zauall. *quæ. prac. qu.* 540. & latè Menoch. *arbitr. l.* 2. *cent.* 4. *caſu* 360. contra Canteram *quæſt. crim. quæſtio tang. pun. delicti c.* 4. *nu.* 20. Hyppolitum *l. vnica à n.* 244. *C. de raptu virg.* aſſerentes in atrocioribus delictis, vt hoc eſt, conatus pro facto putari.

9 Tertia conditio ad raptum requiſita eſt vt ſit traductio de loco ad locũ ea intentione vt mulierem è Domo abducat; etiam ſi deinde non poſſit ad locum deſtinatum illam perducere conſtat *ex* C. *lex illa Gelaſij Papæ* 36. *qu.* 1. & tenent Hoſt. *ſum. tit. de pœn. raptor. corpor. num.* 1. *ver. dicitur ergo raptor.* Albericus *l. vnic. in fin. C. de rap. virg.* Bertrandus *conſ.* 39. *vol.* 6. Boniſ. de vitali *de malefic. tit. de adulter. inceſtu, & ſod. nu.* 12. Gandau. *de malef. tit. de multis. qq. depend. a ſtatutis num.* 19. Maſcardus *de prob. conel.* 1259. *nu.* 20. *&* 23. Boſſi cit. *de rap. mul. num.* 3. Baldus *l. ſed eximendi ff. ne quis eum qui* addens etiamſi non poſſit ad locum deſtinatum illam raptor perducere; Et ſic ſi quis extrahat puellam de vna camera in aliam, vel à via publica, aut in agro repertam ſeorſim, aut per aliquot paſſus trahat, vel ſi de via in campum gratia commodioris coitus abducat, non erit propriè raptus his pœnis ſubiectus. ſic Decian. Carr. Cuman. & Alij apud Sanchez *num.* 21. Excipè tamen in Regno Caſtellæ, in quo vi puellam cognoſcens raptoris pœnis punitur ex *l. reg.* 3. *t.* 20. *p.* 7.

10 Quarta, & vltima conditio ad incurrendum pœnas raptoris eſt, vt mulier rapta ſit honeſta, ſiue ſit vidua,

ſiue coniugata, ſiue ſoluta. *ex l. vnica C. de rapt. virg.* vnde ſi quis rapiat meretricem, quę non incœpit adhuc honeſtè viuere, vel non eſt coniugata, & ſi coniugata eſt, maritus eſt leno, extra ordinaria pœna eſt puniendus, non pœna raptoris, ſic Salic. *d. l. vnic. nu.* 3. *opp.* 1. Carrer. *prac. crim. vbi de raptu §. hinc nacta occaſione num.* 1. 8. & 12. Maſcar. *nu.* 14. Decian. *trac. crim. l.* 8. *ca.* 7. *nu.* 17. & 9. Ant. Gom. *d. l.* 80. *Taur. n.* 36. & 45. Bald. *d. l. vni nu.* 21. & alij; quid vero dicendum ſi mulier ſemel fecerit copiam ſui corporis. vide Velam *de pœnis delic. cap.* 26. *corol.* 4. atque hæc circa forum externum.

QVAERES II.

Quando nam cenſeadas ſit raptus pro foro interno.

11 Reſpon. in foro conſcientiæ ad hoc vt ſit raptus, & conſtituat malitiam ſpecie diuerſam à fornicatione, & neceſſario aperiendam in confeſſione, ſufficit ſi vis inferatur ad copulam habendam; ſiue ipſi fæminæ; ſiue illis, ſub quorum cura illa eſt; nam in hoc caſu duplex eſt malitia, prima fornicationis contra caſtitatem, & alia iniuſtitiæ ob violentiam illatam. Vnde ſi fæmina per vim abducatur è domo, & poſtea ſponte conſentiat copulæ, erit talis circumſtantia neceſſario aperienda, tanquam ſpecie diuerſa; & ſi inuita abducatur, & inuita copulam habeat, vtrumque eſt aperiendũ in confeſſione; & in ſumma in omnibus illis caſibus, in quibus diximus a *n.* 2. eſſe propriè raptum, vel ad raptum reduci, & pœna extraordinaria puniri, in his omnibus dicendum eſt eſſe nouam circumſtantiam mutantem ſpeciem, & neceſſario aperiendam in confeſſione; vt ſi fœmina precibus importunis, quæ violentiæ æquiparantur, conſentiat, aut ſi contra voluntatem eorum, ſub quorum poteſtate, & cura eſt, abducatur à domo, etiam ſi ipſa conſentiat, quia per eam extractionem iniuria infertur parentibus &c. quod ſi ipſa inuita abducatur parentibus etiam inuitis, erit etiam hoc neceſſario aperiendum in confeſſione vt circumſtantia notabiliter aggrauans, aut ſi fæmina fraudibus, vel ignorans cognoſcitur abſque vlla ui, v.g. quia ille cum dormiente coiuit; & quamuis nõ ſit propriè raptus niſi adſit violentia: tamen quando eſt contra voluntatem illius, cum qua habetur copula, reducitur ad ſpeciem raptus propter illatam iniuriam, nec refert ſi illa, cui uis infertur, aut violenter abducitur animo libidinoſo, ſit meretrix, aut ſi ſit vir, vt ſi fæmina violentiam inferat viro vt ſecum coeat, ſemper enim in foro conſcientiæ eſt raptus, & additur noua circumſtantia in confeſſione aperienda. licet maior ſit iniuria quando fæmina rapitur. Addo etiam ſi copula non ſequatur, erit tamen raptus in foro conſcientiæ, ſi inferatur vis animo coeundi, & libidinis explendæ. Vide D. Thomam 22. *q.* 154. *ar.* 7. Turrec. *ca. raptus* 36. *qu.* 1. *num.* 3. Sylu. *v. luxuria qu.* 1. *verſ. raptus.* vbi *nu.* 4. Armillã Vegam 2. *t. ſum. c.* 105. *caſu* 2. *fine.* Veracruz. *appen. ad ſpec. vbi de raptu fol.* 81. & 82. Toledum *lib.* 5. *ſum. c.* 17. *n.* 7. Quand. 4. *d.* 42. *diſ. vnic. propoſ.* 12. Nauar. *ſum. c.* 16. *n.* 3. Nauar. *lib.* 2. *de Iuſt. c.* 3. *p.* 4. *in noua edit. dub.* 1. *nu.* 418. Io Heſſelſ. *in expoſit. decalog. præ.* 6. *c.* 9.

QVAERES III.

An raptus attento Iure antiquo ciuili, & Canonico (nam de Iure nouo Triden. dicendum eſt diſp. ſeq.) impediat matrimonium vel illud dirimat.

12 Reſp. quamuis attento Iure Ciuili antiquo raptus matrimoniũ dirimebat, tamen Iure Canonico *c. fin. de raptoribus* id correctum eſt, nec dirimit matrimoniũ ſi rapta exiſtens ſub poteſtate raptoris liberè conſentiat. ſic Abulẽ. *Ca.* 5. *matth. q.* 203. *ad* 3. Turrec. 36. *q.* 2. *c. apud omnipotentẽ*: Enriq. *lib.* 12. *de matr. c.* 14. *num.* 4. Vega 2. *t. ſum. c.* 34. *caſu.* 157. *not.* 4. contra Mart. de magi-

de magiſt. *de temperant. q. de raptu col. 6. &* 8. & Barbatium *conſ. fin. à nu.* 18. *vol.* 2. aſſerentes per *d. Ca.* nullum eſſe matrimonium, nisi rapta sit parentibus reſtituta, & in libertatem redacta.

13 Hodie tamen raptus alienæ ſponſæ de præſenti facta traductione de loco ad locum siue ſponſa virgo sit, siue corrupta, impedit vt Raptor poſſit poſtea contrahere matrimonium cũ quacunque alia, & ſponſa rapta si cõſentiat poſtea copulæ, non poterit aliud matrimonium inire; at si contrahatur matrimonium, erit validum quia non eſt impedimentum dirimens. Ratio talis impedimenti eſt quia qui intendit perturbare alienum matrimonium debet prohiberi ne ipſe contrahat aliud. sic Sotus *4. d. 37. q. vnic. a.* 1. *col.* 4. *verſ. de raptore.*

14 Requiritur autem ad hoc impedimentum contrahendum vt ſpõſus de præſenti contradicat, nam ipſo ſponte conſentiente, aut non contradicẽte, ſed ignorante talem copulam, quamuis parentes contradicant, vel ipſa ſponſa, non erit raptus, qui inducat hoc impedimentum, quia non eſt perfecta iniuria facta matrimonio, nec eſt violentia illata viro, quæ attẽditur ad hoc impedimentum inducẽdum. Contra vero si quis extrahit ſponſam à proprio ſponſo vt cum ea matrimonium contrahat, incurrit hoc impedimentum, nam verè perturbatur matrimonium: sicut etiam incurrit si precibus, quæ violentiæ æquiparantur, extorqueat viri conſenſum.

QVAERES IV.

An fœmina rapiens virum, vel aliam fœminam ſubdatur pœnis nu. 1. *dictis.*

15 Reſpon. verius eſſe fœminas huiuſmodi non incurrere pœnas impoſitas Raptoribus, ſed puniri pœna extraordinaria, quia *l. vnica C. de rap. virg.* tãtũ exprimit viros, qui rapiunt fœminas nec fœmina ſub maſculino clauditur, preſertim in odioſis *l.* 1. *ff. de ventr. in poſſ. mitt.* nec leges attendunt id, quod rariſſimum eſt vt ſcilicet fœmina virũ rapiat, vel aliam fœminam. ſic etiam Cynus *d. l. vnica n.* 4. *q.* 2. vbi Albe. *nu.* 11. Sal. *nu.* 7. Grillandus *de pœnis omni fariam coitus q.* 10. *n.* 23. Menoch. *de arbitr. l.* 2. *cent.* 3. *caſu* 291. Iul. Clarus. *lib.* 5. *recep. §. raptus n.* 6. & alij contra Bald. *l. penul. n.* 7. *C. de ep. & cler.* Ananiã *C. fin. de rap.* Hypp. *d. l. vnica nu.* 225. vbi Angel. fine & alios ſequitur Tiraq. *de retrac. lignagier. §.* 20. *gloſſ. vnic. n.* 4. & 5. putantes valdè probabiliter fœminas virorum raptrices ijſdem pœnis ſubdi, ac viros raptores; quia quamuis lex dicta loquatur de viris, tamen eadẽ militat ratio in fœmina rapiẽte.

16 *Petes an ſi* Rapta *nubat raptori, amittat bona ipſius* Raptoris, *quæ num.* 1. *diximus fieri ſtatim ipſius raptæ.* Reſpondeo verius eſſe non amittere, quia quamuis Auth. *de rapt. mulier. §. vnic. v. ſancimus* ſtatuatur ea bona deperdi à muliere ſi raptori nubat; tamen id eſt correctum de *Iure* Canonico; quia iam Ius Canonicum correxit irritationẽ talis matrimonij factam per legem ciuilem; ergo correxit etiam hanc diſpoſitionem, quæ fundata erat in eo quod tale matrimonium contractum cum rapta nullum eſſet. hãc docet Gloſ. *c. de puellis in fin.* 36. *q.* 2. Federi. *conſ.* 36. Tenſelinus *C. cum ſecundum leges de hæret. in* 6. *nu.* 1. Decius *l. nuptias nu.* 12. *ff. de reg. iur.* Crottus *l. omnes populi. n.* 44. *v.* 4. *facit ff. de iuſt. & iur.* Vela *de pœnis delictorum c.* 19. *cum* Vega 2. *t. ſum. c.* 34. *caſu* 157. Enriq. *lib.* 12. *c.* 14. *num.* 4. *com. lit. N.* & alijs Theol.

Contrarium tamen ſatis probabiliter tenent Io. Andr. Franc. Aret. Salic. Lupus & Alij Iuriſtæ apud Sanch. *nu.* 27. Ratio eſt quia eadem lex Ciuilis, quę iuſſit vt bona Raptoris fiant raptę, eadem decreuit vt mulier rapta ea amittat, quando nubet Raptori.

(:) (:)

DISPVTATIO XIII.

Explicatur quando iuxta Tridentini decretum Raptus dirimat Matrimoniũ, & subijciatur excommunicationi, & pœnis in eo Decreto Contentis.

QVAERES I.

Quænam sint pœnæ iure nouo raptoribus constitutæ.

1 REspon. concilium Trid. *sess. 24. de matr. cap. 6.* quatuor pœnas statuisse cõtra Raptores. prima est vt inter Raptorẽ, & raptã non possit esse matrimonium, dum ipsa in potestate Raptoris est, quamuis liberè consentiat in matrimonium; & si eo tempore contrahatur nullum erit; vnde constituit impedimentum dirimens pro eo tempore, pro quo est in potestate Raptoris; nam si in loco tuto extra illius potestatem sit posita, validum erit matrimonium vt etiam docet Nauar. *sum. c. 22. nu.* 74. Ouan. 4. *d.* 42. *dis. vnic. propos.* 12. Gratus *cons.* 38. *vol.* 2. Veracruz 1. *p. spec. a.* 25. Enriq. *lib.* 12. *c.* 14. *n.* 4. *hic* Em. sà. *v. mat. num.* 6. Vega 2. *t. sum. cap.* 5. *caju* 3. Viual. candel. *sacr.* 1. *p. de mat. n.* 103.

Secũda pœna est excõmunicatio cõtra Raptores, aut cõtra præbentes auxilium, consilium, vel fauorem: vnde patet Parochum assistentem huic matrimonio non incurrere hanc excommunicationem, quia non dat auxilium, vel fauorem ad rapiendum: nisi tamen ante raptum promisisset se velle assistere matrimonio inito cũ rapta; ob quam promisionem animosior sit factus raptor ad rapiendã puellam, & hæc excommunicatio est latæ sententiæ secundum communem opinionem; vnde non expectat sententiam Iudicis, non est tamen Pontifici reseruata, quia id non dicitur in prædicto decreto Tridentini. Vide Veracruz *app. ad spec. f.* 81. §. *hic considerandum*.

Tertia est vt prædictæ personæ sint perpetuo infames, incapaces omniũ dignitatum; & si Clerici fuerint de proprio gradu decidant; ad has vero pœnas incurrendas requiritur sentẽtia Iudicis; vnde non erit raptor, aut auxiliantes &c. irregulares, nisi prius sit data Sententia, & declarentur esse infames; ac à proprio gradu decidant quia in prædicto decreto non imponitur hæc pœna, sed tantum se- 8 quitur posita eorum infamia. hæ autem pœnæ infamiæ, & incapacitatis dignitatum incurruntur etiamsi raptor ducat raptam in uxorem; quia id apertè decidit Tridentinum. nam postquam concessit raptam posse duci, statim subdit *(nihilominus raptor ipse, & omnes illi auxilium, aut fauorem præbentes sint ipso Iure excommunicati, perpetuo infames, omniumque dignitatũ incapaces)* quamuis Enriquez oppositum sentiat. *lib.* 12. *de mat. c.* 14. *num.* 4. cum Manuel. 1. *t sum.* 2. *edit. c.* 232. *n.* 1.

Quarta est vt raptor teneatur dotare raptam, siue matrimonium sequatur, siue non, arbitrio Iudicis, qui attenta qualitate personæ, & iniuriæ debet dotem taxare. vnde ante ipsius sententiam non tenetur raptor dotẽ dare; nisi ob illum raptum aliquod damnum passa sit rapta; tunc enim ante illam sententiam tenetur illud resarcire.

QVAERES II.

Quinam puniantur pœnis prædicto decreto impositis?

2 Respond. per prædictum Trident. decretum solum puniuntur Raptores fœminarum, qui eas rapiunt vt contrahant cum illis matrimonium, siue sint virgines, siue viduæ, aut meretrices, etiamsi inter raptorem, & raptam sit consanguinitas, vel aliud impedimentum dirimens matrimonium, quia hoc non considerat Tridentinũ vnde si quis rapiat fœminam ad libidinem explendam, non incurrit predictas pœnas excommunicationis &c. & vt matrimonium consistere nequeat inter ipsum, & raptã

dum

dum eſt in ſua poteſtate, quia in principio illius *cap.6.* ſtatim fit mentio de matrimonio contrahendo inter raptorem, & raptam; quare indicium eſt ibi de illo ſolo raptu agi, qui fit cauſa ineundi matrimonij cum rapta; ſic etiã Salzedo *in practicam Berdiaz C. 78. fin.* Manuel. 1. *t.ſum.* 2. *ed.c.*213. *nu.*7. Vega 2. *t.ſum. c.*34. *caſu* 157. *not.*1.

3 Contra Em.sà. *v.mat.n.*9. Velam *de pœnis delictorc.*29. *§. ſed ego indiſ.* putãtes ſatis probabiliter per dictum decretũ incurrere pœnas prędictas omnes raptores, etiamſi rapiant ſolum cauſa explendæ libidinis. Ratio eorum eſt quia Tridentinum voluit innouare pœnas in canonibus contentas contra Raptores; ſed tales pœnę ſunt cõtra quoscumque raptores vt vidimus *diſp. præcedenti*, ergo pœnæ Tridentini ſunt contra quoſcunq; raptores.

4 Ex noſtra ſententia infertur primo ſi Petrus rapiat fæminam, non vt ſecũ matrimonium ineat; ſed cum alio qui hunc raptum non petiuit. validum erit matrimonium cum hoc tertio cõtractum, ſi fęmina liberè conſentiat, quamuis nondum ſit extra poteſtatẽ ipſius Petri raptoris: ſicuti etiam validum eſt matrimonium contractum cũ eo, qui auxilium, aut conſilium contulit; quia per Tridentinum tantum decernitur vt matrimonium contractum cum raptore & rapta, nullum ſit donec illa in tuto loco ſit extra raptoris poteſtatem.

5 Infertur ſecundo ad has pœnas incurrendas requiri vt mulier in vita abducatur, & vt fiat traductio de loco ad locum; at non requiritur vt copula ſequuta ſit, quia non punitur is raptus cauſa libidinis; vnde ſi fæmina prius conſentiat, & deinde mutet animum, non habent locum prædictę pœnæ: contra vero quamuis rapta matrimonij cauſa non ſit perducta ad locum deſtinatum, & raptor animum mutet, & ſe pœniteat, incurruntur prædictæ pœnæ, quia hoc delictum raptus in ipſa abductione cõsũmatur.

6 Infertur tertio non incurri prædictas pœnas ſi fæmina importunis precibus, aut dolis vel pretio abducatur caſu quo preces non equiualeant violentiæ.

Immo ſi fæmina volens extrahatur à domo, ad hoc vt cum illa matrimonium ineatur, non incurrentur hæ pœnæ; quamuis parentes, in quorum poteſtate eſt, ſint inuiti, & contradicant. quia per hoc decretum intendit Tridentinum fauere libertati matrimonij; quæ habetur quando fæmina volens abducitur Domo; ſed Salzedo, Enriq. cum Emm. sà. *loc.cit.* putant in hoc caſu quando parentes contradicũt abductioni incurri pœnas Trid.

7 Infertur quarto nõ incurri has pœnas quando ſponſus rapit ſponſam de futuro, etiam parentibus contradicentibus, caſu quo illa conſentiat abductioni, patet *ex c. penul. de rap. diſp. præcedenti n.6.* explicato, quod non corrigitur per Trid. Sicut nec pœnas has Tridentini incurret fęmina rapiẽs virum, vt ſecum contrahat, quia iuxta dicta *diſp. præcedenti nu.* 11. decretũ de pœnis impoſitis raptori, non includit fæminas, preſertim cum Trid. ſemper loquatur in maſculino, & de ſolo viro Raptore. ſic Veracrux *appen. ad ſpecul.* vbi *de raptu f.* 84. *§. reſpondetur quod* contra Enriq. *lib.* 12. *c.*14. *num.*4. Manuel 1. *t.ſum. c.*232. *n.*4. 2. *edit.* putantes fæminam etiam incurrere prędictas pœnas, ſi virum rapiat; nec poſſe cum illo contrahere dum eſt in ſua poteſtate.

8 Aduerte tandem non ſolum matrimonium contractum inter raptorem & raptam quando eſt in eius poteſtate eſſe nullum, ſed etiam ſponſalia, quia etiam lex pœnalis, & correctoria debet extendi, vbi militat eadem ratio, vt docet Nauarr. *l.* 4. *conſil. in prior edit. de conſang. con.* 3. *à num.* 6. *l. in port. tit. de rapt. lib.* 5. *conſ. vlt. nu.* 5. at in ſponſalibus militat eadem ratio prohibitionis, nempe plena libertas ad matrimonium. ſic etiam Nauarr. *lo.ci.* Manuel, *num.* 3.

(:) (:)

DIS-

DISPVTATIO XIV.

An possit esse stuprum sine Raptu ; ita vt si quis habeat rem cum virgine consentiente ; sit species luxuriæ diuersa , necessario aperienda in Confessione , siue illa inuitis , siue consentientibus Parentibus suum corpus violandũ præbeat

1 REspon. non dari stuprum sine raptu ; atque adeo si virgo violata consentiat etiamsi sit sub cura Parentum , & ipsi dissentiant eius violationi; non excedit hoc peccatum simplicem fornicationem. Probatur quia in violatione virginis consentientis nulla noua species malitię intra genus luxuriæ potest assignari nam non est concubitus contra naturam , sed in vase ordinario , vt suppono , & apto ad generationem , nec est aliqua species Iniustitiæ , nam cum fœmina ipsa sit Domina vsus clastri , seu signaculi virginei , potest de illo disponere absque eo quod cuiquam faciat iniuriam, nec natura ipsa offenditur in hoc casu , quia ordinauit membrum fœminæ ad illum vsum . Vnde volente ipsa vt aperiatur (est enim clastrũ virgineum, vt docent peritissimi Medici , quædam complicatio partium ipsius orificij vasis fœminei , quæ per viri coitum dilatantur) nulla fit iniuria naturæ ; Nec est iniustitia aliqua ob damnum prolis, quæ scilicet petat vt seruetur clastrum donec concipiatur ex matrimonio ; quia proles nondum existens, nullum habere potest Ius quod violetur, præsertim cum illi melius sit esse ex tali concubitu , quam non esse ; præterea simplex fornicatio , quæ bonæ prolis educationi aduersatur , non est contra Iustitiam ; sed tantum contra castitatem . Nec tandem est Iniustitia respectu Parentum , sub quorum potestate est virgo. quia nulla ratione probari potest patrem habere maius Dominium filiæ virginis, quam solutæ; ergo si non est speciale peccatum contra Iustitiam cognoscere solutam volentem . nec erit cognoscere virginem volentem ; quare & ille qui habet copulam cum virgine consentiente , peccabit tantum contra castitatem, & erit simplex fornicatio , ex eo quia est concubitus carnalis extra matrimonium. Nec dicas esse specialem malitiam , quia opponitur virginitati ; nam tantum illi opponitur quoad materiale talis virtutis , qualis est integritas illa corporalis; non quoad formale , & quatenus distincta virtus est à castitate: quod requireretur ad hoc vt sit specialis malitia ; quod etiam patet ex hoc, nã prima viri pollutio secundum omnes fere DD. non habet specialem malitiam præter illam , quæ est contra castitatem , & tamen hæc prima pollutio est contra virginitatem. ita Nauar. *lib. 2. de restit. c. 3. part. 4. de lædente in cæteris corporis bonis dub. 1. in noua edit. n.* 419. Vasq. 1. 2. *q.* 74. *ar.* 8. *dis.* 112. *n.* 1. & 3. & multi doctissimi Recentiores & eam putat probabilem Suarez. *de confes. dis.* 22. *sec.* 4. *n.* 6.

2 Hinc primo infertur , quando nulla vis infertur virgini, sufficere in confessione dicere, habui rem cum mulie re ; vel vnam mulierem desideraui , si solo actu desiderij fuit peccatum; quia non est circumstantia mutans speciẽ , nec notabiliter aggrauans vt colligitur etiam ex DD citatis .

Contra vero si quis conoscit virginem vi, aut precibus importunis , quando eæ tales sunt , vt violentiæ æquiparentur , aut dolis circumuentam , vel ignorantem vt si dormiat, & ille cum dormiente coeat, duplex peccatũ specie diuersũ cõmittit, vnũ stupri, & alterũ raptus, vel proprié quãdo est vera violẽtia, vel reductiuè quãdo est contra virginis voluntatem .

3 Ex quo patet raptum in hoc distingui à stupro, quod ad hoc vt committatur raptus satis est violentia nulla habita ratione de fœmina siue sit soluta , siue coniugata &c. at ad stuprum præter violentiam requiritur , vt fœmina sit virgo; eius enim malitia consistit in Iniustitia , quæ admittitur auferendo violenter clastrum virgineũ.

Quare si quis ad hoc vt coeat cum virgi-

virgine conſentiente, inferat vim parentibus vel ijs, ſub quorum cura ea reperitur, non committit ſtuprum, vnde in confeſſione ſufficit explicare uim illatam parentibus &c. & copulam, abſque eo quod explicetur circumſtantia virginitatis; quia ipſi nulla iniuria infertur, vt dictum eſt *n.* 1.

4 Infertur ſecundo probabilius eſſe violatorem virginis conſentientis non teneri reſtituere parentibus, vel eius tutoribus, quia ipſa eſt Domina ſuæ virginitatis, & poteſt nolle vllum matrimonium inire, abſque eo quod iniuriam patri, vel tutoribus inferat; nec etiam teneatur patri reſtituere honorem ablatum; quia id non eſt in vſu, & quia poteſt aliquis committere aliquod ſcelus, ex quo magnum dedecus toti familię ſequatur abſque iniuſtitia contra familiam. ita etiam Sotus *lib.4.de iuſt.q.7.a.1.in ſolut.ad 2.* Bañes 2.2. *q* 62.*a.2.dub.7.concl.1.* Nau. *lib.2.de reſt.cit.dub.2. n.*423. Salon.2.2. *ar.2.controu. 5.concl.1.* Graff. 1.*par. deciſ.lib.2.c.79.n.13.* Suarez *l. c.* contra Gutier., *lib.1.q.can.c.37.n.24.* Valent. 2.2.*diſ.9.q.3.p. 3. §. an autem* Manuel. 1.*ſ.ſum.cap.* 208. 2.*edit.n.3.concl.3.* qui volunt teneri violatorem reſtituere parentibus, vel ijs ſub quorum cura eſt puella; nam ipſi patiuntur damnũ in bonis, maiori enim dote debent corruptam dotare. Et hæc ſententia eſt probabilis.

5 At caſu quo virgo violenter corrũperetur, violans tantum reſtituere tenetur ſupplementum dotis neceſſarium, ad hoc vt poſſit nubere ſic violata, quo non indigeret ſi violata non eſſet, & aliquod damnum quod patri obueniſſet exilla inuaſione Iniuſta; quia per hoc plenè ſatisfit iniuriæ illatæ; quamuis Nauarr. Bagnes, Salon *l. c.* putent non ſolum virgini per vim violatæ; ſed etiam patri eſſe reſtituendum.

6 Infertur tertio virginem, quę prę timore conſentit ſuæ defloratioui, non teneri aperire circumſtantiam virginitatis, ſed tantum dicere fornicationem, quia ipſa non committit ſtuprum, ſed patitur, nec dicitur cooperari ſtupro, quia quando timor cogit non eſt peccatum concurſus; niſi quando res eſt intrinſecè mala, & pendet ex voluntate concurrentis, quod fiat benè vel malè; quare virgo committet peccatum fornicationis, & ſi eſſet ille coniugatus, adulterij; non tamen ſtupri; quia malitia fornicationis, & adulterij non pendet à voluntate fœminæ, at malitia ſtupri ab ea pendet; ſi enim ipſa conſentiat nec ſtuprum erit, nec raptum; quare quando fœmina confitetur ſe deſideraſſe copulam carnalem, non eſt interroganda à confeſſario, an ſit virgo; quia poteſt accidere vt nimio pudore ſuffuſa dicat ſe eſſe virginem; at ſi confiteatur habuiſſe copulam, ſanum cõſilium eſt id petere, ob varietatem opinionum, nec fœminam pudebit aſſerere ſe non fuiſſe virginem, quando iam confitetur fornicationem, & hoc voluit Sotus *in 4.diſt* 18. *q.* 2. verum tamen eſt quod ad id non tenetur confeſſarius, & fœmina interrogata de circumſtantia virginis non tenetur reſpondere.

7 Sunt tamen in hac re duæ ſententię valdè probabiles.

Prima docet generaliter quoties violatur virgo ſiue conſentiat, ſiue nõ, eſſe ſtuprum, & neceſſario debere in confeſſione id aperiri v. g. copulam habui cum virgine; ratio eſt quia hic inuenitur Iniuſtitia contra finem naturę, quo conceſſit clauſtrum virgineum, qui finis eſt duplex nimirum vt ipſa ſeruaretur habilior ad ineundũ matrimonium; & vt contineretur ab actibus venereis; ergo etiamſi virgo, & parentes conſentiant, infertur Iniuria Naturæ. hæc eſt communis ſententia. Gaet. Metin. Valentiæ Nauar. Viguerij, Vega, Alcozer, Phil. Lud. Lup. Toledo Gutier. Enriq. apud Sanch. *n.* 3. & quando virgo conſentit tradunt Gratia. *C. lex illa §. cum ergo verſ. ſtuprũ* 36. *q.*1. Alenſis 2.*p.q.*167.*mem.*1. Gaet. 2.2.*q.* 154.*ar.* 6. *ad* 1. *dubium* Io. Heſſelſ *præc.* 6. *c.* 8. Bermondus. Chouer. *de publ.concubi. vbi de ſtup.n.*2.

Secun-

8 Secunda tenet tunc esse stuprum quando virgo, quæ est sub potestate parentum, defloratur. Ratio eius est quia tunc est iniustitia contra Parentes. sic D.Tho. 2.2. *qu.* 154. *ar.* 6. D.Ant. 2. *p. ti.* 5. *c.* 2. Ang. *v. stuprum* Sylu *v. luxuria q.* 1. *vers. stuprum.* & alij.

Quare minus consequenter ad suã sententiam loquuntur Enriq. *lib.* 5. *de pœn. cap.* 4. *n.* 2. Alcozer *sum. c.* 20. §. *la circumstantia fo.* 73. Angl. flor. 1. *p. q.* 3. *de conf. diffic.* 7. *ar.* 4. qui putantes circumstantiam virginitatis esse necessario fatendam; tamen volunt confessarium non teneri interrogare fœminam, quam ex habitu putat etiam virginem, si ea confiteatur tantum desiderium copulæ. quia tenendo quod virginitas violata sit circumstantia faciens peccatum specie diuersum, tam confessarius, quam puella pœnitens tenetur illam aperire, etiamsi peccauerit solo desiderio, & si virgo non sit, tenetur etiam dicere: quia quamuis verum sit quod pœnitens non teneatur communiter se excusare, & circumstantias minuentes fateri; tamen quando tales circumstantiæ tollunt rationem peccati mortalis, vel auferunt nouam speciem, tenetur eas cõfitens aperire, vt accidit in casu nostro; nam si puella, quæ confitetur fornicationem, non erat virgo, erit tantum simplex fornicatio, & non habebit malitiam stupri. sic etiam Bart. à Ledesma *de pœn. dub.* 10. *ad fin. in* 3. *concl.* Vega 1. *t. sum. ca.* 55. *casu* 25.

DISPVTATIO XV.

An incestus cum consanguinei, vel Affinibus impediat inire Matrimonium.

1 DIco primo incestum cum cõsanguinea coniugis intra primum & secundum gradum impedire matrimonium; ita vt coniux siue ea sit vxor, siue vir, qui habet copulam cum consanguineo suę vxoris vel mariti in primo, vel secundo gradu, non possit dissoluto matrimonio aliud licitè inire; si vero ineat, validum erit, quia non est impedimentum dirimens secundum omnes DD. Ratio huius impedimẽti est, quia decens fuit vt coniux, qui per affinitatem contractam cum altero coniuge ob incestum a se commissum, impediuit plenum vsum matrimonij (priuatur enim Iure petendi debitum, vt infra videbimus) puniatur in ipso matrimonio, vt scilicet non possit aliud inire. Patet *ex c.* 1. *& 2. de eo qui cognouit consang. & cap. siquis viduam* 32. *q.* 7. *& c. si quis cum matre* 34. *qu.* 2. qui loquuntur expresse de fœmina committente incestum. militat enim eadem ratiõ prohibitionis tam in viro, quam in vxore. Et quãuis hoc impedimentum attento Iure communi extendebatur ad quartum gradum: hodie post Trid. quod restrinxit affinitatem ortam ex fornicatione solum ad secundum gradum. etiam hoc impedimentum est restrictum ad secundum; sic etiam Palud. 4. *d.* 34. *q.* 1. *a.* 2. *n.* 12. vbi Supplem. Gabri. *q. vnic. ar.* 1. D.Ant. 3. *p. tit.* 1. *cap.* 16. §. 4. Sylu. *matr.* 7. *qu. fin. dic.* 3. Corduba. *quæst. lib.* 1. *q.* 12. Matien. *lib.* 5. *rec. t.* 1. *rubr.* gloss. 1. *n.* 137. *&* 103.

2 Idem impedimentum contrahunt illi consanguinei, cum quibus coniux habuit copulam incestuosam, quia etiam illi concurrerunt ad Iniuriam matrimonio inferendam. constat *ex d. c.* 1. & notat Io. Andr. Host. & Alij, ibi

3 Si quis habeat copulam cum consanguineis in primo gradu sponsæ de futuro, contrahit impedimentum temporale, vt scilicet nullum possit matrimonium inire viuente complice delicti: & similiter hic complex, nempe consanguinea sponsæ de futuro, potest matrimonium inire donec moriatur sponsus, cum quo habuit copulam; & idem dicas de sponsa, quæ habuit copulam cum consanguineis in primo gradu sponsi de futuro. Ratio huius impedimenti est, ne delictũ publicę honestatis violatę maneat impunitum, & cum non sit propriè incestus, ideo impedimentum est temporale: & quamuis olim ad quartum gradum extendebatur, hodie tamen

quia

quia Conc. Triden. impedimentum publicæ honeſtatis ad primum gradũ reſtrinxit, hoc impedimentum non extenditur, niſi in copula cum conſanguineo in primo gradu. hanc ſententiam tenet etiam Abbas *C. duo pueri de deſp. imp. num.* 7. Alexander de Neuo *num.* 9. Præpoſitus *num.* 4. Couarruuias 4. *decret. par.* 2. *cap.* 6. *num.* 4. Ludouicus Lopez 2. *par. inſtr.* vbi *de matrimonio cap.* 46. *imped.* 5. Antoninus Cucus *lib.* 5. *inſtit. maior. titulo* 12. *num.* 28. Contra Angel. *v. inceſtus n.* 5. Veracruz 1. *p. ſpec. a.* 73. *in dubio poſt* 2. *conclu.* aſſerentes nullum eſſe impedimentum, & contra Petrum & Abb. Antiquum, & Cardinalem aſſerentes eſſe perpetuum impedimentum. *in d. c. duo pueri.*

4 Aduerte tamen copulam habitam cum conſanguinea ſponſæ per verba de præſenti antequam matrimonium ſit conſummatum, inducere impedimentum perpetuum, ac ſi matrimonium eſſet conſummatum, vt diximus *n.* 1. probatur *ex c.* 1. *& c. Tranſmiſſa de eo qui conſang.* vbi ſimul interdicitur petitio debiti, & matrimonium in perpetuum illi, qui Inceſtum commiſit cum conſanguineis coniugis; ſed quoad prohibitionem debiti neceſſario intelligi debet, etiam quando fuit copula cum conſanguinea vxoris non dum matrimonio conſummato. vt docent Palud. 4. *d.* 27. *q.* 1. *ar.* 3. *num.* 26. D. Ant. 3. *p. t.* 1. *c.* 11. Couarr. *c.* 7. §. 2. *nn.* 6. *l. c.* Celaia 4. *d.* 34. *q.* 3. *concl.* 2. Lud. Lopez 1. *p. inſt. c.* 296. §. *vltimo*, & alij Theologi tamquam rem claram, ergo etiam quoad impedimentum matrimonij debet intelligi de acceſſu cum conſanguinea etiam nondum conſummato matrimonio.

Immo quamuis inceſtus cum affinibus, quando affinitas oritur ex fornicatione, non pariat hoc impedimẽtum; tamen ſi quis habeat copulam fornicariam cum matre, & filia, contrahit impedimentum perpetuum ad contrahendum matrimonium, & ipſæ fœminæ ſi ſciant delictum, nempe mater delictum filiæ, & filia delictum matris; & nihilominus copulam habent, contrahent idem impedimentum. habetur expreſſè *c. ſi quis cum matre* 34. *q.* 2. & hoc ſtatuitur ob delicti enormitatem in hoc caſu particulari de copula habita cum matre, & filia, Vnde nec inceſtus orta affinitate ex fornicatione cum alijs, nec cum cognata legali hoc impedimentum inducet, nullus enim textus id decidit. Sic etiam Nauarrus *lib.* 4. *conſiliorum in* 2. *editione tit. de cognat. ſpiri. conſ.* 8. *num.* 8. Palacios 4. *d.* 34. *diſp.* 2. *col.* 11.

5 Tria tamen requiruntur ad hoc impedimentum contrahendum. primum vt ſcienter admittatur talis inceſtus. Secundum vt non ſit mulier per violentiam à conſanguineo cognita, tunc enim ille ſolus incurret in hoc impedimentum. Tertium vt ſit conſummatum, nimirum vt vir ſeminauerit intra vas legitimum mulieris, quia cum hoc impedimentum ſit pœna, debet eſſe conſummatum delictum, nec incurretur vbi nulla eſt culpa, vt melius patebit *ex lib.* 9. *diſp.* 32. vbi quæ de hoc quæri poſſunt, explicabuntur.

6 Contra vero contrahitur hoc impedimentum quamuis inceſtus committatur cum conſanguineis coniugis mortui; patet *C. Tranſmiſſæ de eo qui cogn. conſ.* & docet Sarmiento *li.* 7. *ſelec. c.* 10. Ouand. 4. *d.* 41. *diſp. vni. prop.* 8. Petrus Led. *de matr. qu.* 58. *a.* 4. *dub.* 1. dicentes rem eſſe certiſſimam contra Sotum, Viualdum, & Emm: Sà apud Sanchez *num.* 12. ſed nulla videtur ratio, qua moueantur. ſimiliter contrahitur hoc impedimentum quamuis delictum ſit occultum, & ante ſententiam Iudicis vt patebit ex dicendis *lib.* 9. *diſp.* 27. *&* 30. ita Caſtro *l.* 2. *de lege pœn. cap.* 5. §. *rurſus quinto.*

7 Dico vltimo probabilius eſſe inceſtum cum proprijs conſanguineis non inducere hoc impedimentum, quia quamuis ſit grauius delictum; tamen non parit affinitatem, nec per illud

impeditur vſus matrimonij, nec textus ſtatuentes hoc impedimentum loquuntur de inceſtu cum proprijs conſanguineis; ſed cum conſanguineis coniugis; vnde non debent ad hunc caſum extendi, cum tale impedimentum ſit pœna. ita D. Thom. 4. *d.* 34. *quæſt. vnic. a.* 5. vbi Ricc. *a.* 4. *quæſt.* 2. *ad* 1. Gaet. *ſum. v. matrimonium c.* 1. §. *ſecundum vero caput.* Celaia 4. *d.* 34. *q.* 3. Ouan. *diſ.* 41. *diſp. vnic. prop.* 11. Enriquez *lib.* 12. *de matrim. c.* 12. *num.* 4.

9 Contraria ſententia eſt valde probabilis, eam tenent Alexander de Neuo, Angelus, Rebuff. & alij Canoniſtæ quos refert Sanchez *hic num.* 15. probatur *ex* C. *ſi quis viduam* 32. *quæſt.* 7. *& cap. de inceſtis* 35. *quæſt.* 3. & præterea ex ſtylo curiæ, quæ dum diſpenſat cum conſanguineis inceſtuoſis, addit clauſulam, vt altero eorum defuncto ſuperſtes non ineat aliud matrimonium: ergo cenſet inceſtum cum proprijs conſanguineis inducere impedimentum.

* Contra dicta in hac diſputatione *num.* 1. de more Pontius *lib.* 6. *cap.* 13. *num.* 8. *fine.* Sancium carpit concludens eum non rectè aſſeruiſſe impedimentum inceſtus reſtrictum eſſe poſt Tridentinum ad ſecundum gradum; cum iure antiquo fuerit vſque ad quartum gradum, nam etiam attento iure antiquo erat ſolum vſque ad ſecundum gradum, his verbis, (*non ergo rectè Thomas Sanchez lib.* 7. *diſp.* 15. *numero* 4. *dicit per Tridentinum reſtrictum eſſe hoc impedimentum ad duos gradus, & iure antiquo coniugem committentem inceſtum cum conſanguineis alterius intra quartum gradum teneri hoc impedimento*) Probat hanc aſſertionem Pontius ex duplici capite, primo ex coniectura, nam ait (*in omnibus canonibus, in quibus de hoc impedimento ſermo eſt, nunquam ponitur exemplum vltra ſecundum gradum*) Secundo fortius inſtat auctoritate Alexandri Tertij, qui in Appendice Lateranenſis Concilij *parte* 6. *cap.* 15. & *parte* 12. *cap.* 1. vbi expreſſè docet nullum eſſe impedimentum, ſi fuerit copula cum conſanguinea vxoris in tertio, vel quarto gradu. Deinde *numero* 9. addit (*immeritò Sanchez diſp.* 15. *cit. num.* 13. *docere contra manifeſtas Pontificum deciſiones incurri impedimentum hoc etiam ſi non ſit publicum*) deciſiones autem, contra quas dicit ſentire Sancium, ipſe affert ex Alexandro Tertio *in Appendice citata par.* 12. *cap.* 1. *& c.* 5. *& par.* 50. *cap.* 4.

Verum has Pontij notas à noſtro auctore detergere tam facile mihi puto, quam Pontio facile eſt illum qua iure, quaue iniuria carpere. Quare quoad primum ſpectat, nimirum de iure antiquo impedimentum inceſtus fuiſſe vſque ad quartum gradum, & poſt Tridentinum reſtrictum eſſe vſque ad ſecundum gradum: tam ita concors eſt Doctorum ſententia, vt mirer Pontium contrarium opinari; & magis etiam indignum putem, ſolum Sancium à Pontio carpi, quaſi ſolus hanc rem docuiſſet, cum quotquot de hac re ſcripſerunt, ſiuè antiqui, quos Sancius citat *numero* 4. ſiue recentiores, qui poſt ipſum ſcripſerunt, manifeſtè doceant impedimentum inceſtus vſque ad quartum gradum de iure antiquo fuiſſe, & quidem ex antiquis Aſtenſis *ſecunda parte ſummæ lib.* 8. Guttierrez *lib.* 1. *quæſt. cano. cap.* 23. Ouandus 4. *diſt.* 41. & in ſimili nempè inceſtum vſque ad quartum gradum de iure antiquo impediuiſſe debiti petitionem docent Caeta. *repetitione cap. ad limina* 30. *quæſt.* 1. §. 4. *num.* 517. Guttierrez *queſt. cano. tit.* 1. *cap.* 23. *num.* 5. Alexander *in ſuo Enchiridio ſecunda parte præc.* 6. §. *cognoſcens autem* Pedraza *ſumma præc.* 6. §. 19. Ludouicus Lopez *prima parte inſtruct. cap.* 80. §. *connumerare.* Nauarrus *libro* 4. *concluſ. tit. de conſang. con.* 3. *in pr. edit.* Angles floribus 1. *par. de matr. q.* 14. *de imped. affinit. art.* 1. & multi Doctores Salmantini, & Cõplutenſes teſte Ouãdo *quarto diſt.* 34. *diſp.* 2. *fol.* 776. prætoriũ

ſacræ

ſacræ pœnitentiariæ teſte Nauarro *loc. cit.* nam propoſita hac quæſtione: vtrũ poſt Tridentinum reſtrictum ſit hoc impedimentum quoad petitionem debiti vſque ad ſecundum gradum, indeciſum reliquerunt, ergo omnes ſupponunt de iure antiquo duraſſe vſque ad quartum gradum. idem docẽt Manuel, Palacius, Venumez, & alij multi tenentes reſtrictum eſſe, & per conſequens etiam impedimentũ inceſtus, nam pari paſſu currunt, vt idem Pontius non negabit.

Ex recentioribus verò id docet Em. sà *v. mat.* Laym. *lib.* 5. *tract.* 10. *cap.* 5. *par* 4. §. 2. & 3. *n.* 4. Ioſeph Auguſtino *in ſuo Aureo libello.* Immo adeò hoc verũ eſt, nimirum de iure antiquo impedimentum inceſtus fuiſſe vſq; ad quartum gradum, vt multi etiam poſt Cõcilium Tridentinum putent durare vſque ad quartum gradum, nec fuiſſe reſtrictum: & ne videar Pontio falſum dicere, referam aliquos: Filiuccius *tract.* 10. *cap.* 9. *num.* 28. hęc habet (*olim habitum eſſe pro impedimento* (nẽpè inceſtus) *etiam admiſſum intra quartum gradum. Hodie verò poſt. Trid. ſeſſ.* 24. *cap.* 4. *quod reſtrinxit affinitatem ortã ex fornicatione vſque ad ſecundum, probabile eſt tantum vſque ad ſecundum impediri: tutius tamen eſt donec alia maior lex ex decretis Congregationis accedat, ſentire quod etiam vſque ad quartum admiſſam impediat, Tridentinum enim, in quo fundatur alia ſententia, tantum videtur loquutum de inceſtu in ordine ad affinitatem; non autem quatenus eſt crimẽ, in cuius pœnam prohibetur inceſtuoſus cõtrahere cum quacumque alia, vnde adhuc proceditur ſecundum ius antiquum quoad hoc impedimentum, & ſic Tol. qui poſt Trident. ſcripſit lib.* 5. *cap.* 12. *& lib.* 7. *cap.* 15. *dicit inceſtum cum affine vſque ad quartum gradum impedire matrimonium cum quacumque alia*) Hæc Filiuccius. addam & tertium nempè Bonacinam, qui *hic q.* 3. *pun.* 14. *nu.* 9. ita ait (*primum crimen* (nempè ex impedientibus) *eſt inceſtus, qui in præſenti eſt fornicatio cum affine, ideſt cum conſanguinea vxoris vſque ad quartum gradum, & vxor, quæ copulam habet cum conſanguineis viri vſq; ad quartum gradum, non poteſt mortuo altero contrahere matrimonium*) aliorum Doctorum verba non refero hic ne longior videar, quam par eſt; ſatis eſt ſupra notaſſe, videat qui me falſum eſſe ſuſpicatur. idem etiam docet Rebell. *lib.* 3. *par.* 2. *q.* 18. vbi etiã vult adhuc durare vſque ad quartum gradum. Bauni. *tract.* 12. *de impedimentis matrimonium non dirimentibus ver. quarto: Qui cum conſanguinea vxoris ſuæ vſque ad quartum gradum, aut affine rẽ habuit de matrimonio efficaciter cogitare nequit.* & ante hos Azor. *inſtr. mor. lib.* 3. *cap.* 9. *v. quinto. Notandum peccata inceſtus eſſe ſi quis coeat cum conſanguinea vxoris ſuæ intra quartum gradum. & ca.* 10. agens de pœnis inceſtus in principio dicit iure canonico inceſtum puniri facultate negata contrahendi matrimonium, & paulo poſt ait: (*Secundo quæritur, an hac pœna inceſtus intelligatur de eo, qui perpetrauit inceſtum cum affine, hoc eſt cum aliqua vxoris ſuæ conſanguinea, vſque ad quartum gradum*, & affirmat. Ex quorum Doctorum verbis patet quam immeritò Pontius Sancium reprehenderit ex eo, quod dicat impedimentum inceſtus de iure antiquo fuiſſe vſque ad quartum gradum; cum nullus ſit Doctor, qui cõtrarium dixerit, neque id in controuerſiam reuocauerit; ſed ſolum dubitatum fuerit, an etiam poſt Tridentinum duraret vſque ad quartum gradum, & multi id affirment, vt vidimus, tantum abeſt vt de iure antiquo fuerit ſolum in ſecundo gradu.

Sed non vtique ſe victum fatetur Pontius tot Doctorum auctoritate, qui ſæpius fatetur ſe non auctoritate Doctorum, ſed rationibus moueri. obdurat ergo ſua coniectura, quod ſcilicet in canonibus, in quibus de hoc impedimento agitur, non ponitur exemplum vltra ſecundum gradũ: ſed quæſo quid nouum, quid inopinatum attulit contra Sancium? fortaſſe ſi *lib.* 9. *diſp.* 27. *à nu.* 12. legiſſet, vidiſſet ſe eam coniecturam tutò deponere potuiſſe; nam eam affert San-

cius, & diluit ibi: *Et quidem attento iure antiquo inuenio omnes quotquot de hac re disputant vnanimiter asserentes extendi eam consanguinitatem* (nempè per incestum) *vsque ad quartum gradum; & semper ita consuetudine receptū est, huius autem fundamentum in nemine inueni, nam si ius consulamus, solum loquitur de coniuge incestuoso cum consanguineis alterius in primo gradu, & cum sit pœnale extendendum nō videtur ad alios gradus* hæc Sanchez. non latuit ergo Pontij coniectura oculatiſſimum virum; at contra talem coniecturam opponit auctoritatem omnium Doctorum id vnanimi conſenſu aſſerentium, & ipſam conſuetudinem; & quaſi præſcius Pontij ingenij, quod rationibus mouetur, reddit ipſe optimam rationem, cur cum textus in ſolo primo gradu loquatur, extendendus ſit vſque ad quartum gradum. Eſt autem hæc. Ratio impedimenti inceſtus eſt affinitas iniquè contracta cum altero coniuge *ex C. diſcretionem de eo qui cognoſcit conſanguineam vxoris ſuæ*, ibi; *(ſed nec affinitas; quæ poſt contractum matrimonium inter virum & vxorem iniquè contrahitur) & cap.pen.eod.tit.* ibi *(cum affinitas poſt matrimonium inique contracta)* ergo ad eum gradum conſanguinitatis debet extendi, ex quo ea affinitas conſurgit per copulam; ſed hic gradus eſt quartus *ex cap. non debet de conſang.& affin.* ibi: (*Prohibitio quoque copulæ coniugalis quartum conſanguinitatis, & affinitatis gradum de cætero non excedat*) ergo impedimentum inceſtus poſitum de iure antiquo ad quartum etiam gradum debet extēdi. habet, ni fallor, Pontius ſufficientes rationes, quibus ſuam coniecturam deponat. addam tamē & aliam, ni fallor, non minus efficacem: quæ talis eſt: Si Pontij argumentum vim haberet nimium probaret, ergo nihil probat. conſequentia logicis eſt euidens. antecedens probatur: valet per Pontium hic diſcurſus, iure antiquo non ponitur exemplum inceſtus vltra ſecundum gradum; ergo ſignum eſt fuiſſe hoc impedimētum de iure antiquo vſque ad ſecundum gradum: debet igitur valere hic alius, In iure antiquo non fit mentio, nec ponitur exemplū, niſi in primo gradu; ergo non fuit hoc impedimentum de iure antiquo niſi in primo gradu; neque video diſparitatem, ſicuti enim Pontius de ſecundo ad ſecundum argumentatur: ita ego de primo ad primum: ſed ſi hoc admittatur nimium probat, nā probat hoc impedimentum inceſtus fuiſſe ſolum in primo gradu, quod ipſe Pontius negat, & eſt abſurdiſſimum.

Reſtat igitur ſolum probandum, quod textus qui loquūtur de hoc impedimento ſolum afferant exemplum de primo gradu: *cap. 1. de eo qui cognoſcit conſanguineam vxoris ſuæ*, hæc habet (*ſi quis cum filiaſtra ſua ſciens fornicatus fuerit, nec à matre debitum petere, nec filiam vmquā habere per vxorem, nec filiaſtra, nec ille illo vmquam tempore alij ſe poterūt matrimonio copulare*) cap.pen.eod.tit. (*tuæ fraternitatis dubitatio poſtulauit vtrum is, qui cum ſorore legitimæ coniugis fornicatur cum vxore poſſit poſtmodum commorari, & exigere debitum &c.*) cap.fin. (*Iordanæ mulieris petitio continebat, quod laicus cum ipſa, quæ nondum decimum ætatis annum compleuerat per verba de futuro contraxit, & ea infra eiuſdem anni ſpatium carnaliter cognita matrem ipſius ſibi matrimonialiter copulare, & ad damnatæ commixtionis amplexus procedere non expauit, quare præfata &c.*) cap. Tranſmiſſæ eod. tit. quod. (*Tranſmiſſæ nobis tuæ litteræ demonſtrarunt quod G. vxore ſua mortua, filiam eius, priuignam, videlicet, propriā, copula carnali cognouit poſtmodum aliā accipiens in vxorem, cum priuigna publicè veluti canis ad vomitum rediens rem illicitam committere non expauit, quia verò ſuper his &c.*) & C. qui dormierit verbo neutram 32. qu. 7. (*ſi quis cum nouerca ſua dormierit neuter ad coniugiū poteſt peruenire: ſimiliter ſi quis cum filiaſtra ſua, vel cum ſorore vxoris ſuæ dormierit obſeruandum eſt.*) & cap. quędam ſic habet (*quædam cum fratre viri ſui dormiuit, decretum eſt vt adulteri nunquam coniugio copulentur*) alij textus his

ſimi-

ſimiles ſunt, ſed eos hic non affero; quia preſſius videntur loqui de impedimento dirimente, & hi, quos attuli, ſunt qui à Doctoribus communiter pro hoc impedimento ſparſim afferuntur; nec Pontius alios affert, quare iam ſatis clarum remanet textus loquentes de inceſtu ſolum afferre exempla intra primum gradum tãtum; ſicuti ergo non benè infertur, textus loquuntur ſolum in primo gradu; ergo impedimentum inceſtus fuit in primo gradu de iure antiquo; ita Pontius deficit in duobus primò quod inferat, textus afferunt exempla, quæ non excedunt ſecundum gradum; ergo inceſtus non extenditur vltra ſecundum gradum. Secundò quod ſupponat in canonibus, in quibus de impedimento inceſtus fit mentio poni exemplum vſque ad ſecundum gradũ incluſiuè: quod eſt etiam falſum, vt vidimus; nam ſolum ponuntur exempla in primo gradu. Poſſet tamen aliquis Baſilio patrocinari, & me reum falſi vocare, quippe qui dicam eum docuiſſe in canonibus afferri exempla inceſtus in ſecundo gradu; cum ipſe id non dicat, ſed ſolum quod in canonibus numquam ponitur exemplũ vltra ſecundum gradum, quæ propoſitio vera eſt etiam ſi canones ſolum de primo gradu loquantur. ſed videquisquis es, ne hoc patrocinĩ ingratum ſit Pontio, cogetur enim is dicere de iure antiquo impedimentum inceſtus fuiſſe in primo gradu, quod vt abſurdum ipſe negabit, quo enim pacto ipſe poterit illud vſque ad ſecũdum gradum extendere, ſi ſupponit canones loquutos ſolum in primo gradu; cum Sancium carpat ex eo quia illud vſque ad quartum gradum extendat: cum canones non loquantur vltra ſecundum gradum. Addo etiam nec huic patrocinio locum eſſe, nam manifeſta eſt Pontij mens ſentientis hoc impedimentum non extẽdi de iure antiquo, niſi vſque ad ſecundum gradum incluſiuè, & non vltra; quia canones non ponunt exempla niſi in ſecundo gradu incluſiuè, & non vltra. vt patet ex ipſius verbis à me citatis, & quilibet poteſt ex eius capite citato aduertere.

Iam vero ad alteri Pontij fundamẽto ſatisfaciendum accedamus: eſt autem Auctoritas Alex. III. in appendice Conc. Later. cit. vbi expreſſè dicitur, nullum eſſe impedimentum intertio, & quarto gradu, in cuius appendicis auctoritate adeò innititur, vt audeat dicere Sancium ſentire cõtra manifeſtas Pontificum deciſiones. Sed miror Pontium non aduertiſſe has Epiſtolas iuris canonici vim non habere; nam licet Epiſtolæ Pontificum ad hoc vt pro decretalibus habeantur, non opus eſt vt in corpore iuris ſint inſertæ. vt fusè probatur *cap.* 1. *diſp.* 19. à Nicolao 1, *de legibus lib.* 4. *cap.* 24. *nu.* 4. tamen ad hoc vt vim decretalium & canonum obtineant, neceſſe eſt ex Suar. *loco cit. num.* 7. vt tales Epiſtolæ per traditionem, vel declarationem poſteriorum Pontificum ſufficienter ſint notæ, & in auctoritate habitæ, quod maximè verum eſt, quando Epiſtolæ continent declarationem iuris naturalis, vel diuini. at verò quando reſponſum concernet materiam iuris poſitiui Eccleſiaſtici, per temporis ſucceſſionem poteſt accipere mutationem; & quoad hoc poteſt multum deſeruire, quod tale decretum ſit vel non ſit moribus receptum, vel quod ſit in corpore iuris inſertum, vel extranagerur, & tunc etiã oportet conſiderare an ſit conſentaneum iuri communi, vel illi contrarium; nam in priori caſu ſeruandum eſt, in poſteriori autem Pontifex conſulendus eſt: Hæc habet Suar. *loco cit. n.* 7. cum multis, quos ipſe ſequitur.

Quibus poſitis patet Epiſtolas has Alex. III. quas pro ſe citat Pontius nõ habere vim decretalium. primo, quia dato quod continerent res, quæ pertinent ad ius diuinum, vel naturale explicandum, nõ ſunt à Pontificibus per traditionem notæ, nec in auctoritate habitæ, immo potius, vt videbimus, correctæ. Secundò cum contineant ius Eccleſiaſticum, quale eſt hoc de impe-

impedimento, deberent esse insertæ in corpore iuris, vel moribus receptę, at hæ non sunt insertæ in corpore iuris, nec moribus receptæ. Immò tot & graues Doctores antiqui, & recentiores, qui cum Sancio tenent impedimentum incestus fuisse vsq; ad quartum gradum de iure antiquo; huius Appendicis ne meminerunt quidem: quam tamen afferre, & explicare debebant. quod autem hæc Appendix Alex.III.Iuris Pontificij auctoritatem non habeat, & per Greg. IX. & Bonifacium VIII. sit sublata, maximè patet ex eo, quod isti Pontifices voluerunt resecare, & corrigere prædecessorum Pontificum Epistolas, & constitutiones: inter quos est Alex.III. cuius multas decisiones in corpore iuris inseruerunt, vt patet legenti: ergo eas quas omiserunt non vt tales habendas putarunt, & quoniam Pontius identidem Sanciu minuehitur nisus in auctoritate huius appendicis, placet aliquantò fusius Gregorij, & Bonifacij Bullas hic ponere, vt prudens lector aduertat, an verè hæ Epistolę, quas in appendice Pontius citat, vim adhuc obtineant canonum.

Et quidem Gregorius IX. hæc habet (*Gregorius Episcopus &c. vniuersis Bononiæ commorantibus salutem, & Apostolicam benedictionem*) & paulo post initium (*Sanè diuersas constitutiones, & decretales Epistolas prædecessorum nostrorum in diuersa dispersas volumina, quarum aliquæ propter nimiam similitudinẽ, & quædam propter contrarietatem, & nonnullæ etiam propter sui prolixitatem confusionem inducere videbantur; aliquæ verò vagabantur extra volumina supradicta, quæ tanquam incerta in iudicijs vacillabant; ad communem, & maximè studentium vtilitatem per dilectum filium fratrem nostrum Raymundum, illas in vnum volumen* (resecatis supefluis) *prouidimus redigendas adijcientes constitutiones nostras, & decretales Epistolas, per quas nonnullæ, quæ in prioribus erant dubia, declarantur; volentes igitur vt hac tantum compilatione vniuersi vtantur in iudicijs, & in scholis districtius prohibemus ne quis præsumat aliam facere.*) Bonifacius verò VIII. hæc habet proemio 6. circa medium suæ Bullæ (*sanè cum post volumen decretalium à fel. rec. Greg. Papa Nono tam prouidè, quam vtiliter compilatum, nonnullæ ab eo, & ab alijs remotis Pontificibus succeſſiue super diuersis dicerentur articulis editæ decretales; Nos ad apicem summi Pontificatus vocati super hoc cum instantia requisiti à multis ambiguitatem, & incertitudinem huiusmodi, dispendium pluribus afferentem omninò tollere, ac elucidare, quæ decretalibus ipsis teneri, quaeuè in posterũ deberent refutari, gratia suffragante diuina, pro vtilitate publica deliberabiliter afferentes per venerabiles & cæt. decretales huiusmodi diligẽtius fecimus recenseri, & tandem pluribus ex ipsis* (*cum vel temporales, aut sibi ipsis, vel alijs iuribus contrariæ, vel omnino superfluæ viderentur penitus resecatis, reliquis quibusdam ex eis abbreuiatis, & aliquibus in toto, vel in parte mutatis &c. eo vtami ni de cetero in iudicijs, & in scholis nullas alias præter illas, quæ inseruntur aut specialiter reseruantur in eo decretales, aut constitutiones à quibusdam nostris prædecessoribus Rom. Pontif. post editionem dicti voluminis promulgatis recepturi vlterius, aut pro decretalibus habituri*) in quibus videre est vtrumque Pontificem asserere multas decisiones Pontificum prædecessorum, inter quos erat Alex. III. fuisse compilatas, alias correctas, alias penitus sublatas. & Bonifacius prohibet ne præter eas, quæ hic inseruntur pro decretalibus aliæ habeantur. quare hæc appendix præter ea, quæ compilata sunt, & in corpus iuris redacta ab his Pontificibus, nullius est momenti, nam vt apparet ex verbis Pontificum à me citatis, ea quæ remanẽt extra hoc corpus prædecessorum Pontificum resecarunt, nec vim decretalium habere voluerunt, quod autem ex hac appendice, & Epistolis Alex. III. multa fuerint in corpus iuris inserta patet passim studiosis, & præcipuè hoc caput, quod prę manibus habemus desumptum est *ex parte 12. cap. 4.* Cesset ergo Pontius

iden-

identidem cum auctoritate huius appendicis Sancium impugnare, iam enim satis, ni fallor, liquet eam iuris canonici vim non habere.

Et quoniam Pontius coniectura vtitur ad Sancium lacessendum, quare non etiam vsus est hac coniectura? talem appendicem vim canonum, nec Concilij obtinere, nimirum quod nec Bellarm. qui omnia concilia generalia in vnum collegit, & eorum autoritatem explicauit, nec oculatissimus Baronius, qui Concilij huius sub Alex. III. gesta perscribit, huius appendicis, quam Pontius citat, non meminerint. immò tot graues Doctores iuris Pontificij apprimè docti, & inlignes Theologi ex antiquis, qui hoc impedimentum asserunt fuisse vsque ad quartum gradum de iure antiquo. At alij multi, qui nouissimè scripserunt, & in curia Romana diutius versati sunt, has Alex. III. in dicta appendice decisiones ignorarunt, vel contra sedis Apostolicæ decisionem senserunt, & solus Pontius Cõciliorũ indagator egregius exisset?

Ex quibus euanescit iam altera eius censura nu. 9. posita, nimirum contra Sedis Apostolicæ decisiones Sancium sentire, dum asserit impedimentum hoc incurri etiam si sit occultus incestus, cum nulla sint iura in cõtrarium, & Appendix Concilii Lateranensis, quã Pontius affert, non habeat vim iuris canonici. immò Angelus, & Syluester, quos sequitur Pontius, dicentes non incurri impedimentum, quando incestus est occultus, nullum ius Pontificium citant; sed solum mouentur quadam Abbatis doctrina, quæ apud Abbatem non inuenitur, vt notat Layman *lib. 5. tract. 10. cap. 5. par. 4. nu. 2.* & Guttierres *lib. 1. canon. quæst. ca. 23. n. 8.* quod optimè iam noster auctor *disp. 27. n. 2. lib. 9.* aduertit, & sensum Abbatis exponit. sequitur etiam Bonac. *de matr. q. 3. pun. 12. nu. 22.* Filiuccius *trac. 10. cap. 6. n. 209. fine.* Rebellius *lib. 3. q. 18. de incestu* vbi citat Palud. *in 4. dist. 34. q. 1. art. 2.* & omnes mouentur ex auctoritate Sancij, & ratione ab ipso allata, quod scilicet canones ponentes impedimentum affinitatis, non distinguunt vtrum affinitas sit occulta, vel publica. quare desinat Pontius nostrum auctorem carpere, & indignum putet homines adeò doctos, quales fuere Sancius, & Gloss. *cap. qui dormierit v. neutram 32. q. 7.* Castro *lib. 2. de lege Pœnali cap. 5.* Guttierres *loco cit.* quos ipse est sequutus, & alij recentiores, qui Sãcium in hac re sequuti sunt, tanta nota afficere; quod scilicet contra Sedis Apostolicę decisiones senserit, cum nulla sit talis decisio; & potius, si lubet, contendat soluere duo argumenta, quę noster auctor affert ad suam sententiam confirmandam. primum est, quod ponit hic nu. 13. nam cum incestus sit talis naturæ, vt occultè committatur, rarò esset locus huic impedimento. Secundum ponit *disp. 27. lib. 9. nu. 2.* in simili de priuatione petendi debitum; nam pari passu procedunt, vt diximus toties, est autem hoc: ratio impedimenti est affinitas iniquè contracta *cap. 1. & cap. discretionem de eo qui cognouit consanguineam.* Et supra eorum capitulorum verba retulimus; sed affinitas oritur ex copula etiam occulta, modo fiat sanguinis commixtio, vt passim Doctores; ergo, hæc, inquam, argumenta Pontius debebat infringere, si aliquid contra Sancium promouere voluisset, non autem falsas decisiones Pontificum, pro veris afferre.

Denique minus verum est, quod Pontius *n. 11.* ait, nimirum nostrum auctorem à veritate aberrare, dum numero 5. docet *ex cap. 2. de eo, qui cognouit consanguineam*, hoc impedimentum oriri ex copula cum consanguineis sponsæ de futuro, his verbis. (*sed numquid extendendum erit ad eum, qui cognouit illam, cum qua est impedimẽtum publicæ honestatis ortum ex sponsalibus validis? affirmat Thomas Sanchez commotus tex. c. 2. quem intelligit de sponsalibus de futuro sed quam in ea interpretatione aberret à veritate, cõstat ex dictis*) Et quamuis Pontius more suo nec rationes afferat, nec à Sancio allatas refutet, aut infirmet, vt mihi ipsi sit respondendum; sed solum nitatur in auc-

toritate

ctoritate Appendicis d. quam ad ſatietatem oſtendimus, nullum ius inducere. Placet tamen dictum *cap.* 2. examinare, vt videam: an verè Sancius errauerit, qui hoc capite docuit oriri impedimentum inceſtus ex copula cum conſanguineis ſponſæ de futuro.

Verba cap. ſunt hæc (*inquiſitioni tuæ taliter reſpondemus, quod ſi matrem ſponſæ ſuæ cognouit, & ſponſæ nunquam carnaliter adhæſit, imponenda eſt ei pœnitentia paulo maior, quam pro adulterio, qua peracta, vel parte ipſius, poterit ex diſpenſatione cum alia matrimonium contrahere*) quibus verbis patet textum loqui de ſponſa de futuro, tum ratione, tum auctoritate. ratione quidem ea, quam affert Sancius; nam ſi loqueretur de ſponſa de præſenti non poſſet cum alia contrahere ex diſpenſatione Epiſcopi; nam Epiſcopus non poteſt diſpenſare in matrimonio rato, nec Pontifex, niſi in cauſis vrgentiſſimis iuxta ea, quæ dicemus *lib.* 8. ſed textus concedit, vt peracta pœnitentia poſſit contrahere cum alia, relicta ſponſa, ex diſpenſatione Epiſcopi: ergo textus hic loquitur de ſponſa de futuro, & vult eſſe inceſtuoſum eum qui habet copulam cum conſanguineis ſponſæ de futuro: minor patet ibi: (*qua peracta, vel parte ipſius poterit ex diſpenſatione cum alia matrimonium contrahere*) & quod loquatur de diſpẽſatione ab Epiſcopo concedenda patet; quia cum Pontifex loquitur de diſpenſatione, & non ſibi reſeruat, intelligitur diſpẽſare poſſe Epiſcopum, ita docet *d. tex.* Abbas *nu.* 3. & Alex. de Neuo *nu.* 3. Ex auctoritate autem probatur textum hunc debere intelligi, vt Sancius intellexit, de ſponſa de futuro. & primo Gloſſa ibi matrem ſponſæ (*de futuro vnde affinitate ſuperueniente, illam in vxorem habere non poterit ſolutis ſponſalibus*) Innocentius *nu. vnico v. ſponſæ*, cui addit ipſe, *de futuro*, Hoſtienſis ſtatim initio huius tituli hæc habet. (*ſi cognoſcatur conſanguinea vxoris, inceſtus committitur; non tamen propter hoc matrimonium diſſoluitur; ſed ſi cognoſcitur conſanguinea ſponſæ de futuro ſponſalia diſſoluuntur, vt infra c. veniens*) vbi verbo ſponſæ, addidit *de futuro*. Abbas hęc habet (*Affinitas ſuperueniens etiam per illicitum coitũ diſſoluit ſponſalia de futuro, ſed non matrimonium, & inceſtuoſus contrahere non poteſt h. di.*) & deinde ponit caſum (*quidam contraxit ſponſalia de futuro cum quadam, tandem inſtigante diabolo matrem ſponſæ ſuæ cognouit, dum moleſtaretur vt matrimonium de præſenti cũ ſponſa conſummaret, ipſe noluit &c.*) & num. 2. ait (*nota primo quod affinitas ſuperueniens eſt maioris potentiæ, quam ſpõſalia de futuro, nam per affinitatem diſſoluuntur ſponſalia*) & *n.* 4. apertè dicit id, quod nos ſupra poſuimus in ratione allata expoſitionis textus ibi: (*item nota quod grauius peccat cognoſcens conſanguineam vxoris; quam conſanguineam ſponſæ; nam in primo caſu non indulgetur diſpenſatio ſaltem ex facili cauſa; ſed in alio caſu ſic, vt in principio*, & paucis interiectis ait *vnde dic melius quod hic in primo reſponſo non interceſſit proprie crimen inceſtus, ex quo ſponſa non fuerat cognita, vt ſupra dixi; ſed quaſi crimen inceſtus in eo, qui violauit publicæ honeſtatis iuſtitiã ortã inter ſe, & matrẽ ſponſæ.*

Vide ergo, mi Ponti, an verum ſit quod ais, Sancium à veritate aberrare, dum intelligit *d. cap.* 2. *de ſponſalibus de futuro*; cum non ſolũ habeat id in ipſo textu expreſſum, vt patet; ſed etiam ratio ipſa illum adducat ad intelligentiam huius capitis, de ſponſalibus de futuro; & tot Doctorum ductus, qui fuere lumina canonicæ doctrinæ, quibus etiam adde Ioannem Andream *n.* 4. Ant. *n.* 5. Alex. de Neuo *num.* 2. & 7. quorum verba, ne ſim moleſtus, non affero, ſed ſatis eſt loca denotare, vt quiuis illos videre poſſit.

Sed videamus quid ſenſerint recentiores de hoc capite; an ſcilicet intelgendum ſit de ſponſa de futuro. Filiuccius *cap.* 9. *tract.* 10. *de matr. ſacr. fol.* 377. *n.* 287. (*Dices ſecundò: an ex copula cum conſanguineis ſponſi de futuro, oriatur hoc impedimentum. Reſpondeo ex vi eorumdem canonum* (nempè citatorũ) *non oriri, quia non eſt propriè inceſtus, &*

quia

quia de copula cum affinibus ſermo eſt in illis; ex vi tamen cap. ſecundi de eo qui cognouit conſang. &c. ibi, ſi matrem ſponſæ ſuæ cognouit &c. videtur oriri, vt rectè ponderat Sanchez. Baurio *tract.* 12. *de matrimonio de impedim. non dirimen.* vbi ait (*oportet autem coitum formalem eſſe, & cum conſanguinea non propria, ſed vxoris, aut ſponſæ viuentis*) quod autẽ hic auctor intelligat ſponſam de futuro patet, quia ponit ſub diſiunctione, vxoris, vel ſponſæ; & ſupra ait, conſulendi ſunt canones ſequentes, inter quos poſuit caput ſecundum dictum. Paulus Layman *tract.* 10 *par.* 4. *cap.* 4. numerans impedimenta non dirimẽtia, ait (*inceſtus cum conſanguinetis coniugis, aut ſponſæ adhuc viuentis c.* 1. *&* 2. *de eo qui cognouit.* idem tenet Rebellius *lib.* 3. *de matr. imp. qu.* 18. quamuis non citet canonem hunc, neque aliũ; vnde videtur permotus eo canone, cũ alij loquantur in caſu quo quis cognouit conſanguineam vxoris. omitto antiquos Doctores, eoſque inſignes, qui putant, quando quis cognouit conſanguineam ſuæ ſponſæ de futuro eſſe impedimentum impediens matrimonium. videat qui velit apud Sanchez *hic num.* 5. ſatis enim ſuperque oſtendimus non aberraſſe à veritate Sancium, qui *d. c.* 2. intelligit de ſponſa de futuro, ductus rationis ponderę, & auctoritate tot inſignium Doctorum, quos malim ſequi dormientes, quam Pontium.

DISPVTATIO XVI.

An vxoricidium, ac viricidium, ſeu interfectio vxoris, & Mariti impediat matrimonium.

1 SI quis vxorem interficiat ex aliqua cauſa, vt ira, odio vindictæ, Adulterij &c. (modo non ſit animo tranſeundi ad aliud matrimonium; nam de hoc caſu dicemus infra in impedimento criminis) incurrit impedimentum impediens matrimonium; at ſi illud contrahit, valebit contractum; quia non eſt impedimentum dirimens. eſt communis, & probatur *ex c. interfectores* 33. *quæſt.* 2. quod eſt ex Nicol. Pont. ibi (*quibus pœnitentibus coniugium denegatur*) & hoc adeo verum eſt, vt etiam ſi enecet vxorem in adulterio deprehenſam, tale impedimentum incurrat; quia Ius Canonicum non permittit talem occiſionem; cum ſit peccatum mortale quamuis ius ciuile permittat. at ſi Iudex tradat vxorem viro vt illam enecet; tunc non incurret hoc impedimentum, quod eſt inductum in pœnam delicti vxoricidij, quod maritus interficiens auctoritate Iudicis vxorem, non committit. ita Sotus 4. *d.* 36. *q. vnic. ar.* 4. *concl.* 1. *&* 2. Petrus Soto *lec.* 14. *de matrim.* §. *huic impedimento* Palacios 4. *d.* 37. *diſp.* 1. *col.* 8. *verſ. in alijs vero.* Enriq. *lib.* 12. *de matrim. c.* 2. *n.* 1. *ad finem* Vega 2. *tom. ſum. c.* 34. *caſu* 74. Bart. a Ledeſma *dub.* 58. *de matrim. concl.* 1. *&* 2. Viual. *cand. ſac.* 1. *pac. de matr. num.* 101. Manuel 1. *tom.* 2. *edit. c.* 229. *num.* 4. & patet ex *c. quicunque* 33. *q.* 2. quod eſt Pij Pontif. ibi (*quicunque propriam vxorem abſque lege, vel ſine cauſa, & certa probatione interfecerit, aliamque duxerit, publicam agat pœnitentiam.*

2 At ſi vxor virum interficiat, non incurrit prædictum impedimentum, quia textus Iuris Canonici hoc impedimentum ſtatuentes loquuntur de ſolo vxoricidio; nec eſt eadem ratio de viricidio; quia eſt rariſſimum; vnde Ius Canonicum hanc pœnam ſtatuit ad cohibendum id, quod frequentius accidere ſolet ob virorum audaciam. ſic etiam Sylu. *matrim. 7. quæſt.* 6. *dic.* 1. Armilla *n.* 58. Ledeſ. 2. *p.* 4. *qu.* 62. *a.* 2. Verac. 1. *p. ſpec. a.* 24. *con.* 3. & videtur fauere D. Thom. 4. *d.* 37. *q.* 2. *a.* 2.

3 Multi tamen vt Palud. Gabr. D. Ant. Viguerius apud Sanch. *nu.* 5. putant viricidium inducere hoc impedimentum impediens matrimonium ex eo, quia vir, & vxor ſunt correlatiua, & diſpoſitum in vno, cenſetur diſpoſitum in alio, cum militet eadem ratio, & eſt valdè probabilis hæc ſententia.

DISPVTATIO XXII.

Qualem culpam committat ille, qui habens aliquod ex prædictis impedimentis impedientibus matrimonium; illud tamen init, & quis in his dispenset, & quo Iure inducta sint.

1 REspon. spectata natura ipsorum impedimentorum est peccatum mortale contrahere cum aliquo ex his; quia contrauenitur in re graui Iuri Ecclesiastico, per quod omnia hæc impedimenta impedientia sunt inducta, excepto impedimento voti, & sponsalium, quæ Iure naturali, & Diuino obligant fidem seruare. ita dicũt esse mortale Palu. 4.*d.* 34.*q.* 1.*ar.* 2.*cõcl.* 4.*u.* 14. & D. Anton. 3.*p.tit.* 1.*c.* 16. Sotus 4.*d.* 37.*q.vnic.art.* 1.*col.fin. concl.* 2. Nauar.*bis.sum.* 22. *nu.* 74. Gaet. *repet. c. ad limina* 30.*q.* 1. §. 4.*nu.* 295. Vigu. Vgolin. Matienzo, Enriquez, & alij apud Sanch. *num.* 3.

2 Hodie tamen nullum est peccatum contrahere cum aliquo ex dictis impedimentis impedientibus, (excepto voto; sponsalibus, & interdicto, de quo infra) quia inualuit hæc consuetudo, vt habens aliquod ex his impedimentis, nulla petita dispensatione, ineat matrimonium; sed consuetudo legitimè præscripta habet vim abrogandi legem Ecclesiasticam *C. fi. de consu.* quod autem sit talis cõsuetudo patet ex eo, quod eã testentur DD. grauissimi, vt Verb. Rodẽs. apud Ang. *ma.* 3.*imp.* 9. Monald.*in som. t.quæ crim. ma.imp.* Nicol. de Osmo *suppl.sum. pisa. ver.imp.* 8.*n.* 1. Corduba *lib.* 1.*q.* 12.*a.* 2. *dic.* 3. Nauar.*sum.c.* 22.*n.* 75. Alberic.*in dictio.lit.I.v.imp.n.* 8. & alij, Turrec. *c. nullus* 31.*q.* 1. *n.* 3. quibus fides est habenda. nam quamuis dubium sit id, quod graues DD. affirmant; nimirum credendum esse vni Doctori graui, qui asserat esse aliquam consuetudinem legitimè præscriptam: tamen quando DD. communiter eam esse testantur, & nemo contradicit, certum est, fidẽ illis esse habendã, vt bene probat Mascard.*de probat.conc.* 526.*nu.* 17.

3 Dixi, excepto voto, sponsalibus, & Interdicto. nam si impedimentum sit Interdicti Ecclesiæ; quia alicui ad tẽpus interdicitur inire aliquod matrimonium, & causa prohibitionis sit grauis, erit mortale cum eo impedimento contrahere; quia contrauenitur præcepto Ecclesiæ in re graui, & quia *c.fi. de mat.contrac.contra interd.Eccl.* precipitur hunc excommunicari; at si causa prohibitionis sit leuis, vt quia prohibet inire matrimonium ob honorẽ diei festi, vel quia obiectũ est aliquod impedimentum, quod constat cõtrahẽtibus nullum esse, erit veniale. & sic debent moderari Palud. D. Ant. Gaet. & alij *n.* 1.*cit.* asserentes eam culpam esse mortalem.

4 De impedimento autem voti, an, & quando obliget sub mortali, dictũ est *li.* 1.*disp.* 11. & de sponsalibus similiter an, & quando obligant sub mortali dictum est *eodem lib.disp.* 6.

5 Ex dictis patet nullam esse necessariam dispensationem in prædictis impedimentis, cũ iam abierint in desuetudinem. & si dispẽsatio esset necessaria, cum sint solo Iure Ecclesiastico inducta, vt docent benè Gaet.*sum.v.ma. c.* 1.§.*secundũ vero caput.* Veracruz. 1.*p. spec.a.* 27. posset Episcopus dispensare; quia licet nullus textus id exprimat; nisi de incestu impropriè *c.* 2. *de eo qui cogn.consang.* at consuetudo extendit ad alia impedimẽta etiã. sic Palud. D. Ant. Angel. Emm. sà. *v.ma. de imp. non dirim.* Vgol. *de sac.c.* 20. *hic* Lud. Lop. 2. *p. inst. de mat.c.* 46. *circa* 5.*imp.* & alij multi: nõ tamẽ potest Parochus, quia munus Parochi nõ est dispensare, quamuis Veruecius, Astensis, Monaldus, Turrecremata, Gaeta. Albericus putent posse; locis *num.* 2. *cit.*

6 Excipe impedimentũ Interdicti, in quo nõ potest Episcopus dispensare, si sit positũ à superiore v.g. Põtifice, quia inferior nequit legẽ Superioris tollere, aut moderare. Et impedimẽtũ sponsaliũ, in quib⁹ nõ potest Episcop⁹ dispẽsare; vt docẽt Gaet. *l.c.* §. *& scito peccatũ* Armil. *v.ma.n.* 60. Sotus 4.*d.* 37.*q.vnic. concl.* 2.*a.* 1. & alij, & probauimus *libro*

primo

*primo diſp.*61. Denique excipe votum caſtitatis &c. de cuius diſpenſatione an & quando Epiſcopus poſſit, dicetur *libr.* 8.

7 Vnde ex dictis patet hodie tantum tria impedimenta impedientia eſſe in vſu nimirum impedimentum voti, ſponſalium prius contractorum,& Interdicti.An vero taliter impediti dato caſu quod hæc impedimenta durarent, poſſent petere debitum, dicemus *lib.* 9. *diſp.* 25.

Satis hæc ſint de Impedimentis impedientibus.

DE IMPEDIMENTIS Dirimentibus.

DISPVTATIO XVIII.

An error Perſonæ, qualitatis, aut fortunæ dirimat Matrimonium,& quo Iure, & quando error qualitatis redundet in errorem perſonæ.

1 ANtequam ad ſingula in titulo propoſita Reſpondeam

Sciendum eſt 1. errorem importare Iudicium poſitiuum falſum intellectus de re de qua iudicat. nam errare eſt vnũ pro alio putare, vt ait D. Aug. *in Enchirid. t.*21. vnde ſi quis à me petat quantum diſtet Panormus à Roma, ſi prorſus id ignorẽ, nec Iudicium proferam, non dicor errare; ſed neſcire, & habere ignorantiam; & ſi putem diſtare centum milliaria, tunc erro; quia formo iudicium falſum, & dicitur ignorantia prauę diſpoſitionis, illa vero prima dicitur ignorantia puræ negationis. Prętera adhoc vt ſit error requiritur vt habeatur aliqua alis cognitio rei, de qua iudicatur, v.g. in errore Perſonæ requiritur aliqua notitia ex viſu, aut ſaltem auditu, vel fama. Nam in illud, quod omnino ignoramus nec effectum, nec conſenſum dirigere poſſumus. Ita docent S. Tho. 4. *d.* 30. *q.*1. *a.*1. *ad* 1. vbi Soto *init. corp.* Io. de Fiburg. *ſum. confeſſ. l.*4. *t.*3. *q.*4. Enriq. *l.*11. *de mat. c.*10. *n.*2. *com. lit. I.* & alij.

2 Sciendum eſt ſecundo errorem quadruplicẽ eſſe. primus dicitur perſonę cum ſcilicet vna perſona pro alia ſupponitur, vt ſi contrahens putet eſſe Mariam, & eſt Franciſca. ſecundus dicitur conditionis ſeruilis, & eſt cum contrahens, quæ eſt perſona libera putat ſe contrahere cum Maria v. g. libera, & illa eſt ancilla. tertius dicitur qualitatis cum putat ſe contrahere cum pulchra, virgine, vel nobili, & illa eſt plebea, currupta, vel ignobilis. quartus dicitur fortunæ cum ſcilicet putat contrahere cum diuite, & contrahit cum paupere, & hic error poteſt etiam dici qualitatis. ita Magiſter in quarto *d.*30. *qu.*1. quem omnes ſequuntur.

3 Quicunque tamen ex his erroribus poteſt eſſe duplex, añs ſcilicet, vel concomitans: error antecedens dicitur ille, qui inducit ad aliquid volendum, & eſt cauſa contractus, vt ſi ex eo quod putem per errorem Mariam eſſe filiam Regis, cum illa contraho; ita vt ſi ſcirem illam non eſſe talem, non cõtraherem, hic error dicitur antecedẽs, & à Iuriſtis vocatur dolus dãs cauſam contractui, quando talis error accidit dolo alicuius, qui me fefellit; quare actus ille per hunc errorem elicitus, v.g. contractus matrimonij &c. eſt Inuoluntarius. Concomitans error dicitur ille, qui concomitatur actum voluntatis, & non eſt cauſa ipſius: vt ſi contraham cum Maria, quam puto eſſe Regis filiam; ſed non ex eo contraho, quod ſit filia Regis, nam quamuis ſcirem id non eſſe, adhuc contraherem, & talis error non efficit actum inuoluntarium, cum non ſit cauſa voluntatis repugnantis; at efficit non voluntarium; nam non poteſt eſſe actu volitum quod ignoratum eſt ex D. Th. 1.2. *q.*6. *a.*8. & Ariſt. & talis error à Iurisperitis vocatur incidens in contractum. His poſitis

4 *Dico* primo error perſonæ añs ſiue ſit iuſtus, qui ſcilicet prudentes falleret, ſiue fatuus, ſeu craſſiſſimus, dirimit matrimonium, Iure naturę, ita vt Põtifex non poſſit ſtatuere vt is error illud nõ dirimat; ratio eſt, quia error au

fert libertatem, & conſenſum *l. ſi per errorem ff. de iuriſd. omn. iud.* ſed matrimonium abſque conſenſu iure naturæ eſt irritum, ergo matrimoniũ cõtractũ cum errore perſonæ eſt iure naturę irritum; & quãuis in cæteris Sacramẽtis & cõtractibus error perſonę nõ ſit talis, vt ea irritet, vt ſi quis putet baptizare Regẽ, & Baptizet ſeruum; vel ſi vendat equum vg. Antonio putans vendere Franciſco; id euenit quia in ſacramentis non conſiderantur perſonę indiuiduæ recipientium, et in cęteris cõtractibus oneroſis ſufficit ſi ponatur æqualitas pretij; vſus, & commoditas rei venditæ; at matrimonium per ſe primo reſpicit indiuiduas perſonas cõtrahentium, quæ ſunt de ſubſtantia illius. & ſic etiam Hoſt. *ſum. tit. de matr. n.* 26. Alex. de Neuo *cap. 2. n. 9. de coniug. ſer.* Calde. Zochus apud Præp. ibi *n.* 4. Henric. Vitalis de cambonis *tract. clauſular. clauſ. non errore ductus §. oſtenſo de errore Iudicij in t.* 18. *tractatuum.* Brunellus *de ſponſ. concl.* 32. *n.* 2. cum victoria, Enriq. Soto, Veracrux, Ledeſma, Bart. à Ledeſma, Lud. Lop. Theologis. apud Sanch. *n.* 12.

5 Idem dicas de errore perſonæ concomitante; irritat .n. matrimonium; nam quamuis contrahens ita ſit diſpoſitus in ſuo animo vt etiam ſi ſciret illam, cum qua contrahit, non eſſe vg. Mariam, adhuc contraheret; tamen nullum erit matrimonium, quia is error efficit illud non eſſe voluntariũ. ita Ledeſma 2. *p.* 4. *q.* 53. *art.* 1. *col.* 2. *§. ſed difficultas* Veracrux 1. *par. ſpec. ar.* 28. Bart. à Ledeſ. *de matr. dub.* 30. *col.* 2. Petr. Ledeſm. *q.* 51. *a* 2. *dub.* 2. *concl. vnica.* cõtra quosdam relatos *lib.* 1. *diſp.* 65. Adde etiam ſi contrahens tempore quo contrahit matrimonium cũ illa, quam putat eſſe Mariam, eliciat expreſsè hũc actũ; nimirũ ducerẽ, etiã ſi ſcirem hanc nõ eſſe Mariam, non erit matrimoniũ, quia matrimonium exigit conſenſum de præſenti; quare requiritur, vt ille dicat, duco te, quamuis non ſit Maria, ſed alia. Sic etiam Sotus, 4. *d.* 35. *q. vni. ar.* 2. *col* 3. Barth. a Led. *dub.* 31. & Lud. Lopez 2. *p. inſtr. c.* 47. *de matr.* loquentes de errore conditionis?

6 Ex quo infertur primo in cæteris Sacramentis miniſtrum non poſſe coarctare intenſionẽ ad perſonam, quam putat coram ſe eſſe; ſed tenetur miniſtrare præſenti, quicunque ille ſit, in Matrimonio vero contrahentes, qui ſunt miniſtri, poſſunt ſuam intentionẽ ad hanc numero perſonam coarctare.

7 Infertur ſecundo nullum eſſe matrimonium contractum inter infideles cũ errore perſonæ. ſic etiam Veracrux. 1. *p. ſpec. ar.* 29.

8 Dico ſecundo error qualitatis, ſeu dolus antecedens qui ſcilicet eſt cauſa cur matrimonium ineatur, vt dictum eſt *nu.* 3. non reddit irritum matrimonium cum eo contractum; quamuis contrahens haberet hanc habitualem intentionem; vt ſcilicet nollet illud inire, ſi noſſet fœminam illam carere qualitate, quam ipſe putat habere. vg. non eſſe virginem, nobilem, Diuitem &c. quia talis error non efficit actum illũ, quo quis matrimonium vult, ſimpliciter inuoluntarium; ſed tantum ſecundum quid. nam non eſt error circa qualitatem per ſe, & ex natura rei requiſitam ad eſſentiam contractus, qualis eſt error circa perſonam; ſed circa qualitatem, quæ ſe habet per accidens ad eſſentiam Matrimonij, vt eſt virginitas, pulchritudo &c. Vnde efficit actum ſecundum quid inuoluntarium. citantur à Sanch. *nu.* 18. pro hac ſententia Bald. Abbas, Imola, Curtius, Iunior. Ioan. Lupus, Mar. Mantuan. *ſingul.* 316. Crottus *repet. cap. in ciuitate n.* 20. *de vſuris* Remigius *trac. de imm. eccleſ. fall.* 26. *nu.* 4. Gomes Arias *l.* 62. *Tauri n.* 15. Couarr. 4. *decret. l.* 62. *Tauri n.* 15. Loazes *in tractatu Matrim. Regum Angliæ dub.* 8. *n.* 37. cum Molin. 2. *t. de iuſt. diſ.* 352. Valentia 2. 2. *q.* 20. *punt.* 4. *§. ſecundo probatur diſ.* 5. Bart. & Petro à Ledeſma *l. c.*

9 Quare matrimonio iam contracto per verba de præſenti, ſi vxor virgo non reperiatur ante conſummationẽ, non poterit vir recedere, etiam quoad torum; ſed compelletur conſummare niſi velit ad Religionem transire; nec

Pa-

Parochus conſcius doli aſſiſtens tali matrimonio, incurret ſuſpenſionem; quia nulla eſt prohibitio Iudicij aut Iuris; inquo ſolo caſu incurritur hæc ſuſpenſio vt dictum eſt *lib.3.diſp.48.*

10 At ſi qualitas, in qua erratur, fuit appoſita in contractu per modum conditionis; Duco te, ſi es virgo, tunc ſi verè illa nõ erit virgo, nullum erit matrimoniũ; quia deficiente conditione illa honeſta, deficit cõſenſus præſtitus ſub illa. nec requiritur vt talis cõditio verbis exprimatur; ſed ſufficit ſi actu habeatur in mẽte ipſius cõtrahentis, aut ſit virtualiter quãdo ſcilicet antea habuit talem intentionem nec illam reuocauit per actum contrarium.

Explicatur *quãdo error qualitatis redundet in errorem perſonæ, ita vt matrimonium cum eo contractum ſit nullum* Dico duplicem ad id aſſignari regulã. Prior eſt quoties qualitas, in qua erratur, non determinat indiuiduam perſonam; vt ſi quis dicat ſe eſſe filium Regis, aut primogenitum, non explicans cuius Regis ſit filius: tunc puella cum illo contrahens errabit in ſola qualitate, & validum erit matrimonium; quia error perſonæ debet eſſe circa indiuiduum, at hæc non errat circa indiuiduum, cum eius conſenſus feratur circa perſonam illam ſibi præſentem. ſic D. Bonau. *4.d.30.a. vſu. q.* 1. Toledo *lib.7.c.3.n.2.* Palacios *4. diſ. 30.diſp.vni.col.* 15. Viuald. Cand. *1.p. de matr.n.* 117. Matienzo *lib. 5.recop.tit. 1. rubr.gloſ.1.n.* 116. Supplem. *ſum. piſa. v.imped.imp.2.n.vlt.* Aſten. *ſum.2.p.l.8. tit.* 14. *a.1 q.2.* Io: de Fiburg. *ſum.conſeſ. l.4.t.3.q.4.* Vitalis de Cambonis *nu. 4. cit.* Gaet. *repet.c.ad limina 30. qu. 1.§.4.* Greg. Lopez *l.10.t.2.p.4.ver.filio.*

11 Poſterior regula eſt quando qualitas, in qua erratur, deſignat indiuiduam perſonam; tunc error qualitatis refunditur in errorem perſonæ, & matrimonium cum tali errore contractum, nullum eſt: vt ſi ille mentiatur dicens ſe eſſe filium Regis, deſignans cuius Regis filius ſit, v.g. ſum filius Regis Franciæ, Hiſpaniæ &c. ratio eſt quia apprehenſio intellectus eſt veluti ductor voluntatis, vt ſcilicet voluntas illud obiectum velit, quod Intellectus ipſi proponit: ergo cum Intellectus apprehendat perſonam illã indiuiduam mediante illa qualitate, quod ſit filius Regis Franciæ; proponit etiam voluntati illam perſonam mediante illa qualitate, & per conſequẽs voluntas dirigit conſenſum directe in perſonam illam apprehenſam ab Intellectu; quæ cum non ſit verè talis, qualis putabatur, erit error perſonæ ſic DD. citati.

12 Quare patet per has regulas accuratius explicari regulam traditam à D. Thom. *in.4.diſt.39. q.1.* & alijs multis, vt ſcilicet tunc redũdet error qualitatis in errorem perſonæ, quando conſenſus contrahentis fertur directè in qualitatem illam, & indirecte in perſonam præſentem; at ſi directè feratur in perſonam præſentem, error in nobilitate &c. non redundabit in errorem perſonę. nec verũ eſſe quod * Pontius *lib.4.cap.22.nu.* 1. ait valde laborare Sancium, vt id explicet, & tandem inexplicatum relinquere. quo pacto diſtinctius explicari poterat?

13 Aduerte tamen noſtram poſteriorem Regulam *n.*11. traditam veram eſſe, etiamſi errans nullam prius notitiam, neque ex viſu, neque ex auditu habuerit illius perſonæ Indiuiduæ, circa quam errat, v. g. Regis franciæ, vel ipſius filij: quia in omnibus alijs actibus adhoc vt erretur, ſatis eſt notitia falſa concepta eo tempore, quo fit actus, & non requiritur alia notitia vera antecedens; quare ſi fæmina ſciat Petrum habere multos filios, & nullum ex his cognoſcat, ſi aliquis eorum mentiatur dicens eſſe primo genitum Petri, erit error perſonæ, vt bene docent Calder. *cap.2.de coniug.ſeru.* Suppl. *ſum. piſanæ l.c.* Greg. Lop. *l.10. cit.ver.euinieſſe.* Matienſo *l.cit.nu.*154. contra Hugo 29. *q.1.* Aſtenſ. Io: de fiburg. *loc. cit.*

14 Immo addo ſi fæmina conueniat nubere cum primogenito Petri, & poſt conuentionem moriatur is primogenitus, & remaneat alter frater

qui

qui poſt illius mortem remanet primogenitus, erit error perſonæ, & matrimonium cum hoc contractum nullum : quia conſenſus mulieris fertur in priorem filium iam mortuum, cum quo fuerat initum pactum. ſic Sotus 4. *d.* 30. *qu.* 1 *ar.* 1. Ledeſ. 2. *p.* 4. *q.* 53. *a.* 1. *dub.* 4. Lud. Lop. 2. *p. inſt. de matr. c.* 47. *de imp. error.* Manuel. 1. *ſum.* 2. *edit. c.* 223. *concl.* 2. *n.* 2.

15 Præterea erit error perſonæ, etiam ſi quis fingat ſe eſſe filium Regis franciæ, caſu quo Rex plures filios haberet; quia cum determinat patrem, eſt iam perſona determinata, etiamſi nõ exprimat ſe eſſe primogenitum &c. ſiue de cætero dicat, ſum filius Regis franciæ, ſiue dicat; ſum generatus à Rege franciæ, quia ſemper certa, & indiuidua perſona determinatur.

16 Quod ſi contrahens velit conſentire in perſonam ſibi præſentem, quæcumque illa ſit, valet matrimonium; quamuis errat falsò putans illum eſſe filium Regis &c. quia iam mens eius eſt contrahere cum perſona aſtante, quæcumque illa ſit.

17 Similiter ſi perſona per qualitatem deſignata ſit prius ante notitiam talis qualitatis cognita, non ex ſola fama, vel auditu contrahenti; tunc validum erit matrimonium; nam hic error erit tantum circa qualitatem v. g. Maria optimè cognoſcebat Petrum, cui nubit, exiſtimat tamen falsò eſſe filium Regis Hiſpanię primogenitum: quia cum iam perſona ſit cognita contrahenti, tunc qualitas, quæ de nouo apprehenitur v. g. quod ſit filius Regis non trahit illum ad nouam notitiam; ſed ad nouũ cõceptum ſolius qualitatis, & ſic error erit circa ſolam qualitatem. ſic expreſſè videtur tenere Veracruz. 1. *p. ſpec. a.* 28. *fin.*

18 Si offeratur alicui filia Petri v. g. vt cum ea contrahat matrimonium, & deſignentur aliqua nota v. g. Maria, aut ſub nomine primogenitæ, tunc etiamſi volenti inſpicere eius pulchritudinem per ſe, aut per tertiam perſonam, oſtendatur alia fęmina (ſiue ſit ex filijs Petri, ſiue non) pulchrior; tũc non eſt error perſonæ, ſi ipſe eo errore ductus ducat filiam Petri ſibi oblatam: quia iam conſenſum dirigit in perſonam ſibi promiſſam à Pétro; ſi vero offeratur in vxorem quędam filia Petri abſque vlla nota, vel nomine proprio deſignata; tunc ſi volenti inſpicere pulchritudinem, oſtendatur aliqua filia Petri pulchra v. g. Antonia, & deinde alia detur, erit error perſonę; quia aſſenſus determinatur ad illam ſingularem perſonam per illam inſpectionem; ergo ſi Maria deinde tradetur ad hoc vt cum ea contrahat, erit error perſonę, at ſi in hoc caſu oſtendatur alia tertia perſona; quę non ſit filia Petri, erit error qualitatis; quia iam erat determinatus conſenſus in aliquam filiam Petri; ergo oſtenſa alia filia alterius, quę ſit pulchra non diſtrahitur conſenſus habitus ducendi filiam Petri; ſed tantum errat in pulchritudine putans eſſe pulchram.

19 Infertur ſecundo non eſſe errorem perſonę ſi quis ſit filius Regis francię; ſed mentiatur dicens eſſe vnigenitum, cum ille habeat alios filios; quia cum non erratur in filiatione, non erratur in perſona; at ſi dicat eſſe primogenitum cum ſit ſecundus, erit error perſonę; quia non eſt filius preſcriptus nomine primogeniti. Tandem aduerte ex ſolo nominis errore non vitiari matrimonium quando conſtat de perſona ita *l. in venditionem ff. de contrac. emp.* docẽt. Ant. *Cap. tua nu.* 15 *de ſponſ.* Lanello. *inſt. iur. cano. lib.* 2. *tit. de nuptijs* Gaet. *repet. c. ad limina quæſt.* 1. 30. §. 4. *num.* 324.

DISPVTATIO XIX.

An error conditionis ſeruilis dirimat matrimonium, & quo iure.

1 CErtiſſimum eſt apud omnes errorem conditionis ſeruilis, quãdo ſcilicet ſeruus contrahit cum libera ignorante eius ſeruitutem, vel contra; dirimere matrimonium contractum. ita definitum eſt *c.* 2. 3. *& fine de conuig.*

coniug. ſeruorum,& alibi: ratio talis impedimenti eſt, quia talis error aduerſatur bonis matrimonij, nam ſeruus poteſt à Domino in longinquas partes mitti, ad hoc vt ibi vendatur, & cogitur habitare in domo *Domini*; vnde non poteſt haberi bonum Indiuiduæ cohabitationis cum vxore; nec poteſt ad libitum reddere debitum, aut prolem educare, cum debeat ſatisfacere Domini præceptis, quibus occupatur, & quicquid lucri acquirit, illi dare.

2 Idem dicas ſi aliquis liber contrahat cum ancilla, quæ ſtatu libera eſt, cui ſcilicet Dominus conceſſit libertatem poſt aliquod tempus: nullum enim erit matrimonium cum tali errore contractum; quia tunc, quando contrahit, eſt verè error ſeruitutis; ſic etiam Ang. *mat.* 3. *imp.* 4. *nu.* 6. & Sylu. *matr.* 8. *qu.* 2. *dic.* 3. & ſi tempus, quod requiritur ad hoc vt acquiratur libertas, ſit modicum, quod eſt minus ſex menſium, vt dixi *lib.* 3. *diſp.* 23. erit validum tale matrimonium; quia ceſſant rationes, quibus Eccleſia conſtituit hoc impedimentum, non enim Dominus illam vendere poteſt, nec multum præiudicium eſt, quod non poſſit ad libitum copulæ vacare, quia parum eſt tempus, vnde pro nihilo reputatur vt dixi *lib.* 3. *diſp.* 8. nec dedecus contrahendi cum Ancilla officit, ſicuti nec officit dedecus contrahendi cum liberta: parum enim refert quod paulò ante fuerit facta libera, vel quod paulo poſt erit libera. & hæc ſententia viſa eſt valdè probabilis viris doctiſſimis; quamuis neminem viderim id ſcriptis aſſerentem ante Sanchez *hic num.* 4.

3 Quod ſi libertas iam fuerit legitimè præſcripta ante matrimonium, validum erit matrimonium contractum quia tunc verè erit matrimonium liberi cum libera; etiamſi alter contrahens ignoret ſeruitutem priſtinam alterius; contra vero etiamſi decennium ſit elapſum, ex quo coniux, qui fuerat ſeruus, poſitus ſit in libertatis poſſeſſione abſq; debitis requiſitis ad præſcriptionem; nec de ſeruitute mota ſit lis; adhuc tamen ſi quis ignorans hoc cum tali contraheret, nullum eſſet matrimonium pro foro conſcientiæ; quidquid ſit pro foro externo.

4 At ſi ſeruitus ignorata non ſit perpetua, ſed ſeruo concedatur libertas pro certo tempore vg. duobus annis, cum hac conditione, vt elapſis duobus annis, iterum incidat in ſeruitutem; ſi his duobus annis contrahat cum aliqua libera ignorante talem ſeruitutẽ, erit validum matrimonium; quia reuera eſt matrimonium contractum inter ambos coniuges liberos; ratio eſt, quia ille eſt verè liber, nec amplius poteſt redigi in ſeruitutem. nam libertas ſemel conceſſa nõ poteſt amplius reuocari, & eſt perpetua *l. libertas* 32. *& l. Ideo* 34. *ff. de manumiſſis teſtam. & d. & ſi ſine dolo* §. *quod Papinianus ff. de minoribus*; quamuis Sotus 4. *d.* 35. *q. vnic. ar.* 2. *col.* 4. Manuel. *t.* 1. *ſum. c.* 223. *n.* 3. 2. *edit.* Vega 2. *t. c.* 34. *caſu* 67. §. *nota que aunque*, ſentiant non valere matrimonium.

5 Hic aduerte caſu quo matrimoniũ ſit nullum ob ſeruitutem ignoratam, licere coniugi libero, poſtquã detecta eſt ſeruitus alterius, recedere à cõiuge ſeruo, negando illi debitum; & quoad torum propria auctoritate, & etiam quoad habitationem ceſſante ſcandalo; at ſi eſſet ſcandalum, tunc debet authoritate Iudicis diſſolui, vt fuſius *lib.* 10. *diſp.* 12. & coniux liber non debet probare ſe ignoraſſe ſeruitutem alterius; ſed ille, qui eſt ſeruus, debet probare alterum id ſciuiſſe. ratio eſt, quod in alieno facto præſumitur ignorantia. *Regula præſumitur ignorantia de reg. iur. in* 6. niſi communiter id ſciatur, nam præſumitur ſcientia eorum, quæ communiter innoteſcunt *c.* 1. *de poſt. prælat.* ita Abb. *c. fin. de coniug. ſeru. n.* 6. Alex. de Neuo *nu.* 5. Præp. *n.* 4.

6 Dico ſecundo ferè certum eſſe nõ dirimi matrimonium cõtractum per errorem cum libera, & ſeruo aſcriptitio, vel originario, ideſt cum eo, qui eſt perpetuo obligatus ad prædium colendum, & nunquam inde poteſt re-

recedere; ſed omnes annuos redditus, & ſumptus præter proprium victum, dominis prædiorum reddere debet, qui dicitur ſeruus aſcriptitius,& cum filio aſcriptitij ,qui dicitur ſeruus originarius, & ad certa opera tenetur,vt docet Abbas.*c.2.de Iudæis n.1,notab.1.* Ratio eſt; quia Eccleſia irritauit matrimonium contractum cum errore ſeruilis conditionis; ſed hi non ſunt verè ſerui;ſed liberi;vt docet Abb.*d.c.2.ver. item nota* & Gloſſa *v. ſint liberi.* ergo matrimonium cum his contractum non eſt irritum. ita Hoſt.*ſum. ti. de coniug. ſer.n.9.* Alber.*in dict.lit.l.v. impedimentum* 3. Io.Andr. *c. 2 de con. ſeru. n.3.* vbi Ant. *n.4.*Abb.*n.5.*Cardinal. *n.2.q.3.* Io.de Fiburg.*ſum. confeſ. lib.4.t.4.q.2.* Ant.Cucus *lib.5. inſt.maio. ti.12.n.55.*Lancell.*inſti.iuris Can.li. 2.tit. quæ matr.imp. poſſunt.* Cum Duran. 4.*d.*30. *q.1. nu.* 8. Palac.ibi *col.3. theol.*cõtra Palud.4.*d.*36.*q.*1.*a.2.n.*13.

7 Vnde patet matrimoniũ contractum cum liberta, quæ ſcilicet fuit antea ſerua , & nunc eſt libera , validum eſſe,etiam ſi ignorauerit contrahens talem ſeruitutem præteritam , quia tunc tempore contractus verè eſt libera. ita multi ex DD. cit. cum Enriquez,Viuald.Lup.Lop.& Vega Theologis apud San.*n.*10. nunc

Quæritur *Quo iure error conditionis ſeruilis irritet matrimonium.*

8 Reſpondeo probabilius eſt matrimonium contractum cum errore ſeruitutis,ſolo iure Eccleſiaſtico irritum eſſe; eſt tamen hæc irritatio valde cõſona iuri naturæ: quare matrimoniũ inter Infideles cum errore ſeruitutis erit validum , cum apud eos non ſit prohibitio Eccleſiæ , Ratio eſt,quia ſeruitus non impedit abſolutè vſum liberi matrimonij; ſed tantum certis temporibus , quando Dominus iuſtè occupat ſeruum ; ſed hoc non aduerſatur ſubſtantię matrimonij;quia matrimonium ſolum requirit abſolutam traditionem poteſtatis in corpus cõiugum , & obligationem ad reddendũ debitum , quando non eſt legitimum impedimentum . ita docent Aſtens. *ſum.2.p.l.8.ti.15.ar.1.q.1.* Gaet. *repet. c.ad limina* 30.*q.*1.§.4.*n.*322. Monald. *ſum. vbi de imp.matr.*Io.de Fiburg. *l.c.* Alex.de Neuo *d.c.2. n.9.*vbi Præp.*n.4. q.*1.Henric.*n.*5.& exTheol. D.Thom. 4.*d.*36.*q.*1.*ar.*1.*ad* 3. vbi D.Bonau. *q.* 2.Duran.*q.*1.Enriq.*li.*11. *de mat.c.*10. *n.*3.Vega 2.*t.ſum.c.*34.*caſu* 117.Quãd. 4.*d.*30.*q.*1.*prop.*3. Sotus *d.*35. *q.vnic. ar.*2. peccabit tamẽ mortaliter cõiux ſeruus decipiens alterum, quia in re grauiſſima notabilem irrogat iniuriã.

9 Contraria tamen ſententia eſt valdè probabilis , quia hic error comparatur à D.Thoma 4.*d.*30.*q.*1. *a.*1.*in corp.* errori perſonæ,& ratio eſt,quia ſubſtantia matrimonij includit perſonas,&mutuam corporum traditionẽ. error circa perſonam, & circa conditionem ſeruilem,quę impedit corporum traditionem,aduerſatur ſubſtantiæ matrimonij.ſic Sylu.*matrim.6.q.*1. *ver.error perſonæ, & condit.* Almay. 4. *d.*36. *quæſt.* 1.*fin.* Palacios *diſtinct.*30. *quæſtione vnica col.*5. vnde retenta hac ſententia matrimonium ab Infidelibus contractum cum hoc errore, erit nullum.Contra vero in noſtra ſententia valet ex Veracruz. 1.*p.ſpec.ar.*29. *concl.*2.Enriq. *com.l.N.loc.cit.*

10 Cæterum iure naturæ valet matrimonium contractum cum ſeruis , vel cum ſeruo , & libera, vel liberæ cum ſeruo,quando ſcitur eorum ſeruitus. ita definitur *c.2.de coniug ſeruor. & c. ſi quis liber*,quod eſt ZachariæPapæ 29.*q.*2.quia ſeruus nullo pacto apponit conditionem nec tacitè,nec expreſsè,vt nõ teneatur cohabitare, aut debitum reddere , niſi Domino volente; ſed tantum ex natura ſeruitutis ſupponitur ſeruum non teneri reddere debitum,quando ex iuſta cauſa impeditur à Domino, quod non eſt contra eſſentiam matrimonij; nec vllam culpam committit ille, qui ſciens ſeruitutẽ alterius, tamen contrahit, quia nullo Iure id prohibetur;ſolum.n.efficitur infamis,& per hoc fit etiam irregularis; quamuis Ancilla ſit Virgo. ſic Laurentius,& Hugo. *cap.ſi quis viduã diſ.* 34. vbi Archid. Domin. *fine.* Turrecr.

recr. *n. vnic.* D.Ant. 3. *par. t.* 28 *c.* 3. *ver.* 7. Maiol. *lib.* 3. *de irreg. c.* 1. *nu.* 5. Nauar. *ſum. c.* 27. *n.* 196. excipe tamen in eo caſu, in quo Ancilla per ipſum matrimonium fieret libera; aut quando contrahens ignorat ſeruitutem, aut quoties matrimonium cum Ancilla contractum eſſet nullum; quia tunc non efficitur vilis effectu non ſequuto, & per conſequens nec irregularis. Non tamen requiritur conſumatum eſſe matrimonium.

QVAERES I.

Si ignorantia ſeruitutis ſit craſſiſſima, ac leuiſſima, vt ſi facillimè id potuerit ſciri, & notabilis ignorantia fuerit illud neſcire, quod v.g. erat veluti publicum. num in tali caſu matrimoniũ ſit nullũ.

11 REſpondeo eſſe nullum, quia ad hoc vt matrimonium liberi cũ ſerua, vel ſeruæ cum libero valeat, deſideratur, vt liber eligat omnino talem perſonam cum ea conditione ſeruili, & per hoc liberè cedat ſuo iuri, quæ ceſſio eſt quædam donatio proprij iuris, quod habet non contrahendi cum Ancilla; ſed donatio irrita eſt ex errore fatuo, & craſſiſſimo; ergo etiam erit irrita illa ceſſio iuris in matrimonio, quamuis ſit ex errore fatuo, & craſſiſſimo. Adde quod ſicuti Iure naturæ eſt irritum matrimonium cũ errore perſonæ etiam fatuo, & craſſiſſimo contractum. ita erit irritum, & iure Eccleſiaſtico contractum cum errore ſeruitutis, etiam ſi talis error ſit craſſiſſimus. ſunt pro hac ſententia Abb. Ale. de Neuo, & Præp. *cap.* 2. *de coniug. ſeruo.*

Contrarium tamen eſt valde probabile, vt ſcilicet valeat matrimoniũ contractum cũ errore ſeruitutis craſſiſſimo, quia in hoc caſu leuiſſima eſt iniuria illata coniugi libero; qua Eccleſia irritauit hoc matrimouium. ſic Sotus 4. *d.* 35. *q.* 1. *ar.* 2. *poſt* 2. *concl.* Bar. à Ledeſm. *dub.* 31. *de mat. col.* 1. *in* 1. *limit.* Manuel. 1. *t. ſum.* 2. *edit. c.* 223. *num.* 3.

QVAERES II.

An quicumque error Conditionis irritet matrimonium, quamuis ſit error conditionis æqualis, aut dignioris, vt ſi liber contrahat cum libera, quam ipſe putabat per errorem eſſe Ancillam; vel ſi ſeruus putabat contrahere cum Ancilla, inuenit tamen liberam, in quo caſu hic error eſt conditionis dignioris, vel ſi ſeruus contrahat cum Ancilla, quam putabat eſſe liberam, quo caſu eſt error æqualis conditionis; nam inuenit Ancillam ſibi æqualem in conditione ſeruili.

12 REſpondeo certiſſimum eſſe non reddi irritum matrimonium per dictum errorem cõditionis equalis, vel dignioris; ſed ſolum quando error conditionis facit conditionem errantis deteriorem; quare ſolum eſt irritum matrimonium quãdo liber errat putando alterum coniugem eſſe liberum, & inuenit ſeruum: Ratio eſt quia hoc impedimentum eſt poſitum à ſolo Iure Eccleſiaſtico, vt dictum eſt *n.* 8. quod ſolum irritauit matrimonium in eo caſu, quando liber errat putans alterum Coniugem eſſe liberum, & inuenit ſeruum, vt patet ex *cap.* 2. *&* 3. *de coniug. ſeruor. & c. ſi quis ingenuus* 29. *q.* 2. ita etiam tradunt Goffr. *ſum. tit. de coniug. ſer. n.* 6. vbi Hoſt. *n.* 9. Nauarr. *ſu. c.* 22. *nu.* 33. Gaet. *rep. c. ad lim.* 30. *q.* 1 §. 4. *nu.* 331. Matienzo *lib.* 5. *rec. t* 1. *rubr. gl.* 1. *n.* 156. Vitalis de Cambonis *de clauſulis clauſ. non errore* §. *oſtenſo de errore iudicij n.* 5. Greg. Lop. *v. como el miſmo* Ant. Abb. Anch. Præp. & alij *d. c.* 2. cum D. Bonau. Durand. Riccar. Scoto. D. Ant. Petro Soto apud San. *n.* 23. D. Th. 4. *d.* 36. *q. vni. a.* 1. *ad* 1. vbi Nicolaus de orbel. Baſſolis *a.* 3. Nicolaº de Niſſa 4. *tra.* 6. *p.* 3. *de mat. q.* 6. *con.* 7

13 Intellige tamen quod diximus non eſſe irritũ matrimoniũ ſi ſeruus contrahat cũ libera; quã putabat eſſe Ancillam, caſu quo illa libera ſciret conditionem ſeruilem ſerui; nam ſi ignoret, erit nullum matrimoniũ ex eo, quod ipſa libera contrahit cum ſeruo, quem putabat eſſe liberum.

14 Petes *An iniens matrimonium cum ancilla cum errore conditionis censeatur ratificare matrimonium si copulam habeat cum eadem manumissa, casu quo nesciat manumissionem.*

Respondeo non censeri ratificare. vnde de hac re, & de alijs quæ circa hæc quæri possunt *l.2.dis.36.37.43. & l.1.dis.65.& lib.4.dis.15.per totam.*

DISPVTATIO XX.

Quando Ancilla, vel seruus libertatem consequantur ex matrimonio inito permissu Domini: & an tunc id sit validũ nesciente altero coniuge conditionem.

1 DIco primo, si Dominus Ancillam vel seruum cõiungit matrimonio cum persona libera siue per se, siue per alium, vt si dicat clerico coniunge Ancillam meam cum Antonio libero, nec detegit seruitutem, etiam si id non faciat dolo, sed ex ignorantia, vel negligentia, eo ipso Ancilla vel seruus fit liber; nec requiritur sententia Iudicis, cum non fiat in pœnam Domini; sed in fauorem matrimonij. Habentur hæc omnia *in auth. ad hoc c. de latina libertate* ibi (*qui suam Ancillam credenti tradidit in matrimonium, tanquam liberam siue concesserit dotale instrumentum, siue non, aut sciens eam duci, tacuit ex studio, dominium eius amittit, eaque ad ingenuitatem rapitur.* ratio est quia Dominus consentiens in matrimonium serui cum libera persona, tacens seruitutem; eo ipso censetur dare libertatem, sine qua matrimonium esse nequit.

2 Vnde patet quod si Dominus non collocet ancillam vel seruum cum libera persona, sed conscius de matrimonio contracto taceat seruitutem dolo; seruus tamen, vel ancilla contrahens eo ipso libertatem consequetur, nec requiritur Iudicis sententia, quia *Auth. de Nuptijs §. si vero decretum sit* dicit (*priuamus Dominum ita malignè cogitantem, & ille quidem cadat Dominio*) quæ verba sunt latæ sententiæ, non ferendæ per Iudicem; quod vero requiratur in Domino dolus probatur *ex d. Auth. ad hoc*, vbi id expressè ponitur per illa verba (*aut sciens eam duci tacuit ex studio*) nam hoc verbum studiosè facere, quando agitur de delictis, significat dolosè, & fraudulenter facere, vt docet Baldus *l.1.§. huius studij n.6.q.1.ff. de iust.& iur.* Felin. *c. præterea de test. cogen. n.* 3. & alij: quare si Dominus taceat ex ignorantia Crassissima facti, vel iuris, seruus vel Ancilla non consequetur libertatem; quia vbi dolus requiritur, nulla sufficit ignorantia Iuris, vel facti, vt dicam *lib.9 disp.32.* atque ita docent amitti dominium serui Domino tacente, & sciente matrimonium. Couarr. *4.decr.2.p.c.3.§.7. n.1.* Valasc. *de iure emphyt.q.37.n.4.* Molin. *t.1.de iust.tract.2.dis.39.§. septimas est* Enriq. *lib.11.de matr.c.10.nu.4.ver.* 5. Bart. a Ledes. *de matr. dub.31. concl.* 6. Palacios *4.d.30. disp.1. col.12.* Glos. *c. si quis ingenuus ver. faciat il.2.29. q.* 2. Host. *sum. de coniug. seru. nu.* 3. vbi Goffred. *n.1.* Contra Palud. *4. d. 36.q. 2.ar.1.con.2.* Veracruz *1.par.spec.ar.30 §.dubitatur adhuc.*

3 Dico secundo, si vterq; contrahens est seruus, vel si alter liber sciat seruitutem, tũc Dominus non amittit Dominiũ, nec seruus, vel Ancilla per matrimonium fiunt liberi, siue Dominus eos collocet, siue sciat matrimonium, & taceat, quia prædicti textus expressè loquuntur quando liber, cum quo cõtrahitur, ignorabat seruitutẽ. sic Couarr. Valascus, Veracrux, & Alij *sup.cit.*

4 At si Dominus tradat in coniugem Ancillam libero scienti seruitutem, & conficiat ipsi ancillæ instrumentũ dotis: eo ipso illa efficitur libera, constat *ex l.vnica §.sed & si quis homini c.de lat. lib.* & quamuis non exprimatur hoc vt tradat libero scienti seruitutem; tamen ita debet necessario intelligi, ne hoc additum de instrumẽto sit superfluum; quia casu quo liber ignorat seruitutem; acquiritur libertas etiam si non fiat instrumentum dotis, vt patet *ex tex.n.1.allegato.* Sic Glossa. *d.l.vnica* & Mol. *loc. cit.* & Abb. *c. illud de præsumpt.n.11.*

Ad-

5 Aduerte tamen primo hanc diſpoſitionem,vt perſona ſerua fiat libera, quando Dominus eam tradit collocandam matrimonio cum libero, & conficit inſtrumentũ, non procedere niſi quando Ancilla traditur,nam ſi ſit ſeruus,id non eueniet, etiam ſi fiat inſtrumẽtum;quia tex. loquitur ſolũ de Ancilla : ſed Abb. voluit vt etiam ſeruus libertatem in eo caſu conſequatur,ſiue fiat dotis inſtrumentum, ſiue donatio propter nuptias. Nec eſt verum quod vult Henriquez *lib.* 11. *c.* 4. *nu.* 5. ſcilicet Ancillam fieri manumiſſam ſi ſeruus, præſente Domino, & tacente,dotalia inſtrumenta conficiat Ancillæ; quia tex. loquitur tantum quando Dominus cõficit inſtrumẽtũ.

6 Aduerte ſecundo ea, quæ huc vſq; diximus, non habere locum in ſeruis aſcriptitijs,vel originarijs,quia illi non ſunt verè ſerui;vnde non militat idem fauor matrimonij, qui militat in coniugio ſeruorum;nam ſtante adhuc ſeruitute aſcriptitij, matrimoniũ eſt validum. ſic etiam Salicetus *auth. ad hoc. n. vlt. C. de lat. libe.* contra Velaſcum volentem ea dicta ad hos extendi. *de iur. emph. q.* 37. *n.* 4.

Petes *An ſi Dominus ducat Ancillam ſuam in vxorem,illa fiat eo ipſo libera.*

7 Reſpondeo de iure cõmuni remanere Ancillam,quia nullus textus reperitur id decidens; attento tamẽ iure Regni Hiſpaniæ, Ancilla ducta in vxorem à Domino eo ipſo efficitur libera. ita diſponitur expreſsè *l.* 1. *c.* 13. *p.* 4. ex quo textu etiam cõlligitur filios conceptos ante matrimonium ex ipſo Domino cum Ancilla, fieri liberos poſt matrimonium; etiam ſi ſpurij ſint;nimirum ſi concepti fuerint tempore,quo Dominus habebat vxorem, vel Ancilla maritum. Non .n. eſt credendum patrem voluiſſe facere Ancillam liberam ipſam ducens in vxorẽ,& filios proprios manere ſeruos. Adde quod ſufficit vt Dominus manumittat matrem adhoc vt filij, quos habuit ex ea, cenſeantur manumiſſi. vt docent etiam Couarr. 4. *decret.* 2. *p. c.* 3. §. 7. *n.* 1. citans Fulgoſi. & Molin. *t.* 1. *de iuſt. trac.* 2. *dif.* 39. §. *ſenſus eſt caſus.* ad alterã partem initio diſputationis propoſitam.

8 An quando ſeruus,vel Ancilla ineũt matrimonium cum perſona libera, & ex hoc ipſo conſequuntur libertatem ſecundum ea,quæ huc vſque dicta ſunt illud matrimonium ſit nullum, ex eo quod coniux liber ignorabat ſtatum alterius?

Reſpondeo eſſe validum tale matrimonium,quia cum eodem momento, quo matrimonium perficitur,coniux ſeruus maneat liber; ſeruitus non officit matrimonio,cum nulla afferat incommoda bonis illius, ob quæ ius Eccleſiaſticum irritauit matrimonium contractum cum errore ſeruitutis. Habetur etiam expreſsè *in Auth. de Nuptijs* §. *ſi vero decretum verſ. hoc autem decernimus*, vbi dicitur eos ſeruos conſequi libertatem,& matrimonium valere. ita etiam docent Gofred. *ca. fin. de coni. ſeru.* vbi Io. And. *fin.* Anch. Card. *ad fin.* Ant. *n.* 10. Aſtenſis *ſum.* 5. *p. lib.* 8. *t.* 15. *a.* 2. *q.* 3. Sotus 4. *d.* 35. *q. vn. ar.* 2. *col.* 3. *ver. ex his colligitur* Ledeſma Emm. sà, Enriquez, Barth. à Ledeſma, & alijs quos refert Sanch. *num.* 14.

* In hac diſputatione contra id,quod diximus *n.* 7. ex Sancio,nimirũ ſi Dominus Ancillam ducat in vxorem, eã de iure communi remanere ſeruam, quia nullus eſt textus id decidens; Inſurgit Pontius his verbis (*ego exiſtimo id,(nimirum ancillam fieri liberam)ex ipſo iure naturali, ac proinde locum habere iure communi, cum de eo nulla ſit diſpoſitio,in quo non rectè Thomas Sanchez.itaque ſi probauero iure naturali libertatem conſequi Ancillam, eo ipſo quod patronus ducit,illam in vxorẽ, probatum manebit, idem dicendum eſſe de iure communi, cum nulla eius extat in oppoſitum diſpoſitio*) hæc Pontius *lib.* 7. *cap.* 44. *nu.* 5. Proſequitur deindè & totus eſt in probando antecedenti tribus argumentis, quæ,an ſolida ſint,lector videat, nam probato hoc antecedenti, nimirum id competit iure naturali, putat neceſſariò inferri hanc conſequentiam; ergo etiam de iure com-

communi ciuili, ſed ego ſanè non modo neceſſariam; ſed neque aptam puto ex illo antecedenti inferri poſſe conſequentiam. quare fruſtra Pontius laborat in probando antecedenti, eo enim admiſſo, negabo conſequentiã. quod ſic oſtendo; ſi hæc doctrina Põtij, & modus argumẽtandi valeret, corrueret celebris doctrina in materia de contractibus ab omnibus Doctoribus admiſſa; hoc non eſt dicendum: ergo. Doctrina autem communis hæc eſt. Triplicis generis eſſe obligationes, nimirum naturales tantum, vt eſt obligatio inter patrem, & filium f. inter fratres exiſtentes in patria poteſtate, & ſimiles. de quibus paſſim Doctores, quæ ſcilicet à ſolo iure naturali tantũ proficiſcuntur, & à lege ciuili nec approbatæ, nec reprobatæ ſunt. ciuiles tantum, quę ſolum à iure ciuili oriuntur, vt eſt quando quis ſpe futuræ numerationis confitetur ſe accepiſſe pecuniam mutuam, in hoc enim caſu tãtum obligatur ad ſoluẽdum ciuiliter intra duos annos. Denique mixtæ à lege naturali inductæ, & à lege ciuili approbatæ, ita *l. fideiuſſor obligari* 16. §. *fideiuſſor. l. ex hoc iure.* vbi Doctores *v. obligat ff. de iuſt. & iure* & paſſim omnes ſcribentes *inſt. tit. de obligat.* vt videre eſt apud Oinotomum *loco citato n.* 25. Coraſium *in l. frater a fratre. de cond. indebiti.*

At ſi modus argumentandi Pontij valeret, non eſſent niſi duo genera obligationis, nempè ciuilis tantum, quæ ſolum oritur ex l. ciuili. & mixta quæ oritur ex iure naturali, & gentiũ, & à lege ciuili approbatur. vnde corrueret doctrina communis Iuriſtarũ, & à Theologis recepta. Subſumptum ſic probo. Per Pontium valet hic modus argumentandi; obligatio hæc vg. orta inter patrem, & filium f. oritur iure naturali, & ius commune illam non reprobat: ergo etiam eſt de iure ciuili: tum ſic, hæc obligatio eſt etiam de iure ciuili; ergo non eſt naturalis tantum; antecedens eſt ipſius Pontij, vult enim quod quando eſt aliquid de iure naturali, & ius ciuile non reſiſtit ſit etiam de iure communi. conſequẽtia patet ex terminis, ſed omnes Doctores hanc obligationem, nimirũ quãdo oritur ex iure naturali, & à lege ciuili non reprobatur, numerant inter naturales tantũ, ergo non datur obligatio naturalis tantum poſito modo argumentandi iſtius auctoris, quod erat probandum.

Ad hoc argumentum fortè reſpondebit Pontius illam eſſe meram obligationem naturalem, cui ius ciuile reſiſtit. Sed præter quam quod hæc reſponſio eſt contra cõmunem Doctorũ placitũ, vt vidimus, qui tunc dicũt obligationem eſſe naturalem tantum quando ius ciuile neque reſiſtit, neq; aſſiſtit, adhuc contra illam reclamant plura iura, & Doctores communiter, nam quoties alicui contractui ius reſiſtit, non ſolum non oritur obligatio ciuilis, ſed neque naturalis. ita habetur expreſſe *l. non dubium C. de leg.* ibi (*nullum pactum, nullam conuentionem, nullum contractum inter eos volumus ſubſequutum, qui contrahunt lege contrahere prohibente*) &l. cum lex. 47. ff. de fideiuſſoribus, & mandat. (*cum lex venditionibus occurrere voluerit fideiuſſor quoque liberatur*) ex quo textu colligitur, quod cum lex venditioni reſiſtit nulla nec naturalis, nec ciuilis contrahitur obligatio; nam ſi ſolum contraheretur naturalis, fideiuſſor non liberaretur; ſed teneretur ciuiliter *l. quid nu.* 8. *& l. fideiuſſor* 17. *ff. de fideiuſſ.* & ita docẽt Gloſſ. *d. l. cum lex v. cum lex* Bart. *l. d. n.* 4. *& l.* 1. *nu.* 4. *ff. de nouer.* Angelus §. *pupillus nu.* 3. *in tit. de inutilibus ſtipul.* Sylu. *v. obligatio q.* 4. Angelus *n.* 10. Tabiena *quæſtione* 5. *nu.* 6. Couar. *de pactis* 2. *par.* §. 4. *num.* 6. *verſu tertio, & verſu quinto* Seraphinus *de priuileg. iuram. priuileg.* 57. *num.* 5. Spino *ſpecul. teſt. gloſſ.* 15. *principali nu.* 50 Azebeo *lib.* 5. *recep. t.* 1. *l.* 1. *num.* 24. vbi alios plures reperies.

Sed placet hic Pontium conſulere an ſi quis defraudauit venditorem in pretio non vltra dimidium, vg. res valebat centum, & ipſe emit octuaginta, teneatur reſtituere viginti, & quo iure?

re? certè ſi dicat hunc non teneri reſtituere cum Dura. ordinis minorum vt refert D. Ant. 2.*par.tit.* 1.*cap.* 16. §. *vltimo* impugnabitur à communi omnium Theologorum, & Iuriſtarum ſententia aſſerentium hunc teneri reſtituere. hi ſunt D. Thom. 2.2.*qu.* 77. *art.* 1. Caet.*in opuſc.* 17.*reſpon.c.* 12.*dub.* 3. Sotus *qu. de iuſt.t* 2. *diſ.* 350. & alij multi, quos citant Couarr .2. *var.reſ. c.* 4.*nu.* 11. Nauar.*c.* 23. *manuel.à n.* 77. Si verò reſpondeat cum communi, & vera ſententia iuxta D. Paulum 1. *ad Teſſ.* 4. & Aug. 13. *de Trin.cap.* 3. hunc teneri reſtituere, peto quo iure, dicat iure naturali, inferam ego ex ipſius ſententia; ergo etiam de iure ciuili; nam per ipſum id, quod eſt iure naturali, ſi ius ciuile nihil in contrarium diſponit, eſt etiam de iure ciuili; cum ergo ius ciuile nihil diſponat in contrarium in hoc caſu, dicendum eſt hunc, qui emit rem minori pretio, teneri reſtituere id, quod deficit ex iuſto pretio, etiamſi non ſit vltra dimidium etiam de iure ciuili; quod autem hoc aſſerere ſit abſurdum: probatur quia ſi hic teneretur de iure ciuili reſtituere id, quod deeſt à iuſto pretio, etiam ſi non ſit vltra dimidiũ, daretur contra ipſum actio in foro externo; nam ex omni obligatione de iure ciuili oritur actio, vt tradũt Doctores poſt Gloſſ. *v.ius inſtit.de actionibus* & ibi Oinotomus, & eſt communis; ſed contra hunc non datur actio; ergo neque hic obligatur iure ciuili, ſed tantum iure naturali, cuius obligatio, vt docet Baldus *l.iuris gentium ff. de pactis*, eſt ſterilis, & non parit actionem ſine aſſiſtentia legis ciuilis: probanda mihi nunc reſtat minor hęc vltima, nimirum quod contra eum, qui rem emit minori pretio, quam res valeret, non detur actio, quando non eſt læſio vltra medietatem. Sed eſt adeò clara, vt pudeat me illam probare, ſatis erit Molinam afferre *tract.*2.*diſp.*350.*n.* 1. vbi hæc habet circa diſputationem propoſitam (nimirum an poſſit aliquid vẽdi maiori pretio quam valeat, quando non eſt vltra dimidium iuſti pretij) *conueniunt Doctores quando dolus in contractu non interuenit in exteriori foro tam ſæculari, quam Eccleſiaſtico nõ dari actionem iuxta iura canonica, & ciuilia diſp. præcedenti citata, quæ ſolum illam concedunt quando læſio eſt vltra, aut infra dimidiũ iuſti pretij.*) Hæc Molina. iura autem citata ab ipſo, & ab alijs in hac re ſunt *l.*2 *de reſcind.vend. & cap.cum dilecti.& cap.cum cauſa de empt.& vendit.* in quibus ſolum conceditur actio, quando venditio facta eſt vltra dimidium iuſti pretij; nec vllam faciunt mentionem, quando eſt emptio facta minori pretio, quam res valeat. vnde omnes Doctores tam Theologi, quam Iuriſperiti conſentiunt non dari contra talem emptorem minori pretio actionem ciuilem, quando non eſt infra dimidium.

Sexcenta poſſem huius rei afferre exempla, ſed ſatis hæc ſint dixiſſe, ne propoſitam breuitatem tranſgrediar; præſertim cum ex ijs, ni fallor, cogatur Pontius velit nolit, aſſerere, non idem eſſe: hoc eſt de iure naturali, nec in iure ciuili contrarium decernitur; ergo etiam eſt de iure communi; ſtat enim, vt vidimus, aliquid eſſe de iure naturali, non tamen de iure ciuili, etiam quando ius ciuile nil contra ſtatuit. Quod ſanè optimè vidit Hurtadus noſter Pontio valdè familiaris, qui *diſput.* 14. *difficult.* 4. hæc habet (*& ſi iure Caſtellæ l.* 1. *tit.* 13. *p.* 4. *Ancilla eo ipſo quod ducitur à Domino fiat libera, non tamen iure communi ciuili, quia nullus eſt textus in quo exprimatur, neq; ex quo deducatur; eſt tamen difficultas an ex vi matrimonij ſeù iure naturali ipſius matrimonij, mancipium contrahens cum Domino, aut cum Domina conſequatur libertatem*) Hæc Hurt. vbi ipſe ſequitur, & citat Pontium tenendo, quod libertas competat de iure naturali. vnde vides non eſſe adeò neceſſariam conſequentiam, vt Pontius putauit. nempè competit libertas de iure naturali; ergo etiam de iure ciuili, nam, vt ex Hurtad. habes, conceditur eſſe de iure na-

re naturali ipſius matrimonij, & ipſe Hurtadus concedit; negatur tamen conſequentia, quam ipſe Hurt. etiam negat, nimirum eſſe de iure communi ciuili. Rectè igitur Sancius docuit de iure communi non competere libertatem Ancillæ, quę à proprio Domino vxor ducitur, quia nullus textus id aſſerit; quidquid ſit, an de iure naturali, & ex natura ipſius matrimonij id competat, quod nec Sancius controuertit, nec ego hic in præſentia curo, ſatis enim fuit oſtendiſſe immeritò in hac re reprehendi noſtrum auctorem à Pontio.

DISPVTATIO XXI.

An ſerui poſſint licitè contrahere matrimonium inuitis Dominis, & an ſit peccatum illos impedire.

1 DIco primo, poſſe ſeruos licite, & abſque peccato matrimonium contrahere contra Domini voluntatem. eſt communis ſententia, & conſtat *ex cap. 1. de coniug. ſeruor.* ibi. (*Nec inter ſeruos debent matrimonia vllatenus impediri.*) ratio eſt, quia matrimoniũ conceſſum eſt iure Naturæ, & Diuino ad propagandam ſobolem, & in remedium contra concupiſcentiam, quod Ius iure gentium, quod ſeruitutem induxit, non poteſt auferri; quamuis valeat conſuetudo, vt libera nubens ſeruo fiat ancilla, quando ſciuit eius ſeruitutem. ſic Palud. 4. *d.* 36. *q.* 1. *ar.* 3. *concl.* 5. *n.* 21. vbi Supp. Gabr. *qu.* 1. *a.* 3. *dub.* 6.

2 Vnde patet reſponſio ad ſecundam partem quæſiti, ſcilicet, peccare Dominos impedientes matrimonium ſeruorum, & eſſe peccatum mortale, quia agitur de re graui, & quamuis poſſit Dominus minitari ſeruo ſubtractionem beneficij dicẽdo v.g. faciã, vt in poſterum occuperis in rebus vilioribus, & ne uiuas, aut induaris delicatè, vt hactenus conſueuiſti; quia ſicuti hæc beneficia gratis confert, ita poteſt, quando ipſi libet, auferre: tamen non poteſt minitari aliquod ſupplicium, vel damnum, nec poſtquã initum eſt matrimonium, poterit illum punire ex eo, quod illud contra ſuam voluntatem inierit; & ſi ſupplicium ſit graue, culpa erit mortalis; venialis vero ſi ſit leue ſupplicium, ratio eſt, quia ſeruus vſus eſt iure ſuo, & nullum delictum commiſit in hoc. ita etiam Petr. à Ledeſ. *q.* 52. *a.* 2. *de mat.* & Bart. a Led. *dub.* 31. *concl.* 4.

3 Poteſt tamen Dominus non conſentire in matrimonium ſerui nullum obſtaculum imponendo; immo antequam contraxerit ſponſalia, poterit Dominus ſciens mancipium tractare de ineũdo matrimonio, illum mittere in alium locum, vt ibi vendatur; quia hoc non eſt matrimonium directè impedire; ſed vti Iure ſuo, quod habet ſupra ſeruum, vendendi ſcilicet illum quandocunque voluerit, mittendi quò voluerit, & amouendi a ſe incommoda, quæ ob matrimonium ſerui obuenire poterunt, de quibus infra agemus; At ſi ſeruus fidem dederit, & ſponſalia contraxerit, tunc non poteſt Dominus illum mittere in alium locum vendendum; quia iam matrimonium eſt cæptum, & veluti in fieri, ergo non poteſt illud impedire, vt dictum eſt.

QVAERES

Vtri potius teneatur ſeruus ſatisfacere Domino, & an coniugi.

Reſpon. illi potius eſt ſatisfaciendum, cuius maior eſt neceſſitas attentis peculiaribus circumſtantijs hic, & nunc occurrentibus; vt ſi coniux petat debitum, & ſit periculum incontinentiæ, ſi differatur redditio, vel aliquod damnum ſaluti obueniat, & Dominus aliquid negotium præcipiat, quod ſi differatur poſt quam reddatur debitum coniugi, oritur damnum Domino, quod prudẽtum arbitrio minus putatur, quam damnum coniugis, tunc potius debet reddi debitum cõiugi petenti, quam negotium Domini perfici, & hoc communiter docent

DD.

DD. quos referam *nu.* 7. D.Thom.D. Bonau. Petrus Ledesma, Sotus cum Palud. Nauar. præsertim quando est periculum incontinentiæ in coniuge petente, tunc omnes volunt potius ipsi debitum esse reddendum, quam Domino præcipienti obediendum; nisi tamen Dominus esset expositus mortis periculo, ex inimico v. g. qui superueniat; tunc enim vult Hostiens. Domino esse obtemperandum. *cap.* 1. *de con. seru. n.* 11. vide Arboreum *l.* 11. *Theosoph. c.* 16. *dub.* 2. Montal. *l.* 2. *t.* 5. *p.* 4. vbi Greg. Lop. *v. de su señor vinto v. enemiga.* Palacios 4. *d.* 30. *dis. vn. col.* 10. *dub.* 6. Ludou. Lopez 2. *par. instr. de matr. c.* 47. vbi *de imped. condit.* Em. sà. *v. matr. de imped. dirim. nu.* 1.

5 At si cætera sint paria, nimirum æqualis sit necessitas Domini imperantis, ac coniugis petentis debitum; potius debet seruus coniugi satisfacere, quam Domino, siue Dominus consenserit matrimonio à seruo inito, siue contradixerit; nam ius coniugis, quod habet in corpus alterius est prius Iure, quod habet Dominus in seruum, illud enim habet originem ex iure naturali, Ius autem Domini est à Iure gentium, quod est posterius ipso Iure naturali; licet ius quoad translationem possessionis sit prius in Domino, quam in coniuge; prius enim fuit seruus, quam duxit vxorem, sed hoc non impedit; & idem dicas de petitione debiti; nam si cætera sint paria potest prius seruus petere debitũ quam exequi Domini mandatũ; habet enim ius antiquius ad moderatam petitionem debiti; quam sit ius Domini imperandi, vt dictum est.

6 Cæterum hæc, quæ diximus debent morali modo, & prudenti moderatione accipi; nam Ius matrimonij non aufert ius seruitutis, & obligationem præstandi debita obsequia Domino; vnde non erit in potestate coniugis ad libitum impedire præcepta Domini, crebra, & immoderata debiti petitione, & casu quo Dominus proficiscens vellet seruum, vel Ancillam secum ducere, vt ipsi ministret vel aliò mittere ad aliquod negotiũ exequendum, non potest coniux id impedire; quia lex matrimonij solum obligat ad solutionem debiti, quæ sit rationabilis & non obstet occupationibus.

7 Sunt tamen multi, qui putant quãdo equalis est necessitas in Domino ac in coniuge, seruum debere Domino potius satisfacere, quam coniugi, quando matrimonium ipso inuito est initum; at si fuit contractum de eius consensu volunt potius vxori, quam Domino satisfaciendum. ita D. Tho. 4. *d.* 36. *q. vnic. ar.* 2. *ad.* 3. vbi Bonau. *a.* 1. *q.* 1. *ad vltim.* Dur. *q.* 2. *num.* 4. Suppl. Gabr. *q.* 1. *a.* 3. *dub.* 3. *coroll.* 1. *ad* 2. Sotus *d.* 35. *q. vnic. a.* 1. *ad* 2. Ledesma 2. *p.* 4. *q.* 54. *ar.* 4. *col.* 2. cum alijs *n.* 4. relatis quos etiam sequuntur Abbas *c.* 1. *de coniug. seru. n.* 6 Ant. *num.* 10 Alex. de Neuo *nu.* 10. & alij. Ducuntur ex eo quod Ius, quod habet Dominus in seruum sit anterius Iure coniugis, & Dominus huic Iuri non cessit, quando ipso inuito contractum est matrimonium. Vnde non debet pati vt cõiux sibi præferatur: at quando consensit, cessit iuri suo. Goffredus vero, & Innocentius Iuristæ putant semper esse Domino obtemperandum. Hostiensis contra putat semper vxori prius satisfaciendum, etiam si Domino inuito sit initum matrimonium. *sum. tit. de coniug. ser. nu.* 4. cum Celaia 4. *d.* 36. *quæst.* 1. *dub.* 2.

DISPVTATIO XXII.

An possit Dominus mittere seruum coniugatum in partes longinquas vt ibi vendatur.

1 DIco primo potest Dominus siue consenserit matrimonio, siue non, vendere seruum in partibus remotis, quando vxor illius est libera, & commodè virum seruum sequi potest. ratio est, quia vxor, quando commodè potest, tenetur sequi virum, vnde non impeditur vinculum matrimonij ab ipso Domino, & si mulier nolit sequi, sibi imputàbitur hoc peccatũ,

non

non Domino, & ob eandem rationem poteſt vendere Ancillam ſeruam, quando vir eſt liber, & poteſt commodè ſequi; quia vir tenetur ſequi vxorem, quando ex cauſa neceſſaria proficiſcitur in partes longinquas vt *diſp. 41. lib. 1.* dixi.

2 Dico ſecundo ſi alter coniux eſt ſeruus, vel ſi eſt liber tamen non poteſt commodè ſequi coniugem vendendũ & matrimonium eſt initum conſenſu domini, peccat is contra Iuſtitiam vendens ſeruum in parte remota; ita vt matrimonio vti non poſſit: quia etiamſi dicamus poſſe dominum vendere ſeruum vbique, tamen poſito quod conſenſit matrimonio, ceſſit huic iuri. eſt communis ſententia Theol. & Canoniſtarum. quos referam infra.

3 In duplici tamen caſu poſſet dominus matrimonio conſentiens ſeruum diſtrahere à coniuge, illum vendendo in partibus remotis. primus eſt ſi ſeruus ſit malis moribus, ita vt non poſſit retineri abſque periculo propriæ vitæ, aut bonorum, nec inuenit emptorem in eo oppido, aut partibus vicinis; quia tunc potius debet culpæ ſerui, quam domini tribui. Secundus caſus eſt, quando valdè vrgens neceſſitas domino ſuperueniret, & non poſſet absq; magna iactura pretij ſeruum vendere in eodem loco vbi eſt; nam conſenſus domini, & ſerui ius in vſum matrimonij non extendetur ad hos caſus inopinatos. Adde etiam quod ſicuti Iudex poſſet in pœnam delicti ſeruum relegare, & ipſe ſeruus poſſet relinquere vxorem in caſu magnæ neceſſitatis, vt ſibi conſuleret, ita poteſt dominus illum vendere in prædictis caſibus.

4 *Dico* tertio etiamſi matrimonium ſerui ſit initum domino inuito, & dominus non compellatur aliqua graui neceſſitate, quæ præponderet ſerui incommodo, & periculo ſpirituali incontinentiæ in coniugibus, erit peccatum mortale, non ſolũ contra charitatem; ſed etiam contra iuſtitiam diſtrahere ſeruum in partes remotas, vbi non habet facultatem vtendi matrimonio, & tenebitur dominus eam iniuriam reſarcire, vel reemendo ſeruum venditum, vel emendo alterum coniugem relictum, vt transferat in locum, vbi eſt alter; nec tutus eſt in conſcientia ſi vnus remittit hanc iniuriam, debent enim eſſe ambo coniuges, quia ambo iniuriam patiuntur. ratio eſt, quia ſerui habent ius non ſolum cõtrahẽdi matrimoniũ dominis inuitis; ſed etiam illo vtendi; ergo dominus iniuſtitiam committit impediens talem vſum, ſicuti peccat contra iuſtitiam impediens matrimoniũ, nec excuſabitur talis vẽditio à peccato Iniuſtitiæ, ſi dominus non inueniat in eo oppido, in quo ipſe eſt, pretium iuſtum; ſed requiritur aliqua neceſſitas, quæ præponderet iuri ſerui, & damno, quod habet ex illa venditione, docent etiam eſſe contra Iuſtitiam *D.* Bonau. *4. d. 36. nu. 6.* vbi Ricar. *ar. 4. q. 2.* Sylu. *v. ſeruitus q. 7.* Petrus Ledeſ. *q. 52. a. 2. dub. 1.* cum quibus tenẽt poſitam concluſionem Sotus *4. d. 35. qu. vnic. a. 1. in ſolu. ad 2.* Bart. a Ledeſ. *de matrim. dub. 31. concl. 4.* Lud. Lopez *2. p. inſtr. vbi de matr. c. 47.* Hort. Io. Andr. Abbas, Anch. Alex. de Neuo, Præp. *C. 1. de coniug. ſeruor.*

5 *Dico* quarto ſi vterque coniux ſit ſeruus diuerſi domini v. g. Titius eſt ſeruus Franciſci, qui Panormi habitat, & Berta eſt ſerua Ioannis, qui habitat Meſſanę. tunc ſi Franciſcus velit emere Bertam, Ioannes debet cogi ab Eccleſia vt eam vendat, & contra cogẽdus eſt Franciſcus ad vendendum ſeruum, quando Ioãnes illum vellet emere, & ſi neuter ex illis vellet emere, cogendus eſt alter v. g. Franciſcus vt vendat ſeruum cuilibet habitanti Meſſanæ, vbi eſt Berta; & ſi nullus inuenitur emptor, emat Eccleſia argumento *ex C. fraternitatem d. 54.* ita Goffr. *ſum. de coniug. ſeru. nu. 3.* Henriq. *cap. fin. de coniug. ſeru.* Hugo quem ſequitur Turrecr. *C. fin. n. 32. qq. 2.* Suppl. piſan. *v. ſeruus 3. nu. 3.* addunt Hugo, & Turrecremata poſſe Eccleſiam cogere alium tertium habitantem Meſſa-

Meſſanæ, vel Panormi, vt emat alterum ſeruum coniugem, adhoc vt ipsi vniantur in eodem loco, & vacent vſui coniugali. Vide *l. reg. 2. tit. 5. p. 4.*

DISPVTATIO XXIII.

An matrimonio iam inito poſſit alter coniux ſe vẽdere in mancipiũ altero inuito.

1 REſpon. si maritus ſe vendat in mancipium vxore nolente, valet venditio de Iure communi, quia maritus non ſubditur vxori, nisi in ijs, quæ pertinent ad debiti redditionem, quæ per talem venditionem non minuuntur, poteſt enim vacare copulæ, & debitum reddere, vt ſupra dictum eſt. ita D. Tho. 4. *d.* 36. *q. vnic. ar.* 3. *corpore & ad* 1. Bonau. *nu.* 5 Duran. *q.* 1. *n.* 4. Hugo. *c. pen.* 29 *q.* 2. vbi Archid. Bellamera, Turrecr. *a.* 1. *nu.* 1. Celaia *q.* 1. *dub.* 1. *dij.* 36. *in* 4. Soto *d.* 35. *q. vni. ar.* 3. *concl. vnic.* Petrus de Ledeſ. *de matr. q.* 52. *a.* 3. *concl.* 1. Enriq. *lib.* 11. *de matrim. cap.* 10. *n.* 5. Aſtenſis. *ſum.* 2. *p. lib.* 8. *tit.* 15. *ar.* 3. *q.* 1. Palud. 4. *d.* 36. *qu.* 1. *ar.* 1. *concl.* 2. *n.* 18.

At attento iure, quod in Hiſpaniæ Regno ſeruatur, nulla eſt talis venditio; ſiue vir ſe vendat in fraudẽ matrimonij, eo animo ſcilicet vt non reddat debitum, ſiue non. ita Greg. Lop. *in l. reg. ſi. t.* 5. *p.* 4. nec vxor hanc venditionẽ retractans, pretiũ ſoluere tenetur. erit tamen peccatũ mortale talis venditio ſine iuſta cauſa ob dedecus, quod affert vxori, & familiæ, at non eſt contra iuſtitiam, quia vir vtitur iure ſuo. Sic etiam Sotus *ad* 1. *d. cit.*

2 Si vero vxor ſe vendat in Ancillam abſq; viri conſenſu, nulla eſt etiã de iure communi eius venditio, quia ipſa ſubditur marito tamquam capiti in ijs etiã, quę pertinent ad regimẽ domus, & familię. ſic D. Th. Sotus & Alij ex ſupra citatis, & peccabit contra Iuſtitiã, contra rationẽ capitis, quæ eſt in viro.

3 Non tamen eſſet iuſta cauſa diuortij talis venditio etiãſi facta ſit in fraudem matrimonij, vt videbimus *lib.* 10. eſt contra Henriq. & Petrum de Led. *l. c.* & dominus poteſt virum, qui ſe vẽdidit, mittere in alium locum vt ibi vendatur alteri, quando eius vxor poteſt illum commodè ſequi; quia Dominus acquirit totũ ius, quod ille, qui ſe vendidit, habebat: ſed ille habebat hoc ius mutandi domicilium ad ſuum libitum abſq; læſione Matrimonij, ergo etiam habet hoc ius dominus illũ mittẽdi in alium locũ, vt ibi vendatur.

4 Nec vxor conſentiens viri venditioni fit ſerua; ſed tantum ſibi prę iudicat vt prius exequatur præceptum domini; quam ipſi debitum reddatur, quando non eſt periculũ Incontinentię. ita Sot. *l. c. ad.* 1. Palud. *con.* 4. *n.* 20. Aſtens. *q.* 2. Tandẽ nota caſu quo alter coniux ſit captiuus; quia v. g. ab. hoſtibus capitur, non tenetur alter, qui remanet liber, illum ſequi; ſed omnẽ debet ponere diligentiam ad redimendum. ſic etiam Petrus de Ledeſma. *l. cit.*

DISPVTATIO XXIV.

An filij ſequãtur conditionẽ Patris, an potius Matris quoad ſeruitutẽ, & honores

1 DIco 1. quoad honores, & nobilitatẽ filius patris cõditionẽ ſequitur. habetur expreſſè *l. cum legitimè ff. de ſtatu hominum*; quamuis non ſit verè nobilis niſi tũ patrẽ, tũ matrẽ nobilem habeat; & de conſuetudine etiã naturalis filius ſequitur patris nobilitatem ſic Tiraq. *de nob. c.* 25. *n.* 10. Villalp. *l.* 22. *t.* 1. *p.* 7. vbi Greg. Lop. *v amiga.* Couar. 4. *decr.* 2. *p. c.* 8. §. 4. Tello *l* 11. *Tauri. n.* 2. Otalora *de nob.* 2. *p. c.* 2. *a. n.* 4. Poteſt tamen de conſuetudine induci vt filius ſequatur matris conditionẽ, & per ſtatutũ alicuius vniuerſitatis confirmatũ à Principe. ita Decius *l. fœminæ n.* 68. *ff. de reg. iuris* Tiraq. *c.* 18. *n.* 24. *vbi nu.* 18. adducit aliquos oppoſitum ſentiẽtes.

2 Immo quãuis filius naturalis natus ex Ancilla, & viro nobili dũ eſt in ſeruitute non ſit nobilis; tamen ſi fiat liber matre manumiſſa, vel alia via, ſequitur quoad nobilitatem patris conditionẽ; quia nobilitas eſt quoddã ius ſanguinis incõmutabile: at iura ſanguinis nullo Iure ciuili dirimi, poſſunt

reg. iura jang. ff. de reg. Iur. ergo quamuis Ius ciuile potuit impedire Nobilitatẽ filij durante ſeruitute, non potuit omnino illam dirimere, ac facere, vt non ſequatur adepta iam libertate.

3 Dico ſecundo quoad ſeruitutem filij ſequuntur conditionem matris, ita vt ſi mater ſit ſerua, filij ſerui naſcantur, ſiue pater ſit liber, ſiue nobilis, ſiue ſint nati ex legitimo matrimonio, siue ſputij, vnde si quis habeat Ancillam, & filium generet, erit talis filius ſuus ſeruus; habetur *C. fin. de ſeruis, non ordin. l. parum. 7. C. de rei vendicat. ex l. 2. C. ſi mancipium ita fuerit alienarum, & l. & ſeruor. 5. ff. de ſtatu hominum.* Vide Padillam *l. naturalis n. 5. ff. de præſcriptis verbis.* quidquid dicant Præp. Guillelm. Naſo & Ant. volentes filios ex eo matrimonio conceptos ſequi cõditionem patris quoad libertatem apud Sanch. *hic n. 8.* ſed noſtra ſentẽtia eſt veriſſima, & ſequitur Abbas Hoſtiens. Alex. de Neuo *d. C. fin.* Sotus 4. *d. 35. q. vnic. ar. 4.*

Valet tamen conſuetudo ſi alicubi eſt legitimè præſcripta vt filij quoad ſeruitutẽ patris cõditionem ſequãtur, vel tũ patris tũ matris, vt non ſit ſeruus, niſi pater, & mater ſint mancipia, nam cum ex Iure humano hæc inducta ſint, poteſt præualere conſuetudo. sic multi Iuriſtæ, vt Ioan. Andr. Ant. *d. c. fin.* Alexander de Neuo Abbas. Anch. *d. c. licet* Cardin. *d. c. fin. oppoſ. 2.* Padilla *l. naturalia nu. 2. ff. de præſcrip. verbis.* Lancel. *inſt. iur. Can. de nupt. lib. 2. §. ſi quis tamen* Molin. *t. 1. de iuſt. diſ. 33. fine.*

4 Sufficit autem si mater poſt tempus conceptionis fuit per aliquod breuiſſimum tempus libera, ad hoc vt filij ex ea nati liberi sint, vt si quando concepit, erat ſerua, deinde dum erat prægnans fuit facta libera, & poſtea ſerua, ita vt filiũ tempore ſeruitutis peperit, adhuc filius liber eſt. ita expreſsè habetur *Inſtit. de Ingenuis §. ſed & ſi quis* & alibi; nisi partus futurus sit ſeruus ex alio capite, & nõ ex eo quod debeat ſequi ſtatum matris, vt eſt in *l. fin. C. de ſer. fugit.* vbi in pœnam paterni delicti ſtatuitur, ſeruos deputatos publicis operibus, ſi habeant cõmercium cum priuatis Ancillis, redigi in ſeruitutem vna cũ proprijs vxoribus, & filijs natis ex ipsis vxoribus, & *l. 2. C. de libertis, & eorum liberis*, ſtatuitur, vt patre ob ingratitudinem reuocato in ſeruitutem, filij nati ex matre libera, ſerui fiant; & tandem si aliqua mulier capta sit bello, erit captiua vna cum puero naſcituro; quia vna cum matre captus eſt bello iuſto. ita Iacob. Butricanus *l. fin. C. de ſeru. fugit.* Albert. Salicetus, & Alij. ibi Horoſcius *l. & ſeruorum §. 1. n. 2. ff. de ſtatu hominum* Padilla *l. naturalis num. 3. ff. de præſ. verbis.*

5 Hinc deducitur 1. filium conceptũ, poſtquam mater ſe vendidit, vel vẽditita fuit à patre ob neceſſitatẽ, vt permittit *l. 2. c. de patribus, qui filios diſtrax.* naſci ſeruum: contra vero si tempore, quo mater vendita fuit, erat prægnans, naſci liberum, siue fiat mentio in venditione de fœtu, siue non: ratio eſt, quia tempore conceptionis mater erat libera, nec potuit vendi à matre, quæ filium non habet in poteſtate, aut ab Auo, cui hoc non permittitur. vide Salic. *l. 2. v. vendiderit. C. cit.*

6 Deducitur ſecundo si sit ſerua plurium dominorum, & vnus ex his eam manumittat, at nondũ ſoluta eſt pars pretij, quæ cæteris dominis competit, filium ex ea natum futurum ſeruum; quia mulier illa verè ſerua eſt, donec totum pretium ſoluatur *l. 1. c. com. ſeruo manumiſſ.* in principio. At si ante partum breui momento ſoluatur pretiũ, vel ab ipſa Ancilla, vel ab alio tertio ad hoc vt ipſa libertatem conſequatur, (quo caſu coguntur domini recipere partem propriam pretij, quamuis magna sit, & illa domini manumittentis sit minima. *ex l. 1. C. de comm. ſeruo. manumiſſ.* & alibi & quamuis aliquis ex dominis sit minor) partus ex ea natus erit liber, quia iam momento illo temporis, quo ſolutum fuit pretium, mater libera fuit. Vide Glos. *d. l. 1. v. imputent* Salicet. *in fine principij.* Alberic. *nu. 2.* Bald. *num. 2.* Greg. Lopez.

l. 2. tit.

l.2.tit.22.p.4.n.vender.& v.otro alguno.

7 Dico ſecundo ſi mater ſit ſtatu libera, cui ſcilicet conceſſa eſt libertas poſt aliquod tempus v.g. poſt annum eſto libera, vel ſub conditione, ſi hoc feceris, eſto libera; filius natus ante tẽpus prefinitum, & conditionem impletam, erit ſeruus: Contra vero liber erit, ſi naſcatur, aut concipiatur poſt impletam conditionem, & ſic ſi conditio ſit: ſi tres filios peperis, & ancilla duobus partibus pariat duos, tertio vero pariat ſimul tres filios, primus, qui naſcitur, erit ſeruus, cæteri liberi quia naſcuntur poſt conditionem impletam *l. Arethuſa ff. de ſtatu hominũ.* At ſi libertas ſit relicta ſub modo: vt eſto libera, dummodo decẽ annos ſeruieris, filius ex ea natus eſt liber, quia tunc mater libera eſt, cum modus nõ ſuſpendat actum, vt dixi *lib. quinto diſ.* 19. præſertim.

8 Dico tertio ſi dominus promittat ſe certo tempore ſeruam manumiſſurum, vt intra duos annos, ſi deinde elapsis duobus annis, eam non manumittat, filij nati erunt ſerui. tenetur tamen dominus in conſcientia ratione damni emergentis donare libertatem tum matri, tum filijs; qnia promiſſio inter ſeruum, & dominũ obligat naturaliter, quamuis ciuiliter nulla ſit. habetur expreſſe *l. ſi id quod dominus 64. ff. de cond. indeb.* ex quo tex. Bart. ait ſeruo acquiri obligationem naturalem tum actiuam, tum paſſiuã, hoc eſt vt ipſi alter obligetur naturaliter, & ipſe poſſit alteri obligari naturaliter. vide Ioan. Molina *in differentijs inter forum conſcientiæ, & externum differentia 18.*

DE IMPEDIMENTO VOTI Solemnis, & Ordinis.

DISPVTATIO XXV.

Qua ſit differentia eſſentialis inter votum ſimplex, & ſolemne profeſſionis, & in quo conſiſtat talis Solemnitas.

1 REſp. votum ſolemne, & ſimplex eiuſdem materiæ v.g. caſtitatis nõ differunt eſſentialiter, nec ex ipsius voti natura, nec Iure *Diuino*; ſed tantum accidentaliter ex ſola Eccleſiæ conſtitutione, quæ conſtituit, vt votum ſolemne dirimat matrimoniũ ſubſequens, non autem ſimplex. Probatur 1. *ex cap. vnico de voto in 6.* ibi (*voti ſolemnitas ex ſola Eccl. conſtitutione eſt inuenta*) qui debet intelligi neceſſario de ſolemnitate eſſentiali. nam ibi Pontifex dicit duplex votum ſolemne reperiri ad dirimendum matrimoniũ hoc autem nõ eſt aliud, nisi illud, quod per Eccleſiæ conſtitutionem eſt inductum, vt ſcilicet votum emiſſum in profeſſione Religionis, & in ordine ſacro dirimat matrimonium ſubſequẽs. Confirmatur ex eo quod ſublato Eccleſiæ ſtatuto nullum votum eſſet ſolemne; vnde fæminæ, quas vocant beatas, licet emittant vota in manibus ſuperioris, cui ſe tradunt; non emittunt vota ſolemnia, quia Eccleſia ea non accipit vt talia. ſecũdo quia ante tempora Cæleſtini 3. & Alex. 3. non eſt in Eccleſia facta mentio voti ſolemnis, & ſimplicis. tertio poteſt Eccleſia ſtatuere vt vota, quæ nunc in Religione emittuntur vt ſolemnia, non ſint talia, & matrimonium ſubſequens non dirimant; ergo ſolemnitas ex Eccleſiæ inſtitutione eſt introducta, non ex ipſa traditione vouentis quæ eſſet eadem. Quarto *Deus* cenſetur acceptare votum ſimplex cum ſit ſibi gratum, & proinde transit in pactum. *ex rubr. C. de pactis*; nec apparet ratio cur *Deus* hoc votum non acceptet, tum quoad obligationem, tum etiam quoad translationẽ dominij rei promiſſæ in ipsũ *Deũ*; nec ex vllo textu probatur poſſe Eccleſiam impedire, quin homo poſſit per votũ ſuũ corpus tradere ad perpetuã continentiã ſeruandam; ſed tantũ definitur *dicto C. vnico* eam traditionẽ eſſe ſolemnẽ, quę matrimonium poſtea contractũ dirimat; ergo iſta ſolemnitas non habetur ex traditione; nam etiam in voto ſimplici de re præſenti eſt traditio, vt patet ex dictis; ſed ex Eccleſiæ inſtitutione. Tãdem probatur quia Greg. XIII.

in Bulla conceſſa Societ. Ieſu Anno 1584. incipiente (*Aſcendente Domino*) decidit vota emiſſa à Religioſis Societatis Ieſu poſt. Bienniũ eſſe ſimplicia, & eſſe in ijs veram traditionem, & acceptationem Eccleſiæ, his verbis (*ſtatuimus atque decernimus tria vota huiuſmodi, & ſimplicia ex huius ſedis Inſtitutione ac noſtra etiam declaratione, & confirmatione eſſe verè ſubſtantialia Religionis vota, ac in dicta Societate tanquam in Religione approbata per ſedem eandem admiſſa fuiſſe, & eſſe, ac per nos admitti*) ex quo patet votum ex eo tantum dici ſolemne, quod in eo adhibeatur cæremonia, & formula Iure Eccleſiaſtico petita, ſicuti Iuramentum ſimplex non differt in alio à ſolemni, quod in hoc ſeruatur quędam formula præſcripta de Iure; hanc sẽtẽtiã tenẽt Scot. 4. *d.* 38. *q.* 1. vbi Pal. *q.* 4. *a.* 4. *concl.* 11. *n.* 49. Caet. 2. 2. *q.* 88. *a.* 7. Metin. *de ſacr. homi. continen. lib.* 4. *contr.* 7. *cap.* 22. *& ſeq.* Guillelmus. Vorrillongus 4. *d.* 38. *qu. vnic. art.* 2. *concl.* 1. vbi Palacios *diſp.* 2. *con.* 2. 3. *&* 4. Ouand *prop.* 16. *q. vnic.* Azor. *lib.* 12. *inſt. moral. c.* 6. *q.* 1. Abulenſis *c.* 30. *n.* 9. 100. *col.* 4.

2 Ex dictis infertur totam ſolemnitatem voti ſolemnis in eo conſiſtere, in quo Eccleſia decreuit in Iure Canonico; quare conſtat omnia, quæ in voto ſolemni ſunt intrinſecè, in quantum eſt actus voluntatis transferentis ſuum dominium in Deum, reperiri etiam in voto ſimplici, quod fit de re præſenti, vt voueo caſtitatem, paupertatem &c. nec in vno eſſe magis traditionem, quam in alio, aut aliquam differentiam eſſentialem, ſed tantum ex Eccleſiæ conſtitutione minorem vim habere. ſic Scotus, Ouand. Metina *loc. citato*.

3 Quare in noſtra ſententia deciditur votum caſtitatis emiſſum in manibus ſuperioris in aliqua Religione approbata, non promiſſa paupertate, & obedientia, non eſſe ſolemne, nec matrimonium ſubſequens dirimere, quia *C. vn. de voto in* 6. petitur vt profeſſio ſit talis vt cõſtituat vere Religioſum; at talis profeſſio non conſtituit verè religioſum, quia de eſſentia Religionis eſt, vt tria vota ſubſtantialia emittantur; quibus omnia impedimenta tolluntur ad hoc vt poſſint Religioſi tendere ad perfectionem; nam per votum caſtitatis tollitur vſus venereorum; per votum paupertatis impeditur cura bonorum temporalium: per votum obedientię propria voluntas coercetur. & prętęterea debent emitti in Religione approbata à Sede Apoſtolica, tanquam vera Religione; quia licet approbatio vt ſic non conſtituat religionem; tamen requiritur vt conditio ſine qua non. nam Pontifex poteſt impedire ne hęc, vel illa Religio tanquam vera Religio habeatur. vide Bellarm. *lib.* 2. *de Monachis cap.* 4.

4 Deciditur ſecundo caſus ſequens valde controuerſus; quod ſi quis emittat tria vota in Religione approbata, & ab eius ſuperiore acceptentur; ſed ipſe vouens non obligat ſe tali Religioni v. g. D. Dominici; ſed Religioni in genere, hæc vota non habent vim voti ſolemnis, ſed voti ſimplicis, attento Iure communi, & attento Tridentini decreto *ſeſſ.* 25. *de reg. cap.* 15. nullam vim nec voti ſimplicis habet talis profeſſio, ſi facta ſit ante annum expletum nouitiatus. Ratio eſt quia profeſſio eſt contractus mutuus, quo Religioſus ſe obligat monaſterio, & monaſterium Religioſo; vnde cum nulla Religio ipſi obligetur, nulla erit profeſſio ſolemnis. ſic Calderinus *conſ.* 26. *de regu.* Ang. *v. profeſſio n.* 1. *v. nouitius n.* 14. vbi Armilla *n.* 9. Nauar. *com.* 2. *de regular. n.* 5. *coroll.* 4. 6. *&* 7. Ant. Cucus *li.* 5. *inſt. maior. t.* 12. *n.* 23. Azor. *inſt. mor. c.* 4 *q.* 5. contra Goffr. *ſum. t. de regul. nu.* 12. Hoſt. *n.* 8. Io. And. *ca. conſuluit de regul. num.* 7. & alios aſſerentes valere talem profeſſionem.

5 Aduerte tandem in noſtra ſententia, vt patet ex dictis *nu.* 1. 3. argumẽto præſertim, nõ negari hoc, nimirũ adſolemnitatẽ requiri eſſentialiter traditionẽ ex parte ipſius vouẽtis, & acceptationẽ ipſius Dei. Nã ſicut in matrimonium carnale exigit tum traditionem

coniu-

coniugis, tum etiam acceptationē, ita & matrimonium ſpirituale, vt ſcilicet Religioſus ſe tradat Deo, & obligetur Religioni, & ipſa Religio nomine Dei acceptet obligationem, & obligetur Religioſo ad retinendum illum in religione, & alendum, & tractandum ſecundum Religionis inſtitutum. ſic Nauar. *lib. 3. conſil. tit. de regul. in priori edit. conſ.* 5. Azor. *lib.* 12. *inſt. mor. c.* 4. *q.* 5. Sotus *lib. 7. de iuſt. q.* 2. *a.* 5. *col.* 6. Valentia 2. 2. *q.* 6. *diſ.* 6. *pun.* 5. *col.* 4. Arag. *q.* 88. ibi *ar.* 7.

6 Contraria ſententia aſſerit votum ſolemne Religionis cōſiſtere eſſentialiter in traditione actuali Dominij ſui ipſius in manus Dei, & in manus eorū, qui vicem Dei tenēt, & in hoc differre à voto ſimplici, quod talem traditionem non habet. fundatur in eo, quod in voto ſimplici nō ſit acceptatio, per quam trāsfertur dominium ſui ipſius, nam hæc acceptatio fit mediantibus ſuperioribus Religionis; vnde inferunt non eſſe perfectam traditionem in ſimplici, & hoc principium probant multis argumentis. Noſtra tamen ſententia habet efficaces rationes, & præſertim declarationem Gregorij; vnde ab ea non eſt recedendum, ſed tanquā probabiliori adhærendum. Auctores autem huius videntur D. Th. 4. *d.* 38. *q.* 2. *ar.* 2 *quæſtiu.* 3. D. Bonau. *ead. diſ. a* 2. *q.* 1. Duran. *n.* 7. Deza. 4. *diſ.* 33. *q. vnic. ar.* 3. *not.* 4. Carth. 4. *diſ.* 3. *q.* 2. Fortunius Garcia *c.* 1. *de pactis n.* 13. Sotus *lib. 7. de Iuſt. q.* 2. *ar.* 5. & alij permulti apud Sanch. *hic n.* 7.

DISPVTATIO XXVI.

Quo iure votum ſolemne in Profeſſione Religionis emiſſum dirimat Matrimonium poſt eam profeſſionem initum.

1 REſpondeo matrimonium contractum poſt profeſſionem ſolemnem Religionis (quod de fide eſt eſſe nullum ex multis Concilijs, Calcedonenſi *can.* 16. Turon. 2. *can.* 26. Tolet. 8. *can.* 6. & nouiſſimè ex Tridentino *ſeſſ.* 24. *c.* 9.) non eſt irritum Iure Diuino, aut Naturali, ſed tantum Iure Eccleſiaſtico.

Probatur primo, quia ſi aliqua eſſet ratio, cur dicamus profeſſionem iure naturali reddere irritum matrimoniū, eſſet traditio, quę per illam fit: ſed hęc non pugnat cum traditione; quæ fit in matrimonio. Nam coniugatus poteſt de licentia vxoris validè profiteri, & ſi illa adulteretur, ſine licentia; & tamen prior traditio matrimonij non diſſoluitur, cum maneat vinculum matrimonij; ergo nulla eſt ratio cur dicamus profeſſionem iure naturæ matrimonium ſubſequens dirimere.

Probatur ſecundo in votis emiſſis in Societate Ieſu poſt biennium nouitiatus eſt traditio, & acceptatio, vt definiuit Greg. XIII. in Bulla *Aſcendente Domino*, & tamen ea vota non irritant matrimonium ſubſequens iure naturæ; ſed ex eadem Gregorij Conſtitutione. Adde etiam quod antiquitus profeſſio non dirimebat ſubſequens matrimonium, vt conſtat ex D. Cypriano epiſtola 11. ad Pomponium, & D. Auguſtino *lib.* 9. *de bono viduitatis.* hanc ſententiam defendunt ex Canoniſtis Hoſtienſ. Abbas, Io. Andreas. Anchar. Cardin. Alex. de Neuo *ca. rurſus qui cleric. vel vouent.* Brunel. *de ſponſ. conſ.* 31. *n.* 1. Gaet. *c. ad limina* 30. *quæſt.* 1. §. 4. *q.* 193. *n.* 464 Franc. *c. vnic. de voto in* 6 Aſtenſis *ſum.* 2. *p. lib.* 8. *t.* 1. *q. ar.* 1. *quæſt.* 1. ex Theol. Scotus 4. *d.* 38. *q. vnic.* ad finem. Ricard. *ar.* 7. *q.* 2. Gandau. *quodlibet.* 5. *q.* 38 Nicolaus de Niza *ſup.* 4. *ſent. par.* 6. *trac.* 3. *de matr. q.* 7. *con.* 1. Vgolinus, Azor, Plati Angles, Mozzius Palacios, & alij, quos citat Sanchez *n.* 2. *in hac diſputatione.*

Contraria ſententia vult votum ſolemne ex vi ſua, & iure naturali, & Diuino dirimere matrimonium ſubſequens, ſecluſo etiam iure Eccleſiaſtico: ducitur potiſſimūm ex decreto Siricij Pontif. epiſtola prima cap. 6. & refertur *cap. ſi quis ſacro* §. *ſi quis ſacro* 27. *q.* 1. eam tenent D. Th. D. Bonau. Maioris Capreolus Caet. Petrus Soto & alij multi apud Sach. *n.* 4. cum Turrec. *c. præsbyteris nu.* 1. *diſ.* 27. Co-

uarr.

narr. 4. *decret.* 2. *p.c.* 7. §. 4. *num.* 7. Alex. Carr. *lib.* 3. *de ſponſ. cap.* 6. Matienzo *lib.* 5. *recop. ti.* 1. *rubr. gl.* 1. *n.* 70.

DISPVTATIO XXVII.

Quo pacto, & iure teneãtur ad continentiam qui habent ordines ſacros.

SVpposito quod de fide ſit continentiam ſeruãdam eſſe ab his, qui in ſacris ſunt, quæ quidem continentia non tantum obligat abſtinere à nuptijs, ſed etiam ab omni actu venereo, vt docent communiter DD. & patet *ex cap.* 1. *d.* 28.

QVAERES I.

An continentia ſit annexa ordini ſacro iure diuino, vel ſolo Eccleſiaſtico.

1 REſpon. annexam eſſe ſolo iure Eccleſiaſtico, & non ex eo, quod iure diuino, aut Chriſti præcepto ſit talis continentia impoſita. Probatur *ex Tridentino ſeſſ.* 24. *can.* 9. vbi dicitur (*ſi quis dixerit clericos in ſacris ordinibus conſtitutos, vel regulares caſtitatem ſolemniter profeſſos, poſſe matrimonium contrahere, contractumque validum eſſe, non obſtante lege Eccleſiaſtica, & voto anathema ſit*) vbi videtur lex Eccleſiaſtica referri ad ordines ſacros. Secundo, quia nullibi reperitur hoc præceptum diuinum, & quamuis ſit valde decens contineri ſacris ordinibus initiatos; tamen non eſt naturali iure, cùm Græcis permiſſum ſit matrimonium initum ante ſuſceptos ordines. *C. cum olim de cleri. coniug.* ita tenet D. Thom. 2. 2. *q.* 88. *a.* 11. Gaiet. *opuſ t.* 1. *trac.* 27. *de diſpenſ. mat.* Ganda. *quod l.* 5. *qu.* 38. Abul. *c.* 30. *num. q.* 109. Deza 4. *d.* 33. *q. vnic. ar.* 3. *uot.* 3. Claudius Spenſæus *lib.* 1. *de contin. Sacer. c.* 3. Sotus *lib.* 7. *de iuſt. q.* 4. *ar.* 2. *col.* 4. *& col.* 8. Henriq. *lib.* 10. *de ſacr. ord. c.* 14. *n.* 7. Valen. 4. *p. trac. de ſacr. ord. diſ.* 9. *q.* 5. *pu.* 5. §. 1. Azor *lib.* 13. *c.* 12. *q.* 1. *n.* 2. 2. *q.* 88. *ar.* & alij.

2 Imo Epiſcopi ſolo iure Ecclesiaſtico tenentur ad ſeruandam continentiam, nam D. Paulus ait, Epiſcopum vnius vxoris debere eſſe virum, ergo ſupponit poſſe eſſe Epiſcopum cum vxore. & ipſe elegit in Epiſcopum Dionyſium Areopagitam, quem conſtat coniugatum fuiſſe *ex c.* 17. Actuum Apoſtolorum. quare nec eſt de iure diuino, aut Apoſtolico nec ij, qui ſemel matrimonium contraxerint, poſt matrimonium ad ordines ſacros promoueantur. ſic Azor *q.* 7. Palacios 4. *d.* 16. *diſ.* 3. *col.* 14.

3 Contraria tamen ſententia, quæ putat clericos in ſacris conſtitutos iure diuino teneri ad ſeruandam continentiam, defenditur à Valenſe *de ſacram. c.* 128. *n.* 8. Maior. 4. *d.* 24. *qu.* 2. Celaia 4. *d.* 37. *q.* 1. & Torrenſ. *lib.* 2. *de dogmaticis charac. ſol.* 85. *col.* 1. qui præſertim ea ratione mouentur, quia ab Apoſtolorum temporibus tam Eccleſia latina, quam Græca ſeruauit, nequi ad ſacros ordines promoti eſſent; matrimonium inirent.

QVAERES II.

An obligatio continentiæ, qua tenentur qui ſunt in ſacro ordine, ſit ſolum ex præcepto Eccleſiaſtico, quo directè præcipit talibus Clericis continentiam, & cuti omnibus præcipit audire miſſam &c. an vero ex voto, quod annexum ſit ordini ſacro per conſtitutionem Eccl.

4 REſpon. hanc obligationem eſſe ex voto caſtitatis, quod Eccleſia ſuo præcepto cogit emittere eos, qui ſacros ordines ſuſcipiunt facto ipſo ſine alijs verbis. Hæc concluſio probatur *c.* 1. *d.* 28. quod eſt D. Gregorij, vbi dicitur (*Nullum facere Diaconum præſumant Epiſcopi, niſi qui ſe victurum caſte promiſerit*) addit. Gloſſ. *expreſsè, vel tacitè & ca. Diaconi ead. diſt.* & alibi id appellatur votum.

5 Neque dicas id Eccleſiam non potuiſſe conſtituere, cum neminem poſſit cogere ad vouẽdam continentiam. *c. integritas* 36. *q.* 2. nam licet Eccleſia abſolutè neminem poſſit ad id cogere; at poteſt in conferendo ordine ſacro

ſacro apponere conditionem, vt illi, qui velint ſacro ordine initiari, voueāt continentiam; & ſic poſita ea conditione, eo ipſo quod aliquis ſuſcipit ordines ſacros, vult etiam vouere ſponte, & propria voluntate. ita tenent D. Th. 4. *d.* 37. *q.* 1. *ar.* 1. vbi Ricc. Capreol. *d.* 33. *q. vnic. a.* 1. Deza *q. vnic. a.* 4. Caet. *t.* 1. *tract.* 17. *de diſ. matr. in occid. eccleſ. q. vnic. opuſ.* Petrus de Soto *lec.* 5. *de matr. §. cæterum* Caſtro *lib.* 13. *aduerſus hæres. v. ſacerdotium hæreſi* 4. Bannes 22. *q.* 12. *a.* 1. *pag.* 672. Azor *lib.* 13. *c.* 12. *q.* 6. & alij theologi cum iurisperitis Gutier. *lib.* 2. *q. can. c.* 7. *n.* 2. Card. *cap. cum olim de cleri. coniug.* vbi Imola *n.* 7. Hoſt. Abbas, Anto. Turrecr. *c.* 1. *n.* 1. *d.* 28. Alex. Carr. *lib.* 3. *de ſponſ. c.* 3. Greg. Lop. *l.* 32. *v. ha tal virtud. tit.* 6. *p.* 1. Barboſa *rubric. ff. ſol. matr.* 2. *p. nu.* 100. & Sylu. *matrim.* 8. *q.* 12. *dic.* 2. Nauarr. *ſum. c.* 22. *n.* 52. & alij.

6 Contra Martheſillanum apud Card. *clem. ad noſtram ver.* 7. *nu.* 3. *de hæreti.* vbi Imola *n. vlti.* Innoc. *c. placet n. vnic. de cõuer. coniug. v. ex hoc apparet.* Archid. *c. cum in præterito v. annexi. n.* 2. *d.* 48. & alios, quos refert Sanch. *nu.* 9. *hic.* qui volunt eſſe ex ſolo Eccleſiæ præcepto, mouentur hi auctores ex eo, quod votum eſt lex priuata, quam quiſque ſibi imponere poteſt; ergo non poteſt Eccleſia per legem publicam votum ordini ſacro annectere. Verum hoc fundamentum ſolutum eſt *n.* 5.

7 Hoc autem votum caſtitatis non ſolum obligat eos, qui ſciunt id eſſe ordini ſacro annexum, ſed etiam ignorantes, qui ſcienter ordinantur, (nam qui penitus ignorat ſe ordinem ſacrũ recipere, non tenetur ad continentiã in foro conſcientiæ) ratio eſt: qui ſciens, & prudens vult vnum, vult etiam omnia ad illud annexa, ergo qui ſcienter ordinatur vult etiam vouere quod eſt annexum ordinationi. ita & docet *l. c.* Card. Imola, & Azor. *q.* 10.

Contra Sylu. Vincentium, Goffredum, & alios Canoniſtas *d. ca. cum olim* putantes tunc ſolo Eccleſiæ præcepto teneri; quia lex ſemel promulgata legitimè etiam ignorantes obligat, vt communiter Doctores. votum autem eſt lex priuata, quam non poteſt ignorans ſibi imponere.

8 At ſi promotus ad ordinem ſacrum habuit expreſſam intentionem non obligandi ſe ad continentiam, peccabit mortaliter, & tenebitur ad continentiam ſeruandam ex Eccleſiæ Conſtitutione iuſtiſſima, quæ omnes promotos obligat; non tenetur tamen ex voto, nam natura voti repugnat, vt emittatur ab inuito. ita Palud. 4. *d.* 37. *q. vnic. ar.* 2. D. Ant. 3. *p. ti.* 1. *c.* 8. *poſt* 2. *concl.* Palacios 4. *d.* 37. *diſp. vnic. col.* 2. *ver. quod vero* Ant. Cucus *lib.* 5. *inſt. maior. tit.* 12. *n.* 220. Quamuis Riccar. Nauarr. Turr. & alij apud Sanch. *n.* 12. *hic.* id affirment ex eo, quia hoc votum eſt annexum ordini ſacro, ſicuti onus recitandi officium.

9 Qui vero ordinatur ſacris, ſi ordo irritus eſt omnino ob defectum alicuius rei ſubſtantialis, v.g. quia Epiſcopus non erat iure Epiſcopus, poteſt matrimonium inire abſque vllo peccato, & ad continentiam non tenetur. ratio eſt, quia votum continentiæ eſt ordini ſacro acceſſorium, ergo deficiente principali deficit etiam acceſſorium. *l.* 3. *§. finali ff. de ſeru. ruſt. præd. l. cum princip. ff. de reg. iur.*

10 Si quis petat quid refert ad rem moralem ſcire an Clericus teneatur ex voto, an vero ex præcepto Eccleſiæ. Reſpondeo multum referre, nam ſi dicamus eſſe ex ſolo præcepto Eccleſiæ. valida erit diſpenſatio ad contrahendum matrimonium abſque cauſſa conceſſa, & poſt initum matrimoniũ poteſt peti debitum. ſi verò dicamus eſſe ex voto, nulla eſt diſpenſatio voti, & ſic qui matrimonium cum ea diſpenſatione contrahit, tenetur ad non petendum.

11 Aduerte tandem quod in noſtra ſententia non ſequitur, eum qui ſcienter ſacros ordines ſuſcipit, ſi ſe polluit v.g. peccare contra præceptum Eccleſiæ, & contra votum; ita vt ſit alia malitia ob ordines ſacros vltra eam, quæ eſt ob votum violatum. ita etiam Metina *lib.* 5. *de ſacror. homin. continentia*

ca. 3. nam Eccleſia ſolum voluit obligare directè ad votum & ſic ſolum peccat contra votum.

QVAERES III.

An votum hoc annexum ordini ſacro ſit per ſe, & ſimpliciter ſolemne.

12 REſpondeo eſſe ſolemne per ſe non quia ex natura ſua ſit tale; ſed quia eſt, vt votum profeſſorum poſita eccleſiæ inſtitutione, atque ita Bonif. VIII. *cap. vnico de voto in ſexto* tam votum in ſacris ordinibus annexum, quàm votum in profeſſione emiſſum appellat ſolemne, & vnum alteri comparat, neque impedit, quod in voto ordini ſacro annexo non ſit tam perfecta traditio quàm quę eſt in profeſſione; nam vt ſupra vidimus votum ſimplex, & ſolemne non differunt per ſolam traditionem, cum in vtriſque ſit traditio; ſed per ſolam cõſtitutionem Eccleſiæ, atque ita vtrumque votum æquiparant D. Tho. 4. *d.* 38. *q.* 1. *a.* 2. *quæſti. vnc.* 3. *corpore.* vbi Ricar. *q.* 2. *a.* 7. Celaia *d.* 37. *q.* 4. Beia *in ſum. caſu* 49. Matienzo *lib.* 5. *recop. t.* 1. *rub. gl.* 1. *nu.* 157. Corduba *ſum. q.* 3. Lud. Lop. 1. *p. inſtr. c.* 29. *ver. præterea huic affinis.*

13 Ex his infertur votum ſolemne Religionis, & votum ordinis, neque inter ſe differre ſpecie, neque à voto ſimplici; ſed ſolum ex Eccleſię conſtitutione quæ irritauit matrimonium contractum poſt vota religionis, & ordinis, non autem poſt vota ſimplicia. ſic Corduba & Lud. Lopez. loquentes de voto ordinis, & religionis.

Vnde profeſſus, qui ſimul ſit & ſacerdos, ſi peccat contra caſtitatem nõ tenetur in cõfeſſione aperire circumſtantiam, neque religionis neque Sacerdotij. ſed ſufficit dicere ſe peccaſſe contra votum caſtitatis, vel ſe eſſe Sacerdotem, vel eſſe profeſſum, quia tota malitia ſpecifica oritur ex fractione voti, & non ex eo quod ſit profeſſus, vel Sacerdos, licet ratione ſtatus augeatur malitia; ſed non adeo vt variet ſpeciem: neque multiplicatio illa votorum addit nouam malitiam; nam omnia ea vota eodem modo pertinẽt ad Religionem, vt docet Metina 1. 2. *q.* 72. *ar.* 6. *col.* 2. *& l.* 1. *ſum. c.* 9. *ante* §. 1. Ouand. 4. *d.* 25. *q. vnic. corol.* 2. *poſt.* 9. *propoſ.* Azor *lib.* 11. *c.* 14. *q.* 1. Enriq. *lib.* 5. *de poen. c.* 5. *n.* 6. & alij. Quare ſi religioſus, vel ſacerdos, vel votum caſtitatis habens, emittat votum non ſe polluendi, ſufficit dicere, ſe Sacerdotem, vel profeſſum, vel voto caſtitatis ligatum, vel contra votum non ſe polluendi, pollutum eſſe: ſic Llamas *metho. curat. anim. par.* 3. *cap.* 4. §. 29.

Et idem dicas de Epiſcopo, aut Prælato Religionis, ſi fornicentur, ſufficit enim in confeſſione dicere ſe contra votum caſtitatis peccaſſe, & ſi Epiſcopus ſit ſolum electus, & confirmatus; non conſecratus tamen, nec ſacro ordine initiatus, nulla alia eſt malitia, quã ſimplicis fornicationis, niſi tamen ex illo peccato ſcandalum oriatur, tunc enim tenetur dicere circumſtantiam ratione officij, ſic Henri. *c. l.* G.

15 At ſi Religioſus, vel Sacerdos iurauit caſtitatem, tenetur præter votum, iuramentum fateri; nam diuerſo modo pertinet ad Religionem votum, ac iuramentum; votum ad fidem Deo ſeruandam, iuramentum ne Deus adducatur in teſtem falsò. Ita Henriquez *l. c.* cui videtur conſentire Azor. *l.* 11. *c.* 10. *q.* 2. §. *alijs tamen.* non eſt tamen fatenda multiplicatio iuramenti circa eamdem materiam, vt in ſimili dixi *v.* 13. de voti multiplicatione.

DISPVTATIO XXVIII.

An, & quo iure ſacer ordo dirimat ſubſequens matrimonium.

1 DIco primo de fide eſſe per ſacrũ ordinem dirimi matrimonium poſtea initum non ſolum apud latinos; ſed etiam apud Græcos. ita definitum eſt *c.* 1. *& 2. qui cler. vel vouentes* à Nicolao, & Alex. 2. *cap. nullus miſſam. & cap. Præter hoc diſt.* 32. & alibi. & Trid. *ſeſſ.* 24. *de matr. can.* 9.

2 Nec vnquam fuit licitum Græcis, vel

vel latinis matrimoniũ inire poſt ordinem ſacrum, vt patet *ex c. ſi quis eorum d.22.* & ex ſexta ſynodo Generali, vbi dicitur de Eccleſia græca (*ſi quis eorũ, qui ad Clerum accedunt, voluerit nuptiali iure mulieri copulari, hoc ante ordinationẽ ſubdiaconatus faciat*) & de Eccleſia latina patet ex *c. ſunt quidã & c. præsbyteris* 27.*q.*1. ita etiã Azor *lib.*13.*inſtit. moral. c.*12.*q.*5.*&* 3. contra Gaetanũ *opuſc.t.*1. *tract.*27.*de diſp.* qui ait Diaconis id fuiſſe permiſsũ, & Sotũ, qui ait tũc licuiſſe ſacris initiatis matrimoniũ inire, quãdo in ipſa ordinatione proteſtati fuiſsẽt, ſe nolle continere. 4.*d.*38.*q.*1.*ar.*1.*col.pen.*

3 Ex quo infertur nunc ſolum Græcis licere matrimonio vti, quod contraxerunt ante eorum ſuſceptionem, nec in vſu coniugij peccant, vt bene docent Sotus *à* 2. *fine corp.* Azor. *q.*1. Abb. *c. cum olim de cler. coniug. nu.*2. vbi Imola. *n.*4. Ant. *n.*4. Card. Io. Andr. *n.*1. Azor, Lud. Lopez. & alij multi, nam cũ lex cœlibatus ſit Eccleſiaſtica, vt diſp. præc. diximus, non fuit à Græcis acceptata, niſi hoc modo.

4 Dico ſecundo ad ſecundũ quæſitum ſolo iure Eccleſiaſtico dirimi matrimoniũ contractũ poſt ſacros ordines ratio huiuſmodi patet *ex diſp. præc. n.*1. & eam tenet D. Tho. 4. *d.*37. *q.*1. *a.*1. Scotus ibi *q. vni.* §. *dico igitur* Baſſolis *q. vn. a.*1. Albert. Magnus *a.*1. Dur. *q.*1. *n.*4. & alij ibid. cum Couar. 4. *decret.* 2. *p. c.*6. §. 3. *n.*2. Stunic. *de voto q.*4. *n.*26. Bellamera *cap. de illo diſ.*32. *n.*4. Turrecr. *c. placuit ar.*1. *n.*5. *diſ.*32. & alij multi apud Sanch. *n.*11. licet iure diuino impediatur contractus matrimonij, nam per nos, vt diſp. præc. diximus, qui ſacris initiatur, emittit votũ caſtitatis, quod iure diuino impedit matrimoniũ cõtrahere

Quod verũ eſt etiam in Epiſcopis, epiſcopatus enim vt diſput. præced. dictum eſt, ſolo iure eccleſiaſtico, quod annexuit votũ ordinibus ſacris dirimit matrimoniũ ſubſequẽs; quare Epiſcopus electus, & cõfirmatus, ſi nõ ſit ſacris initiatus, põt validè inire matrimoniũ.

5 Non deſunt tamen aliqui, qui dicũt iure diuino dirimi matrimonium ſubſequens. ita Maioris 4. *d.*24. *q.*2. Celaia *d.*37. *q.*1. Barboſa *rubr. ff. ſol. matr.* 2. *p. n.* 98. & alij, quos refert l. c. Baſſolis dicunt ordinem ſacrũ dirimere matrimoniũ iure diuino, & naturali ratione voti ſolemnis ad id annexi.

DISPVTATIO XXIX.

Ordo ſacer per uim, vel metum aſſumptus ad quid obliget.

1 DIco primo ordo ſacer per vim præciſam aſsũptus, quando ſcilicet confertur homini omninò repugnanti, & nolenti, ad nihil obligat, nam eſt irritus; nec imprimit characterem, vt conſtat *ex cap. maiores de baptiſmo.*

2 Dico ſecũdo ordo per metum viri conſtantis collatus, quando ſcilicet aliquis ordinatur per metum grauẽ, aliàs non aſſumpturus ordines. non obligat primò ad non vtendum matrimonio eum, qui poſt initum matrimoniũ per metum eſt ordinatus, non enim debet priuari iure matrimonij iam acquiſito qui inuitus ordines ſuſcepit. eſt communis ſententia, quam ſequuntur Doctores referendi.

Secundo nec obligat ad ſeruandam cõtinẽtiã ex voto tali ordini annexo; nã tale votũ eſt irritum, cũ ſit emiſſum per metum grauem. vt patet *ex cap. perlatum. & cap. cum dilectus de his quæ vi.*

Tertio neque ad ſeruandam continentiã ex præcepto Eccleſiæ, quia conſtitutio Eccleſiæ nõ obligat directè clericos ad caſtitatem; ſed ad emittendũ votũ caſtitatis; cũ ergo Eccleſia irritauit votũ emiſsũ obmetũ, manebit ille liber voto, & per cõſequẽs omninò liber, cũ ſolũ ex voto ligari debebat, ſi ſpõte ordines ſuſcepiſſet. ita ex Theologis Maior. 4. *d.*24. *q.*2. *ad* 5. Sotus *d.*25. *q.*1. *a.*2. *ad* 3. Enriq. *de Sacr. ord. lib.*10. *c.*14. *n.*3. Em. Sà *v. ordo n.*24. Bart. de Ledeſ. *de ord. dub.* 14. *col.*4. §. *annotare hic.* ex Iuriſp. Aſtẽſis *ſum.*2. *p. lib.*6. *t.*2. *a.*4. *q.*2. Petr. Rauen. *in compendio iur. ca. tit. de baptiſ.* Præp. *in ju. diſ.*74. *n.*2. Greg. Lop. *l.*32. *v. que le toma ra ti.*6. *p.*1. Bal. Mogollon. *trac. de his quę vi. c.*8. §. 2. *n.*13. vbi *n.*2. ait ſe tres ſentẽtias habuiſſe hunc non teneri ad continentiam Vega *t. ſum. c.*57. *caſu* 6. Henr. Sotus Viualdus, Maioris, Azor & alij cum permultis canoniſtis.

Quarto neque tenetur ad non contrahendum matrimonium, quia cum

ad hoc non teneatur, niſi ratione voti in ſuſceptione ordinis emiſſi, cũ votũ in tali caſu ſit irritum, poterit etiam matrimonium contrahere. ita Greg. Lopez. Vega Henriq. *l.c.* Manuel. 1. *t. ſum. 2. cait. c. 224. n. 5.*

Quinto neque tenetur ad officium recitandum, quia hoc eſt onus impoſitum ijs, qui ſponte ordines ſuſcipiunt ita Emman. Sà. Nauarr. *ſum. c. 22. n. 51.* Viual. candel. *1. p. de ſacr. ordin. n. 26.*

3 Dico tertio qui per metum non grauem eſt ordinatus, ita tamen vt ſeclu-ſo illo metu non aſſumpturus fuiſſet ordines ſacros; tenetur ad ſeruanda omnia, ac ille qui ſponte ordinatus eſt. cũ Eccleſia non irritarit votum emiſſum metu leui, vt in ſimili dictũ eſt *lib. 4. diſp. 17.* Verum valde probabile eſt hunc non teneri, ac illũ, qui metu graui eſt ordinatus; quia metus leuis aliquando valdè perturbat hominem. ita multi DD. quos eodem *lib. 4. diſp. cit.* retuli.

4 Aduerte tamẽ primo in duobus caſibus metu graui initiatum ſacris, teneri ad continentiam. primo ſi ratificet ſponte, verbo, vel facto ipſo, vtens ordine ſacro, & non per ignorantiã, qua putet ſe teneri ordine ſuſcepto vti; nã per illam ratificationem iam elegit in ordine permanere. ita Hoſt. *c. maiores §. vlti. n. 38. de baptiſ.* vbi Io. And. *fin.* Ant. *n. 8.* Nauar. *lib. 1. conſil. tit. de his quæ vi in priori edit. con. 2. n. 8.* Secundo quãdo metus iuſtè incuteretur: nam ſi vrgente neceſſitate Prælatus aliquẽ compellat iuſtè ad ordines ſacros ſuſcipiendos, hic tenebitur ad omnia onera. ita Henriq. c. 1. R. & benè cum hic nullam ſit paſſus iniuriam.

5 Aduerte ſecundo illum qui nolit ratificare ordinem metu ſuſceptum, nõ poſſe priuilegijs clericalibus vti. quia non eſt æquũ vti priuilegijs, qui incõmoda non ſentit; ſecus tamen eſſet, ſi eſſet iã coniugatus, & vellet abſtinere quãdo ſibi permiſſum eſt à petitione debiti; tunc. n. poteſt vti priuilegijs clericalibus. ita D. Ant. *3. p. t. 14. c. 16.* Roſella *ordo. 3. n. 7.* Suppl. *ſu. Piſa. v. ordinat' 1. n. 7.* Albericus *lit. O. ver. ordinatus 1.*

6 Sunt tamen aliqui, qui putẽt metu graui ordinatũ teneri ad cõtinẽtiã ex eo quia characterẽ ordinis recipiat, cui caſtitas eſt annexa: ergo debet ſeruare caſtitatẽ, nã ſicuti ad imprimendũ characterẽ ſufficiens fuit voluntas coacta ita ẽt ad votũ emittendum, nã adiectũ quale eſt votũ debet iudicari ſecundũ terminos rei, cui adijcitur ex Bald. *l. etiã n. 4. C. de iur. dot.* ſic tradunt Goffr. *ſum. tit. de æt. & qual. ord. n. 11.* vbi Hoſt. *n. 5.* Raymun. ibi ſupple. *ſum. piſan. n. 6.* Alber. *l. c.* D. Ant. *3. p. t. 14. c. 16.* Palud. *4 d. 38. q. 3. ar. 4. concl. 6. n. 28.*

DISPVTATIO XXX.

Ad quid obligetur, qui ante rationis vſum, aut ante pubertatẽ, ordines ſacros ſuſcepit.

1 DIco primo qui ante rationis vsũ ordinatus eſt ad nil prorſus tenetur, ac ſi ordines non ſuſcepiſſet, licet character imprimatur ex dictis diſp. præc. & tenent infra citandi Doctores: contra Palud. *4. d. 37. q. 1. a. 1. n. 14.* D. Ant. *3. p. tit. 1. c. 8.*

2 Dico ſecũdo probabilius eſt nec teneri ad caſtitatẽ, qui ante pubertatem adeptam ordinatus eſt, & poſſe libere matrimoniũ cõtrahere: nã votũ ſolẽne expreſsẽ emiſsũ in Religione ante pubertatem non obligat. ergo neq; tacitè emiſsũ in ordinibus ante pubertatem obligabit; nã licet votũ ordini ſacro annexũ nõ ſit tantæ efficaciæ, ac eſt votũ profeſſionis, cõſtituit tamẽ in ſtatu Eccleſiaſtico incõpatibili cũ matrimonio ita Calderinus *tit. qui cler. vel vou. conſ. vnic. fine.* Innoc. *cap. vel nõ eſt compoſ. n. 1. de temp. ord.* vbi Hoſt. *n. 7.* Io. And. *c. vni. n. 5. de cler. per ſaltũ promot.* vbi Abbas *n. 3.* Anch. *n. 8.* Hen. *n. 12.* Imol. *clem. fin. n. 9. de ætat. et qua.* Rebuf. *prax. benef. reg. de cler. ad ſacr. ord. male prom. gl. 2. n. 10.*

3 Alij tamẽ abſolutè dicũt impuberẽ ordinatũ teneri ad caſtitatẽ, quia liberè ordinatur. Sic Sotus *lib. 7. de iuſt. q. 2. ar. 5.* Vega *2. t. ſum. c. 57. caſu 7.* Card. *c. vni. de cler. per ſaltũ promot. n. 2. q. 1.* vbi Ant. *n. 4.* Imola *ca. 1 oa. n. 22. de cler. coniugat.* tunc vult impuberem teneri, quando eſt doli capax; quia ſicuti in matrimonio carnali malitia ſupplet ætatem, ita debet & in ſpirituali.

4 Intellige tamen noſtram ſententiam, quod non teneatur, niſi pubes factus

tus ratificet expreſsè, vel tacitè: nam ſi ratificet verbo, vel facto vtendo ordine, tunc tenetur ad omnia vt *diſp. præc. n.* 8. dixi. at etiam ſi ratificet, non poteſt ordine vti, niſi habeat ætatem requiſitam ad illum ordinem; nam talis executio eſt ſuſpenſa *c. ex ratione de ætate. & qual.* ſi verò conſcius culpæ ordinationis ante legitimam ætatem ſacros ordines ſuſcepit, non poteſt illis vti, niſi liberetur ſuſpenſione à Pio ſecundo impoſita.

Circa præſentem diſputationem videnda ſunt quæ Pontius de noſtro auctore dicit *lib. 7. cap. 29. n.* 15. nam quærens, quid ſit dicendum, ſi puer ordinetur ante rationis vſum, an teneatur continentia clericali, ait hæc (*exiſtimo in primis puerum ex tacita profeſſione caſtitatis obligari etiam ab Eccleſia ſicuti etiam in religioſis erat olim tacita regularis vitæ profeſſio, quæ non minus ligabat apud Eccleſiam, quam expreſſa, vt dixi ſupra iſto libro cap.* 5. *quidquid in contrarium dixerit Thomas Sanchez lib. 7. diſp. 30. n. 3. qui ait non eſſe poteſtatem in Eccleſia compellendi puerum, vt ſeruet continentiam ex voto in eo caſu, quod tamen falſum eſt, vt conſtat ex dictis ſupra cap.* 1. *de oblatis Religioni à parentibus, quamuis .n. Eccleſia non poſſit ſupplere voluntatem in voto quoad Deum, vt modo dicebamus, nec poſſet iam ordinatos cogere ad caſtitatem, ſi continentia non eſſet annexa ordini, at cum ſit coniuncta, & in ea ſit tacita voti emiſſio compellere poteſt quemcumque ordinatum ad eius obſeruantiam, licet ignorantia aut vis illata idoneã cauſam diſpenſationi præbeant, & quamdiu non diſpenſauerit Eccleſia letha liter peccat, niſi contineat peccata ſacrilegij*) & paucis adiectis dicit (*magis autem ſine fundamento eſt quod aſſerit idem Thomas Sanchez ibid. n.* 8. *ordinatum poſt rationis vſum ante pubertatem, tamen non teneri cõtinere; nã votũ poſt rationis vſum obligat ex natura rei cũ ſit libertas idonea ad peccatum mortale. Quare niſi aliquo iure Eccleſiaſtico reddatur nullum votum emiſsũ ante annos pubertatis valet ex natura rei, nullo autem iure infirmũ eſt, nec valet argumentũ Sanchez deſumptum a profeſſione ſolẽni ad vota in ordine emiſſa, vt iã dixi ſupra iſto cap.*) hęc Põtius. quę à me fideliter relata ſunt, vt clarius pateat quam multa dicat, & quam parum probet; ait enim primo puerum obligari ex tacita profeſſione caſtitatis ſicuti etiam in religioſis erat olim tacita regularis profeſſio. Secundo ait in probatione, quod cum continentia ſit coniuncta ordini ſacro, & in ea ſit tacita voti emiſſio compellere poteſt quẽcũq; ordinatũ. Tertio deniq; ait ordinatũ ante pubertatẽ obligari, nec valere argumẽtũ ex profeſſione ad ordines.

Et quidẽ primũ Pontij dictũ nõ eſt ad rẽ; nã queſtio, vtrũ ille, qui ante rationis vsũ ordinetur, teneatur ſeruare cõtinẽtiã ordini ſacro annexã toto tẽpore vitę. & Sanchez dicit non teneri, quia ante vsũ rationis nõ poteſt haberi voluntas; vnde ordinatus poſſit obligari ad continentiam ſiuè tacitè, ſiuè expreſsè. quod probat etiam à fortior, ex his, quæ dixit *diſp.* 9. *nu.* 5. vbi latè oſtendit ordinatum per metum iniuſtè incuſſum non obligari ad continentiam. Pontius verò dicit puerum obligari ab Eccleſia ex tacita profeſſione caſtitatis, ſicuti etiam in religioſis erat tacita regularis vitę profeſſio, quod nõ eſt ad rẽ; non .n. quærimus: an tacita profeſſio caſtitatis, quæ fit in ſuſceptione ordinis obliget, de hoc .n. non eſt dubiũ. & iam Sanchez *diſp.* 27. ſupra docuit ordinatum emittere tacitè votum continentiæ in ſuſceptione ordinis ex Eccleſiæ conſtitutione, ſed quærimus: an ante rationis vsũ ordinatus emittat hoc votũ tacitè, ita vt ad illud obligetur

Secundũ verò dictum Pontij, nimirũ poſſe Eccleſiã cogere puerũ ante rationis vsũ ad ſeruandã continẽtiã ex voto annexo ordini ſacro, probat primo ex ijs, quæ dixit ſupra *eod. lib. 7. cap.* 5. *nu.* 8. vbi ait paruulos effici verè monacos ex donatione ipſorum facta à parentibus monaſterio, etiam ſi ipſi filij fuerint inuiti, quod probat *ex cap. monachum* 27. *q.* 2. & ex Con. Tol. 4. *con.* 49. *&* 10. *can.* 6. ex epiſt. Greg. XI. & Alex 3. *in appendice Con. Later. par.* 50. *c.* 10. Secũdo probat) (*cũ cõtinẽtia ſit annexa ordini ſacro*

& in ea ſit tacita voti emiſſio compellere poteſt quemcumque ordinatum ad eius obſeruantiam, licet ignorantia aut vis illata idoneam cauſam diſpenſationi præbeant.) in quo argumento licet oſcitans lector videbit Pontium aſſumere, quod ſibi erat probandum; debet enim probare, in ſuſceptione ordinis ante vſum rationis, emitti tacitè votum continentiæ, & ipſe hoc aſſumit in antecedente, dicens (*cum continentia ſit annexa ordini ſacro, & in ea ſit tacitè voti emiſſio*) non conſiderauit Pontius in hoc totam verſari difficultatem, hoc eſſe probandum, cur igitur toties tam in prima parte ſuæ concluſionis, quã in hac ſecunda id aſſumit, quod probare debebat? hoc enim non modo Sanch. quem is ſolum citat, quaſi id ſolus negaret, ſed etiam negant Gloſſ. *cap. pueri* 1. *q.* 1. (*Si puer ordinatur in ſacris ordinibus bene recipit characterem; ſed numquid tenetur continere ſic, ſi eſt doli capax, alias non*) Sylu. v. matrimonium 8. dic. 2. ait, (*ille puer*, (ſcilicet ordinatus ante vſum rationis) *non tenebitur ad caſtitatem, & hoc magis conſonat S. Thomæ*) & paulo poſt, (*conſonans etiam illi præcepto, creſcite, & multiplicamini Gen.* 1. *quod licet non teneantur ſinguli hominum implere, tamen quicumque vult, poteſt illud implere, & Deo licentiam dante nullus poteſt prohibere*) Nauarr. lib. 1. con. de ijs quę vi con. 4. in 2. editione (*ordinatus ante vſum rationis non obligatur ad ſeruandam continentiã, quia continentia eſt voti, & non præcepti c. integritas* 32. *q.* 1. *& tradit Inn. com. receptus in c. vel non eſt corpus de tempor. ordinat. & S. Thom. quem ſequuntur alij*) Riccardus *in* 4. *diſ.* 39. *q.* 1. *ar.* 1. *in corpore* hæc habet (*tres primi*) (nempè ordines ſacri) *impediunt matrimonium contrahendum, & dirimunt iam contractum, tum propter Eccleſiæ ſtatutum, tum propter votum continentiæ annexum, etiã ſi ad continentiam ſe obligare non intendit ille, qui ordinem ſuſcipit, dum tamen ſit habens vſum liberi arbitrij.*) idem docent Paulus *clem. vnica de conſang.* & ibi Cardinalis *n.* 1. *oppoſit.* 7. Palacius *in* 4. *diſt.* 25. *diſp.* 1. *col.* 10. *verſ. porrò occinet aliquis*, Henriquez *lib.* 10. *de ſacram. ordinis cap.* 14. *n.* 3. Manuel 2. *tom. ſummæ* 2. *edit. cap.* 96. *n.* 4. *concl.* 4. Viual. dus, & alij permulti apud Sanch. *hic n.* 3. *&* 8. quos, ne longum faciam catalogum, prętereo, quare ergo Pontius, auctoritate tot Doctorum prętermiſſa, ſolũ Sanciũ nominauit, quaſi ſolus neget nõ teneri ſeruare cõtinentiã puerum ante rationis vſum ordinatũ, quod dictum abſolutè falſitate notauit, cum tamen rationes, quas affert id non oſtendãt, ſed potiùs in ijs aſſumat quod probare debuerat, vt iã dixi

Sed dicet fortè aliquis id à Pontio non probari hic; ſed ſupponi ex iam dictis, ait enim ipſe (*quidquid dicat Sanchez, qui ait non eſſe poteſtatem in Eccleſia compellendi puerum ad ſeruandã cõtinentiam ex voto* (ordini ſacro annexo) *quod tamen falſum eſt vt conſtat ex dictis cap.* 5. *de oblatis religioni à parentibus*) quibus verbis oſtendit probatam iam eſſe hanc concluſionem, ex illa paritate, nimirum: poteſt infans fieri religioſus, & voto ligari abſque proprio conſenſu, & eſſe inuitus ſi à parentibus monaſterio tradatur; ergo eſt poteſtas in Eccleſia compellendi infantem ordinatum ad ſeruandam continentiam; ſed benè mones quisquis es, videamus amabo te, quænam ibi dicat Pontius, ait nu. 11. (*adeò notum eſt ſolam oblationem parentum ſatisfuiſſe illis temporibus ad monachiſmum, etiamſi à paruulis non probaretur oblatio, etiam ſi reluctarentur poſtea, vt negari non poſſe videatur. primo namque Conc. Tol. quartum expreſſè dicit monachum fieri, vel paterna deuotione, vel propria profeſſione, quodſi paterna deuotio, propria profeſſione confirmanda eſſet aliter effectum non habitura, nullatenus dici poſſet paterna deuotione monacum effici, ſed tantum propria profeſſione. adde etiam ex Toletano* 10. *can.* 6. *quod ſupra adduximus* (nempe. num. 10.) *adeo apertum teſtimonium eſſe, vt vel negari debeat, vel concedi oblationem ſolam à parentibus factam ſine proprio oblati conſenſu ſatis eſſe, vt monachus efficeretur, & vt oblatus manere compelleretur*)

Addit

Addit prętera nu. 12. teſtimonium Greg. III. ep. 14. vbi Pontifex ait (*addidiſti adhuc quod ſi pater, vel mater, filium, vel filiam intra ſepta monaſterij, infantiæ annis ſub regulari tradiderint disciplinæ, vtrum liceat eis poſtquam pubertatis annos impleuerint egredi, & matrimonio copulari; hoc omninò deuitamus; quia nefas eſt vt oblatis Deo à parentibus filijs, voluptati frœna laxentur, quid apertius pro noſtra ſententia dici poteſt, habemus ergo expreſſam deciſionem Pontificis ſemel donatos à parentibus cogendos etiã ad perſiſtendum in eo inſtituto. Non igitur pendebat ab oblatorum voluntate approbatio, aut rathihabitio donationis factæ à parentibus*) & nu. 12. addit teſtimonium Alex. 3. *in appendice Concil. Later. par. 50. cap. 10.* vbi Pontifex dicit Gribaldum quemdam, qui timore magiſtri habitum ſuſceperat, cogẽdum eſſe in religione manere, ſi à parentibus fuit oblatus (*ſi autem à parentibus fuit forte oblatus, ſeù decimũ quartũ annũ cõpleuerat, cũ religionẽ intrauit, eũ ad eandem, vel ad aliã religionem tranſire, Eccleſiaſtica diſtrictione compellas*) Et ne quid præteream eorum, quæ Pontius poſuit ad hanc ſententiam confirmandam, referam Bernardi teſtimonium, quod ipſe ponit *n.* 8. licet ad alium finem, nempè in profeſſione eſſe donationem; quia facit multũ pro hac Pontij concluſione; nam Innocen. II. voluit vt Robertus qui fuit oblatus à parentibus monaſterio Cluniacenſi, reſciſſa profeſſione facta in monaſterio Ciſtertienſi, regrederetur in religionem Cluniacenſium, quia ibi fuit à parentibus donatus.

Hæc ſunt Pontij argumenta, quibus probat antiquitus puerum infantem ſine proprio conſenſu quamuis poſtea reclamaret, & eſſet inuitus, fuiſſe verè monachum; & votis aſtrictum ſi a parentibus monaſterio oblatus fuit, & hoc poſito fundamento, facilè putat ſuam ſuſtentare poſſe cõcluſionem, ſcilicet poſſe Eccleſiam ordinatum ante rationis vſum ad ſeruandum votum caſtitatis ordini ſacro annexum compellere; ſed corruat neneſſe eſt hæc ſententia, quæ tam imbelli, ac falſo fundamento nititur.

Et ne quis putet me Pontio infenſum eſſe, & contra tam apertas deciſiones Pontificum audentem reclamare, Patronos in hac re mihi conſtituã, quin nec quidquam meo marte addam, ſed omnia quæ contra hanc Pontij ſententiam dicunt, fideliter referam. Et quidem Gabriel Vaſquez *diſp.* 165. *cap.* 4. *num.* 36. hæc habet. (*obſeruandum verò eſt, quamuis antiquitus oblatione parentum ius aliquod quæreretur monaſterio, vt puer oblatus in eo perpetuo maneret; ius tamen hoc non fuiſſe quæſitum monaſterijs ſine conſenſu puerorum, qui offerebantur, neq; hoc ius fuiſſe diſtinctum à iuriſdictione. Primum quidem nullũ ius fuiſſe acquiſitum monaſterijs ſine conſenſu puerorum nemo dubitare poteſt quoniam licet Pater poſſit filium vendere, & in ſeruitutem tradere pro vitæ ſuſtentatione eo quod filius, qui quidquid eſt patri ſuo debeat, & ita vitam, quam ab eo accepit, in ſuſtentationem vitæ parentis debeat tradere; tamen cum Pater non ſit Dominus voluntatis, & omnium actionum filij; non poterit eum in iurisdictionem alterius tradere; niſi ipſe puer ſciat, & approbet; quare cũ in Concilio Toletano 4. can. 49. dicitur in hæc verba monachum aut paterna deuotio, aut propria profeſſio facit, quidquid horum fuerit obligatum tenebit non iſta ita intelligendum quaſi ſine proprio conſenſu pueri oblati monachi efficerentur; ſed quia conſentientes oblationi tacitè profitebantur, impium enim videtur puerum aut in*

uitum,

uitum , aut omnino ignorantem ob ſolam parentum oblationẽ monaſterio perpetuo obligare , atque hoc modo intelligi debent alia iura , quæ de oblatione loquuntur .) hæc Vaſquez. vbi vides tantum virum qui merito à Pontio toties commendatur, & vt author habetur , vt paſſim videre eſt apud ipſum , nihilominus Pontij ſententiam impiam appellare: ait enim, *impium videtur &c.* In quo etiam nota non fideliter Pontiũ Vaſquez retuliſſe ; nam ait n. 11. cita. *vidit etiam nonnulla ex illis Gabriel Vaſquez , ſed videamus quid ad illa reſponderit. dicit ſibi incredibile videri ſola Parentum oblatione monachum fieri, niſi poſtea accederet oblatorum conſenſus, cum ad pubertatis annos peruenirent , ſed in hoc tantus Doctor labitur, licet excuſationem habeat , vt infra videbimus*) non inquam fideliter Pontius Vaſquez retulit , nam is non ſoluit textus, dicens incredibilem ſibi videri,vt refert Pontius , ſed affert rationes , & ſuum confirmat dictum,& illos textus interpretatur , vt vidimus ex eius verbis, quare debebat Pontius Vaſqu. argumenta , & ſolutiones afferre .

Alium addam Patronum , ac Pontij impugnatorem validiſſimum , is eſt Suarius , qui rem hanc,vt ſolet copioſiſſimè tractat ; nam *to.3. de relig. lib. 6. cap.* 3. proponit hanc quæſtionem,vbi *nu.* 2. ait (in preſenti capite inquirimus proximum principium efficiens validam profeſſionem , quod eſt conſenſus operantis, de quo nonnulla poteſt eſſe ratio dubitandi ; quia quod non eſt neceſſaria cauſa religioſi, non eſt neceſſaria cauſa profeſſionis , cum ille ſtatus non niſi per profeſſionem fiat; ſed liber conſenſus non eſt neceſſaria cauſa ſtatus religioſi ; ergo nec profeſſionis . Minor probatur ex antiqua conſuetudine , de qua nonnulla adduximus diſputando de primo ingreſſu , per illam autem donationem perſeuerantem per tempus ſufficiens ſaltem vnius anni conſtitui infantem religioſum abſque proprio conſenſu ex eo colligitur quod non licebat ad ſæculum reuerti , immo nec ad aliam religionem transgredi , vt colligitur ex Conc. Toler. 4. &c.) vbi vides ſtatutum quæſtionis eundem eſſe, quem Pontius habet , nimirum puerum donatione parentum effici verè monachum , & ſi ipſe ſit inuitus ; quam propoſitionem Pontij Suarez probat ijſdem textibus , & Concilijs , quibus ipſe Pontius hic *cap.* 5. vtitur. Videndum nunc erit , quid de hac re iudicet homo in omni iudicio elegantiſſimus, quid ad hæc iura , quæ Pontius vocat irrefragabilia , ita vt negari non poſſe putet,quod ipſe propoſuit , Suarius reſpondeat .

Proponit Suar. *n.* 3. ſuam cõcluſionem (Nihilominus dicendum primo eſt,verã ac validam profeſſionem non fieri ſine libero conſenſu eius , qui religioſus efficitur. hæc eſt communis , & certa ſententia, quam tradit D. Th. 2.2. *q.* 186. *ar.* 5. & omnes Doctores ſtatim citandi,& habetur in C. 1. *de reg.* ibi (*Et ſpõtanea volũtate*) Ratio eſt, quia profeſſio eſt cõtractus humanus; cõtractus autẽ humanus ſine conſenſu non perficitur. ergo; itẽ de ſubſtãtia profeſſionis ſunt tria vota, ſed votũ eſt actio perſonalis, nec fieri poteſt ſine propria voluntate , & conſenſu , ergo : Tandem matrimonium ſine proprio , & libero conſenſu valere non poteſt, ergo multò minus profeſſio , nam eſt quodãmodo arctius vinculum , tum quia poteſt ipſum matrimonium ratum diſſoluere , tum quia obligat ad vitam arctiorem , & magis carni repugnantem .)

Hanc ſequitur Suarius ſententiam, quæ Pontio eſt contradictoria , hanc ipſe probat auctoritate , ac tribus validis argumentis ; quorum vim perpendere ſuperfluum puto ; ſatis enim ea manifeſta eſt , & lumini rationis conſona . Quid verò Pontificum decretis , quibus fultus Pontius putat expugnari ſe non poſſe , reſpondeat videamus . & ne quis putet me Suarij ſenſum immutare , referam eius verba , & ſolum vbi ipſe citat loca canonum

num, ego vt lectori conſulam, per extenſum ponam. ait igitur Suar. *nu. 9. cap. 3. cit.* (Aliud verò dubium ſupererat hic, ſcilicet an profeſſio facta ante legitimam ętatem aliquam obligationem relinquat; ſed hoc dubium quantum ad eos, qui ratione iam vtuntur licet impuberes ſint infra tractabitur in generali de profeſſione inualida, quantum vero ad eos, qui ante vſum rationis donati ſunt religioni à parentibus; de quibus ratio dubitandi ſupra eſt propoſita, dicendum eſt nullam obligationem eis relinqui, ſi quando perueniunt ad annos pubertatis contradicant, nolintque religionem profiteri; nam liberè poſſunt matrimonium contrahere, aut quemcumque alium ſtatum aſſumere, vt expreſſè docuit Marcellus Papa in cap. illud autem 20. q. 1. (*Illud autem ſtatuendum eſſe cenſemus, vt ſi in minori ætate filij monaſterio oblati fuerint, & ſacram tonſuram, vel velamina ſuſceperint dignum quidem duximus vt XV. anno à prælatis moniti inquirantur, vtrum in ipſo habitu permanere cupiant, an non, ſi vero permanere profeſſi fuerint, ulterius pœnitendi locum minimè complecti poſſunt; ſin autem ad ſæcularem habitum reuerti voluerint, redeundi licentia nullo modo denegetur, quia ſatis inutile eſt vt ſeruitia coacta Domino præſtentur*) Vides mi Pōti Marcelli Pontificis decretum? quid apertius contra tuam ſententiam dici poteſt, & quod magis eſt, vt aduertit Suar. *loc. cit. n.* 12. hoc decretum valdè antiquum eſt, nam Marcellus floruit anno 304. domini; neque ſatis percipio, quid Pontius ad hoc reſpondet n. 5. nimirum hoc decretum non eſſe vniuerſaliter ab Eccleſia receptum; ibi (*concedo tamen Marcelli decreto in cap. illud 20. qu. 1. exploratam oblati voluntatem, ſed illud non fuiſſe vniuerſaliter ab Eccleſia receptum ſatis oſtendunt ſuperiora iura, & inſuper iudicium Innocentij in illa cauſa inter Cluniacenſes, & Ciſtertienſes*) non ſatis inquam percipio, quo pacto non ſit vniuerſaliter receptum, cum in ſacris canonibus iam fuerit inſertum, & ab authoribus paſſim citetur, & vt tale habeatur. immo referam verba Gloſſæ in dicto cap. verbo 15. (*videtur ergo quod habeat 15. annum pro deliberatione, an velit permanere, an recedere; nam ante potuit deliberare, cum nec ante habuit diſcretionem, videretur enim Eccleſia circumuenire hominem, ſi aliquis cogeretur manere cum ea, qui nunquam deliberauit, nam etiam in illicitis datur alicui dilatio.* hęc Gloſſa.) ſed ad Suarium redeamus. ille tres affert reſponſiones, quas per extenſum ponã, quia penitus videntur ſententiam Pontij exterminare, & aditum vndique intercludere, vt velit, nolit, fateri debeat ſe victum eſſe. ait ergo *n.* 10. ad illa decreta in principio citata reſpondent aliqui iure antiquo potuiſſe infantem verè religioſum fieri abſque proprio conſenſu per voluntatem parentis, quod ſi quis inſtet, quia in illa donatione parentis non poterant interueniſſe tria vota ſubſtantialia religionis; reſpondent aliqui implicite interueniſſe ex declaratione Eccleſiæ, vel conſtitutione) en tibi Pontij reſponſionem, quam ipſe expreſſit verbis à me ſupra citatis ibi (*exiſtimo in primis puerum ex tacita profeſſione caſtitatis obligari, etiam ab Eccleſia, ſicuti etiam erat olim tacita regularis vitæ profeſſio, quæ non minus ligabat apud Eccleſiam, quam expreſſa*) hanc tamen reſponſionem impugnat Suarius dicens, (profecto mihi hoc incredibile, & extra facultatem Eccleſiæ eſſe cenſeo) aſſumptum probat primo (votum propriè ſumptum ita pēdet ex intrinſeca voluntate vt non poſſit ab extrinſeco peruenire, etiam per diuinam potentiam, quia dicit intrinſecam habitudinem ad actum immanentem, & vitalem. Secundo quia ſi nomine impliciti voti intelligatur obligatio extrinſecus poſita circa talem materiam in ordine ad diuinum cultum etiam non habet Eccleſia talem poſtatem imponendi talem obligationē circa materiam integræ, & perfectę caſtitatis, & alias ſimiles, quæ ſolum ad perfectionem neceſſariæ ſunt, &

eadem

eadem ratione dici non poteſt parentem ex naturali dominio, quod habet in filium, habere vim imponendi talem obligationem; quia neque illa parentis facultas in puero naturę ordine ſpectata, tam eccellentem habet virtutem; tum quia licet talia vota conſiderentur, quatenus naturali lumini elici poſſunt, etiam excedunt parentum regimen, & poteſtatem naturalem; maximè vt perpetua, & toto vitæ tempore; ſed ſolum quandiu illi ſubiectus eſt. neq; verò in lege Euangelica poteſtas parentum ita eleuata eſt; vt iure ipſo diuino ſit illis talis poteſtas conceſſa, nulla enim ſcriptura, aut traditione hoc conſtat. & ideò gratis aſſerendum non eſt) Hæc habet Suarius. quibus luce clarius ſentētiam Põtij euertit. at quamuis ſufficiant ad hanc ſententiam euertendā, non ſufficiunt tamen Suarij ingenio, qui nullum tergiuerſandi locum, nullum effugiendi angulum, nihil quod in re propoſita conſiderari poſſet aduerſarijs relinquit; vnde affert ſecundam reſponſionem, quę fortaſſe ab aliquo afferri poſſet: nimirum ex vi talis oblationis non fieri infantem verè religioſum, ſed monaſterium acquirere dominium, ita vt talis infans recedere amplius non poſſit, ſed hanc quamuis probabilē putet, impugnat. Quam ego impugnationem prætereo, quia iam non eſt huius ſententię Pontius. ſed ſolum vltimo vtar argumento, quod contra Pontium militat; ſequitur enim quod quis obligaretur ad ſeruandam virginitatem ſine propria voluntate, quod eſt contra intentionem Chriſti in Euangelio, & Pauli ad Corinth. & perpetuum ſenſum Eccleſiæ, vt patet ex multis decretis, & præſertim *ex cap. de his diſ.* 28. ex Conc. Toletano 2. *c.* 1. vbi hæc habentur (*De ijs, quos voluntas parentū à primis infantiæ annis clericatus officio mancipauit, ſtatuimus obſeruandum, vt mox detonſi, vel miniſterio lectorum traditi, in domo Eccleſiæ ſub Epiſcopi præſentia à præpoſito ſibi debeant erudiri; at vbi decimum octauum annum ætatis ſuæ compleuerint coram totius Cleri, plebisq; conſpectu voluntas eorum de expetendo coniugio ab Epiſcopo perſcrutetur, quibus ſi gratia caſtitatis Deo inſpirante placuerit, & profeſſionem caſtimoniæ ſuæ abſq; coniugali neceſſitate ſpoponderint ſeruandam, hi tanquam appetitores arctiſſimæ vitæ leuiſſimo Domini iugo ſubdantur.*) & poſtea concludit (*quibus autem voluntas propria interrogationis tempore deſiderium nubendi perſuaſerit conceſſam ab Apoſtolo licentiam auferre non poſſumus*) cur igitur Pontius vult auferre poteſtatem, quam Apoſtolus tradit, & infantes ſine proprio conſenſu obligare ad ſeruandam perpetuò continentiā ex voto, quod Pontifex ipſe ſe poſſe negat? ſed ne diutius Pontium ſuſpenſum teneamus, quid tandem ad textus ab ipſo citatos reſpondeat Suarius ex propria ſententia videamus, ait n. 13. (Dico ergo prædicta iura intelligenda eſſe de filijs oblatis in infantia, qui poſtquam ad annos diſcretionis peruenerunt oblationi de ſe factæ à parentibus expreſſè, vel tacitè conſenſerunt, quæ limitatio quamuis non ponatur expreſſè in Conc. 4. ex alijs iuribus ſubintelligenda eſt, cum concilium illud poſt tempora Marcelli Papæ congregatum ſit, & ita interpretatur ibi Gloſſa, & cap. cum iurium de regularibus, nam dum in textu refertur Concilium Toletanum ibi (*conſultationi tuæ taliter reſpondemus, quod cum iuxta Concilij Toletani cenſuram monachum aut paterna deuotio, aut propria profeſſio faciat, quidquid horum fuerint obligatum tenebit*) ait Gloſſa (*Paterna deuotio quandoque facit monachum occaſionaliter, aliquando enim filius obtemperans voluntati paternæ ex debito honeſtatis, non neceſſitatis* 20. *qu.* 1. *illud & c. puellæ ſic & in matrimonio intellige infra de ſponſ. impub. c.* 1. *Alias non cogitur filius ad hoc obtemperare patri, vt hic & infra. & in prædicto c. puellæ, & infra eod. cum ſimus, quia res eſt voti non præcepti* 32. *qu.* 1. *integritas. & expone, aut, pro, &, quia paterna deuotio facit monachum, cum ſequitur ratihabitio filij*) & verbo (*quidquid horum*, ait, *ex hoc verbo*

videtur

videtur quod per ſe ſufficiat alterum iſtorum; ſed non eſt verum, vnde ſic intelli-ge: paterna deuotio cum ratihabitione filij adulti ſufficit, propria profeſſio filij ſine patris deuotione ſufficit) Addit Suarius (idem dicendum eſt ad Gregorium III. quamquã teſtimonium illud ſpecialem habet difficultatem, quia expreſſè quærit, an liceat his infantibus oblatis egredi, poſtquam pubertatis annos impleuerint, & reſpondet (hoc omnino deuitamus) & auget difficultatem ratio, quæ ſubditur (quia nefas eſt, vt oblatis à parentibus Deo filijs voluntatis fræna laxentur) nihilominus priora etiã verba intelligi debent hoc modo, vt poſt completam puberem ætatem v.g. 14. ætatis annum, iam non liceat filio oblato retrocedere, quia perſeuerando in illo ſtatu vſque ad pubertatem completam, & non reclamando ſatis videatur ratam habuiſſe oblationem paternam.)

Deniq; hiſtoria illa Roberti apud Bernardum (ait Suar. *l. cit*) ex vna parte videtur multum augere difficultatem, ex alia non videtur ad præſentem queſtionem pertinere, cum ibi non fuerit oblatio vt ita dicam, conſummata, ſed ſolum promiſſa, & religionis habitum non dum accipit, in quo caſu nullus hactenus dixit per ſolam parentis promiſſionem quempiam fieri religioſum. videtur ergo mihi Pontificem in eo caſu voluiſſe confirmare ſecundam profeſſionem, non quia prima valida nõ fuiſſet in Ciſtertienſi ordine, nec quia per ſolam parentum traditionem filius factus eſſet monachus Cluniacenſis, ſed ſolum quia aliquod ius illi fuerat acquiſitum ad talem perſonam, vnde accedente poſtea illius conſenſu per profeſſionem ibidem factam merito noluit Põtifex aliam mutationem fieri, & ſi quis fuerat defectus, facile poterat per ipſummet Pontificem ſuppleri) Hęc sũt, quę ad oſtendendum Pontij fundamẽtum eſſe valdè falſum, nimirum olim effici verè religioſos infantes ſine proprio conſenſu per ſolam parentum oblationem ex Vaſquez & Suario attuli, in quibus tum rationibus, tum auctoritate conuincitur non eſſe poteſtatem in Eccleſia compellendi puerum ad ſeruandam perpetuo continentiam ex voto ſine proprio conſenſu, neque poſſe effici religioſos ex ſola parẽtum voluntate, & abunde textus, & iura à Pontio allata, & iuxta aliorum canonum deciſiones explicantur. Vnde deſtructo Pontij fundamento, in quo ſuam ſententiam fundabat, nimirum infantem ordinatum teneri ad ſeruandam continentiam ex voto ordini annexo; facilè apparet minus prudenter Sancij ſententiam falſam appellaſſe.

Ad Alexandrum verò tertium in appendice citata non eſt cur reſpondeam, ſuppono enim ex ijs, quæ ſupra dixi nullam habere autoritatem. quod magis apparet ex eo, quod cum Suarius tot iura, & auctoritates attulerit, huius appendicis, quæ facile exponi poterat, non meminit; ſed placet hanc queſtionem cum ipſo Sancio claudere; is *in ſumma lib. 4. cap. 18.* quærit, qualiter Parentibus, vel tutoribus integrum ſit impuberem filium, aut pupillum religioni offerre, aut ingreſſum reuocare, & quid illa oblatio operetur. Et loquens primo attento iure antiquo ait (poſſunt parentes filium impuberem religioni offerre, vt in ea ſub regulari diſciplina viuat, colligitur à contrario ſenſu *ex cap. 2. de regularit. & cap. puellæ 20. quæſt. 2.* & expreſſè deciditur in Concilio Vuarmaticenſi *cap. 22.* & habetur *cap. addidiſtis 20. quæſt. 1.* & in concilio Toletano 10. *cap. 6.* & habetur *cap. 1. 20. quæſt. 2.* quod quidem verum eſt etiam tempore infantiæ, vt expreſſè habetur *cap. addidiſtis*; idem ſignificatur *cap. 1. 20. quæſt. 2.* vbi indiſtinctè dicitur in qualibet minori ætate. *& addit*: ſecunda concluſio certa eſt hæc oblatio operatur vt impubes ſic monaſterio oblatus nequeat reſilire donec pubertatem completam adipiſcatur, nempè puer. 14. annos completos, puella verò 12. annos completos, at ea ætate completa

liberum eſt ei perſeuerare, aut ad ſęculum redire donec profeſſionem tacitam, aut expreſſam faciat) Hæc Sãchez. En tibi ſtatum noſtrę quęſtionis; iura à Pontio allata; & alia plura etiã, quæ tamen Sancius explicat, vt intelligantur quod parentes poſſunt offerre filios religioni, non ſunt tamen illo tempore religioſi, ſed ſolum viuunt ſub regulari diſciplina, vt defacto fuit D. Thom. quinquenis oblatus religioni, & illi non poſſunt egredi donec pubertatem adipiſcantur, ea tamen adepta poſſunt, niſi tacitè, vel expreſsè profeſſionem fecerint, quare Sancij ſententiam prętер eos, quos ipſe citat ex recentioribus docet Filiuccius *tract. 9. de ſacr. ordinis cap. 4. nu. 77.* Paulus Layman *tr. 9. de ſacr. ordinis cap. 11. n. 2.* Caſtropalao *tr. 15. pun. 4 n. 4.* Bonacina *diſ. 8. q. vnica puncto v. num. 2.* Fornarius *de ordine cap. 3. nu. 7.* Clauis regia *lib. 6. c. 5. nu. 2.* de votis expreſſis nedum tacitè emiſſis. Toletus *lib. 1. cap. 56 num. 5.* Hurtadus *de ordine diff. penult.* quamuis in fine dubius ſit an infans grandior factus teneatur emittere votum caſtitatis. Auguſt. Barboſa *de officio, & poceſtate Epiſcopi par. 2. allegat. 15.* loquens etiam de eo qui ordines ſuſcepit ante pubertatem. Corona confeſſorum *de ſacr. ordinis tit. de ſuſcipientibus ordines num. 15.* Candelabrum aureum *de ſacramẽto ordinis tit. miniſtri nu. 16* F. Vincentius Candidus *diſquis. 28. art. 9. dub. ver. Dico decimo ſeptimo.* Reginal. *lib. 3. trac. 1. cap. 7. nu. 38.* vbi idem aptè docet, ait enim (*Eccleſiam neminem obligare ad continentiæ votum, eos tamen qui ſua voluntate maiores ordines ſuſceperint, cogere continentiam ſeruare, ad quam ſe ſua voluntate obligarunt. quoniam lege, & cõſuetudine Eccleſiæ ſic annexa eſt maioribus ordinibus cõtinentia, vt ſi quis eos volens ſuſcipiat teneatur ad continentiã*) ergo qui nulla volũtate ſuſcipit ordines vt eſt infans ante vſum rationis nõ tenetur. idẽ docet Ioſephus Auguſtinus *tit. de ſacramento ordinis nu. 20.* vbi ſe remittit ad Koninch, qui apertè id docet *diſ. 20. dub. 10. n. 100. & dub. 14. n. 134.*

Denique quoniam huic quæſtioni fundamentum ex Vaſquez eiecimus ex ipſo etiam coronidem imponamus, is *diſp. 246. num. 25.* ait (pro qua opinione nimirum puerum ordinatũ in infantia teneri ſeruare continentiã ex voto, tacitè emiſſo in ſuſceptione ordinis, vt Pontius docet, cuius verba initio fideliter retuli) ego neminẽ ex ſcriptoribus hactenus legi; cæteri vero omnes; qui ſua ſcripta prelo mãdarunt, & huius quæſtionis mentionem faciunt, non ſolum docent huiuſmodi paruulos ſic ordinatos non teneri voto caſtitatis, ſed etiam poſt ordinationem poſſe abſque peccato ducere vxores) & paucis interiectis concludit, (nulla igitur lege etiam diuina fieri poteſt, vt quis ad continentiam obligetur obligatione voti; niſi ipſe aliquod modo votum emiſerit) videat ergo Pontius an bene notarit falſitate Sancij ſententiam, qui putauit puerum non teneri ex voto caſtitatis nec poſſe ab Eccleſia compelli ad obſeruandam continentiam ſine proprio conſenſu.

Verum non reticebo Pontium eodem *nu. 15.* poſtquam dixit falſum eſſe, quod docet Thomas Sanchez non eſſe poteſtatem in Eccleſia compellẽdi puerum in infantia ordinatum, vt ſeruet continentiam ex voto, ex eo quod iam votum eſt annexum ordini ſacro; vnde ſiuè quis ex ignorantia, ſiuè ex vi ordinetur, tenetur ſeruare continentiam; & ſi eam non ſeruat peccat peccato ſacrilegij, niſi cum ipſo fuerit diſpenſatum, addit hæc (*quare niſi cum puer ante rationis vſum ordinatus, accedit ad rationis vſum reclamaret, & diceret ſe nolle vouere iudicaret ab Eccleſia tacitè emiſiſſe votum, & ad eius obſeruantiam compelleretur, & eodem modo matrimonium iudicaretur nullum. ſicuti de oblatis à parentibus tacitè profeſſis dicebamus ſupra cap. 5. quid ſi ad vſum rationis perueniens non reclamaret interius tamen votum non emittere eodem modo de illo iudicandum eſt atque de eo qui cum vſu rationis ordinatus fictè emiſit votum*.

Ex

Ex quibus ſanè verbis non ſatis percipio ſenſum huius auctoris, nam ſi velit: puerum ordinatum teneri contineri, quando accedens ad rationis vsũ non reclamat, & vult ordine vti, & poſſe illum Eccleſiam cogere ad ſeruandam continentiam, ac matrimonium poſtea initum eſſe irritum, idem dicit quod Thomas Sãchez, & alij Doctores citati; vndè immeritò dixit (*quidquid dicat Thomas Sanchez lib. 7. diſp. 30. n. 3. non eſſe poteſtatem in Eccleſia cõpellendi puerum, vt ſeruet continentiam ex voto in eo caſu, quod tamen falſum eſt*) nam Sanchez ibi dicit non poſſe compelli, quando puer ordinatus, accedẽs ad rationis vſum, nolit ratificare ordinis ſuſceptionem; ſeu nolit illo vti: ſi enim velit vti ordine aperte docuit poſſe ab Eccleſia compelli, & teneri ſeruare caſtitatem *n.* 5. his verbis (*ſecundo infertur infanti ſic ordinato, dum fuerit ſui compos, dandam eſſe optionem velit ne in ordines permanere, an reſilire, quod ſi velit permanere iam voto caſtitatis manebit ligatus, ſi verò eligat reſilire manebit ſuſpenſus vſu ordinis*) & nu. 13. ait. (*quodſi poſt legitimam ætatẽ verbo, vel facto ratificet, nimirum vtendo ordine ſacro, iam non erit integrum ſibi reſilire, vt diximus etiam diſputatione præcedenti de ordinato per metum*) quare docet Sanchez teneri continere ex voto, nec poſſe reſilire ſi verbo, vel facto accedens ad legitimam ætatem ratificet, & velit vti ordine. Secundo cur probauit puerum ordinatum teneri ſeruare continentiam ex voto ordini ſacro annexo, ſicuti olim tenebantur infantes oblati monaſterio à parentibus, & verè erant monachi (*etiam ſi à paruulis non probaretur oblatio, etiamſi reluctarentur poſtea*) Si verò Pontius his verbis vltimo loco à me relatis mutat ſentẽtiam, magna ſanè leuitas: paucis lineis adiectis addere ea, quę totã ſuã ſentẽtiã euertunt.

Videamus nunc an conſiſtat vltimũ Pontij dictum, ait enim (*magis ſine fundamento eſt, quod aſſerit idem Sanchez ordinatum poſt rationis vſum ante pubertatem non teneri continere*) probat Põtius ſuum dictum, vt verbis initio ex ipſo relatis conſtat; quia votũ poſt rationis vſum obligat ex natura rei, nec tale votum iure Eccleſiaſtico eſt irritum; ergo tenetur ſeruare caſtitatem; probat ſecundam partem antecedentis, quod ſcilicet votum in ſuſceptione ordinis ante pubertatem nõ ſit iure Eccleſiaſtico irritum, quia nullo iure eccleſiaſtico irritatur: neque valet argumentum à profeſſione ad vota in ordine emiſſa. hoc vltimum dictum probat *n.* 10. ſupra circa finem his verbis (*ſi ius Eccleſiaſticum non reddidiſſet inualidum matrimonium eorum, qui ſacris initiantur, ſed tantum monachorum; dicereine aliquis ab vno ad aliud argumentum deſumi poſſe? minimè ſanè, ſicuti quamuis nonnulli ſentiant profeſſione religionis ſolemni iure Eccleſiaſtico dirimi matrimonium ratum, dicere non auderent etiam ſacris ordinibus dirimi, quamuis litteræ Ioannis XXII. non emanaſſent; nõ ergo ex eo quod ius Eccleſia ſticum irritam reddidit profeſſionem, quæ perpetuo addicit vouentem ſtatui religioſo, idem iudicandum eſt de ſacris ordinibus initiato, donec de eo ſpecialiter aliud iure caueatur*) Hæc ſunt Pontij argumenta, quibus probat ſine fundamento Sancium aſſeruiſſe impuberem nõ teneri ad ſeruandam continentiam, ſi ante pubertatem ſit ordinatus. verũ ipſe more ſuo nec refert, nec tetigit Sancij rationes, nam ſi eas legiſſet, vidiſſet profecto, & ſine fundamento à Sancio id doceri, probat enim Sãchez ordinatum ante pubertatẽ non teneri continere niſi poſt pubertatem ratificet; ex eo quod votũ ſolemne in religione approbata ante pubertatẽ ſit irritum: ergo etiam votum ſolemne ordinis ſacri eſt irritũ, iure etiam Eccleſiaſtico ante pubertatem emiſſum: probat conſequentiam; quia votum in ſacris ordinibus vere conſtituit hominem iure Eccleſiaſtico in ſtatu incompatibili cum matrimonio: & quãuis poſſit puer impubes ligari votis ſimplicibus; tamẽ facilè illi ætati cõſulitur, cũ poſſint omnia illa impuberũ vota à parentibus, vel tutoribus abſq;

vlla cauſa irritari. ad argumenta vero Pontij facilis eſt eſt dictis reſponſio. ad illas vltimas confirmationes, Reſpondeo ad primam; nimirum ſi ius Eccleſiaſticum non reddidiſſet irritum matrimonium eorum, qui ſacris initiantur, ſed tamen monachorum. non poſſet aliquis dicere quod eſſet irritū, deſumendo argumentum ex profeſſione religionis ad ordines. reſpondeo, inquam, concedo non poſſe ex vno deſumi argumentum ad aliud in hoc caſu, ob manifeſtam diſparitatē, nam religioſus ſit ſubditus ſuperiori, tenetur ad longinquas regiones progredi, ſi ibi ex obedientia mittatur quidquid acquirit religioni, debet acquirere ac ſeruus, quæ non concurrunt in ordinato ordinibus ſacris: & ſic non valet argumentum, Eccleſia irritauit matrimonium profeſſorum; ergo etiam ordinatorum in ſacris. at in caſu noſtro eadem eſt paritas, nam ideò Eccleſia irritauit vota profeſſionis ab impuberibus emiſſa; quia requirit plenum conſenſum, cum res ſit magni momenti, à qua non poterit amplius ſe vouens liberare, ſed etiam ordinatus per votum caſtitatis conſtituitur in ſtatu incompatibili cum matrimonio; nec Pontifex diſpenſat niſi in vrgentiſſima neceſſitate; ergo &c. Ad aliam etiam confirmationem, nimirum ſi iure Eccleſiaſtico profeſſio dirimeret matrimonium ratum; nō poſſet dici quod ordo etiā dirimeret; quia ius ſtatuit de ſola ſolemni profeſſione ob rationes modo dictas, & ob priuilegium ſtatus in quo ponitur profeſſus; at ordinibus ſacris ſolemnitas eſt per accidens, nec militant eadem incommoda. quare non ſine fundamento, vt putat Pontius, Sanchez hanc ſententiam, vt probabiliorem elegi, vidimus enim eius rationes, adde maximum eſſe fundamētum auctoritatem tot Doctorum, Calder. Innoc. Hoſt. Io: Andre. Anchar. Abbat. Henrici Hugo Archid. Imolæ. Rebuff. Bernar. Diaz, Maoil. Gaetæ. quos Sanchez ibi citat pro hac ſentētia. Cæterum ignoſcat lector ingenij mei tenuitati, ſi non plane in hac re allatas à Pontio contra Sancium rationes diluerim; & ſimul cognoſcat Pontium identidem inſurgere contra Sancium ipſius rationibus armatum. hæc enim argumenta, quibus Sancium carpit, eo quod putarit in hac *diſ. n.* 8. puerum ante pubertatem ordinatum, non teneri voto caſtitatis; eaedē prorſus ſunt, quæ ipſemet Sanchez affert in ſumma, quibusque permotus ſententiam hanc mutauit, quæ tamen Pontius integra in ſuum librum tranſtulit paucis additis verbis; ac veluti proprio marte excogitata, in Sancium auctorem iaculatur, neque meminit Sancium nō eſſe in ea ſententia, quam impugnat; eaque argumenta a noſtro auctore didiciſſe. nam *in ſumma lib.* 4. *cap.* 35. *n.* 9. habet (*Immo quamuis votum caſtitatis ordini ſacro annexū ſit ſolemne cap. vnico de voto in 6. ſi tamen impubes cuiuſuis ætatis, dummodo rationis vſu gaudeat, qui ad mortale ſufficit, initietur ordine ſacro, tenebitur eo continentia voto, & quamuis de hoc ſint diuerſæ opiniones, quas retuli lib. 7. de matr. diſp.* 30. *n.* 6. 7. & 8. & *ibi n.* 8. *amplexus ſim non teneri voto, niſi poſt pubertatem ratificet; nunc tamen potius placet eum teneri ratio autem eſt, quia eſt diuerſa ratio de hoc voto, & de ſolemni profeſſionis voto, multo enim grauius eſt hoc poſterius, & multo difficilioris diſpēſationis, & obligat ad vitam longe auſteriorem. atque ideo ex eo quod Eccleſia hoc votum ante pubertatem emiſſum irritauit, non bene infertur argumentum ad probandum fuiſſe quoque illud irritatum: quare cum hæc ex iure humano pendeant, nec in illo inueniatur irritatum ordini ſacro ante pubertatem accepto annexum, non eſt dicendum cenſeri illud irritatum, eo quod iure irritetur profeſſio ante pubertatem emiſſa*) hæc Sanchez. quare mihi dolendum minime erit, ſi has rationes infringere non potuerim; ſed potius valde lætandum eam eſſe Sancij noſtri doctrinam vt velim nolim me victum fateri cogar. Vtrum vero Pontius contra ius faſq; omne Sancij argumenta ex libro ſummæ citato, acceperit, & ſententiam

quam

quam olim in matrimonio vt probabiliorem tenuit poſtea vero mutauit proprijs, motus argumentis; impugnauerit, lectoris arbitrio iudicandum committo.

DISPVTATIO XXXI.

An Clerici in minoribus poſſint licite matrimonium contrahere, & ad quid teneantur quando tales ordines ſuſcipiũt.

1 DIco primo qui eſt initiatus prima tonſura, vel alijs ordinibus minoribus, poteſt contrahere matrimonium etiam cum vidua, vel alias corrupta; vel etiam bis &c. abſq; culpa mortali, quamuis contrahat ſine cauſa; quia ſtatus clericorum non eſt tanti momenti. ſic Valent. 2. 2. *diſp.* 1. *q.* 12. *punt.* 1. *col.* 3. Bañes infra.

2 Eſt tamen peccatum veniale contrahere in prædicto caſu, cum ſit abſque iuſta cauſa inconſtans in bono incæpto: contra vero ſi ſit iuſta cauſa, vel ſi abſque cauſa ducat vnicam, & virginem, nullum eſt peccatum; quia non eſt retroceſſio ab his ordinibus: poteſt enim exercere illorum munia, & frui priuilegijs clericalibus iuxta *Cap. vnic. de cler. coniug. in 6.* ſic etiam Bannes 2. 2. *q.* 12. *a.* 1. *pag.* 673. & a fortiori Couarr. 4. *decr.* 2. *p. c.* 6. §. 3. *nu.* 3. Toled. *l.* 4. *c.* 18. *n.* 4 Azor. *inſt. lib.* 13. *c.* 14. *q* 14. abſolute dicentes, nullam eſſe eſſe culpam, cum talis clericus vtatur iure ſuo, nec faciat contra vllum præceptum.

3 Hinc patet ordines minores nullum eſſe impedimentum matrimonio; nec Eccleſia ijs, qui iam tales ordines ſuſceperunt, poteſt obligationem continentiæ imponere; quia continentia non poteſt præcipi; ſed tantum ſuaderi *Cap. cum integritas* 32. *qu.* 1. licet poſſit ante ordinum collationem præcipere caſtitatem, & ſi nolint illam obſeruare, careant omni priuilegio clericali. ita etiam Azor *qu.* 4. *c.* 13. Sylu. *matr.* 8. *q.* 12.

4 Quod ſi aliquis recipiens ordines minores credebat ijs eſſe annexũ votum continentiæ, vt ordinibus ſacris; non tenetur ad continentiam vllo voto. quia taliter initiatus non intendebat per ſe facere votum; ſed quatenus exiſtimabat eſſe annexum ordinibus minoribus: ergo cum nulla ſit annexio, nulla erit obligatio Io: Andr. *c. Ioannes de cler. coniug. nu.* 17. vbi Ant. *n.* 13. Anchar. *n.* 8 *qu.* 2. Imola *nu.* 14. tenent hunc teneri voto ſimplici continentiæ, quia iam habebat in animo continentiam vouere.

5 Dico ſecundo qui recipit primam tonſuram, aut ordines minores cum animo non aſcendendi ad ordines ſacros, non peccat; quia nullo iure talis intentio petitur in taliter ordinato, vt optimè docent Nauarr. *ſum. c.* 25. *n.* 108. Arag. 2. 2. *q.* 32. *art.* 1. *dub.* 1. Manuel. 2. *t. ſum.* 2. *edit. c.* 17. *caſu* 11. ſicuti nec peccabit Epiſcopus conferens, conſcius talis intentionis, ob dictam rationem; laude tamen eſt dignus ſi adultis ſolum, vellet primam tonſuram conferre; vel iurantibus parentibus ſe facere bona intentione, puerum ad ſacros ordines promouendi. ita etiam Nauar. *C. ſi quando de reſcript. excep.* 13. *n.* 7.

6 Aliqua tamen culpa eſſet hos ordines recipere ſolum ad euitandum forum ſæculare, ob defectum rectæ intentionis, ſicut etiam in Epiſcopo, qui illos cõferret conſcius talis intentionis. quamuis Arag. Bannes, & Manuel putent eſſe mortale.

DISPVTATIO XXXII.

Quænam debeant præſtare coniuges, ſi poſt conſummatum matrimonium, alter eorum ad Religionem tranſire velit.

1 DIco primo adhoc vt coniux licitè poſſit ad Religionem tranſire non ſufficit ſola licentia coniugis remanentis in ſæculo, ſed præterea requiritur vt manens in ſæculo, ſi iuuenis ſit, emittat votum caſtitatis, & religionem ingrediatur; ſi vero ſenex, poteſt remanere in ſæculo, ſed debet votum caſtitatis emittere, habetur expreſſè

expreſsè *c.cum ſis de conuerſ.coniug.& c. vxoratus.eod.tit.*

2 Hoc autem votum emiſſum à coniuge non debet eſſe ad tempus,nempe donec alter ingreſſus religionẽ viuat; ſed perpetuum, vt docent Hoſt. Ioan. Andr. & Ant.*c. vxoratus. & c.ad Apoſt. & c.vxoratus de conuerſ.coniug.* Monal. *ſum.de voto coniug.v. ſimiliter.*

3 Non fit tamen ſolẽne eo ipſo, quod alter profitetur;itavt irritet matrimonium ſubſequens;nam ſolemnitas voto non poteſt fieri niſi in profeſſione religionis,vel in ſuſceptione ordinis ſacri, vt conſtat ex c. vnico de voto in ſexto.ita etiam Gloſſ. *cap.ſeriatim d.32. v.poſt mortẽ* Card.*c.cũ ſis ſine.de con.con.* Monal.*l.cit.v.item quid ſi licentians* Cõtra Hoſt.*c. ad Apoſtolicam n.1. de conu. Con.*Abbat.*c.cõſtitutus.n.3.* Anch.*c.vni. n.3.de vot.in 6.*Domin.*n.14.*& alios.

4 Dico ſecundo quando coniux eſt iuuenis non ſolum debet vouere, & ingredi religionem, vt ibi viuat ſegregatus à ſæculo; ſed debet profeſſionem emittere,habetur ex *c.cum ſis de conuer. coniug.* ibi (*niſi vſq; ad religionem migrauerit*) & c.1.dicitur (*niſi ad religionem tranſierit*)non eſt autem tranſire ad religionem, quando quis non profitetur, ſed potius eſt eſſe in carcere intruſus. ſic Sotus *4.d.27.q.1.ar.4.col.antep.*Palacios ſibi contrarius *d.37. diſp.2. col.10.* Cannedo *ſum. ſacram. trac.de matrim.c. 7.n.54.* Brunellus *de ſponſal. concl.40.n. 16.* Abb. *d.c. ſi vxoratus n.3.* nec ſufficit habitum S.Ioannis recipere, cum adhuc ſit periculum incontinentiæ.

5 Hoc autem intellige quamuis iuuenis relictus in ſæculo non ſit de incontinentia ſuſpectus; ſed honeſtè viuat; quia iura id decedentia in iuuene ponderant ætatem, quoniam iuuentus tã in viris, quã in fœminis ſubiacet varijs periculis incontinentiæ. ſic de fœmina Io.And.Anch.Ant. Abbas. *c. coniugatus de conu.coniug.*

6 Dico tertio ſi coniux ſenex manens in ſæculo ſit de incontinẽtia ſuſpectus; tunc non ſat eſt votum caſtitatis emittere; ſed debet religionẽ ingredi, quia iura ſupra citata non ſolum ponderant ætatem;ſed ſimul vt cõiux non ſit ſuſpectus de incontinentia, & ratio eſt quia iura volunt proſpicere periculo incontinentiæ illius, qui manet in ſæculo.

7 At ſi vxor ſenex non eſt ſuſpecta de incontinentia, ſed eſt ſuſpecta de alijs prauis moribus, tunc non ſufficit eius votum ad hoc vt vir profiteatur, quia non expedit ſaluti vxoris. at ſi contra fiat,tenet ingreſſus.ita Io.Andr.Abbas. Ancar.Ant.Cardin.*c.ad apoſtolicam de conu.coniug.* Lancell.*inſt.can.lib.2.tit. de diu. §. his exceptis.*

8 Imo ſi coniux ſenex in ſæculo manens poſt votum continentiæ, & viri profeſſionem; viuat luxuriosè cogendus eſt religionem ingredi non ad profitendum,vt putant Hoſt.Card.Ant.& alij, *c.placet eod.tit.*ſed ad hoc,vt ibi detineatur;nam ipſe nec expreſsè nec tacitè voto continentiæ ad id ſe obligauit. ſi vero alijs vitijs vacet, cogendus eſt abſtinere à vitijs,non tamen ad monaſterij ingreſſum; quia non delinquit contra fidem matrimonij.ita etiam videtur tenere Abbas *d. c.ad apoſtolicam.*

9 Quis autem ad hunc effectum dicatur ſenex,non explicatur in canonibus poteſt tamen iudicis arbitrio determinari;ita tamen vt viri ſexagenarij dicãtur ſenes, fœminæ verò quinquagenariæ;quia ea ætate, vel paulo poſt ſunt ſteriles ad generandum,vt docent Ariſtoteles, *lib.7.de hiſ.animalium c. 5. & l. 7. polit.c,16.*Plin.*de hiſt.natur. l.7. c.14.* Bott. *lib.2. de morbis muliebrib. c. 8.*Tiraq.*l 7.con.n.22.*Maſc.*de prob.con.1152. n.7.*Menoc.*de arbit.lib.2. cen.1.caſu 89. n,56.& lib.5.præſ.24.a nu.5.& caſu 59. cent. 1. t. 1.* vnde non benè tam viris, quam fœminis eadem ætas præſcribi poteſt ad hũc effectum. fœminæ enim quinquagenariæ iam ſunt ſteriles communiter; & in his ceſſat periculum incontinentiæ, quod etiam quis poſſet exiſtimare,& probabiliter ſpeculatiuè in materia de ieiuniovt fœmina adhoc vt exceſetur,habeat tãtũ quinquaginta annos. verum in praxi tutum non puto, ſed ſtandum communi DD. ſenſui.

Di-

10 Dico quarto ſi coniux, qui de alterius licentia religionem ingreſſus eſt, tempore nouitiatus exeat, cogi debet redire ad coniugem in ſæculo manentem. & talis coniux non tenetur amplius ad votum continentiæ, quia hoc votum fuit emiſſum ob cauſam profeſſionis alterius; ergo profeſſione non ſecuta non obligat, niſi tamẽ emiſsum fuiſſet animo omnino illud ſeruandi independenter à profeſſione; tunc .n. obligat vt votum emiſſum à coniugatis. ſic Greg. Lopez. *l. reg.* 21. *fin. tit.* 7. *p.* 1.

11 Dico quinto ſi coniux ante licentiam ingreſſus emiſit profeſſionem; adhoc vt ſtet profeſſio, ſufficit ſolum vt manens in ſæculo ratificet, & voueat caſtitatem; etiam ſi iuuenis ſit, quam ſi vouere non vult, profeſſus cogetur ad ipſum redire, quia ius non permittit altero coniuge profeſſo, alterum manere in ſæculo ſine voto. ſic Hoſt. Ant. Io. Andr. Abb. Anch. *d. c. placuit.*

12 Dico tandem adhoc vt alter coniux profeſſionem faciat, remanente altero in ſæculo, non requiritur Epiſcopi licentia, neque ad valorem profeſſionis, neque ex præcepto, neque ad hoc vt coniux remanens illum poſſit reuocare, quia hoc nullibi reperitur, ſed tamen requiritur ex quadam honeſtate. ſic etiam Archid. *cap. ſi vir & vxor* 27. *q.* 2. vbi Bellamera, & Laurentius Cardin. *c.* 1. *de conuer. coniug. q.* 2. Io. And. *n.* 1. Federi. *conſ.* 37. *ad finem* Hoſtien. *d. c.* 1. *ſuper v. ignorantem.*

DISPVTATIO XXXIII.

An valida ſit profeſſio alterius coniugis, quando manens in ſæculo non præſtitit ea, quæ iure ad id requiri diximus diſputatione præc.

1 DIco primo validam omnino eſſe talem profeſſionem, ſiuè coniux iuuenis manens in ſæculo votum caſtitatis abſque profeſſione emiſit; ſiuè non, modo licentiam ſponte conceſſerit. nam hæ conditiones non ſunt de ſubſtantia profeſſionis alterius coniugis; ſed tantum ad hoc vt licitè fiat. vt patet *ex c. ex parte de conu. coniug. il.* 1. *& c. Agatoza* 27. *q.* 2. at peruerſio ordinis ſi nõ eſt de ſubſtantia non irritat actum ex Bald. *l.* 1. *c. de appel. & l. prolatam c. de ſent.* vbi Bart. ita Cald. *c.* 1. *de conu. coniug.* vbi Abbas Hoſt. *ſum. tit. de conu. coniug.* Aretin. *conſ.* 59. *n.* 8. Aſtenſis 2. *p. ſum. lib.* 8. *t.* 11. *ar.* 2. *q.* 11. cum Alberico *lit. V. ver. votum* 4. Brunel. *de ſponſ. concl.* 30. *n.* 9. Soto 4 *d.* 27. *q.* 1. *a.* 4. Palud. *q.* 3. *a.* 2. Lud. Lopez 2. *p. inſtr. de matr. c.* 54. qui docent abſolute valere profeſſionem coniuge manente in ſæculo.

2 Quare taliter profeſſus ſi reuocetur à coniuge, qui in ſæculo remanſit, tenetur non petere debitum, licet poſſit reddere; quia licentia coniugis ſine debitis requiſitis non fuit ſufficiens renunciatio; ita vt hic nec teneatur reddere petenti: at mortua coniuge, ſi aliud init matrimonium, eſt nullum, & tenetur ad religionem redire. ita etiã Sotus Palud. l. c. Turrecr. *ſeriatim n.* 4. *d.* 32. *a.* 3. Card. Abbas *d. c. ex parte*, & multi DD. cit.

3 Dico ſecundo coniux, qui licentiam dedit alteri, vt profiteretur, ſi votum caſtitatis perpetuum emiſit non præſtitis ijs, quæ iure petuntur, non poteſt profeſſum coniugem ad ſe reuocare, nam ceſſit iuri ſuo per illam licentiam ſpontaneam cum voto perpetuo caſtitatis. ita Abbas *c.* 1. *de conu. coniug.* vbi Calderi. Aret. *conſ.* 59. *nu.* 8. Archid. *c. Agathoza* vbi Bellamer. Domi. *c. ſeriatim n.* 5. Card. *c. ex parte d.* Sylu. *matr.* 8. 8. *q.* 12. *dic.* 4. addentes etiam ſi coniux ſit iuris ignara contra Hoſt. *tit. de conu. con. n.* 8 *ſum.* Greg. Lop. *l.* 12. *ver. vale el caſamiento t.* 7. *p.* 1. Henriq. *lib.* 11. *de matr. c.* 8. *n.* 9. *& com. lit. R.* putantes poſſe reuocari.

4 Dico tertio ſi vxor manens in ſæculo, nullum votum emiſit, aut ſolum votum temporale caſtitatis, ſi erat conſcia iuris diſpoſitionis; quæ eſt vt manens in ſæculo teneatur profeſſionem facere, ſi ſit iuuenis, vel ſenex ſuſpectus de incontinentia; ſi verò ſenex non poteſt coniugem profeſſum reuocare; quia tunc videtur tacitè vouere, & ſe ad-

adſtringere ad id; quod requiritur ad coniugis profeſſionem licitè emittendam; ſi vero ſit ignara iurisdictionis, poteſt reuocare illum; quia iura abſolutè concedunt poſſe reuocari profeſſum, quando non emiſit votum perpetuum caſtitatis, vt patet *ex c.2. de conu. coniug.* & cum hac diſtinctione intellige cęteros textus, qui concedunt poſſe profeſſum reuocari, vel negant. concedunt enim quando vxor erat ignara iuris diſpoſitionis, negãtverò quando erat conſcia, ita loquentes quãdo nullum votum emiſit Gregor. Lopez *l.11. v. eſto, t.7. p.1.* Gloſ. *cap. qui uxorem & C. Agathoza 2.q.2.* Abbas. *c.1.& c.ex parte de conu.coniug.* Vincen. *t.2.inſpec. doctrin.l.9.c.92.* Enriq. *l.c.* & quando eſt votum temporale Rodenſis apud Alber. *lo. c.* Vincentius *c.87.* Aſtenſis *qu.12. l. cit.* Io: de ſiburg. *ſum. conſ.l.1.t.8.qu.40.*

5 Dixi: ſi vxor manens in ſæculo, nam ſi ſit vir ignarus diſpoſitionis iuris, non datur reuocatio quoad forum externum; quia virum non excuſat ignorantia iuris; ſed facti. *regula ignorantia de reg. iur.in 6.* ſic Greg. Lop. *l.2. ver. de guardar.t.10.p.4.*

6 Sunt tamen in hac re tres ſententię prima dicit tunc ſi votum non eſt, poſſe in quocumque caſu reuocari, quia iura loquuntur indiſtinctè. ita Cardin. *cap. 1.* vbi Innoc. & Gloſſ. *de conu. coniug.* Palac. *4. d.27. diſp. 2. col. 36.* Secunda docet vxorem relictam, ſi ſuſpecta ſit de incontinentia, cogẽdam eſſe ad ingreſſum religionis. ita Vgo, Hoſt. Groſſ. *ſum. de conu.coniug.* Tertia denique, quam tenent quidam antiqui, vult manentem in ſęculo cõpelli vt caſtè viuat. ſic etiam Duran. *4. diſ. 32.quæſt.2.*

Dico quarto hæc reuocatio non competit iure actionis coniugi relicto, ſed ex officio Iudicis, cuius eſt prouidere periculo incontinentiæ alterius coniugis; quia coniux licentiam concedens ceſſit iuri ſuo, ac proinde nullam habet actionem. ita permulti Gl. *c.vxoratus de conu. coniug.* vbi Io: And. Abbas Ant. Anch. Car. Greg. Lopez *l.11.t.7.p.1. v. deſu. oficio.* Azor. *l.12. inſt. c.1.q.6.* contra Riccar. *4.d.32.q.2.a.2* Suppl. Gabr. *q.1.* Aſtenſ. *2.p.lib. 8.tit.10.a.2.q.7.* putantes poſſe iure actionis; ſed cum peccato reuocantis coniugis.

7 At ſiuè dicas reuocationem competere iure actionis, ſiuè Iudicis officio; non poteſt tamen profeſſus propria authoritate exire; quia licet peccauerit in profitendo ſine debitis requiſitis, poſt profeſſionem nullum habet ius egrediendi; cum talis profeſſio, vt dictum eſt *diſp. præc.* fuerit valida. ita Gloſſ. *c.vxoratus verſ. nullatenus de conu. coniug.* Anchar. ibi & alij contra Innoc. *C.quidam* & Turrecremata *c.ſeriatim.a.3. d.32.*

8 Certum tamen eſt re integra, quando ſcilicet adhuc profeſſus non eſt, poſſe reuocari licentiam conceſſam à coniuge in ſęculo relicto, ſi licentia non fuit cum debitis requiſitis, & ſi poſt reuocationem fiat profeſſio eſt inualida; ſi vero licentia fuit cum debitis requiſitis, tunc etiam re integra non poteſt reuocari, quia perfectè ceſſit iuri ſuo, at ſi relictus votum ſolum emiſit caſtitatis, caſu quo profiteri debebat; poteſt quidem reuocare, cũ non fuerit perfecta ceſſio iuris; peccabit tamen contra votum caſtitatis.

9 Dico quinto in his caſibus, in quibus non conceditur coniugi in ſæculo relicto reuocare alterum de eius licentia profeſſum; tunc ſi vxor relicta votum religionis emiſit, cogenda eſt ingredi religionem; quando eſt iuuenis, vel ſenex de incontinentia ſuſpecta; at ſi vouit ſolum continentiam, cogenda eſt profiteri, ſi quando conceſſit licentiam marito, erat conſcia iuris, vt cõſtat ex dictis; ſi vero erat iuris ignara, compellenda eſt ad ingrediẽdum monaſterium, vt ibi intruſa viuat, non quaſi in carcere; ſed vt honeſte viuat quod etiam valet in foro interno in viro iuris ignaro, non autem pro foro externo vt *n.* 5. dixi. vide Cald. *d. c.* 1. & ibi Abb. Brunel. *de ſpons. concl.* 30. *nu.*10. Azor. *l.c.§.* Roſellam *v.impedim. imped.* 11.

At

At Arch.*c.qui vxorẽ n.*2.33.*q.* 5. vbi Bell.*n.*3. Nauar.*l.*3.*conſ.t.de.conu.coniug. c.*5.*in prior.edit.* Palac.4.*d.*27. *diſp.*2. & alij putant debere tunc cõpelli ad ingrediendũ monaſteriũ abſq; profeſſione. alij vero vt Goff. & Hoſt.*ſum.de conuers. coniug.* docent abſolutè debere compelli ad profitendum.

PETES.

An Epiſcopus poſſit cenſuris compellere Religioſos exemptos, vt quando iniuſtè detinent coniugem profeſſum. illum reſtituant.

10 Reſpon. non poſſe quando exempti habent hoc priuilegium ſpeciale ne poſſint excommunicari, ſuſpendi, & interdici, quod habent mendicantes, & Societas Ieſu, vt patet in Bulla Pauli III. conceſſa anno 1549. poſſunt tamen alijs pœnis illos, ſi nolint profeſſum reſtituere, coercere niſi in caſibus expreſsis in iure vt Trid.*ſeſſ.*25. *de regul.c.*16.*&* 5. *&ſeſſ.* 22. *decreto de vitandis,& obſeruandis in celeb. Miſſ.* ſic Gamb.*de off.leg.lib.*8.*c.vlt.nu.*77. *t.*13. *tract.p.*2. Enriq.*lib.*7.*de indul.c.*25.*n.*7. cũ Host. Io. Andr, Fran. Dom. Sonc. & alijs apud. Sanch.*hic.n.*23. qui dũ aiunt exemptos citatos ab ordinario teneri comparere, quando exemptio non eſt notoria, & alias valide poſſe excõmunicari. excipiunt niſi habeãt peculiare priuilegiũ, vt nõ poſsint ligari cenſuris.

DISPVTATIO XXXIV.

An ſi conſummato matrimonio alter coniux profiteatur, ignorante altero, aut contradicente valida ſit profeſſio; ita vt reuocari non poſſit.

1 DIco 1. profeſsio facta ab vno coniuge altero inuito, vel neſciente eſt nulla; ita vt nõ ſolũ nõ habeat vim voti ſolemnis profeſsionis; ſed neq; habet vim voti ſimplicis religionis, quo ſcilicet is, qui profeſsionẽ emiſit, tenea tur ex vi voti ſimplicis ingredi religionẽ. probatur *ex c.quidã de conu. coniug.* vbi dicitur (*votũ non tenuit, vnde ratione voti ad monaſterium non tenetur redire*) ratio eſt quod coniux nõ habet dominium ſui corporis, ergo inualidè illud transfert in dominium religionis; nec vllam aliã obligationẽ poteſt parere, ſicuti coniugatus, qui init matrimonium viuente altero coniuge, nullã prorſus acquirit obligationẽ ad poſterius matrimoniũ. ita videtur expreſsè tenere Innoc.*d.cap.quidã* Io: And. *n.* 3. Sotus 4.*d.*27.*q.*1.*a.*4.*col.pen.* Ant. *d.c. quidã n.*8. contra Calder. Abb.*d.c. quidã* & alios, qui videntur ſentire votum in illa profeſsione emiſſum habere vim voti religionis ingrediendæ.

2 Hinc primo patet quod cõiux profeſſus abſq; licentia alterius, ſi reuocetur à coniuge, nõ peccabit ſi poſt eius obitum ad religionem non redeat. & multo minus ſi coniugem reuocantẽ poſt reuocationẽ pœniteat. probatur quia *cap. placet de conu. coniug.* dicitur (*conſultius itaq; dicimus, & congruentius ad ſalutẽ vt ad monaſteriũ redeat*) at ſi eſſet præceptũ, & coniuges tenerentur, deberet dici, neceſſarium putamus. ita Ant. Car. Abb.*d.c.quidã* Brunell. *de ſponſ.concl.*30.*n.*10 Lancell.*inſt.can.l.*2. *t.de diuortijs §.quæſitũ* contra Alber. *in dict.lit.V.ver.votũ* 4 Hugo *c. Agathoza* 27.*q.*2. vbi Archid. Bell.*fin.* & alios putantes peccare mortaliter.

3 Patet 2. poſſe coniugẽ, qui abſq; licẽtia alterius profeſſus eſt propria autoritate è religione exire, & ad coniugẽ in ſæculo relictum redire, immo ſi cõmodè poteſt, teneri, etiã ſi relictus non repetat. nam coniux profeſsionẽ emittens abſq; alterius licentia peccat mortaliter contra iuſtitiam, nam dominiũ vxoris tradidit monaſterio, ergo tenetur exire, & reſarcire iniuriam alteri illatã etiam ſi nõ repetat, ſicuti qui res alienas poſsidet, tenetur reſtituere, etiam ſi ille non petat; nec requiritur alia licentia, cum votũ illud fuerit nullius valoris. ita Abb. *c.accedẽs n.*3.*de conuers.coniu.* Inn.*d.c.quidã* Arch.*c.*2. Bell.*ibi* 33.*q.*5. Henriq *c.vxoratus eod.*

4 Contra Em. Sà.*v.religio nu.*3. Enriq. *li.*12.*de mat.c.*5.*n.*10. Veg.2.*t.ſum.c.*34

caſu 104.Man.1.*t.ſum.2.edit.c.239.n.3.* & alios aſſerentes non licere propria auctoritate egredi ex eo quia *c. placet* dicitur (*redire vero ad ſæculũ in eius poteſtate non erat; ſed in poteſtate mariti*) in hoc tamen noſtra ſententia confirmatur; mens enim eius eſt, nõ eſſe in poteſtate vxoris manere in monaſterio, vt clarè patet legẽti; sẽſus ergo eſt; integrũ nõ eſt deſerto marito profiteri; nec ad vitã coniugalẽ priſtinã redire, nã votũ religionis non tenuit, votum vero caſtitatis partim tenuit, vnde non poteſt petere debitum, sicuti prius.

5 Quę autem *n.* 3. dixi vera ſunt, etiam ſi poſtea coniux præſtet conſensũ. dico .n. non obſtante hoc cõſenſu poſtea preſtito, poſſe coniugẽ, qui ſine licẽtia alterius profeſſus eſt exire è monaſterio in foro conſcientiæ, & poſſe repeti ab altero coniuge poſt præſtitũ conſensũ nam illa profeſsio fuit nulla; quia fuit emiſſa sine coniugis licentia: ergo etiã ſi coniux poſtea preſtet conſensũ, erit nulla; nã per conſenſum hunc non reualidatur profeſsio, quæ ſemel fuit nulla ob defectum licentię coniugis; in foro tamẽ exteriori poſſet religio cogere nulliter profeſſum, vt ratificet profeſsionem, poſt datum conſensũ, ne remaneat decepta vt probatur *c.* 1. *de eo qui duxit in matr.* quamuis Henriq. Manuel. Vega. *l c.* putent hũc nõ poſſe exire poſt talem conſenſum.

QVAERES I.

An qui fecit profeſſionem ſine licentia alterius coniugis poſſit eo defuncto, egredi è Religione.

6 REſp. hoc poſſe euenire in multis casibus. primus caſus eſt, ſi coniux relictus numquã neq; expreſſè, nec tacitè cõſensit; & tunc coniux sine licẽtia profeſſus, poteſt exire ſtatim poſt mortem alterius, quia prior profeſsio fuit nulla: ergo ad hoc vt valeat, debet de nouo iterari nouo conſenſu profitentis: & sic si non ratificet eo modo, quo debet ratificari, poteſt ſecluſo ſcãdalo exire, quia nõ tenetur permanere in Religione, nec ratione profeſſionis, nec ratione alicuius voti ſimplicis ingrediẽdi religionẽ, vt ſupra *n.* 1. dixi.

7 Sunt tamẽ multi, qui putãt profeſsũ ſine licentia vxoris nõ poſſe ſtatim ac illa moritur exire. ratio eorum eſt quia per mortẽ vxoris tollitur obſtaculũ, nẽpè coniugiũ, quod aduerſabatur eius firmitati. hi sũt ex Theologis Azor. *li.* 12. *inſt. c.* 1. *q.* 9. Maior. 4. *d* 32. *q.* 2. ſupp. Gab. *q.* 1. *ar.* 2. *con.* 8. cũ Cald. *c.* 1. *de cõu. cõ.* vbi Abb. Car. *c. expar. il.* 1. *eod. t.*

8 Secundus caſus eſt, quando coniux ignorabat alterũ eſſe defũctũ, ac propterea etiã poſt illius mortẽ permanſit in religione, quando vero ſcit mortẽ vult exire. & in hoc caſu etiã dico poſſe exire ob rationẽ *n.* 6. traditã, etiã ſi ſciuerit profeſsionẽ impediri ob defectũ conſenſus coniugis; niſi tamẽ de nouo poſt mortẽ coniugis ſciens profeſsionẽ fuiſſe nullã; ratificaſſet illã ſeruatis ſeruandis. ita & Card. Anchar. *c. conſuluit de conu. con.* vbi Ant. *fin.* Henr. *c. placet. n.* 4. *de conu. coniug.*

9 Tertius caſus eſt, quãdo coniux ſciuit mortẽ alterius, qui nunquã preſtitit cõſenſum, & permãſit in religione, nulla tamen facta noua ratificatione. & etiam in hoc caſu poteſt egredi, vt ſupra dictum eſt.

10 Imo addo quod etiã ſi coniux dum viueret tacitè, aut expreſſe cõſenſerit in profeſsione facta ab altero, & profeſſus poſt conſenſũ præſtitũ duret in religione; tamẽ poteſt exire ſi nõ ratificau. profeſsionẽ poſt datũ conſenſũ vt patet ex dictis, & etiã patebit *diſſeq.*

QVAERES II.

An coniux in ſæculo relictus, caſu quo alter profeſſus eſt ſine ſua licentia poſſit religionem ingredi, ſine licentia illius, qui ante profeſſus eſt.

11 REſp. nõ poſſe, & poſſe reuocari à cõiuge antea profeſſo, quia profeſsio fuit nulla, vt patet ex dictis, nec delictum prioris profeſsi ſine licentia dat ius alteri, vt profiteatur etiã ſine licẽtia. ita Innoc. Anchar. Car. Ant. *c. quidã de con. coniu.* Aſten. *ſum.* 2. *p. lib.* 8. *t.* 11 *ar.* 1. cõtra Archidiac. *c. mulier* 33. *qu.* 5.

vbi

vbi Bell. Vin. *t.2. in ſpec. doctr. lib.9. c.92.* Goff. *ſum. de con. coniu. n.6.* & alios qui putãt poſſe profeſſionẽ emittere, ſi alter qui prius profeſſus eſt adhuc in religione permaneat, ſed leui ſatis fundamento.

12 Hinc etiam fit, quòd ſi ambo coniuges ſine mutua licentia profiteantur, alter neſciat profeſſionem alterius; nulla erit eorum profeſſio, & vnus poteſt alterum reuocare; quia defuit omnino cõſenſus alterius cõiugis; qui tamẽ cõſẽſus requiritur ad valorẽ profeſſionis.

13 At ſi ambo ſciant profeſſionem, tunc valida erit eorum profeſſio; nec licet vni alterum reuocare; quia per illas profeſſiones ſibi mutuo conceſſerunt licentiam ipſo facto, etiamſi nullum conſenſum verbis dediſſent, ita etiam Galliel. relatus ab Henric. *cap. vxoratus de con. coniu. n.13.* Card. *d. c. qui dã* contra quosdã apud Sanch. *nu.* 24. abſolutè aſſerentes valere profeſſiones amborũ ſiuè ſciant ſiuè ignorent illã.

DISPVTATIO XXXV.

An quando licentia fuit metu, aut dolo extorta valeat profeſſo, ita vt relictus in ſæculo qui licentiam tali metu, aut dolo conceſſit, non poſſit profeſſũ reuocare.

1 REſp. profeſſionem factam à coniuge qui metu graui, aut dolo licentiam alterius obtinuit, eſſe nullã, & poſſe à coniuge taliter concedente reuocari profeſſum. quod poſſit reuocari probatur *ex c. accedens de conu. coniug.* vbi iubetur, vt reſtituatur vir, qui profeſſus fuerat de licentia vxoris; metu tamen & dolo extorto · & ratio eſt quia ad hoc vt coniux non poſſit alterum reuocare, debet prius ceſſiſſe iuri ſuo; ſed ille, qui metu graui, aut dolo dedit licentiam, non ceſſit iuri ſuo; ergo poteſt profeſſum de licentia metu aut dolo extorto reuocare.

2 Quod autem talis profeſſio ſit ipſo iure nulla, patet. nam profeſſio eſt nulla, quando alter coniux non ceſſit iuri ſuo, dando licentiam, vt *diſp. præc.* diximus: ſed ille qui metu graui, aut dolo dat licentiam, non cedit iuri ſuo; nam metus, & dolus auferunt voluntarium ergo &c. Hęc ſententia in quantũ docet poſſe reuocari coniugem profeſſũ eſt Host. *d. c. accedens* Io: An: Ant. Abb. Car. *in 2. opp.* Hẽric. *c. vxor. n.8.* Alberi. *in dic. li. V. ver. votum. 4.* Turr. *c. ſeriatim d.32. a.3. n.4.* Greg. Lop. *l.2. t.10. p.4.* & ex Theol. Pet. Led *q.64. ar.4 dub.1 hic* Azor. *li.12. inſt. c.1.* Vinc. *2. t. in ſpec. doctri. li.6. c.92.* & ferè communis. quantũ verò dicit eſſe nullã defenditur à Led. Hoſt. *l. c.* Io Andr. *c. ex par. 1. n.4. de conu coniug.* Palac. *4. d.32. diſ.2. col.10.*

3 Ex hac ſententia ſequuntur omnia, quę *diſ. præc.* intulimus, nimirum quod coniux taliter profeſſus non tenetur niſi ratione voti ſimplicis caſtitatis. 2. quod non tenetur defuncta vxore ad religionem ingredi. 3. quod nõ peccet exiens propria authoritate ſine vllius licẽtia. 4. quod etiam mortua coniuge poſſit exire, vt *diſ. præc. à n.6.* diximus.

QVAERES

An ſi coniux manens in ſęculo nec conſenſum, nec diſſenſum præſtitit, ſed ſciens alterius ingreſſũ tacuit, & diſſimulauit poſſit poſtea reuocare coniugem profeſſum, & talis profeſſio ſic emiſſa fuerit valida.

4 REſp. poſſe illũ reuocare nõ obſtãte quod tacuerit, & diſſimulauit. ratio eſt, quia ad hoc vt coniux manẽs in ſæculo nõ poſſit alterũ profeſſũ reuocare, requiritur, vt profeſſio facta fuerit de eius licentia; at per taciturnitatẽ, & diſſimulationẽ nullã dedit licẽtiã. ita Cald. *c.1. de conu. coniu.* vbi Abb. Archid. *c. Agathoza* vbi Bellamer. *q.2.27* Greg. Lop. Azor. *l. c.* & alij.

5 Quare nec profeſſio fuit valida; quia fuit ſine licentia. vnde quãuis coniux toto vitę tẽpore diſſimulauerit, poteſt profeſſus ſine coniugis licẽtia, poſt eius mortẽ exire; nec tenetur voto religionis; ſed ſimplicis caſtitatis, & omnia quę *diſ. præc.* diximus poſſe facere coniugẽ profeſſũ ſine licentia, poteſt etiã hic, qui cum taciturnitate, & diſſimulatione alterius profeſſus eſt. ſic Ang. *ma.4. n.16.* quãuis Doct. *n. præc. cit.* putent diſsimulationem fuiſſe cõſenſum. ſi durauit vſque ad mortem.

DISPVTATIO XXXVI.

An coniux, qui professus est absque legitima licentia alterius, possit exire è religione, si alter manens in sæculo fornicatus est.

1 REspon. posse è monasterio egredi, & vxorem sibi reconciliare, condonando illi iniuriam. ratio est quia professio emissa absque legitima licentia fuit nulla: ergo taliter professus, nisi illam ratificauerit, seruatis seruandis poterit exire iuxta dicta *dis.* 34.

2 At si coniux ingressus religionem fecit professionem postquam manens in sæculo fornicatus est; tunc non potest exire, quia professio fuit valida; nam non requiritur licentia ad profitendum, coniugis adulterantis; per adulterium enim emisit ius in coniugem. Nisi tamen professus ante professionem adulterium etiam commisisset; quia hoc posito potest exire, nam professio facta sine licentia fuit nulla, iam enim fuit facta compensatio iniuriæ ob adulterium professi. ita Astensis *sum.* 2. *p.l.* 8. *ar.* 2. *tit.* 11. *q.* 7. & Io: de Fiburg. *sum. confess. lib.* 1. *tit.* 8. *quæst.* 49.

3 Si vero coniux innocens ordinem sacrum suscepit absque licentia vxoris ipso postea fornicante, non potest exire; quia ordo valuit. sic Greg. Lop. *l.* 8. *t.* 2. *p.* 4. Hugo de celso *in reperto. leg. regni v. clericos* §. 10.

4 Ex dictis collige tamquam certum apud omnes, quod coniux fornicans non potest alterum reuocare, quamuis sine licentia professus sit; quia per adulterium amisit ius, quod habebat in coniugem. At si professus vel in sæculo, vel in religione adulterium cõmisit, potest alter illum reuocare, quia iniuria recompensatur; sicuti etiam manens in sæculo posset reuocare professum sine legitima licentia, casu quo fornicatio esset occulta, nam non tenetur iure suo se priuare, vt in simili *lib.* 1. *disp.* 68. dixi. & melius dicemus *lib.* 10.

DISPVTATIO XXXVII.

An coniux, qui absque legitima coniugis licentia professus est; sed postea mortua vxore perstitit in religione, nesciens nullitatem professionis; aut nolens ratificare, possit transacto quinquennio reclamare, aut occulte religionẽ deserere.

1 AD intelligentiam casus propositi sciendum est quod Trid. *sess.* 25. *de regul. c.* 19. ad tollenda multa scandala, quæ oriri poterant ex ijs, qui post professionem emissam volebant exire è religione, sub prætextu, quod professio fuerit nulla ob metum v. g. vel quid simile; statuit tempus præfixum, intra quod reclamare possent, & modum etiam quo audiri debent his verbis. (*Quicumque regularis prætendat se per vim, & metum ingressum religionem, aut etiam dicat ante ætatem debitam professum fuisse, aut quid simile, velitque habitum dimittere quacumque de causa: aut etiam cum habitu discedere sine licentia superiorum, non audiatur, nisi intra quinquennium tantum à die professionis, & tunc non aliter nisi causas, quas prætenderit, deduxerit coram superiore suo, & ordinario; quod si antea habitum sponte dimiserit, nullatenus ad allegandum quãcumque causam, admittatur; sed ad monasterium redire cogatur, & tanquam Apostata puniatur.*

2 In quo decreto notandum est primo Cõcilium loqui tam de professione expressa, quam de tacita: secundo quod quinquennium computandum est à die professionis in expressa professione, in tacita verò ab eo die, quo monacus explicuit annum, à quo habitum professorum detulit, & exercitia cæteris religiosis communia peregit, vt docet Nauarr. *com.* 4. *de regul. n.* 76. Palacios 4. *d.* 38. *disp.* 2. *col.* 32. Manuel. 2. *tit. sum.* 2. *edit. c.* 8. *n.* 1. & alij asserentes non esse in hoc correctum ius antiquum per ius nouũ Tridentini

3 Tertio nota quod dum dixit nullatenus debere audiri eum, qui habitum dimisit, intelligendum est, quando non habuit iustam causam illum dimittendi,

mittendi, & dum non resumit habitum; nam postquam resumit habitum poterit iam audiri; & causas, quas habet, allegare. ita etiam Nauarr. citatus. ad plenam autem intelligentiam casus propositi, & Concilij decreti, quod valdè necessarium est, proponam varios casus.

QVAERES I.

An decretum Trid. negans audientiam professo, qui post elapsum quinquennium vult reclamare, sit solum pro foro conscientiæ, ita vt elapso quinquennio teneatur remanere in religione, & professionem ratificare.

4 REspon. esse solum pro foro exteriori. Concilium enim ad religionum quietem; ne religiosi sæpius reclament, voluit tempus statuere, nempe spatium quinque annorum, quibus elapsis in foro externo præsumitur religiosum illum iam ratificasse professionem, & sic denegatur exitus à Iudice in foro externo. at in foro conscientiæ etiam post 20. annos, & vltra si inualide professus non ratificauit professionem, nunquam erit verè religiosus, & cessante scandalo poterit fugere: vxorem licitè, & validè ducere &c. ac si esset laicus, modo nõ emiserit votum castitatis iuxta dicta *disp. 33. & sequ.* tunc enim non poterit licitè vxorem ducere, sed solum validè.

5 Probatur quia in dicto decreto nullum est verbum pertinens ad forum conscientiæ, cum solum denegat audientiam in foro externo; ergo dicẽndum est Concilium inniti præsumptioni, quod monachus intra quinquenniũ ratificauerit professionem, sicuti *C. vidua de regul.* dicitur de ea, quæ spõte professarum actus exercuit (*velit nolit sanctimoniæ habitum, vlterius debet habere*) & omnes intelligunt hunc textũ loqui ex præsumptione, nam præsumit nouitiam per eos actus emisisse professionem; ita multo magis in hoc Trid. decreto dicendum est id loqui de foro externo, quare Nauar. *lib. 3. conf. 2. edit. tit. de reg. con. 22. n. 5.* Enriq. *lib. 11. c. 6. com. finali.* & Emanu. Sà. *v. religio. n. 71.* tenent hunc non esse verum religiosum.

6 Hinc patet primo, quod ad hoc vt præsumatur ratificatio debet esse elapsum quinquennium, quia id expresse à Trident. constituitur: quod si quæras cur *c. vide de regular.* professio tacita præsumatur per delationem habitus, & per exercitium actuum professoribus competentium absque eo quod tempus expectetur, & in hoc Trid. decreto spectandum est quinquennium. Resp. quia in casu posito à Trid. præcessit expressa professio, vnde non præsumitur facilè noua voluntas illam ratificandi; sed potius permanendi in irrita. at *in cap. vidua* nulla præcessit expressa professio, & sic facilius præsumitur tacita ipso facto. similiter ex copula spontanea statim præsumitur ratificatio matrimonij, quod metu fuit initum, ad hoc vt tollatur præsumptio fornicationis, nam nisi præsumatur, illam copulam habitam fuisse animo ratificandi matrimonium, non poterit à culpa fornicationis excusari. at in eo, qui post professionem emissam vi, aut metu, gestat habitum, nulla potest esse culpa, & sic non statim præsumenda est ratificatio professionis.

7 Patet secundo quod professus dubitans, an habuerit animum ratificandi professionem tenetur transacto quinquennio manere in religione; quia præsumptio stat pro religione ob iustissimum decretum Tridentini.

8 Patet tertio, posse superiorem, cui constat de nullitate professionis occultè professum dimittere, quando illam nullitatem probare non posset in foro externo: nam cum sciat religionem non habere ius in illum ob professionem nulliter emissam, nemini facit iniuriam dimittendo taliter professum, sicuti potest Iudex sciens innocentiam rei potest occulte dare copiam fugiendi ex Cordub. *in quæst. l. 1. q. 31.* Soto *lib. 5. de iust. qu. 4. a. 2.*

Imò

9 Imò quamuis non ſit habenda fides profeſſo, qui dicit ſe fictè profeſſum eſſe, etiam cum iuramento, nec profeſſionem intra quinquennium ratificaſſe: vt optimè docent Gaet. 2. 2. *q.* 88. *ar.* 1. Palac. 4 *diſ.* 38. *diſp.* 1. Arag. 2. 2. *q.* 88. *ar.* 1. *col.* 16. Valentia *diſ.* 6. *q.* 6. *pu.* 1. tamen ſi attentis circumſtantijs morali certitudine conijcere poſſet profeſſionem fuiſſe fictam, poteſt clam illum dimittere, modo nullum ſequatur ſcandalum. quod intelligo ſolum in foro cõſcientiæ; nam in foro externo non poteſt ſuperior tranſacto quinquennio profeſſum reclamantem audire.

10 Patet quarto hanc præſumptionẽ, qua Trid. præſumit tranſacto quinquennio profeſſionem ratificari, eſſe iuris & de iure, quia per hoc decretum tanquam firmum ius ſtatuit denegandam eſſe audientiam poſt quinquennium, & tollit omnem probationem in contrarium: ergo &c.

Probatur concluſio ex Menoch. *de præſumpt. lib.* 1. *q.* 3. vbi tres ponit præſumptiones. primam hominis, quæ eſt coniectatio in animo alicuius concepta ex aliquibus indicijs. ſecunda dicitur iuris, & eſt quædam probabilis coniectura ex certo ſigno, quod à iure præſcribitur, ita vt ſi ſit illud ſignũ, & non probetur contrarium, pro certo habeatur. tertia eſt iuris, & de iure, quam lex tanquam firmum ius ſtatuit, & excluditur omnis probatio in contrarium; huiuſmodi eſt præſumptio in dicto decreto Trid. vt patet. Ex his collige quod coniux qui ſine legitimo conſenſu alterius profeſſionem emiſit, poſſit, etiam ſi non audiatur, fugere, & ad coniugem redire ſecluſo ſcandalo.

QVAERES II.

An quinquennium à Tridentino præſcriptum religioſis ad reclamandum debeat numerari à die profeſſionis, an vero à die quo ſciuit profeſſionem eſſe nullam.

CAſus eſt iſte quidam profeſſionem emiſit per vim putans eſſe validam, permanſit in religione quatuor annos; poſt hos ſciuit profeſſionẽ à ſe factam fuiſſe nullam, & non reclamauit, niſi poſt alios quatuor annos. queritur an hic debuerit audiri, nam ex vna parte tranſacti ſunt octo anni poſt profeſſionem, ex alia vero parte, ex qua ipſe ſciuit profeſſionem, non ſunt elapſi quinque anni.

11 Reſpon. quinquennium prædictum debere numerari à die profeſſionis, ita vt ſi quis quatuor annos v. g. perſtitit in profeſſione emiſſa cum ignorantia, vel impedimento facti, non poterit niſi intra ſequentem annum reclamare; vt via ordinaria audiatur. ratio eſt quia hoc quinquennium non præſcribitur in odium negligentum (quo caſu non currit contra eos, qui ignorabant vel impediti fuerant) ſed in fauorem religionis, vt eius quieti conſulatur. quare currit à die præfixo non obſtante ignorantia, aut impedimento facti, vt optimè docent Abbas *c. ex tranſmiſſa n.* 13. *de præc.* Bal. *l.* 1. *n.* 22. *C. qui admitt.* vbi Decius *in* 1. *lec. nu.* 27. Bart. *l. in rebus. n.* 3. *C. de iure dot.* vbi Iacobin. de S. Georg. *n.* 3. Tiraq. *de retrac. lignag.* §. 35. *gl.* 4. Barbati. *de teſt. c.* 3. *n.* 33. Couar. *n.* 4. *de teſt. c.* 3. & alij; & ſic in caſu noſtro coniux, qui emiſit profeſſionem ſine legitimo conſenſu vxoris (caſu quo compræhenderetur ſub iſto decreto, quod infra videbis) ſi poſt quatuor annos ſciuit nullitatem, vnum annum habet ad reclamandum.

12 Quod ſi petas quid ſit impedimentũ facti. Reſpon. eſſe quando aliquis ob aliquam neceſſitatem v. g. quia eſt ægrotus; carceribus incluſus; vel quid ſimile, non poteſt adire iudicem, & ſuperiorem, coram quo cauſam agat. ad differentiam impedimenti iuris, quod eſt, vt docet Mattienzo *lib.* 2. *recop. tit.* 11. *l.* 8. *gl.* 12. cum multis quando ius denegat alicui poſſe comparere in iudicio, ad agendum. vt denegatur mulieri in rebus dotalibus, & minori 25. annis.

(†)

QVAE-

QVAERES III.

An ignorans profeſſionem nullam fuiſſe, vel impeditus reclamare intra quinquennium poſſit eo tranſacto per viam extraordinariam audiri, nempe petendo reſtitutionem in integrum.

13 REſpondeo non ſolum minor, ſed etiam maior, qui intra quinquẽnium non reclamauit, poteſt tranſacto quinquennio reclamare petendo reſtitutionem in integrum, & via extraordinaria audiri, quãdo intra quinquennium legitimè non ratificauit profeſſionem: ratio eſt, quia contra præſumptionem iuris, & de iure admittitur probatio, & reſtitutio in integrum datur, in iudicio extraordinario, vt docent Alciatus *de præſ. in prælud. 2. p. n. 17.* Maſc. *de prob. q. 10. n. 1. de præſ.* Ruin. *conſ. 68. n. 20. vol. 1.* Alex. *l. ſi inter ſtipulantem §. 1. nu. 3. ff. de verb. oblig.* Maſcard. Meno: ergo cum præſumptio Trid. ſit iuris, & de iure, vt n. 10. vidimus, licet non poſſit profeſſus audiri via ordinaria; poterit in iudicio extraordinario obtinere reſtitutionẽ in integrum. nam grauis læſio eſſet cogere aliquem ad perfectiſſimum ſtatum, qualis eſt ſtatus religionis, qui ad illum non tenetur; ſed ſolum ex eo quia tranſactum eſt quinquennium reclamare non poſſit. alia octo ferè validiſſima argumenta vide apud Sanch. *hic d. n. 22.* vbi pro ſe citat Nauarrum *com. 4. de reg. n. 71. & lib. 1. conſ. in vtraque edit. tit. de his, quæ vi conſ. 6.* Humada *l. 4. t. 7. p. 1. gl. 2. n. 2.* loquentem de minor.

14 Duo tamen hic aduerte. primum eſt quod maiores non poſſunt habere hoc beneficium reſtitutionis in integrum, niſi probent ignorantiam, aut impedimentum: quia illis datur hæc reſtitutio ex clauſula generali, ſi qua mihi iuſta cauſa videtur, de qua *l. 1. ff. ex quibus cauſis maiores*. Quare ipſi debent probare ignorantiam, vel impedimenta. ignorantiam quidem, vt pote rem internam, & contra quam facit præſumptio, iuramento, & alijs adminiculis, vt docet Menoch. *de arbitrarijs lib. 2. cent. t. 2. caſu 186.* Sfortias Oddus. *de reſt. in integ. p. 1. q. 38. a. 7. n. 60.* Maſcard. *de prob. con. 94. n. 20.*

Et quamuis iure cõmuni detur quadriennium ad implorandum beneficium reſtitutionis à die ſcientiæ; *c. 1. de in integr. reſt. 6. l. fin. c. de temp. in integ. reſt.* tamen in hoc caſu dicendũ eſt id non concedi, ſed tempus debere determinari arbitrio prudẽtis Nauar. *comm. 4. de reg. n. 71.* At minoribus cõpetit hoc beneficium etiamſi intra quinquennium ſciuerint nullitatem, & negligentes fuerint, nam conceditur ob defectũ ætatis vt docet Couar. cũ multis alijs. *reg. poſſeſſor. 3. p. §. 3. nu. 3.* Barboſa *l. quia tale n. 14 ff ſol. matr.*

15 Secundum, quod aduerti debet, eſt, quod ignorantia debet eſſe probabilis, & iuſta, vt ſcilicet non omiſſa ſint ea, quibus veritas ſciri, & qua prudens quisque decipi poterat, vt *lib. 2. diſp. 42.* dictum eſt; nam ſi ſit craſſa, aut ſupina, quæ eſt quando non intelligitur id, quod omnes intelligunt, non proderit; vnde ignorantia iuris non proderit eis; quia hęc non reputatur iuſta, & probabilis; *regula ignorantia 13. de reg. iuris in 6.* excipe tamen minores mulieres, ruſticos, & milites, quibus prodeſt iuris ignorantia, nam putatur probabilis, & iuſta, vt docet benè Mol. *lib. 2. de primo. c. 6. n. 69.* vide Matienzo *lib. 5. recop. t. 11. l. 8. gl. 12. nu. 10.* Hęc autem intellige quoad forum externum.

16 Nam in foro conſcientię Maior, qui reuera ſciuit profeſsionem à ſe emiſſam fuiſſe nullam, & labi quinquenniũ intra quod non reclamauit, nec ratificauit profeſsionem, poterit petere beneficium reſtitutionis in integrum. iurando ſe neſciuiſſe, quod iuramentum ita intelligendum eſt, ſcilicet quod non habuit ſcientiam, qua ratã haberet profeſsionem, vt præſumit Tridentinum, vt in ſimili, qui à Iudice rogaretur, an enſis hic v. g. ſit ſuus, vt inde ſumat præſumptionem, eum occidiſſe hominem, poterit negare cum iuramento non eſſe ſuum enſem;

quod

quod intelligitur non eſſe ſuum in eo ſenſu, quo Iudex interrogat, vt faciat præſumptionem de homicidio. & ſic de alijs vt *lib. 1. diſ. 10. & diſ. 1.* diximus.

QVAERES IV.

An decretum Trid. ſeſſ. 25. denegans profeſſos audiri poſſe via ordinaria poſt elapſum quinquennium à die profeſſionis, intelligendum ſit de ijs, qui omnino inhabiles ſunt ad profitendum, vel etiam de ijs, qui toto illo quinquennio habebant impedimentum, quo inhabiles erant ad profitendum.

CAſus iſte ſupponit eſſe aliqua impedimenta perpetua ad profitendum, aliqua vero eſſe ad tempus. impedimenta ad tempus, ſeu temporalia ſunt illa, quæ reddunt aliquem inhabilem ad profitendum, non ſemper, ſed per aliquod tempus v. g. defectus ætatis reddit inhabilem ad profitendum eum, qui habet 14. annos ſolum per duos annos, nam in 16. anno poterit emittere profeſſionem.

17 Impedimenta vero perpetua ſunt illa; quæ perpetuo reddunt inhabiles eos, qui tali impedimento laborant, vt eſt diuerſitas ſexus: v.g. mulier eſt perpetuo inhabilis ad emittendam profeſſionem in monaſterio virorum, & vir in monaſterio mulierum. vel aliqua impedimenta, quæ à religionibus in ſuis conſtitutionibus ponuntur, per quæ reddunt inhabiles eos, qui illa habent. quod debet fieri Pontificis confirmatione, aliter enim quoduis ſtatutum etiam à capitulo generale factum circa irritationem profeſsionis nullum eſſet, vt docet optimè Manuel 2. *t. ſum. c.* 3. Nauarr. *lib. 3. conſ. de regul. in* 1. *edit. conſ.* 5. Vega 2. *t. ſum. c.* 50. *caſu* 5.

18 Quamuis poſſet religio in admittenda profeſsione ponere aliquam conditionem v.g. accepto tuam profeſsionem niſi fornicatus fueris; tunc ſi profitens fornicatus fuerit, nulla erit profeſsio ex defectu acceptationis ex parte religionis, non ex aliquo decreto irritante. ſic Nauarr. Manuel l. c. Omitto hic impedimenta à Sixto v. poſita, nam ea Clemens VIII. anno 1602. reuocauit in quantum irritant profeſſiones, quæ in poſterum fient cum his impedimentis. nunc

19 Reſpon. ad quæſitum, & dico decretum Trid. non intelligi de perpetuo inhabilibus ad profitendum, vel de iis, qui durante illo quinquennio erant inhabiles, vnde fœmina v. g. quę profeſſa eſt in monaſterio virorum, poterit etiam poſt 100. annos reclamare, & via ordinaria audiri, & ille qui intra quinquennium habuit impedimentum temporale v. g. metum. aut non eſt adimpleta ętas poteſt quocumque etiam tempore ceſſante impedimento reclamare, & via ordinaria audiri. Ratio eſt, quia Trid. tollit reclamationem via ordinaria ex eo, quia præſumit fuiſſe factam ratificationem intra quinquennium: ſed illi qui aut inhabiles ſunt perpetuo, aut durante illo quinquennio non poterant valide profeſsionem ratificare: ergo non intelligit de his Trid. dum negat audientiam. nam ſi negaretur his audientia, ſequerentur maxima abſurda, vt fœmina poſſit eſſe in religione virorum v. g. & religio teneretur retinere aliquem contra proprias conſtitutiones.

20 Solum nota quod ſi impedimentum ceſſauit ſtatim poſt quinquennium vel intra quinquennium nõ debet dari aliud quinquennium ad reclamandum via ordinaria, ſed ſolum tantum temporis, intra quod potuerit reclamare, quod prudentis arbitrio determinandum eſt, vt dixi *nu.* 14. Quare dictum decretum non comprehendit coniugem, qui ſine legitimo conſenſu vxoris, ipſa viuente profeſſus eſt; nam durante coniugio, & viuente vxore eſt inhabilis ad profitendum. quodſi coniux preſtet conſenſum, aut fornicetur, aut moriatur, tunc non debet dari quinquennium; ſed ſolum tantum temporis, intra quod poſſit reclamare, vt dictum eſt, QVAE-

QVAERES V.

An ille qui tranſacto quinquennio non ratificauit profeſſionem, nec poteſt probare ignorantiam, aut impedimentum teneatur profeſſionem ratificare, vel vota ſeruare, & cæteras obſeruantias monaſterij.

31 REſpon. non teneri ratificare profeſsionem, ſed poſſe fugere è monaſterio ſecluſo ſcandalo, vt dixi *n.* 4. nec etiam teneri vota ſeruare, aut regulam; quia nullo voto eſt ligatus; ſi tamen ex inobſeruantia ſcandalum oriretur, tunc ad vitandum ſcandalum, debet omnia ſeruare; ſicuti cæteri religioſi; nam ipſe talis putatur, & præſumptio ſtat contra ipſum, cum iam quinquennium ſit elapſum. ita Gaet. 2.2.*q.* 88.*ar.* 1. Azor. *lib.* 12. *inſt. c.* 5.*q.* 1. Arag. 2.2.*qu.* 88.*a.* 1. *col.* 16. Valen. 2.2.*diſ.* 6.*qu* 6. *pun.* 1. Sotus *lib.* 7. *de iuſt. q.* 1.*a.* 2. *col.* 7. loquentes de ficte profeſſo.

32 Idem dicas de coniuge, qui profeſſus eſt ſine alterius licentia non enim tenetur ratificare ob rationem dictã.

QVAERES VI.

An religioſus inualidè profeſſus ad hoc vt poſſit ferre ſuffragia, vt alij profeſſi faciunt, alimenta à monaſterio repere, ordines ſacros recipere titulo profeſſionis ſine patrimonio; teneatur tranſacto quinquennio profeſſionem ratificare.

33 REſp. non tenetur profeſsionem ratificare non ſolum quando nõ commiſit culpam in emittenda profeſsione v.g. quia bona fide proceſsit, ſed etiam quando culpa ipſius profeſſio fuit irrita v.g. quia fictè emiſit profeſsionem non conſentiendo interius. ratio eſt quia ſtatus religioſus eſt tam arduus, vt omninò deſideret ſpontaneum conſenſum: nec culpa commiſſa remedio tam arduo dilui debet. ita etiam docet Henriquez *lib.* 11.*de mat. c.* 11. *nu.* 11. *lit. V*

34 Quare iſte poterit acceptare prelaturam quando non poteſt commodè repudiare, ferre ſuffragia, nec eius geſta erunt nulla, ſed valida cum adſit error communis, & titulus iuris L. Barbarius *ff. de officio prætoris vt diximus lib.* 3, *diſp.* 22.

35 Poterit etiam ſine peccato alimenta è monaſterio accipere, cum animo reſtituendi, dempta tamen mercede debita ſuis obſequijs, quæ præſtat in religione, & ſacros ordines ſuſcipere titulo profeſsionis. quia non poteſt hæc ſine ſua infamia cauere. nam etiã ſi aut Prælatum, aut Epiſcopum admoneat ſub ſigillo, ſe non eſſe profeſſum; nec illi fidem habebunt; & præterea magnã infamim incurret. quare ſicutiſecundum veriorem ſententiã occultè excommunicatus, aut irregularis poteſt, ne ſe prodat, & infamiã incurrat; celebrare, & beneficium acceptare cum animo reſtituendi. ita iſte fictè profeſſus poterit prædicta exequi, cum nec teneatur ratificare profeſsionem, nec poſsit, occultè Prelatum admonendo, ſibi conſulere, moraliter. n. fides non habebitur.

36 Tenetur tamen primo quærere occaſionem fugiendi, & è monaſterio egrediendi abſque ſcandalo. Secundo non poteſt petere votorum diſpenſationem à ſuo Prælato, vt alij religioſi faciunt. Tertio non poteſt abſolui à caſibus Pontifici, aut Epiſcopo reſeruatis, vt poſſunt cæteri religioſi ex aliquo priuilegio, aut confiteri cum Sacerdote, qui non eſt ab Epiſcopo, ſed à Prælato expoſitus, nam ipſe eſt mere laicus, quare Prælatus nullam iuriſdictionem habebit in foro conſcientię circa ipſum; vnde debet hæc omnia prudenter vitare. Hęc omnia prędicta poteſt facere coniux, qui profeſſus eſt ſine legitima alterius licentia, & non vult ratificare profeſsionem illa mortua, vel conſenſum præſtante.

QVAERES VII.

An ſi quis velit profeſſionem à ſe nulliter emiſſam ratificare, debeat iterum nouitiatum iterare.

37 REſpon. quando nouitiatus fuit validus certum eſt apud omnes poſſe ratificare profeſſionem abſque

nouitiatus iteratione ; quando verò nouitiatus fuit *irritus* v. g. ex eo quia ille tempore nouitiatus erat inhabilis non ſolum ad profeſſionem emittendam ; ſed etiam adhoc vt reciperetur in nouitium, puto probabilius eſſe, quod poſſit ratificari profeſſio abſque iteratione nouitiatus. Ratio eſt, quia Tridentinum *ſeſſ* 25. *de regular. cap.* 15. quando decreuit præmittendum eſſe nouitiatus annum ante profeſſionem hunc finem habuit, vt monachus religionem experiretur, & religio monachum: ſed hoc iam habitum eſt, vere enim ille, ex quo ſuſcepit habitum, expertus eſt labores religionis, & religio mores ipſius: ergo iam non eſt præmittendus iterum nouitiatus ad iterandam profeſſionem, quia hoc Concilium non intendit; quod etiam eſt verum, quamuis publicè ſciretur profeſſionem, & nouitiatum fuiſſe nullum ; quia iam habetur finis Concilij Tridentini nempè quod religioſus expertus fuerit labores religionis, & religio mores religioſi. vnde ſi quis non expleuit totum integrum annum nouitiatus, ſi velit profeſſionem iterare, ſufficit ſi compleat tempus, quod deerat v. g. ſi fuit per 9. menſes nouitius, & poſtea emiſit profeſſionem, poteſt illam ratificare poſt tres menſes, nec refert quod fuerit expletum tempus habitu profeſſorum. ita etiam Palacius 4. *d.* 38. *diſput.* 1. *col.* 33. Quod etiam intellige de coniuge, qui fecit profeſſionem irritam defectu legitimæ licentiæ alterius remanentis in ſæculo. non enim tenetur nouitiatum iterare, ſi velit ratificare profeſſionem mortua coniuge, vel conſenſum præſtante &c.

28 Contraria tamen ſententia, quæ ſuſtinet iterandum eſſe nouitiatum quando fuit irritus, eſt valdè probabilis. ratio eſt, quia quod nullum eſt nullum iuris præſtat effectum : ergo nouitiatus, qui fuit irritus non valet ad hoc, vt poſſit fieri profeſſio; cum Tridentinum petat vt ante profeſſionem fiat nouitiatus annus. ita Manuel. 2. *t. c.* 5. *num.* 2. Nauar. *lib.* 3. *conſ. de regul. in* 1. *edit. c.* 5. *nu.* 17.

PETES.

In quibus caſibus nouitiatus dicendus eſt irritus, vel non adhoc vt ſi quis velit ſequi ſecundam ſententiam ſcire poſſis quando iterandus eſt.

29 Reſpon. nouitiatum inceptum poſt pubertatem, nempè in maribus poſt 14. annum, & in fœmina poſt 12. non eſſe nullum defectu ætatis; quia licet Trid. irritauerit profeſſionem factam ante 16. annum non irritauit tamen nouitiatum ; quare remanet diſpoſitio nouitatus ſecundum ius commune, ſecundum quod validum eſt poſt pubertatem. ita Nauarr. *l. c. conſ.* 46. & 30. Enriq. *l.* 13. *de excom. c.* 40. Azor. *l.* 3. *inſt. cap.* 4 *q.* 9. Em. Sà. *religio nu.* 21.

30 Secundo nec eſſe nullum quando metu quis ingreſſus eſt religionē, quia verè ingrediens habuit voluntatem experiendi religionem licet coactam, & religio ipſum acceptat, nec ius irritat nouitiatum metu factum, ſed profeſſionem.

31 Tertio validus eſt nouitiatus, quando is, qui illum fecit, habebat aliquod impedimentum v. g. morbum Gallicum, quod ſi religios ſciuiſſet, illum non admiſiſſet : modo non ſit aliquod decretum irritans tam profeſsionem, quam nouitiatum, quamuis hic mortaliter peccaret, & in penam poſſet a religione expelli ex Nauar. *conſ.* 25.

32 Quarto validus eſt nouitiatus, quādo profeſsio fuit nulla ob fictum animum profitentis, quando nouitius ingreſſus eſt vero animo probandi religionem; at ſi ingrederetur ficto animo, vt illuderet religionem, nullus eſſet nouitiatus, & iterandus, ſequendo ſecundam ſententiam.

33 Quinto validus eſt nouitiatus factus ab his, qui ingreſsi ſunt religionē maiores 16. annis, non præmiſſa informatione: ſicuti etiam validus eſt quando illegitimus receptus eſt qui non eſt natus ex ſacrilegio, aut inceſtuoſo concubitu, quia Sixtus V. non irritauit nouitiatum, ſed ſolam

pro-

profeſſionē. at ſi illegitimus natus eſt ex inceſtu, vel ſacrilegio, tūc nullus eſt nouitiatus, quia Sixtus V. tam profeſſionem, quam nouitiatum irritauit. Solum nota quod Clemens VIII. anno 1602. reuocauit motus proprios Sixti V. quoad irritationem profeſſionum in ordine emittendarum, vt notaui *num.* 18.

34 Sexto tandem tunc nouitiatus eſt nullus, quando qui illum fecit, erat perpetuo inhabilis ad profitendum, & ſic impetrata diſpenſatione ad profitendum debet iterari nouitiatus iuxta ſecundam ſententiam. in noſtra verò nunquam eſt iterandus.

35 Quod ſi quis vt ſecurior ſuę profeſſionis ſit, velit nouitiatum iterare, poterit ſecreto ſuperiorem rogare, vt acceptet illum denuo in nouitiatu; ſed permittat vt geſtet habitum profeſſorum, & inter illos commoretur ne manifeſtetur nullitas ſuæ profeſſionis, & ſic ſuperior etiam ſi requiratur conſenſus totius monaſterij, poterit petere ab his, tacito nomine illius, qui debet profeſſionem iterare.

QVAERES VIII.

An quando aliquis vult ratificare profeſſionem nullam, tam ipſe, quam ſuperior debeant præſtare nouum conſenſum: ipſe quidem tradendo ſe religioni, & ſuperior de nouo acceptando, ita vt tam religioſus, quam ſuperior ſciant profeſſionem antea emiſſam fuiſſe nullam.

36 REſpondeo neceſſarium eſt, vt ille, qui vult profeſſionem nullam ratificare ſciat illam fuiſſe nullam, & hac poſita ſcientia de nouo præſtet conſenſum; ita vt ſi quis anno prēterito v.g. emiſit profeſſionem quæ fuit nulla, & hanc ipſe nullitatem ignorans ratificet millies profeſſionem factam; ea ſemper nulla, remaneat. ita Nauarr. *ſum. c.* 12. *num.* 71. *& com.* 4. *de regul. num.* 74. Azor. *lib.* 12. *inſt. cap.* 4. *quæſt.* 7. Graſſis 1. *parte deciſ. lib.* 3. *cap.* 5. *& lib.* 1. *diſput.* 16. *&* 2. *diſp.* 36. dictum eſt.

37 Ex parte verò ſuperioris non requiritur nouus conſenſus, ſeù noua acceptatio, ſed ſufficit ille, quem tunc habuit ſi non reuocauit, quando profeſſio fuit nulla ratione metus, aut defectu conſenſus ipſius profitentis. ratio eſt quia conſenſus ſuperioris acceptantis tunc fuit legitimus: & defuit ſolum conſenſus ex parte profeſſi: ergo hic debet ſolum ſuppleri: nam non requiritur, vt conſenſus ſit ſimul ex vtraque parte, ſed ſufficit ſi diuerſo tempore adhibeatur *l.* 1. §. *ſed verior ff. de contrab. empt.* vt patet ex dictis *lib.* 2. *diſput.* 32. in ſimili de matrimonio contracto inter perſonas habiles, ſed ſine conſenſu legitimo ex parte vnius. ita Emanuel Sà *v. religio num.* 23. Manuel. 2. *tom. ſum. cap.* 92. *concl.* 5. quamuis probabile etiam ſit requiri nouum ſuperioris acceptantis conſenſum; vt ex dictis *lib.* 2. *diſput. citata* patet ducta paritate de matrimonio.

38 Imò etiam ſi profeſſio fuerit nulla ob aliquod impedimentum ſiue temporale, ſiuè perpetuum, probabile ac tutum eſt in conſcientia non requiri ad ratificationem nouum ſuperioris acceptantis conſenſum; ſed ſufficere ſi impetrata diſpenſatione, vel tranſacto impedimento religioſus de nouo præſtet conſenſum. & ratio eſt quia in hoc caſu Pontifex vt ſupremus generalis acceptat nomine religionis, vt deducitur *ex c. ſignificatum de regul. in* 6. ad hoc vt lites vitentur. ita loquens de impedimento ad tempus tenet Nauarrus *l.* 3. *conſ. tit. de regular. conſ.* 25. *in* 1. *edit.* & Graff. *loc. cit.*

39 Tutius tamen, & probabilius eſt quod quando profeſſio fuit nulla ex eo, quia erat inhabilis religioſus ad profitendum, requiratur noua acceptatio ſuperioris; quia eadem eſt ratio in matrimonio carnali, ac ſpirituali quoad hoc; ſed in matrimonio carnali contracto inter inhabiles requiritur nouus conſenſus ex parte alterius coniugis; ergo etiam in ſpirituali, nempe in profeſſione, requiri

tur notus conſenſus ex parte religionis, quæ debet etiam ſcire profeſſionem antea emiſſam fuiſſe nullam. qui tamen vellet ſequi ſententiam *nu.* 38. relatam poſſet facile reſpõdere, quod in profeſſione religionis Pontifex acceptat nomine religionis. at in matrimonio non poteſt Eccleſia ſupplere conſenſum alterius coniugis, vt docet Nauarr. *loc. cit.*

QVAERES IX.

An qui ratificat profeſſionem, poſſit tuta conſcientia frui priuilegijs, quæ ipſi cõpetunt ex eo, quia æſtimatur antiquus religioſus, cum verè ſit nouus.

40 REſpon. ſi hęc ſint præiudicium aliorum, & ſint alicuius momẽti tenetur, ſi commodè poteſt, impetrare diſpenſationem ſecretam. ſi vero non poteſt petere commodè, poteſt tuta conſcientia illis frui. at ſi hęc ſint minimi momenti, vt ſuffragia primo loco ferre, ſedere in menſa prior &c. non tenetur quærere diſpẽſationẽ.

41 Atque hæc applicanda ſunt coniugi, qui ſine licentia emiſit profeſſionem, & deindè mortua vxore, vel conſenſum præſtante vult eam ratificare, debet enim primo ſcire profeſſionem à ſe factam eſſe nullam, & hoc poſito nouum præſtare conſenſum; & ſuperior etiam debet ſcire nullitatem, & de nouo acceptare, quia erat inhabilis ad profitendum, quamuis tutum ſit, & probabile non requiri ſuperioris acceptationem, vt *n.* 39. dixi. poteſt antiquitatis priuilegijs frui ſi ſit in minimis ſine diſpenſatione. ſi verò ſint in magnum detrimentum aliorum debet petere diſpenſationem ſi poſſit commodè, alias non tenetur.

DISPVTATIO XXXVIII.

An vir poſſit ordines ſuſcipere ſine licentia vxoris, & ſi ſuſcipiat ad quid teneatur.

1 REſpon. vir non poteſt ad ordines ſacros promoueri, nec ante, nec poſt conſummatum matrimonium ſine expreſſa, & ſpontanea licentia vxoris. quando ipſa non adulterata eſt. & ſi illos ſine tali licentia ſuſcipiat animo ingrediendi religionem etiam matrimonio non dum conſummato peccat mortaliter: habetur expreſſè definitum *c. coniugatus de conuer. coniug. & extrauag. Ioa. 22. de voto (diſtrictius inhibentes, ne quiſquam durante matrimonio nondum etiam conſummato aliquẽ de ſacris ordinibus præſumat ſuſcipere, niſi prout ſacris canonibus nouerit conuenire)* at ſacri canones requirunt alia præter ſolum animũm ingrediendi religionem. ita etiam Vega 2. *t. ſum. c.* 34 *caſu* 48. Manuel. *l.* 1. *tom. ſum.* 2. *edit. c.* 224. Petrus Ledeſ. *qu.* 53. *ar.* 4. *dub.* 1. *de matr.* at ſi Pontifex diſpenſet, poteſt ſine vxoris licentia etiam matrimonio conſummato ordines ſacros ſuſcipere; quia hæc omnia ſunt iure poſitiuo requiſita. quidquid dicat in contrarium Palud. 4. *d.* 27. *q.* 3. *a.* 3.

2 Imò coniugatus non poteſt ordines minores, nec primam tonſuram recipere ſine vxoris licentia, vt habetur *ex c. finali de temp. ordin. in* 6. vbi prohibetur Epiſcopis conferre primam tõſuram coniugatis, nisi præſtiterint ea, quæ in ſacris canonibus præſcribuntur. Et præter licentiam, & alia requiſita ex parte vxoris, de quibus *diſ. ſeq.* debet etiam habere animum ordines ſacros ſuſcipiendi, & votum continentiæ emittere in ſuſceptione primæ tonſuræ, vt conſtat *ex d. ca. fin.* & hoc fit ne iterum ad vxorem poſſit redire. ita Abbas Ant. Anch. Cord. Io. Andr. & alij *d. c. fin.* Brunell. *de ſponſ. cõcl* 30. *num.* 16. Maiolus *lib.* 1. *de irregul. cap.* 34. *num.* 1.

3 Sũt tamẽ aliqui Canoniſtę vt Hoſt. Innoc. & Henriq. *cap. coniugatus de con. coniug.* qui putant non eſſe neceſſariam vxoris licentiam ad ſuſcipiendos ordines minores, nec emittendum eſſe votum continentiæ à coniugato, qui eos ordines vult recipere. mouentur ex eo quod *c.* 2. *de cler. coniug.* ſolum prohibetur coniugatus ordines ſacros ſuſcipere; citatum vero pro noſtra

ſtra ſententiã canonem explicant, niſi Epiſcopus diſpenſet. quod eſt probabile.

QVAERES I.

An ſi vir promoueatur ad ordines ſacros abſque licentia ſpontanea vxoris, poſſit ipſa illum reuocare, qui ordines ſacros ſuſcepit, vel etiam ad Pontificatum bona fide aſſumptus eſt.

4 REſpondeo poſſe reuocare ad ſe virum, quando ipſa non conceſsit licentiam, vel si conceſsit, fuit metu, vel dolo, nam vxor habet ius in virũ, & non poteſt eo iure priuari sine ſpõtanea licẽtia; ergo dũ abea aufertur hoc ius ipſa ſpõte nõ concedente, poteſt ius ſuum repetere. ita Aſtenſ. *ſum.* 2. *p. lib.* 8. *t.* 22. *a.* 2. *q.* 1. Maiol *l.c.* Syl. *ma.* 8. *q.* 12. Monal. *ſum. vbi de voto* Arm. *v. duor. n.* 13. Azor *lib.* 13. *inſt. c.* 14. *q.* 12. Ant. Cucus *lib.* 4. *inſt. t.* 12. *n.* 194.

5 Quod si vir ſuſcepit ordines ſacros vxore ſciente, & diſsimulante; non tamen expreſsè conſentiente, poteſt nihilominus illum ad ſe reuocare, quia non poteſt iure ſuo priuari, niſi expreſsè illud renunciet. ita Sylu. Armilla, Azor & alij l.c. quamuis multi probabiliter teneant in hoc caſu reuocari non poſſe, nam vxor dum commodè reclamare poteſt, & non reclamat, videtur conſenſum præſtare. ita Aſten. *l.c.* Archid. Turrecr. & alij *c. quia ſunt d.* 28.

6 At si vxor virum non reuocet petendo ab eo debitum, non poteſt vir ſponte ad ipſam redire; quia ordo omnem valorem habuit, & ex vi ordinis tenetur ad continentiam, quare ſolum vxorem monere debet, quod ſit paratus ad ipſam redire, ſi repetat.

QVAERES II.

An vir, qui ordines ſacros ſuſcepit, teneatur religionem ingredi, ne ad vxorem redeat.

7 REſp. non teneri ingredi quamuis matrimonium nondum conſummatum ſit, etiam si ſuſceperit ordines animo ingrediẽdi religionẽ: modo nõ fuerit votum. probatur ex extrauagãti Ioannis 22. de voto ibi (*ad ingreſſum huiuſmodi ſic ordinatum ſi matrimonium conſummatum nõ ſit, per dioeceſanum inſtanter moneri præcipimus*) non eſt ergo præceptum, ſed admonitio, & conſilium. ita Gloſ. *d. extrau. antiquæ* Lud. Lopez. 1. *p. inſtruc. c.* 50. *§. ecce iſte.*

8 Contra Hoſtienſem; Archid. Aſtenſem, D. Ant. & alios, apud Sanc. *n.* 17. putant hunc teneri religionem ingredi, quia poteſt implere votum caſtitatis ingrediendo religionem; ergo tenetur; quod fusè probant *lib.* 9. *diſp.* 34. de eo, qui votum caſtitatis emisit ante matrimonium contractum.

9 Tenetur tamen si nolit ingredi religionem, quãdo ab vxore reuocatur, matrimoniũ conſummare, vt expreſsè definitur dicta extrauaganti. Excipe tamen nisi ad Pontificatum promotus fuiſſet. tunc enim poteſt in matrimonio rato sibi diſpenſare, & ad coniugem non redire.

10 Tenetur etiã reddere debitum siuè matrimonium fuerit ratum, siuè conſummatum, non poteſt tamen petere; quia debet ex voto caſtitatis abſtinere in quantum lex matrimonij permittit, vt docet D. Th. 4. *d.* 37. *q.* 1. *ar.* 2. vbi Palud. *ar.* 1. *num.* 9. Sotus 4. *d.* 38. *q.* 1. *a.* 2. Valentia *par.* 4. *diſ.* 10. *q.* 5. *p.* 3. Petrus Ledeſ. *de matr. qu.* 53. *art.* 4. Vega *ſum. t.* 2. *ca.* 34. *caſu.* 48. *lex regia.* 40. *tit.* 6. *p.* 1. vbi Monaldus Gaeta *repe. c. ad limina* 30. *q.* 1. *§.* 4. *q.* 195. & alij; poteſt tamen euenire, vt poſſit petere, quãdo videret periculum incontinẽtiæ in vxore, quę erubeſcit petere &c. tunc enim potius eſt redditio, vt *lib.* 9. dicemus. Et idem dic de græco; qui sine licentia vxoris fieret ſacerdos ex D. Thom. citato.

11 Diſſoluto vero matrimonio per mortem vxoris, non poteſt vir, qui ſacros ordines ſuſcepit, matrimonium inire, & si illud contrahat, erit nullum; quia ordo tenuit, & ſolum reſtitutus eſt vxori ob debitum iuſtitiæ. ita Innoc. Hoſt. Francus, & alij per multi

multi *cap. placet de conu. coniug. & c. vnico de voto.*

12 Solum nota. quod vxor non tenetur reddere debitum viro, qui sine ſua licentia ordines ſuſcepit; vel ſi cũ licentia ordines ſuſcepit, aut profeſſionem emisit; tamen ipſa cum eſſet iuuenis, non emisit votum continentiæ, vt ſupra *aſſp.* 33. diximus; quia in his casibus vir mutauit validè ſtatũ; ergo ceſſit plenè iuri, quod habebat debitum petendi. licet probabile sit vxorem in his casibus teneri debitum reddere, quia maritus non amisit ius iuſtitiæ, licet peccet petendo ob votum caſtitatis. Contra vero si profeſſio fuit inualida tenetur vxor reddere debitum viro; quia is per illam profeſsionem non mutauit ſtatum. vide D. Thomam, Vegam, Petrum Ledeſmam *loc. citato* Aſtenſem *ſum. 2. par. lib. 8. tit. 22. art. 2.* Manuel. 1. *t. ſum. 2. edit. c. 224. n. 4.*

DISPVTATIO XXXIX.

An præter vxoris licentiam alia requirantur ad hoc vt vir ordines ſuſcipiat.

1 REſp. ad hoc vt vir licitè poſſit ad ordines ſacros promoueri, non ſufficit ſola vxoris licentia; ſed præterea requiritur: vt ſi ea ſit ſenex non ſuſpecta de incontinentia emittat votũ caſtitatis; ſi verò ſit iuuenis, aut dein cõtinentia ſuſpecta vltra votũ caſtitatis debet ingredi in religionem, vt ſupra diximus, quando vir profitetur. non reqiritur tamen licentia Epiſcopi. probatur ex Concilio Agathenſi *c. 16. & 17.* ibi (*vxorum voluntas ita requirenda eſt, vt ſequeſtrato manſionis cubiculo religione promiſſa, poſteo quam pariter conuerſi fuerint, ordinentur*) & ratio eſt, quia ſi vxor remaneret in ſæculo cum viro, magnum eſſet periculum incontinentię, poſſet enim ab illo ſæpius viſitari &c. ita ex Theologis Albert. Magnus, Angles flor. Viguerius, Barthol. à Ledeſma, Cord. Henr. Sotus, & alii apud Sanch. *num. 6.* cum Gloſſ. *c. ſi ſe v. ſeparentur. d. 28.* Inoc. *c. coniugatus de conu. coniug.* Hoſt. Ant. ibi Domin. *d. c. ſi ſe.* Greg Lopez. *l. 38. t. 6. p. 1. v. muy vieja* Couarr. 4. *dec. 2. p. c. 6. §. 3.* Turrecr. *c. ſimulier art. 2. d. 28.* Præp. *c. quia ſunt d. 28.*

2 Sunt tamen multi, qui putant non eſſe neceſſarium, vt vxor ingrediatur monaſterium, ſed ſufficere, ſi votum caſtitatis emittat ſiuè ſit ſenex, ſiuè iuuenis. quia *c. coniugatus de conuerſ. cõiug.* ſolum votum caſtitatis exigit, ergo non eſt cur ingreſſum in religionẽ ponamus. ita Monaldus *de voto coniu.* Brunell. *de ſponſal. concl. 30. nu. 6.* Franc. Marcus *deciſ. 734. num. 2. par. 2.* Gaeta *repet. cap. ad limina 30. quæſt. 1. §. 4. quæſt. 195.* & alij, & eſt ſatis probabilis hæc ſententia.

QVOD SI PETAS.

An vxor, quæ licentiam conceſſit viro, vt ordines ſuſciperet, ſed non emiſit votũ caſtitatis, poſſit illum reuocare.

3 Reſpon. cum hac diſtinctione. ſi vxor ſciebat diſpenſationem iuris eſſe vt quando vir ordines ſuſcepit, ipſa votum caſtitatis emittat, vel profiteatur, non poteſt illum reuocare; ſed cogenda eſt vouere, aut ingredi religionem, ſi ſit iuuenis, vel ſuſpecta in noſtra ſententia *n. 1.* relata, vel iuxta ſecundam ſententiam *n. 2* relatam cogenda eſt votum caſtitatis emittere, quia eo ipſo quod licentiam conceſſit viſa eſt ſe velle obligare ad caſtitatem, vel ad ea omnia, quæ requiruntur. At ſi erat ignara iuris, poterit ex officio iudicis virum reuocare ad ſe, & tunc vir tenetur ipſi debitum reddere; non tamen poteſt petere, ipſa verò non tenetur viro petenti reddere, quia vir ceſſit iuri ſuo, vt diximus *diſ. præc.* vide Azor. *l. 13 inſt. c. 14. q. 11.* Ang. *matr. 4. num. 9.* Henriq. *c. vxoratus de conu. coniug.*

4 Sunt tamen, qui abſolutè dicant non poſſe reuocare. ita Cardin. *cap. coniug. eod. t.* Palud. 4. *d. 37. q. 1. a. 1. nu. 9.* contra vero Sotus 4. *de 27. qu. 1. ar. 4. col. 12.* Bart. Ledeſ. *de ſac. ord. dub. 14. col. 4.*

col.4. putant pōſſe reuocari, ex eo quia non fueruut ſeruata ea, quæ iure præſcribuntur.

DISPVTATIO XXXX.

An vxor quæ ſponte licentiam viro dedit, vt ordines ſacros ſuſciperet, vel per vim, aut dolum, vel ſciens eius promotionem ad ordines diſſimulauit, poſſit viro defuncto matrimonium validum contrahere.

1 REſpondeo, ſi vxor ſponte dedit licentiam viro, ſiuè ignara fuerit iuris, ſiuè non, poteſt contrahere matrimonium mortuo viro, & ſi illud contrahat, erit irritum. Ratio eſt, quia Eccleſia in reuerentiam ſacrorum ordinum irritauit ſubſequens matrimonium ab vxore contractum; quando ipſa dedit licentiam, vt vir ordinaretur ſiue emiſerit votum caſtitatis, ſiuè ius ſciuerit, ſiuè non; nam textus infrà allegandi indiſtinctè loquuntur. Probatur *ex c. quia ſunt diſt.* 28. quod eſt D. Gregorij *lib.2. Epiſt.59. & ex c. ſi qua vidua diſt. eadem* quod eſt ex Concilio Martini Pontificis, & alibi. ita tenent ex Theologis D. Bonau. *4.d.37.* Palud. *d.* 38. *q.2. a.* §. D. Ant. *3. p. t.1. c.8. fine.* Azor. *lib.13. inſt. c.14. q.11.* Goffr. *ſum.* Abb. *c. conſtitutus de conu. coniug.* Arch. *c. quia ſunt* vbi Dom. Greg. Lopez. *l.40. ti.6. p.1. ver. que ha en ſi la orden.* Gaet. *repet. c. ad limi.* 30. *q.9.* §. *4. n.469.* quamuis in ratione diſcrepent. quod etiam verum eſt apud Græcos, promittunt .n. illi continentiam reſpectu futuri matrimonij. ſic Gloſſ. *c. quoniam v. continentes d.28.* & Gaet. contra Archid. eo capite dicentem non habere id locum apud Græcos.

2 At ſi vxor metu, aut dolo conſenſit, aut diſſimulauit, poteſt inire matrimonium, non .n. videtur rationabile, vt vxor innocens ob viri delictum, qui pervim conſenſum extorſit, detrimentum patiatur, neque in re tam ardua ſola diſſimulatio debet reputari conſenſus vt *diſ.* 38. dixi; quidquid in contrarium dicant Turrecrem. Henricus, Gaeta, Aſtenſ. ſuper relati.

DISPVTATIO XXXXI.

Quænam requirantur ad hoc vt maritus licite poſſit fieri Epiſcopus, aut Cardinalis.

1 REſpon. ad hoc vt vir Epiſcopus efficiatur, requiritur vt vxor ſiuè ſit iuuenis, ſiuè ſenex profeſſionem emittat in religione. ratio eſt ob Epiſcopalis dignitatis excellentiam; quare ſi vir fiat religioſus, & vxor ſenex maneat in ſæculo, ſi deindè debet fieri Epiſcopus, opus eſt vt vxor monaſterium ingrediatur, & profeſſionem emittat. eſt communis ſententia, & probabilior. quamuis probabile ſit non requiri aliud præter ea, quæ *diſp.* 39. diximus requiri ad hoc vt vir ordines ſacros ſumat, vel profiteatur. ita Sotus *4.d.27. qu.1.* & Angles flor. *1.p. de matrim. quæſt.1. de eſſent. d.27.a.3.*

2 Ad hoc autem vt ad Cardinalatum promoueatur, non requiruntur niſi ea, quæ ad ordines ſacros ſumendos diximus requiri *diſp.39.* quia nullus eſt textus, aut ratio aliud perſuadens.

DISPVTATIO XXXXII.

An clericus conſtitutus in minoribus ſi contrahat matrimonium validum, amittat beneficia Eccleſiaſtica.

1 DIco primo clericus in minoribus ſi contrahat matrimonium validum ſiuè ſit conſummatum, ſiuè non; amittit ipſo facto, abſque alia ſententia Iudicis beneficium. ita vt etiam ſi vxor ſtatim moriatur, antequam beneficium alteri ſit collatum, non poſſit illud retinere, abſque eo quod denuo ipſi conferatur, aut renunciare in fauorem tertij. Ratio eſt quia hoc non eſt ſtatutum à canonibus in pœnam delicti: nam Clericus in minoribus conſtitutus nullum delictum committit contrahens matrimonium; ſed eſt ex eo, quia aſſumi-

tur

tur ſtatus incompatibilis cum benficio; & ſic videtur clericus per matrimonium renunciare beneficium; ergo ſtatim ac init matrimonium abſq; alia iudicis ſententia, amittit beneficium; ita vt ſtatim poſſit alteri conferri tamquam vacans: ſic tenent inter innumeri Iuriſtæ, Bernar. Diaz. *pract. can. noua edit. c.* 80. *n.* 5. vbi Salſedo Bermond. *de publicis concubin. §. qui vero ſolutus eſt.* Gygas *de penſion. q.* 54. Ludou. Gomez *reg. de Ann. poſſeſ. q.* 21. Staphilę *de literis gratiæ in* 5. *modo. n.* 2. Iul. Clar. *l.* 5. *recep.* §. *finis in pract. crim. q.* 73. Maſcardus *de prob. concl.* 182. Perez. *l.* 5. *ordin. t.* 1. *l.* 1. Humoda *in add. ad* Greg. Lop. *l.* 4. *ti.* 6 *p.* 1. Euerard. *conſ.* 3. *& c.* Manuel. Lud. Lopez & alij multi contra Alen. Carrerium, & Manuel qui putant ad hoc vt talis clericus priuetur beneficio requiri ſententiam Iudicis. apud Sanch. *n.* 3.

2 Dico ſecundo non ſolum beneficia emittuntur per matrimonium, ſed etiam ius ad beneficium obtinendum, vt acceſſus, & regreſſus &c. vnde ſi quis impetrauit à Pontifice reſcriptum, vt vacante beneficio ſibi conferatur, & interim dum non vacat, vxorem accipiat, etiam ſi ea moriatur, ita vt vacante beneficio, ipſe non ſit vxoratus, non poteſt tamen illud obtinere, quia ius ſemel amiſſum nõ reuiuiſcit. Tiraquel. *de retrac. ſignag. §.* 26. *gl.* 2. Salzedo Iul. Clar. Humand. *l. c.* Couar. 4. *decr. 2. p. c.* 6. §. 3. Phyl. Probus *c. vnc. de cler. coniug.* 6. *in add. ad monachum.* Domin. Io. And. Anch. ibi. Zauallos *q. pract. q.* 147. Nauar. *c. ſi quando excep.* 6. *de reſcript.*

3 Dices quidam erat illegitimus, aut aut inhabilis obtinendi beneficium, impetrauit dispenſationem, poſt eam diſpenſationem vxorem duxit, an hic mortua vxore, poſſit beneficium accidere.

Reſpondeo poſſe quia ea diſpenſatio non fuit amiſſa per matrimonium nam non eret ius ad beneficium, ſed ſola oblatio impedimenti. Quamuis Philippus Probus *l. c.* defendat latiſſimè extingui talem diſpenſationem, ſed eius rationes noſtro argumento ſoluuntur.

4 Ex his infertur quod clericus ſtatim ac contrahit matrimonium tenetur beneficia renunciare, & ſi illa retineat tenetur reſtituere beneficium, & fructus perceptos poſt matrimonium cõtractum, ſecundo non poſſe clericum coniugatum recipere beneficia, & ſi illi conferantur, eſt nulla collatio; quia clericus coniugatus excepto priuilegio canonis & fori reputatur vt merè laicus eſt incapax obtinendi beneficiũ Eccleſiaſticum, vt omnes docent; *c. cum adeo de reſcrip.* nec ſufficit habere habitũ clericalem cum animo ſumendi ordines ex lamb. *de iur. patr. lin.* 2. *parte* 1. *quæſt.* 7. *art.* 29: contra Gloſſ. *c.* 2. *de inſtit.* quod adeò eſt verum vt etiamſi per triennium poſſederit beneficium poſſit ab ipſo auferri, nam ipſum non iuuat regula de triennali poſſeſſione, qua diſponitur vt excommuninatus, & irregularis obtinentes beneficium, ſi per triennium habuerint, non moleſtentur. ita Rebuffus *de pacificis poſſeſſor. n.* 187. Lud. Gomez. *reg. de triennali q.* 26.

5 In duobus tamen caſibus clericus coniugatus poteſt beneficium obtinere primo quando promoueretur ad ordines de licentia vxoris, quæ præſtiterit ea, quæ ſunt neceſſaria, vt *diſ.* 39. diximus; aut ſi vxore adulterante ipſe ordines ſacros ſuſcipit, nam tunc matrimonium eſt ſolutum quoad vſũ, & cohabitationem, & in hoc ſenſu intellige *cap.* 2. *de cler. coniug.*

Secundo obtinere beneficium ſiuè ſit ſimplex, ſiuè curatum de ſola Pontificis licentia; quia expreſſè Epiſcopis interdicitur conferre beneficia cõiugatis *c.* 2. *& c. diuerſis de cler. coniug.* adde quod clerici coniugati ſe habent vt merè laici, ſed laici non poſſunt vllum beneficium obtinere nisi de ſola licentia Papæ ita tenent Aegid. & Florianus apud Imola *c. Ionnes n.* 6. *de cler. coniug.* vbi Abbas Bened. Capea *reg.* 97 *n.* 33. Alex. Carr. *lib.* 3. *de ſponſ. cap.* 3. & alij.

6 Contra ſpeculatorem Hoſt. Io: Andream

dream Car. Imolã,& alios *d.c. Ioannes.* qui putant poſſe clericum obtinere beneficium Eccleſiaſticum ex diſpenſatione Epiſcopi, ſi illud ſit merè ſimplex, & alij addunt, & non ſit dignitas. mouentur ex eo, quia Epiſcopus diſpenſat cum homicida, & cum irregulari ad hoc vt poſſit obtinere beneficium ſimplex; ergo etiam cum clerico coniugato. Atque hæc ſententia non caret probabilitate.

Solum hic nota quod in omniũ ſententia clericus qui contrahit ſponſalia non amittit beneficia, quia ea ſunt via ad ſtatum incompatibilem cum beneficijs Eccleſiaſticis, nempè ad matrimonium, ſic Io: Andrea, Card. Anchar. Probus, & alij 20. fere canoniſtæ cum Azor. Em. Sà, Vega, & alijs Theologis. ſupra cit. & apud San. *n.* 1.

DISPVTATIO XLIII.

An ſi Clericus contrahat matrimonium, quod ſit irritum, amittat ipſo facto beneficia Eccleſiaſtica.

1 REſpon. probabilius eſt clericum non amittere beneficia Eccleſiaſtica ipſo facto, quoties matrimoniũ eſt irritum, ſiue ipſe dum contrahit ſciat eſſe irritum, ſiue non, ſed in pœnam delicti à Iudice per ſententiam debet illis priuari. ratio eſt, quia non præſtat impedimentum, quod de iure non ſortitur effectum *de reg. iur. in.* 6. & quod nullum eſt, nullum poteſt producere effectum *l.* 4. §. *condemnatus ff. de ſententia* ; *& re iudic.* Nec poteſt dici quod debet ipſo iure vacare beneficium ex eo, quia per matrimonium irritum videtur clericus ipſi renunciare; nam renunciatiõ tacita non poteſt habere maiorem vim, quã habeat expreſſa: ſed expreſſa non facit vt beneficia vacent niſi fiat in manibus Epiſcopi, vel ſuperioris *C. cum quidem & c. admonet de renunc.* ergo neque tacita poteſt facere vt vacet beneficiũ niſi fiat in manibus Epiſcopi. ita etiã Card. *Clem. nu.* 10. *q.* 17. *de reſcrip.* Decius *conſ.* 166. Io. Lignano *c.* 1. *de ſponſ.* 6.

2 Vnde clericus poſt matrimonium irritum poteſt reſignare beneficium in fauorem tertij, quia non amittit ius, niſi poſt ſententiam Iudicis. vt ex dictis *diſp. præc.* conſtat.

3 Sunt tamen in hac re duę ſententię valde probabiles. vna aſſerit tunc clericum amittere ipſo facto beneficia, quando cõtraxit matrimonium, quod neſciebat eſſe irritum, quia quantum in ſe eſt, iam hic renunciat tacitè beneficio, aſſumendo ſtatum incompatibilem cum beneficio, quando vero ſcit tale matrimonium eſſe irritum, non amittit beneficia, niſi poſt Iudicis ſententiam; nam tunc non vult aſſumere ſtatum incompatibilem cum beneficio. ita *d. clem. gratiæ.* Phil. Probus *ad. admonach. c. vni. de cler. coniug.* Ben. Capra. *d. clem. n.* 45. Ad hanc ſententiam reducuntur illi, qui dicunt non vacare ipſo facto beneficia, quando matrimonium fuit irritum defectu conſenſus ex parte clerici, vel quando defuit ætas ex parte fœminæ, ſi clericus talem defectum ſciebat; vacare vero quando ignorabat fœminam eſſe inpuberem. vide Io: And: Ant. Card. Anch. Abb. Imolam Henr. *c.* 1. *de cler. coniug. & c. Ioannes. eod.* Iaſon. *l. vbi pactum n.* 25. Bened. Capra. *cit.* Bernard. Diaz. *prac can. c.* 80.

4 Alia ſententia diſtinguit varios caſus, in quibus matrimonium eſt irritum, & in aliquibus putat ipſo iure vacare beneficia, in aliquibus vero poſt ſententiam iudicis. vacant ipſo iure quando eſt irritum ex eo quia fuit cõtractum poſt ordines ſacros; vel ſi fuit contractum cũ ordinibus minoribus, fuit irritum ob conſanguineitatem; vel ob aliquod impedimentum dirimens, quia ſi matrimonium validum iniens amittit ipſo iure beneficia, à fortiori amittit ille, qui iniuſtè init matrimoniũ; in alijs vero caſibus requirunt Iudicis ſententiam. ita tenent permulti canoniſtę Car. Archid. Anchar. Mont. *l.* 41. *gl. vnic. t.* 6. *p.* 1. *deciſ. capell. Toloſanæ Aufrer.* 240. *n* 4: Couar. 4. *dec.* 2. *p. c.* 6. §. 3 *n.* 4. Rom. *conſ.* 483 6. Iaſon. *l. vbi. pactũ n.* 25. Toleſ. Tiraq. *de retrac. lignag.* §. 26.

gl. 2. *n.* 9. Ant. Gabr. *t.* 1. *comm. lib.* 3. *fol.* 108. *v. clericus beneficiatus.*

DISPVTATIO XXXXIV.

An clericus, qui contrahit matrimonium amittat pensiones.

1 REspondeo si pẽsio detur pro ministerio merè temporali vt pro pulsandis campanis, pro aduocatione in beneficium Ecclesiæ, vel pro militia, & laboribus susceptis in beneficium Ecclesiæ, non vacat post contractum matrimonij. ita Card. *clem.* 1. §. *eadem quæst.* 6. *de suppl. negl. præla* Lud. Gomez. *reg. de ann. posses. qu.* 21. Gygas *de pens. q.* 54. At si pensio detur titulo clericali v. g. quis renunciauit beneficium, vel ius quod habebat ad beneficium, vt detur pensio ducentorum aureorum singulis annis vacat per matrimonium iuxta ea, quæ dicta sunt duobus disputationibus præcedentibus de vacatione beneficiorũ; quia hae pensiones dantur titulo clericali; ergo qui assumit statum incopatibilem cum statu clericali videtur renunciare pensiones. ita Couarr. 4. *decr.* 2. *p. c.* 6. §. 3. Greg Lopez. *l.* 41. *v. tit. beneficio t.* 6. *p.* 1. Salzedo *add. ad Ber. Diaz. c.* 8. Iul. Clar. *l.* 5. *recep.* §. *fin. prac. quæst.* 73. *num.* 5. Azor. *lib.* 13. *inst. c.* 13. *quæst.* 8.

2 At si ex tenore litterarum pontificiarum appareret quod mens Pontificis est, vt pensio duret toto tempore vitæ pensionarij; tunc non vacant pensiones per contractum matrimonij, nam videtur Pontifex in hoc casu velle dispensare. Potest enim Pontifex non solum dispensare, vt retineatur pensio: sed etiam clerico coniugato, vel laico, qui inhabiles sunt ad pensiones, quæ titulo clericali conferri solent, pensionem conferre non solum ob ministeria exhibita Ecclesiæ; sed etiam ob paupertatem. quia potestas Pontificis in conferendis pensionibus non est ad id alligata, vt docent Victoria *relec. 1. de simon. num.* 50. Nauar. *sum. cap.* 25. *num.* 119. Gutier. *quæst. can. lib.* 2. *cap.* 5. *num.* 26. Manuel. 2. *tom. sum. cap.* 21. *num. pen.* contra Sotum *lib.* 10. *de iust. quæst.* 5. *art.* 7. *col.* 4. qui ait absurdum esse concedere pensiones ob aliam causam, quam ob Ecclesiæ famulatum.

QVAERES I.

An si Pontifex conferat pensionem Francisco hoc pacto, vt eam retinere possit si ad ordinem militarem transeat, & in eo professionem emittat, & postea ineat matrimonium iuxta talis religionis formam, at Franciscus ante annum nouitiatus faciat professionem, & vxorem ducat, possit pensionem retinere.

3 REspondeo posse, quia talis professio facta ante annũ nouitiatus est valida, & sic iam impleta est conditio apposita à Põtifice; quod autem hæc professio sit valida patet, quia Concilium Tridentinum *sess.* 25. *cap.* 15. *de regul.* irritans professiones emissas ante annum nouitiatus, non comprehendit religiones militares, qui vitam in communi non degunt, nec perfectam castitatem, sed coniugalem tantum vouent. quia milites harum religionum non sunt in propriissimo rigore religiosi. ita Flaminius *de resig. benef. lib.* 3. *quæst.* 2. *a. nu.* 115. qui dicit olim de hoc casu dubitatum esse, & sic fuisse resolutum, & ita censuit maior pars Cardinalium Congreg. Concil. Triden. quæ postea decreuit nouo suo statuto vt milites D. Ioannis in eo decreto Concilij includerentur. Nauar. tamen *lib.* 1. *conf. t. de his quæ vi in* 1. *edit. conf.* 5. & Manuel. 2. *t. sum. cap.* 8. *num.* 2. putant prædictum decretum Concilij comprehendere omnes religiosos militares, & per consequens in casu posito dicent non posse hunc professum ante annum retinere pensionem, quia non impleuit conditionem, cum professio fuerit nulla.

(†)

DIS-

DISPVTATIO XXXXV.

An Clericus, qui recipit penſiones, vel beneficia, vel illa retinet animo non permanendi in ſtatu clericali; ſed ineundi matrimonium, peccet.

1 REſpondeo qui accipit beneficiũ curatum ſine animo aſcendendi ad ſacerdotium intra annum poſt beneficij acceptionem, peccat mortaliter, quia contrauenit præcepto iuſtiſſimo Concilij Lugdunenſis, & *c. cõmiſſa de elect. in 6.* vbi habetur (*cæterorum ſi promoueri ad ſacerdotium non intendens, parochialem receperis Eccleſiam, vt fructus ex ea per annum percipias ipſam penſionem dimiſſurus (niſi voluntate mutata promotus fueris) teneberis ad reſtitutionem fructum eorumdem cum eos receperis fraudulenter.*)

Ex quo loco collige primo quod ſi quis accipiat beneficium curatum animo aſſumendi ſacerdotium intra annum; & poſtea mutat voluntatem, non tenetur fructus perceptos reſtituere. Secũdo ſi accipit animo nõ aſſumendi ſacerdotium intra annum, & non mutat voluntatem tenetur fructus reſtituere: in conſcientia, abſque alia iudicis ſententia, & poteſt etiam pro foro externo compelli, & ipſo nõ reſtituente, tenetur reſtituere ille, qui ſciens hunc animum, contulit beneficium; quia fraudulenter egit, & contra iuſtitiam Eccleſiæ iniuriam intulit. Tertio quod ſi nolit reſtituere debet mutare animum illum non accipiendi ſacerdotium, aut fructus reſtituere cum beneficio nam dum durat in illo animo peccat mortaliter ita etiam Angel. *v. clericus 7. num. 5.* Sotus *lib. 10. de iuſt. quæſt. 5. a. 6.* Nauar. *ſum. cap. 25. nu. 118.* Gutier. *quæſt. can. lib. 2. cap. 5. num. 23.* Gabriel. 4. *d. 15. q. 8. ar. 3. dub. 1.*

2 Aduerte hic quod ſi is, qui non habuit animum aſcendendi ad ordines ſacros, & recepit beneficium, ſi mutet animum poteſt beneficiũ, & fructus retinere abſque alia collatione; quia *c. licet & d. c. commiſſa* non irritauit titulum; ſed ſolum priuat beneficio, & fructibus, & ſimiliter nec dominium fructuum perceptorum abſtulit; quare ſi Parochus durante animo non aſcendẽdi ad ſacerdotiũ donet eos in propria ſpecie Franceſco v. g. nec ob id eſt factus impotens, non tenetur Franciſcus eos reſtituere Parocho non reſtituente, quia accepit à vero Domino. ita Nauarr. *c. quando de conſecr. diſ. 1. cap. 21.* contra Francũ *c. commiſſa de elec. in 6.* Sotum *loc. c.* D. Ant. *3. p. t. 15. c. 1. §. 3.* putantes parochum non habere dominium talium fructuum.

QVAERES II.

Clericus quidam recepit beneficium curatum non intendens ſacerdotium ſumere poſt ſex menſes mutauit voluntatem, & vult ſacerdos fieri, An teneatur reſtituere fructus perceptos primo ſemeſtri, quando caruit intentione, vel ſi recepit cum intentione aſcendendi ad ſacerdotium, ſi poſtea poſt quatuor menſes mutet animum teneatur fructus poſtea perceptos reſtituere.

3 REſpondeo primo ad primum caſum non teneri, quia *d. cap. commiſſa §. cæterum*, hunc non obligat, niſi quando non mutaret voluntatem, nec hic fraudat Eccleſiam, immò ſi Epiſcopus diſpenſet, vt ratione ſtudiorum, non aſſumat ſacerdotium, poſt ſeptennium; poterit hic fructus percipere; ſed debet fieri intra annum ſubdiaconus. nam Parochus iſte ſatisfacit ſuæ obligationi, accipiendo ſubdiaconatum intra annum cum diſpenſatione Epiſcopi, ne ad ſacerdotium promoueatur; niſi poſt ſeptennium: quod Epiſcopus poteſt facere anno non dum elapſo poſt acquiſitum beneficium, vt docet Rebuffus. *praxi benef. tit. de non promotis intra annum num.* 43. cum aliis.

Contra vero ſi clericus mutet voluntatem, & velit Sacerdos fieri, ſi ob aliquod impedimentum intra annum

non fiat, amittit beneficium, & tenetur fructus reſtituere; quia vere iſte voluntate mutata non recepit ſacerdotium; ergo tenetur iuxta diſpoſitionem canonis reſtituere fructus.

4 Reſpondeo ad ſecundum caſum. Nec ſi recipiat beneficium cum animo ſuſcipiendi Sacerdotium; ſed poſtea mutet animum, tenetur fructus poſtea perceptos reſtituere. ratio eſt quia *d.c.commiſſa §.cæterum* ſolum obligat fructus reſtituere, quando recepit beneficium ſine intentione aſſumendi Sacerdotium; ſed iſte iam quando recepit beneficium, habuit intentionẽ: & quamuis culpa ſit retinere beneficium poſt mutatam intentionem; tamen longe grauior eſt illud recipere ſine intentione ſacerdotij. ita etiam Nauarr. *c.quando de conſ.d.* 1. *c.*21. *n.*50. Manuel. 1. *t.ſum.*2. *edit.c.*3. *n.*6. Vega 1. *t.ſum.c.* 36. *caſu* 23. contra Sotum. *l.* 10. *de iuſt.q.*9. *art.*6. Toled. *lib.* 4. *ſum. cap.*18. *num.*4. Gutier *quæſt. can. lib.*2. *cap.*5. *num.*23. Graff. 1. *par. deciſ. lib.* 2. *cap.*97. *num.* 54. putantes hunc teneri reſtituere.

QVAERES III.

An qui recipit beneficium curatum dubitans an debeat promoueri ad ſacerdotium intra annum, vel cum conditione v. g. ſuſcipiam Sacerdotium, niſi frater meus maior moriatur, vel tandem cum animo non retinendi tale beneficium in perpetuum, ſed donec pinguius habeat, teneatur fructus reſtituere aut peccet.

5 REſpondeo ſi ſuſcipiens beneficiũ eſt verè dubius an debet intra annum ordinari ſacerdos; peccat mortaliter recipiendo tale beneficium, & tenetur fructus reſtituere; niſi intra annum mutet animum, quia dubitans non habet intentionem aſcendendi ad ordinem ſacrum. ita Sotus Gutier. Manuel. Vega *loc.cit.* Lud. Lopez 1. *p. inſtr. cap.* 255.

Si verò ſit intentio conditionalis, vel recipit cũ animo illud renunciandi, quando pinguius habuerit, non tenetur reſtituere; & nullum peccatum committit; quia hic habet verũ animum aſcendendi ad ordines ſacros qualem petit *d.c.commiſſa.* nam intentio conditionalis eſt vera intẽtio; nec eſt textus iubens vt recipiens beneficium habeat animum illud perpetuo retinendi, poteſt enim licitè accipere beneficium cum animo inſeruiendi illi quanto tempore illud habuerit, & poſtea renunciandi reſeruata penſione. & ita non teneri reſtituere fructus tenent Graffius, Manuel, Lud. Lopez, Vega *num.*4. *rel.* contra Sotum, & Guttierrez *l.c.* non peccare autem nec quando recipit. cum animo renunciandi tenet Nauarr. *l.*3. *conſ.*1. *edit.tit. de præb. conſ.* 24. *&* c. 25. *ſum. num.* 118. Manuel & Vega cit. contra Hoſtiens. *c. relatum de cler. non reſid.* Ant. *nu.* 8. Abbat. Ang. *v.clericus* 7. *n.* 6. & alios putantes eſſe peccatum mortale accipere beneficium cum animo illud renunciandi.

QVAERES IV.

An recipiens beneficium ſimplex teneatur habere animum ad ordines ſacros aſcendendi, ita vt ſi non habeat talem animum peccet mortaliter, & teneatur fructus reſtituere.

6 REſpondeo ad primam partem de peccato. Si beneficium ſimplex habeat ſibi annexum ordinem ſacrum (quod tunc eſt, quando obligat ad aliquod onus, quod ſine ordine ſacro exerceri non poteſt) tunc recipiens beneficium ſine animo aſcendendi ad ordinem illum ſacrum requiſitum in beneficio, vel dubius an debeat recipere talem ordinem, peccat mortaliter: ratio eſt quia omni iure qui accipit aliquod officium tenetur procurare eſſe habilis ad illud: ergo qui accipit beneficium ſimplex, cui ordo ſacer eſt annexus tenetur habere animum ordinem recipiendi, vt fiat habilis ad illud beneficium. ita Sotus *lib.*10. *de iuſt. quæ.*5. *ar.*6. *col.* 4. Toled.

li. 5.

li. 5. ſum. cap. 5. Gutier. *quæſt. can. l. 2. cap. 5.* Ludouicus Lopez. *1. par. inſt. ca. 256. col. 3.*

7 Ex hac ratione apparet quod ſi quis accipiat cappellaniam, aut retineat abſque animo aſcendendi ad ſacerdotium peccat mortaliter, ſi Cappellania habet onus miſſarum, & ſit pinguis excedens ſcilicet ſummam centum aureorum pro ſingulis annis, nam ſi ſit minoris valoris non erit peccatum lethale, poterit enim onus impleri per aliud, ſi non conſtet de contraria mente fundatoris.

8 Si vero beneficium ſimplex non habet ordinem ſacrum adnexum nulla culpa eſt acceptare illud, animo permanendi in ſtatu clericali, & non aſcendendi ad ordines ſacros; quia nullum ius eſt id præcipiens, & de cætero muneri ſuo ſatisfacit ſolis ordinibus minoribus: ita Sotus Gutt. Manuel. & alij cum Nauarro l. c. qui aduertit hunc ſolum teneri habere animum, vel accipiendi ſacros ordines vrgente neceſſitate, vel vtilitate Eccleſiæ; vel renunciandi beneficium.

9 Imò acceptare hoc beneficium, vel penſionem titulo clericali collatum, animo dimittendi, & ad nuptias tranſeundi non eſt peccatum mortale; ſed ſolum veniale: ratio eſt quia iura non præcipiunt, vt hic habeat animum permanendi in ſtatu clericali; ſed concedunt vt renunciato beneficio, vel penſione ad matrimonium tranſeat. Quod autem ſit peccatum veniale patet; quia peruertitur aliqualiter ordo, nam beneficia inſtituta ſunt pro ſubſtentatione Clericorum in ſtatu clericali. Nau. *c. quando d.*

DISPVTATIO XLVI.

An Clericus in minoribus ineundo matrimonium amittat priuilegia clericalia.

1 REſpondeo clericus iniens matrimonium, etiam ſi illud non conſumet omnia priuilegia Clericalia amittit, ita vt reputetur vt mere laicus, exceptis duobus, canonis, & fori priuilegium canonis eſt quod ſi quis violentas manus in ipſum injiciat, eſt excommunicatus, & dicitur canonis, quia ſtatuitur *c. ſi quis ſuadente 17. q. 4.* priuilegium fori eſt vt non pertineat ad forum iudicis ſæcularis in cauſis criminalibus, ſiuè agatur ciuiliter ſiuè criminaliter vt habetur *c. 2. de foro compet.*

2 Ad hoc autem vt hæc duo priuilegia habeat, requiruntur tres conditiones, ita vt vna deficiente nullis gaudeat priuilegijs. prima eſt vt vnicam, & virginem ducat; ſecunda eſt vt veſtes, & tonſuram clericalem deferat. & hæ de iure antiquo *cap. vnic. de cler. con. in 6.* poſitæ ſunt. tertia de iure Tridentino *ſeſſ. 23. c. 6. de reform.* eſt vt ſeruiat alicui Eccleſiæ, quæ deputabitur ab Epiſcopo.

3 Circa primam conditionem nota primo quod quoties non habetur vera bigamia iuxta ea, quæ infra de impedimento bigamiæ; dicemus, non amittit clericus dicta priuilegia v. g. ſi vnicam & à ſe corruptam, vel ſi ab alio corruptam ipſe non conſummauit matrimonium, vel ſi cognoſcat ſuam vxorem poſt adulterium; quia ex his non contrahitur vera bigamia, per quam Clericus priuatur priuilegijs clericalibus.

Nota ſecundo quod clericus poſtea bigamus effectus, non amittit priuilegia circa delicta prius patrata, vnde ſi antequam efficeretur, ibigamus commiſiſſet aliquod delictum, non poteſt trahi ad forum ſæculare. nam ad gaudendum foro ſpectatur tempus delicti *l. 1. ff. de pœnis*. Intellige modo tempore commiſſi delicti habitum, & tonſuram detulerit. ſic Auferius *deciſ. tholos. 253.* Iul. Clar. *lib. quin. recep. q. 36. prac. crim. §. fin.*

4 Circa ſecundam conditionem nota clericum debere omnes veſtes clericales deferre, quæ autem hæc ſint cõmuni vſu determinandum eſt. ita Philippus Probus. *d. c. vnic.* Couarr. *quæſt. pract. c. 31. n. 7.* multos citans Ant. Cucus *lib. 3. inſt. maius. t. 9. nu. 71.* Farinac. *prac. crim. c. de inquiſ. q. 8. n. 65.*

Nota

5 Nota ſecundo non amitti hæc priuilegia ex eo,quia ſemel aut bis veſtes clericales non deferat, aut tonſuram non afferat ex eo quia habeat caput raſum. vt optimè notant Iul.Clar.Farin Ant.Cucus Aufrerius *dec.* 109. *l.cit.* non tamen deſideratur vt tempore capturæ deferat veſtes,& habitum ſed tempore delicti vt probat Couar.*q.pr. c.*31.*n.*8. Iul.Clar. & Farin. *l. cit.* cum Auendano *de exeq. man. c.* 22. *nu.* 12. quos etiam vide ad cognoſcendum cuius iudicis ſit iudicare num veſtes ſint clericales,& in qua cuſtodia retinendus ſit reus lite pendente.&Maſc. *de prob.conſ.*689. *n.*9.

6 Nota tertio quod his duobus caſibus exceptis in reliquis omnibus Clericus coniugatus reputatur merè Laicus,vt notant Doctores C. *Ioannes de Cler. coniug.* vnde non poteſt eſſe Vicarius Epiſcopi in ſpiritualibus, ſed tantum aſſeſſor ; quia Vicarij munus, & iurisdictio Eccleſiæ non poteſt Laico conferri, aſſeſſor autem eſſe poteſt quia aſſeſſoris officium eſt ſolum conſulere ,quod Laicus facere poteſt. ſic multis citatis Sborſius *de off. Vicar.q.* 31. Baldus Felindeius Alex. de Neuo *c.*2. *de iudic.* Nec habet immunitates quoad gabellas, datia &c. vt optimè Couarr.l.c.& alij. nec denique tempore interdicti, poteſt diuinis intereſſe, ſicut cæteri clerici,niſi alicubi ex conſuetudine id ſit præſcriptum. ita Nauarr.*ſum.c.*27.*n.*171.Manuel.1.*t. ſum.* 2.*edis.c.*116.*concl.*4.

7 Nota denique nullam deſiderari Iudicis ſententiam ad hoc vt Clericus priuilegia canonis,& fori amittat ; ſed ſtatim ac prædictas conditiones non ſeruat,illa amittit priuilegia: quia priuatio horum priuilegiorum non eſt pœna;ſed eſt mera conditio;ergo non requirit ſententiam Iudicis;ſed ſtatim ac non ponuntur prædictæ conditiones,amittuntur priuilegia. ita Abb. *d. c.*Ioan.Ant. Cucus *l.*3.*init.t.*9.Boſſius *prac.tit. de foro comp.* Iulius Clar. *lib.*5. *q.recep.pr.crim.*936.

QVAERES I.

An Clericus coniugatus,qui ſeruat requiſita,gaudeat priuilegio fori,etiam in cauſis ciuilibus.

8 REſpondeo multo probabilius, & communiſſimum eſſe, quod non gaudeat in cauſis ciuilibus; ſed in ſolis criminalibus, ſiuè agatur criminaliter v.g. quando qui accuſat, petit vt Clericus puniatur ob furtum commiſſum v.g. vel agatur ciuiliter,quia v.g.accuſator petit vt res ablata reſtituatur. nam *cap. vnico de cler. coniug. in* 6. expreſsè ponitur. ita docent ex Iurisperitis Montal.*l.*25.*t.*9.*q.*1.Velluga *ſpec. princ. rubr.* 11. §. *videamus* vbi Camil. Borrel.*lit. A.* Ben.Capra *concl.*97.*n.*85. Mozſius *de contrac.*§. *qui poſſint contrahere matr.a.*21. Gutier.*de iur.*1.*p.c.*17. Couar.*q.pract.c.*31.*n.*7. Io.And.Archi. Anchar. Domin. & alij. *d. c.vnico* & ex Theol.Azor.*l.*13.*inſe.c.vlt.q.fine.*Arag. 22.*q.*12.*ar.*1.*dub.*1.

9 Quare quando agitur in cauſa ciuili ex contractu,vel quaſi contractu poteſt iudex ſæcularis Clericum coniugatum punire , & in carcerem trudere,abſque vllo periculo excommunicationis,quia in cauſis ciuilibus Clericus eſt vt mere Laicus. ita Montaltus Couarr. Guttier. l. c. qui aſſerunt id paſſim fieri apud Hiſpanos. Contra Farinac.*prac.tit.de inquiſ.q.*8. Zauallos *quæſ.prac.q.*593. Ripa *lib.*1.*reſp.c.*13.

10 Contraria tamen ſententia, quæ dicit Clericum coniugatum qui ſeruat conditiones requiſitas gaudere priuilegio fori, etiam in cauſis ciuilibus, eſt probabilis,eam docent Lapus *all'*118. Fran. *d.c.vnic. n.*4. Angel. *inſt. de nupt.* §. *illud n.* 5. ratio eorum eſt quia d.c. vnico poſtquam dictum eſt,quod Clericus coniugatus gaudet priuilegijs fori in cauſis criminalibus, additur (*nec ab ipſis ſæcularibus Iudicibus, eos debere perſonaliter, vel etiam pecunialiter condemnari*) quæ verba inquirunt Doctores iſti ne ſuperflua ſint, debent explicari,vt nec in cauſis ciuilibus ad iudices ſæculares pertineant : ſed reuera

hæc

hæc verba ſunt poſita ad maiorem explicationem, vt oſtendatur in cauſis criminalibus, non ſolum clericos non poſſe perſonaliter moleſtari; ſed nec pecunialiter à Iudice laico.

QVAERES II.

An clericus coniugatus, qui omnia requiſita ſeruat; amittat priuilegia per negotiationem, vel ſi relinquat tonſuram, & veſtes, & poſtea reaſſumat.

11 REſpon. ad primum quæſitum non priuari priuilegio canonis, & fori ob negotiationem, quia his clericis coniugatis eſt licita negotiatio honeſta, vt victum quærant, nec poſſunt ab Epiſcopo cogi, vt à tali negotiatione deſiſtant, quia nullibi talis prohibitio inuenitur, ſic etiam Ang. *clericus* 9. *num.* 3. Sylu. *cler.* 3. Couarr. Azor. *l. c.* contra Archid. Imolam. Ant. *d. c. vnico.* & alios putantes non gaudere, quia per negotiationem affert opprobrium clericatui.

12 Reſpon. ad ſecundum quæſitum. Clericus, qui veſtes clericales, & tonſuram deſerit, ſi eas iterum aſſumat, gaudebit priuilegijs canonis, & fori. Ratio eſt, quia poteſt proprio facto, hoc eſt, iterũ veſtes aſſumẽdo; & tõſurã, reſtitui ad id, quod proprio facto, nempe relinquendo tonſuram, & veſtes, amiſerat: *c. ſi quis libellos* 2. *qu.* 6. nec verba, quibus dicitur clericus per depoſitionem veſtium, & tonſuræ, amittere priuilegia, denotant perpetuitatem; ſed ſolum ſuſpenſionem, donec aſſumat iterum veſtes. ita deciſum fuit Bononiæ. & tenent Ioan: And. *c. vnic. de cler. con.* vbi ſcribentes plures Iul. Clar. *l.* 5. *rec.* §. *fin. q.* 36. Barboſa *l. Titia* 35. *n.* 33. *ff. ſol. matr.* Abb. *c. Sericus. il.* 2. *de vit. & hon. cler.* Dom. *d. c. vnic.* §. *& iuxta* Alex. *conſ.* 149. *nu.* 7. *vol.* 6. contra Afflic. *l.* 1. *conſt. rubr.* 3. & Ant. *c. Ioannes nu.* 15. *de cler. coniug.*

13 Vnde Clericus coniugatus mortua vxore ſi redeat ad veſtes, & tonſuram clericalem, gaudebit omnibus priuilegijs, quæ habent cæteri clerici. ita Abb. Ioan. Andr. Dominicus, & alij.

DISPVTATIO XXXXVII.

An vxor clerici coniugati gaudeat etiam priuilegijs canonis, & fori.

1 REſpon. non gaudere, quia tam priuilegium canonis. *ſi quis ſuadente* 17. *q.* 4. quam priuilegium fori eſt perſonale, & conceditur ratione dignitatis ordinis, & cum ordo ſit in ſolo viro, non gaudebit vxor ſimili priuilegio. prima pars, quod non gaudeat priuilegio canonis eſt certa apud omnes. vnde qui vxorem clerici percutit, non eſt excommunicatus. Secundam vero tenent Io: Andr. *Addit. ad ſpec. tit. de cler. coniu.* §. *vnic. & c. vnic. eod.* vbi Io: de lignano, Francus. Alex. de Neuo, & Ant. *c.* 1. *de for. comp.*

2 Contra Aretinum, Felinum, Abbatem, & alios *d. c.* 2. putantes vxorem clerici gaudere priuilegio fori, dum maritus viuit. quia vxor debet ſortiri forum ex perſona viri *l. cum quædam puella ff. de iuris omn. iud.*

3 Si vxor det viro licentiam, vt ad ſacros ordines tranſeat, nec gaudebit priuilegijs canonis, & fori ob rationem *n.* 1. dictam; nec per votum caſtitatis ipſa fit perſona Eccleſiaſtica, vt putant Abbas, & Sebaſt. Sapia *d. cap.* 2. ſed eſt, vt aliæ fæminæ. ſic Alex. Nauo *d. c.* 2.

DISPVTATIO XLVIII.

An qui habet impedimentum dirimens v. g. ordinem ſacrum, vel quia eſt religioſus, vel affinis, ſi matrimonium contrahit incurrat excommunicationẽ.

1 REſpondeo non omnes qui contrahunt matrimonium cum impedimento dirimenti incurrunt excommunicationem; ſed ſolum tria genera perſonarum. primò excommunicantur illi, qui contrahunt in gradu affinitatis, vel conſanguineitatis interdicto iure naturę, vel canonico, vt ſi quis ducat vxorem ſuam ſororem, vel neptem. Secundo religioſi, vel moniales. Tertio clerici habentes

tes ordines ſacros. quia *Clementina vnica de conſangu.* eos tantum excommunicat.

2 Ad hanc tamen excommunicationem incurrendam, quæ non eſt Pontifici, aut Epiſcopo reſeruata, duæ conditiones requiruntur, & ſi vna ex his deeſt, non incurritur excommunicatio. prima eſt vt contrahatur matrimonium ſaltem ratum. quare neque ſi quis ex dictis v.g. religioſus, vel Sacerdos contrahat ſponſalia, aut ſi matrimonium contrahat, & ſit nullũ ex defectu Parochi, vel teſtium, vel ex defectu conſenſus alicuius ex contrahentibus, vel ex eo, quia fuit metu graui contractum. vel denique quod cõtrahens erat impubes. quia in his euentibus matrimonium eſt irritum, vnde non verificatur conditio; ſcilicet, quod contrahant matrimonium vide Gloſſ. *d.clem. v. contrahere.* Imolã *n.*9. 10 8. Nauar. *ſum. c.*27. *n.*141. Graff. *1.p.dec.c.*24. *lib.* 4. *nu.*15. Enriquez. *lib.* 12. *de matr. c.*5. *n.*9. Petrus Ledeſm. *de matr. q.*55. *ar.*9 *dub.*1 Adr. 4. *qu.*3. *de matr. dub.*10. Couar. 4. *decret.*2. *p. c.* 3. §.2. D Ant. 3. *p.t.*24. *c.*34. Gaet. *ſum. v. excom. c.*47.

3 Secundo eſt vt ſcienter contrahatur, quare ſi quis ex ignorantia etiam craſſa (modo non ſit affectata, & ingens temeritas,) contraheret matrimonium cum affine, vel conſanguinea ignorans ſibi eſſe conſanguineam, quæ dicitur ignorantia facti; vel ignorans eſſe hoc impedimentum, quæ dicitur ignorantia iuris, non incurret excommunicationem dictam. ratio eſt quia in ipſa Clementina dicitur (*refrænare metu pœnæ ab huiuſmodi eorum temeritatis audacia cupientes ipſos excommunicamus*) ſed dum excommunicantur temerè audientes, requiritur ſciẽtia, & quæuis ignorantia excuſat, vt dicemus *lib.*9. *diſp.*32.

4 Ex dictis infertur primo quod is, qui falſo putet habere aliquod ex dictis impedimentis v.g. quod ſit affinis, & reuera non eſt, non incurrit excommunicationem ſi contrahat matrimonium; quia deficit conditio requiſita in excommunicatione *ex cit. Doctoribus.* Secundò infertur, quod religioſi Societatis Ieſu qui ſcholaſticorum vota emiſerunt, ſi contrahunt matrimonium, excommunicationem incurrunt; quia ſunt veri religioſi vt conſtat ex bulla Græg. XIII. vt etiam tradit Valentia 4 *p.diſ.*10. *q.*5. *pu.*3.

5 Tertio infertur quod illi, qui contrahunt cum monialibus profeſſis incurrunt excommunicationem, non autem mulieres, quæ contrahunt cum profeſſo, vel conſtituto in ſacris, quia expreſſè id ponitur *d.Clem.* ibi (*eos qui ſcienter in gradibus conſanguineitatis, vel affinitatis conſtitutione canonica interdictis, aut cum monialibus contrahere matrimonialiter non verentur, & moniales, & clericos in ſacris ordinibus conſtitutos matrimonia contrahentes &c.*) ita Card. Anch. Bonif. *d.clem.* D. Ant. Gaet. Petr. Ledeſma *ſup.cit.*

6 Quarto infertur quod nec conſulentes, nec mandantes, nec procuratores contrahentes nomine religioſorũ v.g. nec Parochus aſſiſtens incurrunt prædictam excommunicationem, quia ſoli contrahentes excõmunicantur in *d.Clem.* neque incurrent illam *ca. nuper* (quia incurritur quando participatur in crimine cum excommunicato) quia talis excommunicatio non incurritur; niſi illi, cum quibus in crimine participatur, ſint denunciati. quamuis Gaetanus, Nauarr. Petrus de Ledeſma *n.*2. *rel.* putent parochum incurrere dictam excommunicationem; rationem tamen nullam ponunt, licet in alijs conueniant nobiſcum.

DISPVTATIO XLIX.

An coniugatus qui ſine licentia vxoris legitime petita recipit ſacros ordines, fiat irregularis.

1 REſpondeo affirmatiuè, atque adeò qui ſine vxoris licẽtia ſuſcipit v.g. diaconatum non poteſt in eo ordine miniſtrare, neque ad ſacerdotiũ aſcendere; neque poteſt aliquod officium, aut beneficium quamuis minimum,

mum; ad quod ſcilicet tantũ ordines minores requiruntur, accipere, & hoc ſiue matrimonium duret, ſiuè morte vxoris diſſoluatur; ita habetur expreſsè *in extrauagãti antiquæ de voto* Ioannis 22. & docent Gloſſ. ibi Sotus 4. *d.* 27. *q.* 1. *a.* 4. Couarr. 4. *decr.* 2. *p.c.* 6. §. 3. *n.* 2. Ant. Cuc. *lib.* 5. *inſt. mai. tit* 12. *n.* 222. Lud. Lopez. 2. *p. inſtr. de mat. c.* 49. *col.* 6.

2 Imo etiam ſi licentia ſit per vim, aut dolum extorta, puto probabilius incurri prædictam irregularitatem, quamuis oppoſitum ſit etiam probabile. nã ratio iſtius irregularitatis fuit, ne vir poſſit ab vxore repeti; ſed quãdo fuit licentia extorta metu, vel dolo; vtrumq; eſt probabile, ſcilicet quod vxor poſſit repetere, & quod non poſſit, vt dixi *hoc lib. diſp.* 38. ergo etiam eſt vtrumque probabile, quod ſcilicet incurrat irregularitatem, & quod non incurrat, licet probabilius ſit iuxta dicta *diſp.* 38. quod incurrat. ita Ant. Cuc. *l.* 4 *inſt. t.* 12.

3 Adde quod talis irregularitas non ceſſat, nec per mortem vxoris, vt dixi *n.* 1. nec etiam ſi vir ante matrimoniũ conſummatum, tranſeat ad religionem: aut etiam ſi ipſa poſtea det licẽtiam, ſeruans ea, quæ iure requiruntur. ſed ſolum caſu quo vir ingrederetur religionem, & profeſſionẽ emitteret (quo caſu eſt verè religioſus) poſſet Epiſcopus diſpenſare, ſiuè religio ſit exempta, ſiuè non. ita habetur *in d. extrauag.* vbi mens Pontificis eſt, vt diſpenſari poſſit, quãdo iſte fit religioſus, quamuis Henriq. *lib.* 11. *de matr. c.* 15. *n.* 9. Petr. Led. *q.* 34. *ar.* 4. Vega 2. *t. ſum. c.* 34. *caſu.* 48. videantur ſentire quod ceſſet irregularitas per profeſſionem in religione legitimè factam, & poſſe Epiſcopum diſpenſare docet etiam Sotus 4. *d.* 38. *q.* 1. *ar.* 2.

In tribus tamen caſibus talis irregularitas non incurritur.

4 Primus eſt ſi ordines ſuſcipiantur ſine dolo: licet ſit ignorantia craſſa, quæ non excuſet à peccato, quia *d. extrau.* vtitur voce illa (*non præſumat*) quando autem hæc verba ſunt, ad pœnam incurrendam non ſufficit ignorãtia quãuis craſſa, vt *diſ. præc.* annuimus.

5 Secundus caſus, in quo non incurritur irregularitas, eſt quando matrimonium eſſet nullum, etiam ſi putaretur à coniuge validum, vel etiam quando ordines ſacri verè non ſuſcipe rentur defectu aliquo eſſentiali, in forma v.g. vel in Epiſcopo; nam Pontifex non punit animum ſolum ſine effectu. hic autem non eſt effectus.

6 Tertius caſus, in quo non incurritur, eſt quando vir habuit licentiam ab vxore, non ſeruatis tamen ijs, quę à iure petuntur. de quibus ſupra *diſp.* 29. ſcilicet quod permanſerit in ſęculo abſque voto caſtitatis. nam finis in *d. extrauag. antiquæ* eſt ne compellatur vir in ſacris conſtitutus ad vxorem redire; ſed caſu quo vxor licentiam conceſſit non poteſt amplius eum repetere, vt *dic.* 39. dictũ eſt. ita Aretin. *conſ.* 59. *a. nu.* 7. quamuis Sotus 4. *d.* 27 *q.* 1. *art.* 4. putet etiam in hoc caſu incurri irregularitatem cum Miaiol. *lib.* 1. *de irreg. cap.* 34.

7 Solum nota quod licet coniugatus peccet ſuſcipiendo ordines minores, non tamen incurrit hanc irregularitatem, nec aliam quamque cenſuram, cum nulla ſit in iure lata contra hos. illa enim Sixti V. contra illicitè promotos reuocata fuit à Clem. VIII. an. 1595. & reducta ad terminos iuris. Imo ſi quis ſuſcepiſſet ordines ante reuocationẽ factam incurriſſet quidem cenſurã; ſed facta reuocatione potuiſſet à quolibet abſolui; amiſſa. n. fuit reſeruatio poſita à Sixto per reuocationem Clementis VIII.

DE IMPEDIMENTO Cognationis Carnalis.

DISPVTATIO L.

Explicatur quid ſit conſanguinitas, linea, & gradus, & quomodo computentur gradus conſanguinitatis.

1 AD primũ reſpondeo. conſanguinitas eſt vinculũ perſonarum ab eodem ſtipite deſcendentum carnali propagatione contractum. ita definitur à D. Thoma in 4. *d.* 40. *quæſt. vnica*

art. 1. & à Theologis, & Iuriſtis communiter, & ſenſus eius eſt; quod cõſanguinitas ſit vinculum amicitię, fundatum tamen, non in aliquo beneficio, vel morum ſimilitudine; ſed in illa communicatione naturali ſanguinis, quæ ab vno ducitur; qui dicitur ſtipes, & eſt perſona illa, à qua omnes conſanguinei deſcendunt. Nam Pater communicat filio ſanguineam, & mediante filio Nepoti &c. vnde bruta nõ dicuntur habere conſanguinitatem, quia non habent vinculum amicitiæ, nec Angeli, quia quamuis à Deo omnes fuerint creati; tamen non ſunt per commixtionem ſanguinis naturali propagatione: nec nos poſſumus dici cognati cum Adamo; nam eius virtus nondum perſeuerat in poſteros, ſecundum rationem indiuidui, vt perſeuerat in Patribus, & auis, qui aſſimilant ſibi prolem in complexione, imagine &c.

2 Ad ſecundum quæſitum dico lineã conſanguinitatis nihil aliud eſſe niſi ordinatam collectionem eorum, qui ſunt inter ſe coniuncti. vt.

Auus
Pater
Filius
Nepos
Pronepos &c.

3 Et hæc eſt triplex. vna dicitur aſcẽdẽtiũ, quãdo fit numeratio incipiendo ab inferiori procedẽdo ad ſuperius; vt in propoſita à pronepote vſq; ad auũ; tritauũ &c. altera deſcẽdentiũ, eſt quãdo fit numeratio deſcẽdendo ab auo v.g. vſq. ad nepotẽ, pronepotẽ, &c. & ambæ dicuntur rectæ. 3. dicitur tranſuerſalis, & eſt ſeries eorum, qui inter ſe coniuncti ſunt à latere, & quamuis omnes ab vno ſtipite deſcendant; tamen vnus nõ eſt origo alterius. vt ſunt duo fratres filij duorũ fratrũ &c. qui procedunt quidem ab vno ſtipite, nẽpè. ab Auo. quæ linea tranſuerſalis poteſt eſſe duplex, vel æqualis, vel inæqualis. æqualis eſt quando conſanguinei æqualiter diſtant à ſtipite, vt duo fratres; inæqualis quando inæqualiter.

4 Ad cognoſcendũ autem quo gradu conſanguinitatis aliqui ſint coniuncti: pro linea recta ſit hæc regula, quæ valet tam de iure canonico, quã de iure ciuili. ſi inter perſonas, quarũ gradum conſanguinitatis ſcire vis, nulla alia intermediat, erunt in primo gradu, vt Pater, & Filius ſunt in primo gradu, ſi aliæ perſonæ intermediant vna dempta tot gradus, quot perſonæ ſunt. vt auus, & nepos ſunt in ſecundo gradu: nam dempto filio, qui intermediat inter Patrem, & Nepotem, remanerent duæ perſonę,

In linea vero tranſuerſa æquali hæc eſt regula, quo gradu ſunt cummuni ſtipite, eodem ſunt inter ſe, vt duo fratres ſunt in primo gradu; quia cum patre, qui eſt ſtipes communis ſunt in primo gradu; quando vero linea collateralis eſt inæqualis, tunc in eo gradu ſunt collaterales inter ſe, in quo ille qui eſt remotior, eſt vnitus cum ſtipite v. g. ſi quæram in quo gradu ſunt Patruus, & Nepos filius fratris. ſtatim quæro in quo gradu eſt nepos cũ auo (nam hic magis diſtat à ſtipite) & dico nepotem, & patruum eſſe in ſecundo gradu, quia nepos cũ Auo eſt in ſecũdo gradu. hæc autẽ cõputatio graduũ eſt de iure canonico, & obſeruanda in matrimonio. nã ius ciuile aliter cõputat hos gradus lineæ tranſuerſæ. nimirũ in linea tranſuerſa æquali, in quo gradu ſunt cum comuni ſtipite, in eo duplicato ſunt inter ſe, & ſic duo fratres ſunt in primo gradu cum patre, inter ſe ſunt in ſecundo. in linea vero trãſuerſa inæquali quot ſunt perſonæ inter ſe ſtipite dẽpto tot ſunt gradus, in quibus ſunt contenti: vt patruus, & nepos filius ex fratre sũt in tertio gradu, nã sũt quatuor perſonę, nẽpe auus qui eſt ſtipes, patruus, & nepos, & alius frater: dẽpto cõmuni ſtipite remanent tres. & talis computatio debet obſeruari in ſucceſſionibus. ſic Palud. 4. *d.* 40. *q. vni. a.* 3. *concl.* 3. Alex. de Neuo C. *fin. n.* 5. *de conſan.* Carrer. *li.* 2. *de ſponſ. c.* 3. Couar. 4. *decr.* 2. *p. c.* 6. §. 6. *num.* 8. vbi alios refert.

DIS-

DISPVTATIO LI.

An inter aſcendentes, & deſcendentes iure naturæ ſit irritum matrimonium.

1 REſpondeo matrimonium iure naturæ ſolum eſſe irritum in primo gradu lineæ rectę, nempe inter patrem, & filiam, patet ex eo quod omnes gentes bene inſtructę tales nuptias ſceleſtas putant. poſſet tamen Deus optimus in hoc diſpenſare; nam non eſt adeò intrinſecè malum, vt eſt mendacium; nec eſt contra matrimonij ſubſtantiam, & finem; ſed ſolum contra quamdam conuenientiam; vnde in caſu extremæ neceſſitatis, etiam ſine Dei diſpenſatione verius eſt, quod matrimonium hoc eſſet licitum, vt ſi ſolus Pater, & filia ſupereſſent, tunc enim magis præponderat bonum cõmune. ita Mart. *de mag. trac. de intemp. q. de inceſt.* Sotus 4. *d.* 40. *q.* 1. *ar.* 3. Palac. ibi *diſp. vni. col.* 24. Valen. 4. *p. diſ.* 10. *q.* 5. *pu.* 3. Cannedo *ſum. ſac. c.* 9. *de matr. n.* 43. Vega 2. *t. ſum. c.* 34. *caſu* 125. Enriq. *lib.* 12. *c.* 9. *n.* 3. Viual. *Cand. ſacr.* 3. *p. de matr. nu.* 189. & alij apud Sanch. *nu.* 7.

2 Dixi ſolum eſſe irritum in primo gradu iure naturæ; quia in alijs gradibus non eſt ita prohibitum matrimonium inter aſcendentes, vt iure naturali ſit irritum; quare quamuis ſit aliqua indecentia quod auus nepotem filiam ſui filij accipiat; tamen iure naturæ non eſt tale matrimonium irritum. ratio eſt, quia auus, & cæteri aſcendentes ſunt principium per accidens Nepotum, nempe ratione filiorum, quos immediatè genueruut; ergo non tanta illis debetur reuerentia, loquendo de naturali, quanta debetur patri; ergo talis reuerentia non poteſt eſſe tanta, vt irritet matrimonium iure naturæ. ita expreſsè D. Tho. 2. 2. *q.* 154. *ar.* 9. *in ſolutione ad tertium* Caiet. *eod. art.* 9. *& c.* 18. *in leuiticum.* Albertus Pighius *controuerſ.* 15. Victoria *relec. de matr.* 2. *p.* 2. *partis n.* 6. Loarez *de matr. Reg. Ang. dub.* 2. Zaper. *ar.* 20. *louanie. pag.* 6. Anchona *in ſum. eccleſ. q.* 53. *a.* 5. Vega *d. c.* 34. Llamas *in meth. curat.*

3 Quare ex hac ſententia ſequitur quod infideles ſi conuertantur ad fidem poſſunt durare in matrimonio contracto intet auum, & nepotem niſi inter ipſos ſit aliqua lex, vel conſuetudo irritans tale matrimonium, & inter fideles excepto primo gradu inter Patrem, & Filiam poſſe Pontificem diſpenſare in cæteris gradibus vſque ad quartum gradum. poſt quartum vero nulla opus eſt diſpenſatione. nam de iure Eccleſiaſtico ſolum vſque ad quartum gradum matrimonium inter aſcendentes, & deſcendentes eſt prohibitum. *c. non debet de conſangu. & affinit.* quidquid in contrarium dicant leges ciuiles, quæ in matrimonio attendi non debent, ſed iure canonico ſunt correctæ in hoc.

4 Sunt tamen grauiſſimi Doctores, qui putent matrimonium inter aſcendentes, & deſcendentes eſſe irritum iure naturæ vſq; in infinitum ob reuerentiam, quæ debetur maioribus. ita vt Adamus nullam poſſet vxorem ducere ſi reuiuiſceret; ita Sotus *in* 4. *diſt.* 40. *q. vnica art.* 2. & ibi Dur. Ant. Abulenſis, & alij permulti tum ex Theologis, tum ex iuriſperitis. apud Sanch. *num.* 12.

DISPVTATIO LII.

An in aliquo gradu lineæ collateralis ſit iure naturæ prohibitum matrimonium.

1 REſpondeo de iure naturæ eſt irritum matrimonium contractum ſolum inter conſanguineos in primo gradu in linea collaterali, nempè inter fratrem, & ſororem. Probatur quia matrimonium inter fratrem, & ſororem aduerſatur fini ſecundario matrimonij, qui eſt ſedare concupiſcentiam, nam propter nimiam in Societatem, quæ eſt inter fratres, & ſoroores; daretur maxima anſa ad inceſtos concubitus, quare natura ſpem matrimonij ademit; ne hac ſpe copularentur, quod patet maximè ex eo quod omnes gentes benè inſtructę ab

hoc matrimonio abhorrent, vt ex Aristotile deducitur ſecundo Politicorum, qui turpiſſimam putat coniunctionem fratrum cum ſororibus. & Tertullianus in Apologetico *c.* 9. vehementer reprehendit barbaros quoſdam hæc matrimonia permittentes tanquam aduerſantes legi naturali. ita docent ex Theologis Sotus *in* 4. *diſt.* 40. *quæſt. vnica ar.* 4. Caſtro *lib.* 3. *de iuſtitia* Henr. *lib.* 11. *de matr. cap.* 9. *nu.* 4. Valentia 4. *par. diſp.* 10. *qu.* 9. *punct.* 1. Petrus de Ledeſma *hic. q.* 54. *art.* 3. *diff.* 3. Viuald. *cand. ſacr.* 1. *p. n.* 191. Ludou. Lopez. *inſt. de matr.* 2. *p. c.* 49. & docentes eſſe iure naturæ prohibitum Couarr. 4. *decr.* 2. *p. c.* 6. §. 10. *num.* 5. Bellar. *lib.* 1. *c.* 28. Pereir. *t.* 2. *in genes. lib.* 16. *diſ.* 14. & alij.

2 Contra Alex. Aletenſem, Baſſolum, Thomam de Argentina, & alios multos Theologos, apud Sanch. *n.* 10. qui volunt in nullo gradu lineæ collateralis eſſe iure naturæ irritum matrimonium; ſed ſolo iure Eccleſiaſtico; ratio eorum præcipua eſt, quod Abraham duxit Saram, quę erat illi ſoror filia Patris ſui, vt ipſemet ait Gen. 20. & probant D. Hieroni *quæſtio hæbr. in gen.* Clem. Alexandr. *l.* 2. *ſ. trom.* Caet. *d. c.* 20. *Gen.* Sotus *lib.* 2 *de iuſt. q.* 3. *ar.* 8. *ad* 4. *&* 2. *Reg.* 13. Thamar filia Dauid dixit Amnoni fratri ſuo, vt peteret Regem, & ipſe dabit eam in vxorem. quare hęc ſentẽtia eſt valdè probabilis

3 Ex hac concluſione ſequitur primo quod inter conſanguineos in 2. 3. & 4. gradu lineæ collateralis matrimoniũ non eſt iure naturæ irritum, quod patet *ex cap. Gaudeamus de diuortio* vbi deciditur infideles, qui ad fidem conuertuntur, non eſſe ſeparandos à matrimonio contracto cum conſanguineis in ſecundo gradu, & deinceps: ergo ſignum eſt euidẽtiſſimum, quod tale matrimonium non ſit iure naturę irritum, alias ſeparari deberent. ita etiam Doctores citati *n. præcedenti.*

4 Sequitur ſecundo quod multo minus ſunt iure naturali interdicti omnes gradus, qui *in Leuitico* 18. prohibentur, quamuis aliquo pacto ſint contra ius naturæ ſecundarium, quatenus continent indecentiam; ita tamen, vt ſi iure Eccleſiaſtico vetitum non eſſet in his gradibus contrahere; eſſet ſolum peccatum veniale iniri matrimonium inter eos gradus, qui iure naturali matrimonium in his irritante, prohibiti non ſunt. vt docet Petrus de Ledeſma *q.* 54. *de matr. art.* 3. *diff.* 4. cum alijs Theologis, quos tacito nomine citat: hanc ſententiam quod nõ omnes gradus in leuitico prohibiti, ſint de iure naturæ *irritante* tenet Gaet. Victoria, Scotus, Albert. Pighius, & alij permulti apud Sanch. *u.* 6. inter quos Valentia 4. *par. diſ.* 10. *q.* 5. *punct.* 3. omnes Orthodoxos in hoc conuenire, & nullo modo eſſe tolerandum errorem Authorum aliquorum.

5 Quod ſi petas quinam ſunt gradus prohibiti in leuitico. Reſpondeo in linea recta eſſe primum, parentum ſcilicet cum filijs, & ſecundum auorum cum neptibus, in linea etiã tranſuerſa primum gradum, fratrum, ſcilicet, & ſororum; ſiuè ex vtroque parente; & ſecundum in linea inæquali vt nepotis cum amita, vel cum matertera, non tamen contra erat vetitum cum patruo, vel auunculo. vt docent Bellarm. *lib.* 1. *de matr. cap.* 24. Sotus *in* 4. *diſt.* 40. *q. vnica ar.* 5. & alij. De gradibus affinitatis ibi interdictis infrà dicemus.

6 Sequitur tertio, infideles, qui conuertuntur ad fidem ſi ſint matrimonio copulati in primo gradu lineę collateralis, vt eſt frater cum ſorore, ſeparandos eſſe, nec poſſe Pontificem in hoc diſpenſare, cum ſit iure naturæ irritum. verum quoniam ſententia, quę dicit in nullo gradu matrimonium contractum inter collaterales eſſe iure naturæ *irritum*, ſed ſolo iure Eccleſiaſtico, eſt probabilis; etiam probabile, & amplectendum eſt, vt tales infideles non ſeparentur præſertim cum ipſi id ægrè ferrent: nam cũ ſit hæc prohibitio ſolum de iure Eccleſiaſtico, & iſti quando contraxerunt matrimonium tempore infideli-

tatis

tatis non erant ſubditi Eccleſiæ, ſequitur quod nec tale matrimonium fuit irritum, ita etiam Veracruz 2. *parte ſpeculi art.* 22. *concl.*2. & Vega 2. *tomo ſummæ cap.*34. *caſu* 127.

DISPVTATIO LIII.

In quo conſanguinitatis gradu de iure Eccleſiaſtico, ſit irritum matrimonium.

1 MAtrimonium contractum cum conſanguineis intra quartum gradum ſiuè aſcendentium, ſiuè deſcendentium & collateralium, eſt irritum iure Eccleſiaſtico, ita vt ſi quis v.g. cum nepote, vel conſobrina contrahat abſque Pontificis diſpenſatione, nullum ſit tale matrimonium; ita eſt definitum in Concil. Later. ſub Innoc. III. *cap. non debet de conſangu.* quod optimè factum eſt ob reuerentiam, quam ſibi debent conſanguinei; nec vltra quartum gradum debuit eſſe, quia iam vltra quartum non durat amicitia conſanguinitatis. Solum hic nota quod ſi ſint duo conſanguinei, qui diſtent à ſtipite inæqualiter v.g. Petrus eſt in ſecundo gradu cum Franciſco ſtipite, & Maria in quinto poſſunt ſine vlla diſpenſatione matrimonium contrahere, quia vt dictum eſt diſp. 50. quando numerantur gradus lineæ tranſuerſæ inæqualis habetur ratio de conſanguineo remotiori. Maria autem eſt in quinto gradu cum Francifco ſtipite; ergo cum Petro eſt in quinto gradu, & hoc verum eſt, etiamſi vnus v.g. Frãciſcus diſtet à ſtipite in primo gradu, vt ſi Petrus eſſet filius Franciſci, qui eſt ſtipes poſſet contrahere cum Maria, quæ eſſet abneptis. ita Ioannes Andr. *cap. f. de conſ.* Ant. ibi Anch. Prep. Soauius *de ſponſ. 2. p. ſuper. inſt. de nuptijs §. ergo non omnes* Brunell. *de ſponſ. concl. 25. ſuppl. ſum. piſanæ imp. 5. num. vltimo.* Aſtenſis 2. *p. lib.* 8. *t.* 17. Couarr. 4. *dec.* 2. *p. c.* 8. §. 6.

(†) (†)

DE IMPEDIMENTO Cognationis Spiritualis.

DISPVTATIO LIV.

Explicatur quid ſit cognatio ſpiritualis, & ex quibus ſacramentis oriatur.

1 COgnatio ſpiritualis eſt propinquitas quædam perſonarum ex ſtatuto Eccleſiæ conſurgens propter collationem baptiſmi, vel confirmationem, vel per ſuſceptionem recipientis hæc ſacramenta. ita communiter eam definiunt Doctores.

Ex qua definitione primo colligitur hanc cognationem eſſe ſolo iure Eccleſiaſtico introductam, nã in iure naturæ non erant hæc ſacramenta, nec in ſacra ſcriptura inuenitur aliquis locus eam ſtatuens, vt sic dicamus eſſe de iure diuino. ita D. Thom. *in* 4. *d.* 43 *q.* 1. *ar.* 1. ab omnibus receptus. habet tamen aliquod fundamentum in iure diuino poſito. Nam 1. Petri *c.* 1. appellatur regeneratio facta per Chriſtum per hæc ſacramenta, & ſicut inter patrem, & matrem carnaliter generãtes, & inter filios genitos eſt quędam reuerentia, ita etiam inter baptizantem, qui eſt loco patris in regeneratione ſpirituali, & ſuſcipientem, nempe patrinum, qui eſt veluti mater, & inter baptizatum: eſt naturalis quædam reuerentia, ob quam iure optimo tale impedimentum fuit positum; ita vt matrimonium contractum poſt talem cognationem sit nullum. & ſponſalia prius contracta diſſoluantur per hanc cognationem ſpiritualem ſubſequentem. ita Hoſt. *c. veniens de cog. ſpir.* Io: And. ibi Anton. Anchar. Cardin. Alex. de Neuo *c.* 2. *num.* 5. *eod. tit.*

2 Secundo colligitur ex alijs ſacramentis præter baptiſmum, & confirmationem nõ oriri cognationem ſpiritualem, quia hæc ſola ſunt per modum regenerationis, vt docet D. Thomas 4. *diſt.* 42. *quæſt.* 1. *art.* 2. *ad* 8.

Tertiò colligitur hanc cognationẽ ſalũ cõtrahi nũc ex decreto Cõc. Trid. *ſeſſ.* 24. *de matrimonio in baptiſmo*, inter bap-

baptizantem,& baptizatum: inter patrinum,& ipſum baptizatum, & dicitur paternitas; & inter baptizantem, & patrinos cum matre,& patre ipſius baptizati,& dicitur compaternitas,& ſimiliter in confirmatione oritur inter confirmantem,& ſuſcipientem ſeu patrinum,& inter cõfirmatum, ac parentes ipſius confirmati. conſtat ex. preſsè ex Tridentino *ſeſſ.* 24. *de matr. c.*2.& omnes Doctores notant.

3 Quare nec vxor baptizãtis, aut patrini &c. contrahit cognationem hãc ſpiritualem cum baptizato,aut cum patre, vel matre ipſius, vt declarauit Pius V. Anno 1066. nec ipſi patrini inter ſe.vt ſi aliquis vir, & aliqua mulier ſuſcipiant in baptiſmo puerum non contrahunt inter ſe cognationem hanc,vt docent Suar.*p.*3.*q.*67. Manu. *ar.*8.*col.*3.Nauar.*ſum.c.*22.*n.*39. Matienz.*lib.*5.*recop.t.*1.*rubr.gl.*1.*n.*168. Veracrux.*append.ad ſpec.de cog.ſpir.fol.*75. Enriq.*lib.*12. *c.*12. *n.*2. *&* 5. Quand. 4.*diſ.*42. *q.vnic.prop.*4.Palac.*ibi diſput.* 1.*col.*26. Manuel.1.*t.ſum.*2.*edit. c.*226. Vega 1.*t.ſum.c.*33.*casu* 40.

4 Debent autem parentes baptizati, vel confirmati eſſe naturales, vt ſcilicet filium genuerint, ſiue de reliquo fuerit genitus ex concubinatu, ſiue ex alio modo; nam ſi ſunt parentes legales nempe adoptiui non contrahũt hanc cognationem. ita Galleco *de cognatione ſpirituali c.*7.*n.*12. Manu. Enriq. Veracrux. *cit.*

DISPVTATIO LV.

An in Sacramento confeſſionis aliqua cognatio ſpiritualis contrahatur cum pœnitente, & confeſſario; ita vt ſi is habeat rem cum pœnitente, ſit circumſtãtia neceſſariò fatenda.

1 DIco primo ſi confeſſarius in ipſa confeſſione habeat rem cum pœnitente, vel captata occaſione ex confeſſione, vt declarauit Greg. V. tunc certum eſt eſſe circumſtantiam neceſſariò fatendam, & magnum eſſe ſacrilegium. eſt communis ſententia.

2 Dico ſecundo etiam ſi non aſſumpſerit confeſſionem pro medio, ſed ſolum habuit rem cum illa fœmina, cuius confeſſionem audiuit aliqua vice, eſſe circumſtantiam neceſſariò fatendam,ex eo,quia mutat ſpeciem.& eſt ſacrilegium,vnde non ſufficit dicere; rem habui cum fœmina; ſed requiritur etiam vt addatur cum fœmina,cuius confeſſionem audiui. Probatur ex *C. omnis* 30. *q.* 1. quod eſt Simmachi Pontificis,vbi ait (*omnes quos in pœnitentia accepimus,ita filij noſtri ſunt,vt in baptiſmate ſuſcepti*) & poſtea concludit (*quapropter hoc ſcelus* (ideſt fornicationis cum pœnitente) *ſiquis perpetrauerit, non ſolum dignitatis honorem amittat; verum etiam vſque ad vitæ ſuæ exitum iugi pœnitentiæ ſe ſubdat*) idem ferè Cœleſtinus Pontifex *C. ſiquis Sacerdos* 30. *qu.* 1.*&* *C.fin.*30.*qu.*1. aſſignat pœnitentiam, vt ſi fuerit Epiſcopus dedeponatur 15. annos,ſi Sacerdos 12, & ratio eſt,quia licet nõ contrahatur talis cognatio,quæ dirimeret ſubſequens matrimonium, ſi alia via confeſſarius haberet diſpẽſationem, quoad impedimentum ordinis; tamen inducitur quoddam fœdus ſimile cognationi ſpirituali,vt docet D.Thom.4.*d.* 42.*q.*1.*ar.*2.*ad* 8.Turrecr.30.*q.*1.*ar.*2. *n.*4.Franc.*C.fin.& Domini.ibi de cogna. ſpir.in* 6. Suppl. Gabr.*d.*42. *ar.*2. *qu.*1. Palud.*q.*1. *ar.*1. atque adeò hanc circumſtantiam neceſſariò eſſe fatendã. Docent ex Theologis Lud.Lop.1.*par. inſtr.cap.*35.*col.*4.Barth.à Ledeſ. *de pœ. dub.*10.*col.pen. de confeſſ.*Tab.*v. circumſtantia* vbi Armilla *n.*12.Viuald.*Cand.* 1.*p.de confeſſ.n.*50.& omnes paulo ante citati docent eſſe ſaltem notabiliter aggrauantem, ob ſpecialem prohibitionem in reuerentiam huius Sacramenti.

3 Contraria tamen ſententia putat non eſſe circumſtantiam neceſſariò fatendam,quia ex pœnitentiæ Sacramẽto nulla cognatio contrahitur, vt cõſtat ex *C.fin.de cog.ſpir.in* 6.nec in toto iure canonico hoc reperitur deciſum, quare ſublata hac cognatione notabiliter aggrauabit.ita docetEm.*Sà sũma verb.*

*verb. confeſ.n.*26.& Petrus de Ledeſma *de matr. q.*56. *art.*2. *dub.vltimo.* aſſerit vtramque ſententiam eſſe valde probabilem,& à viris doctiſſimis ſuſtineri.

DISPVTATIO LVI.

Quid facere debeant patrini ad hanc cognationem contrahendam.

1 REſpondeo in hac re certum eſſe ad hanc cognationem ſpiritualem contrahendam, requiri contactū phyſicum; ſiuè ſit mediatus, hoc eſt, medijs veſtibus, vel tenendo diſcum, in quo eſt puer, vel linteum. debent autem patrini puerum tenere quando confertur baptiſmus, vel confirmatio. vel poſtquam puer eſt ablutus illum de ſacro fonte leuare. probatur *ex cap. omnes* 30. *q.* 1. *& ex d. quis vnus* 30. *q.* 4. & alibi vbi loquentes de hac cognatione vtuntur verbis,tangit, ſuſcipit, leuat.ita D.Ant.3. *par.tit.*1.*cap.* 15.§.3.Emm.Sà *v.matrim. vbi de imp. dir.n.*5.Viuald.*candel.i.p. n.*159. Sotus 4. *d.* 42. *q.* 1. *ar.* 2. Bart. a Led. *dub.* 46. *hic.*

2 Et hic contactus requiritur tum quando adultus baptizatur, tum quãdo eſt infans; nam contactus eſt cæremonia neceſſaria ad contrahendam hanc cognationem, vt patet ex teſtibus ſupra allegatis, & docent communiter Doctores; ergo tam requiritur in adultis, quam in infantibus.ita DD. *relat.n. præc.*Manuel.1.*t. ſum.* 2. *edit.c.* 226. dicens ſic declaraſſe Card. Præp. *c.veniens de cognat.ſpir. n.*2. vbi Card. quidquid in contrarium dicant Em. Sà,Sotus & Lud. Lopez 2. *p. inſt.c* 51. putantes in adultis non eſſe neceſſarium contactum.

3 Aduerte tamen quod non quicumque puerum ſuſcipiunt de ſacro fonte, vel eleuant hanc cognationem contrãhunt; ſed ille, qui primus ſuſcipit, quia ſolum ille, qui primus ſuſcipit,leuat de ſacro fonte.ita D.Ant.Sotus *l.c.* Enriq.*lib.*12.*de matr.c.*11.*nu.*3. Bart. à Ledeſ. *l.c.* Vega 1.*t.ſum. c.* 33. *caſu* 41. Viguer.*lib.inſt.c.*16.§.7.Gaeta *repet.c.ad limina* 30.*q.*1. §.4. *q.*146. *nu.* 386. & alij.

QVAERES

An ſufficiat ſola ſuſceptio, vel contactus, an potius requiratur reſponſio patrinorum.

4 REſpondeo non requiri vt patrini reſpondeant in catechiſmo. probatur,quia omnia iura n. 1. allegata, & alia non faciunt mentionem,niſi de ſola ſuſceptione;ergo hæc ſola ſufficit; adde quod hæc reſponſio ſpectat ad catechiſmum, de quo ſupra dixi. ita docent ex Theologis Palud. *in* 4. *diſt.* 42. *q.* 1.Henriquez *lib.*12.*c.*11.*n.*3.Sotus D.Ant.Viual.Vega. Bart. à Ledeſ. & alij *ſupra c.* cum Monald.*ſum. tit. de fraternita.*Couar.4.*decr* 2.*p.c.*6.§.4.Nauarr.*ſu.Hiſ.c.*2.*n.*38.Marienz.*li.* 5. *recop.ti.*1.*rub.gl.*1.*n.*168.Gallego *de cogn. ſpir. c.*12. *nu.*2.Dom.*conſ.* 30. Alberi. *dict.lit.*1.*v.imped.*6. *v.an filij duorum compatrum iuriſperitis.*

5 Sunt tamen aliqui Canoniſtæ, qui putent deſiderari reſponſionem expreſſam,vt Francus 1. *c. de cog.ſp.in* 6. Lancel.Gaul.*l.*1.*ff.de verb.oblig.*alij vero ſolum ſufficere reſpouſionem ſignis expreſſam vt Dominicus Alex. de nouo. & Præpoſitus.*c.d.c.*1.*& cap.contractlo de cog. ſpir.* Tertio denique alij diſtinguunt in baptiſmo adultorum non requiri reſponſionem. in infanti vero requiri.ita Henricus,*c.veniens de cog. ſpir.* Alciatus *l.* 1. *ff. de verb. oblig.* Montaluus *l.*4.*t.*7. *p.*4.

DISPVTATIO LVII.

An omnes qui baptizatum, vel confirmatum tangunt cognationem ſpiritualem contrahant.

1 ANte deciſionem ſciendum eſt de iure antiquo *c. non plures* quod eſt Leonis Pontificis *de conſecrat. diſp.* 4. *& cap. fin. de cognatione ſpirituali in ſexto* non potuiſſe adhiberi niſi vnum patrinum:ſiuè is eſſet fœmina,

ſiue

ſiue vir: & niſi alicubi hoc præceptum non fuiſſet in deſuetudinem, qui plures patrinos admittebat ſiue in baptiſmo, ſiue in confirmatione peccabat venialiter, cum hoc præceptum non ſit tanti momẽti, verum illi quotquot erant, contrahebant cognationem ſpiritualem ex dicto *cap. fin, de cogn. ſpirit. in 6.* vbi Io. And. Domin. Anch. Fran. Archid. Bellamera *C. fin. 30. q. 4.* Sotus *4. d. 42. qu. prima.*

2 Hodie verò ex decreto Conc. Trid. *de matr. ſeſſ. 24. c. 2.* vtraque diſpoſitio iuris antiqui correcta eſt. prima quidẽ nam concilium permittit, vt poſſint eſſe duo patrini, vir ſcilicet, & mulier; non autem duæ mulieres nec duo viri qui abſque vllo peccato poſſunt eſſe maritus, & vxor, quia id conſuetudine obſeruatur. & docent D. Thom. *4. d. 42. q. 1. ar. 3. quæſtiu. 2. ad 4.* Aſt *ſum. 2. p lib. 8. t. 18. ar. vni.* Nauar. *ſum. lat. c. 22.* Viuald. *cand. de bapt. n. 69.* Eman. Sà *v. matr. de imp. dirim. n. 5.* & alij contra Suar. putantem eſſe culpam venialem *3 p. qu. 67. ar. 8.*

3 Qui vero plures patrinos adhiberet etiam de Epiſcopi licentia peccaret venialiter; quia non eſt præceptum tanti momenti, & Epiſcopus non põt diſpenſare in præceptis Cõciliorũ, niſi vbi ſumma eſt neceſſitas, quæ hic nulla eſſe poteſt. ita Gallego *de cogn. ſpir. c. 7. n. 9.* Lud. Lopez. *2. p. inſtr. ti. de matrim. cap. quinquageſimo primo.*

4 Secunda etiam diſpoſitio correcta eſt, nam ſtatuit Tridentinum, vt parochus diligẽter attẽdat ab his, ad quos ſpectat, quinam ſint Patrini electi, & eos tantum admittat, & ſi cæteri tangant, vel ſuſcipiant puerum, non cõtrahant hanc cognationem, & hoc decretum non ſolum eſt de baptiſmo; ſed etiam de confirmatione; nam mẽs Concilij fuit reſtringere vtramque cognationem ſpiritualem; ita docent ẽt Nauar. *ſumma c. 22. n. 40.* Toledo *lib. 2. ſum. c. 22. nu. 11.*

Quare ad caſum propoſitum patet ſolutio; dico enim hodie ſolum eos cõtrahere cognationem, qui deputati ſunt; & ſi plures tangant, non contrahunt cognationem, neque in Confirmatione, neque in baptiſmo, ſolum aliqua ſuperſunt dubia explicanda.

QVAERES I.

An quando non deſignãtur Patrini, ſi multi tangant, omnes contrahant hanc cognationem?

5 REſpondeo, tunc nullum cõtrahere cognationem, quia Trid. ne multiplicaretur cognatio ſpiritualis, & vt certi eſſent Patrini, appoſuit pro conditione, vt tangentes deſignati contraherent: ergo vbi non ſunt deſignati nullus contrahit, quia deficit iſta conditio: ita Gallego *de cog. ſpir. c. 12. n. 9.* Suar. *3. p. q. 67. ar. 8.* Manuel *1. tom ſum. c. 226. 2. edit.* Vega *1. t. c. 33. caſ. 40.* Contraria tamen ſententia, aſſerens, omnes in hoc caſu contrahere cognationem, eſt valde probabilis, eam tenent Nauar, Henriquez, Ema. Sà. *loc. citan.* & alij apud Sanch. *nu. 11.* ducuntur ex eo, quia, vbi non eſt correctio iuris noui, ſtandum eſt antiquo *l. commodius ff. de lib. & poſth.* ſed Concilium nihil diſponit quando non ſunt deſignati patrini: ergo &c.

QVAERES II.

An ſi plures duobus deſignãtur, vt vel duo viri, & duæ fœminæ, omnes contrahãt nec ne, ſi à parocho admittantur?

6 REſpondeo in hoc caſu, omnes cõtrahere, nã omnes habent conditiones requiſitas, ſunt enim deſignati, & à parocho admittuntur, & licet Trid. prohibeat plures eſſe, aut eiuſdẽ ſexus, tamen non irritat factum. ergo licet peccet admittens plures in patrinos. illi tamen cognationẽ contrahẽt, ex *l. non dub. C. de leg.* ita Naua. *ſum. c. 22. n. 39.* Em. Sà *n. 5. v. cogn. ſpir.* Vega *1. t. ſum. c. 33. caſu 39.* Man. *l. c. not. 4.* Em. Sà Vega, & alij.

Quod ſi non omnes ſimul tangant, vel ſuſcipiant puerũ, vel ſi parochus alios ex pluribus deſignatis excluſit, tũc con-

contrahet, qui primus tetigit, vel primi duo ſi ſint Vir, & Mulier, & illi, qui remanent non excluſi à parocho; nam per excluſionem aliorum parochus reliquos videtur admittere; ita Suar. *loc. cit.* & Palacios 4. *d.* 42. *diſp. vnic. col.* 26.

QVAERES III.

An ſi parentes duos, vel plures deſignarunt, & parochus non excluſit ſuperfluos, omnes contrahant cognationem, ſi puerum tangant &c.

7 REſpondeo omnes contrahere, quia Trid. non petit, vt conditionem, vt deſignati admittantur à parocho; ſed ſolum onus ipſi imponit inquirendi à parentibus, quinam ſint, vt patet ex verbis Trid.

8 Vnde ſi parentes duos ſolum deſignarint, & parochus plures admitteret, ij ſolum, qui fuerunt a parentibus deſignati, contrahent cognationē; nam deficit aſſignationis conditio requiſita in Tridentino, vel ſi parochus neutrum ex deſignatis à parentibus admiſit, vel vnum ſolum, tunc ſi illi ſuſcipiant, contrahunt cognationem, quando parochus non habuit cauſam expellendi, v. g. quando fuerunt ābo duo viri, vel Religioſi, vel Hæretici, quibus non eſt permiſſū eſſe patrinos.

QVAERES IV.

An quando ij, ad quos pertinet, neminem deſignarunt pro patrino, poſſit parochus duos aſſignare?

9 REſpondeo poſſe, & hos contrahere cognationem, etiamſi parochus plures duobus aſſignet, nam cum iam non ſint à parentibus aſſignati patrini, ipſi incumbit aſſignare, & per cō ſequens verificatur conditio requiſita à Trid. vt ſcilicet illi contrahant, qui fuerint aſſignati ab eo, ad quem pertinet aſſignare.

QVAERES V.

An ſi nullus ex aſſignatis tangat puerum, vel illum ſuſcipiat, ſed alius non aſſignatus, hic contrahat cognationem?

10 REſpondeo negatiuè, quia vere deficit conditio aſſignationis requiſita à Tridentino in eo, qui tangit; ad hoc vt contrahat cognationē; quia dum Tridentinum dicit neminē præter deſignatos contrahere cognationē debet intelligi, quando aſsignatio ſortita eſt ſuum effectum, hoc eſt ſi patrini aſsignati puerum ſuſceperint; at vt ſuppono, ipſi non ſuſceperunt: ergo &c. ſed Enriquez *lib.* 12. *de matrimo. cap.* 11. *nume.* 3. putat probabiliter hunc contrahere cognationem.

DISPVTATIO LVIII.

An ad contrahendam cognationem ſpiritualem Patrini debeant habere intentionem illam contrahendi, vel ſolum ſufficiat ſi patrini puerum tangant, vel leuent, & cæt.

1 REſpondeo ad contrahendam cognationem ſpiritualem in patrinis, non requiritur, vt hi habeant intētionem contrahendi, ſed ſolum vt habeant intentionem efficiendi, quod patrini faciunt. Ratio eſt, quia hæc cognatio non oritur ex voluntate hominis volentis contrahere, vel non; ſed ex inſtitutione Eccleſiæ, poſita ſuſceptione in baptiſmo; ergo qui puerum ſuſcipit, volens facere, quod patrini faciunt, contrahet cognationem ſiue velit, ſiue nolit illam contrahere. ſicuti qui baptizat puerum, habens intentionem baptizandi contrahit cognationem, etiam si non habeat animum illam contrahendi. ita docent Vega *l. t. ſum. cap.* 33. *caſu* 42. Suar. 3. *p. qu.* 67. *art* 8. *dub. vlt.* Ludou. Lopez 2. *p. inſtr. de baptiſ. cap.* 62. Emm. Sà *v. mat. de imped. diri. num.* 5. Gaeta *repet. C. ad limina* 30. *qu.* 1. §. 4. *qu.* 147. Ioan. de Fibur. *ſum. confeſſ. l.* 4. *tit.* 7. *q.* 22. Armilla *matr. n.* 12. Sylu. *matr.* 8. *quæſ.* 7;

dic. decima tertia.

2 Dixi ſi habeant intentionem faciendi, quod Patrini faciunt; nam ſiquis non intendens eſſe Patrinus tangat puerum, & ſolum materialiter v. g. ne puer humi ſit, vel vt Patrinos adiuuet, & quid ſimile, non contrahet cognationem; Ratio eſt, quia Baptizans, non habens animum baptizandi non baptizat vere, nec cognationem contrahit; ergo neque qui ſuſcipit non habens animum ſuſcipiendi; ſed ſolum materialiter tantum tangit, nullam cognationem contrahit.

QVAERES.

An ſi quis intendens leuare filium Pauli, leuet filium Petri, contrahat cum Petro cognationem ſpiritualem, & cum puero & cæt?

3 REſpondeo non contrahere cognationem in tali caſu, ratio eſt, quia hic nullam actionem veri patrini intendebat exercere circa filium Petri: ergo & cæt. vt dixi *numero præcedenti*, ita Abbas *cap. 2. de cognatione ſpirituali num. quarto.* Alex. de Neuo *num. ſexto, & cap. veniens eodem titulo.* Brun. *de ſponſ. concl. 20. num. vigeſ.* niſi tamen ille, qui intendit leuare filium Pauli, ita eſt diſpoſitus, vt nullo modo eligat perſonam, ac ſi nil referret hũc eſſe filium Petri, Pauli, vel alterius, &c.

4 Contraria ſententia docet hunc per errorem leuantem filium Petri contrahere cognationem ſpiritualem, ſicuti ſi quis volens baptizare filium Petri, baptizat filium Pauli, nihilominus contrahit cognationem cum baptizato, & eius parentibus, & hæc ſententia non caret probabilitate, eã ſequuntur Gallego *de cognatione ſpirituali cap. 14. numero 10.* Ludou. Lopez *loc. cit.* Francus *cap. 1. de cognatione ſpirituali in ſexto.* Ioann. Andr. *regula poteſt quis per alium de reg. iuris.* ſoluitur tamen à nobis hoc argumentum; quia qui baptizat, vtpotè miniſter, tenetur habere animum miniſtrandi Sacramentum cuicumque præſenti, ac proinde quamuis erret in perſona conficit verum Sacramentum, & per conſequens contrahit veram cognationem, quæ neceſſario ſequitur ex collatione baptiſmi. Non tamen eſt credendum facile iuramento patrini iurantis ſe ſine intentione faciendi id, quod alij faciunt puerum leuaſſe. Vide *lib. 3. diſ. 15.* vbi in ſimili plura dixi.

DISPVTATIO LIX.

An ſiquis per Procuratorem puerum ſuſcipiat contrahat cognationem.

1 REſpondeo non contrahi hanc cognationem ſpiritualem, ſed requiritur, vt ipſemet patrinus ſuſcipiat perſonaliter puerum, quia Canones explicantes hunc actum, per quem contrahitur cognatio, vtuntur his verbis: ſuſcipit, tenet, leuat, vt patet ex dictis *diſputat. 56. numero primo.* ergo requiritur propria actio patrini, ſecundo, quia conſtituens Procuratorem; vt nomine ſuo baptizet, non contrahit cognationem, ergo neque conſtituens Procuratorem, vt nomine ſuo ſuſcipiat. ſunt pro hac ſententia ex Theologis Toled. S. Anton. Nicolaus de Orbel. Enriquez, Ludou. Lopez, Petrus Ledeſma apud Sanch. *numero quarto* ex Iuriſper. Feder. *conſ. 15.* Ioan. Andr. *reg. poteſt quis de reg. iuris in ſexto.* Cotta *memorabili ſtatuta, quod bannitus* Tiraquel. *l. ſi vnquam v. ſuſceperit filios num. 41. C. de reu. dona.* Bald. *l. ſiquis. C. de nupt.* Bart. *l. Gallus §. forſitan ff. de lib. & poſth.* vbi Alex. *numero ſexto.* Paul. *num. 3.* Aret. *num. 47.* Iaſæ. *numero 16.* Alberic. *l. poſt mortem § fin ff. de adoptio.*

2 Idem etiam dicas ſi quis ſuſcipiat puerum per nuncium ad id deſtinatum, eædem enim militant rationes.

Con-

Contraria ſententia eſt valde probabilis; Ratio eſt, quia poteſt quis per alium facere, quod poteſt per ſeipſum. *regula poteſt quis de reg. iuris in ſexto.* & ex Theologis eam tenent Emman. Sà, Supp. Gabr. & Philanus, & alij multi Canoniſtæ, quos habes apud Sanch. *nu.* 2.

3 Retenta tamen hac ſecunda ſententia ſi vniuerſitas per Syndicum puerum ſuſciperet non contrahent ſinguli eius vniuerſitatis cognationem quia aliud eſt vniuerſitas, aliud ſinguli vniuerſitatis *capite qui manumittitur* 12. *qu.* 2. *& l. in tantum* §. *vniuerſitatis ff. de rer. diu.* tex. vero *in capite ſi ſententia de ſentent. excomm. in ſexto.* vbi dicitur, quod diſpoſitio concepta in vniuerſitate, quando actus Vniuerſitati competere non poteſt, reſoluitur in ſingulos illius, intelligendus eſt in delictis, ne delictum remaneat impunitum, & ſententia careat effectu. ita Alex. de Neuo C. *veniens de cognatio. ſpirituali.* vbi Anch. Aret. *d. l. Gallus n.* 48. vbi Im. *numero* 57.

4 Immo Procreator à Patrino mittente reuocetur, etiam ſi illi talis reuocatio non intimetur, nulla contrahitur cognatio, quia requiritur conſenſus Domini verus, perſeuerans vſque ad actum. Baldus *capite audita num.* 3. *verſ. quæro numquid de reſtitu. ſpoliat.* cum Felino. C. *ex parte decani. num.* 10. *amp.* 2. *de reſcr.*

QVAERES.

An ſaltem ipſe Procreator contrahat cognationem.

5 REſpondeo multo probabilius eſſe nec ipſum procuratorem contrahere, quia hic non ſuſcipit animo ſubeundi munus patroni, qui tamen animus requiritur ad hanc cognationem contrahendam, vt ſupra dictum eſt. ita Abbas *d. c. veniens numero quarto*; vbi Anchar. *fin.* Car. *numero tertio.* Alex. de Neuo *numero* 9. Præpoſ. *num.* 3. *quæſ.* 3. Enriquez. *l. cap.* 11. *fin.* Nauarrus. *libr.* 5. *conſ. in ſecunda editione fine.* Anton. Cucus *libro* 5. *inſt. maior. tom.* 14. *numero* 14. Couarruu. 4. *decr.* 3. *par. cap.* 6. §. 4. Alexan. *l. Gallus* §. *forſitan numero ſexto ff. de lib. & poſth.*

Immo quamuis procurator intendat nomine proprio leuare puerum, tamen cognationem non contrahet, quia eſt deſignatus à parentibus iuxta ea, quæ dixi *diſ.* 57.

Alij tamen, inter quos eſt Sotus 4. *d.* 42. *quæſ.* 1. *art.* 2. Gallego *de cognatio. ſpirit. cap.* 14. *num.* 3. Fran. Aret. *d. l. Gallus num.* 74. Petr. Ledeſma *de matrim. qu.* 56. *art.* 3. *fol. penultim.* putant procuratores contrahere cognationem, quia vera, & reali actione, & perſonali ſuſcipit baptizatum, ergo, & cætera.

DISPVTATIO LX.

An ad contrahendam hanc cognationem requiratur fides, vel confirmatio in contrahente.

1 DIco primo infidelis ſiue baptizet puerum, ſiue vt patrinus ſuſcipiat non contrahit cognationem, ſpiritualem, neque cum baptizato neque cum eius parentibus. Ratio eſt. quia ſicuti ille, qui non habet vitam carnalem non poteſt eſſe cognatus carnali cognatione, ita neque carens vita ſpirituali poteſt eſſe cognatus in cognatione ſpiritu ali; ſed infidelis caret vita ſpirituali: ergo. Adde, quod hæc cognatio ſpiritualis eſt de mero iure Eccleſiæ introducta: ergo non ligat infideles, qui Eccleſiæ legibus non ſubduntur. ita docet Diuus Thomas, Durandus, Riccard. 4. *d.* 42. vbi Sotus, Ouand. Palacios *d.* 7. *diſputat.* 3. Valen. 4. *par. diſ.* 3. *quæſ.* 2. *pun.* 3. Cañedo *ſum. ſacr. de matrim. cap.* 6. *nume.* 46. Man. 1. *t. ſum.* 2. *tdi. c.* 226. Vega *c.* 33. *caſu* 45.

Ioann. Andr. Anch. Domin. Franc. *c. 1. de cognat. ſpir. in 6.* Matien. *l. 5. rec. tom. 1. rubr. gl. 1. nume.* 169. Gallego, & alij. Vnde etiam ſi baptizetur, non tamen contrahit cognationem ob actum geſtum tempore infidelitatis, quia quod nullum eſt à principio nequit reconualeſcere.

2 Eſt contra Angelum, Sotum, & Enriquez, qui putant infidelem contrahere cognationem, quando puerũ baptizat, quia ille recipit vitam ſpiritualem ab illo. Tertio eſt contra Guillelmum, & Roſellam putantes infidelem, ſi Puerum baptizet, non contrahere cognationem, ſecus vero ſi ſuſcipiat, vel leuet. Eſt contra Archidiaconum, qui docet in vtroque caſu contrahi hanc cognationem; noſtra tamen ſententia eſt veriſſima, & tenenda.

3 Immo nec Cathecumenus contrahit cognationem, quia ad hoc vt contrahatur cognatio carnalis requiritur vt procedatur ab eodem ſtipite iuxta definitionem cognationis illatæ *diſputat. 50. ſupra*, ergo etiam in cognatione ſpirituali requiritur proceſſio ab eodem ſtipite; nempe a Chriſto ſecundum ſpiritualem regenerationem, mediante Sacramento viſibili Baptiſmi; ſed Cathecumenus non eſt huiuſmodi: nam non eſt baptizatus; ergo. ita Sotus, Ouandus, Cañedo *loc. cit.* Petr. Ledeſm *de matrim. qu. 56. art. 2.* Ludou. Lopez. *2. par. inſtr. de matrim. c. 51.* contra Palud. *4. d. 42. qu. 1. art. 1. concluſ. tertia.*

4 At ſi Chriſtianus ſimul cum infideli puerum ſuſcipiant fidelis contrahet cognationem, cum matre pueri, &c. quia vtile non vitiatur per inutile, quando commodè poſſunt ſeparari, *reg. vtile de reg. iuris.* ita Ioan. Andr. *reg ex eo non debet de reg. iur.*

QVAERES I.

An ſi fidelis baptizet, vel ſuſcipiat puerum infidelis contrahat cognationem cum infideli quantum eſt ex parte ſua tantum, & parentes infideles non contrahant.

5 REſpondeo negatiuè, quia cognatio ſpiritualis eſt relatiua, & non poteſt eſſe ex parte vnius; quin etiam ſit ex parte alterius; cum ergo infidelis ſit incapax cognationis ſpiritualis, vt dictum eſt, neque etiam fidelis poteſt illam contrahere. ita Durandus Sotus 4. *diſ.* 42. *qu.* 1. vbi Palacios *diſputat. prima* Petr. Ledeſm. Manuel, Vega *lo. cit.* Gallego *de cognat. ſpirit. cap. 8. nume.* 11. Bellamera *cap. 1. nume. 2. 30. qu. 1.* contra Enriquez. *lib. 12. de matr. cap 11. nume. 3.* Viuald. *Candel. 1. par. de matrim. num. 163.* Nicol. de Orbellis 4. *d. 42. qu. 1. §. 5.* Gaet. *rep. cap. ad lim 30. du. 1. §. 4. qu. 151.* putantes infidelem eſſe capacem cognationis paſſiuę, hoc eſt, vt alius fiat illi cognatus ſpiritualiter; ipſe verò non efficiatur.

6 Nec talis cognatio reuiuiſcit etiam ſi poſtea infidelis baptizetur, vt *num. primo* circa finem dixi. Vnum tamen eſt valde notandum, quod licet fidelis ſuſcipiens puerum poſſit accipere in coniugem Patrem, vel Matrem pueri baptizati; tamen non poteſt cum ipſo baptizato matrimonium contrahere, quia ſtat conſanguinitas ſpiritualis, ipſe enim ſuſcipiens, vel baptizans eſt capax cognationis, & puer baptizatus etiam eſt capax.

7 Contra verò eſſet ſi infidelis ſuſciperet puerum, vel baptizaret, tunc poſſet inire cum illo matrimonium, quia cum ipſe ſit incapax cognationis, illa non contrahetur, neque ex parte ipſius baptizati, neque ex parte baptizantis, vt dictum eſt.

8 Hic denique nota, quod Hæreticus licet fidem amiſerit; tamen

poteſt

poteſt eſſe vere Patrinus. & cognationem ſpiritualem contrahere, quia habet caracterem baptiſmi, & ſubditur Eccleſiæ legibus, nec de hac re eſt dubium, peccat tamen ſuſcipiendo Puerum.

QVAERES II.

An ille qui non eſt confirmatus, & puerum in confirmatione ſuſcipiat contrabat cognationem ſpiritualem ?

9 REſpondeo negatiuè, nam non habet omnes conditiones requiſitas ab Eccleſia, ad hoc vt verus ſit patrinus in confirmatione, vt patet ex capite *in* baptiſmate de cõſeru. diſ. 4. (*in baptiſmate, vel in Criſmate, non poteſt alium ſuſcipere in filiolum ipſe qui non eſt baptizatus, vel confirmatus.*) quod verbum, non poteſt, reddit actum nullum, vt docent Doctores communiter. ita Victoria *ſum. nume. vltimo de confirmat.* Enriquez *l.* 12. *de matrim. c.* 11. *num.* 12. Vega 1. *tom. ſum. cap.* 64. *caſu* 11. Viualdus *Candel.* 2. *par. num* 69. *de baptiſm.* Suar. 3. *par. quæſ.* 72. *art.* 10.

10 Contraria tamen ſententia eſt ſatis probabilis. Ratio pro ea eſt, quia non confirmatus habet vitam ſpiritualem, & membrum Eccleſiæ. ita Paludanus 4. *d.* 42. *quæſ.* 1. *art.* 3. ibi Gallego *de cognat. ſpirit. cap.* 9. Manuel. 1. *tom. ſum.* 2. *edit. c.* 226. *numero* 10. Ludou. Lopez. 2. *par. de matrim. c.* 51. *col.* 6.

11 Denique Religioſi licet peccent ſi in baptiſmo, vel confirmatione ſint Patrini *cap. non licet de conſeruat. dis.* 47. tamen contrahunt cognationem, quia nullum verbum irritans eorum actum eſt appoſitum; ſed ſolum prohibens. Sylu. *v. baptiſmus* 5. *qu. fin.* Gallego, Ludou. Lopez. Viualdus, Vega *ſup. cit.*

DISPVTATIO LXI.

An in qualibet ætate poſſint eſſe patrini, & contrahere cognationem.

REſpondeo in quacumque ætate poteſt quilibet eſſe patrinus, & cognationem contrahere; ſi habeat vſum rationis. qui requiritur ad hoc, vt poſſit peccare mortaliter; nam ſi caret vſu rationis non poteſt eſſe Patrinus; ratio eſt, quia nullibi habetur conſtitutio ætatis in patrino; ita vt excedat, vt alij volunt in ætate illum, quem tenet, nam ſicut baptizans, vel confirmans, etiam ſi non excedat baptizatum in ætate, poteſt eſſe Pater ſpiritualis illius. ita etiam Patrinus. quod autem debet habere vſum rationis, patet, nam ſi non habet, non poteſt illum actum exercere cum intentione requiſita faciendi ſimiliter, quod patrini faciunt. Vide Enriquez *libr.* 12. *de matrim. cap.* 11. *num* 2. Manuel. 1. *t. ſum. in* 2. *edit. cap.* 226. Nauarr. *l.* 4. *conſ. tit. de cognat. ſpirit. in* 1. *edit. conſ.* 3. *in* 2. *conſ.* 4. Gaet. *rep. c. ad limina* 30. *qu.* 1. §. 4. *qu.* 136. *n.* 371.

DISPVTATIO LXII.

An oriatur cognatio ſpiritualis in patrino, vel Miniſtro, quando Sacramentum Baptiſmi priuatim confertur, ob aliquam neceſſitatem v. g. quia puer ſtatim erit morituru, & aliquis illum baptizat.

1 REſpondeo is, qui puerum in neceſſitate baptizat etiam ſi laicus ſit, contrahit cognationem ſpiritualem, ita vt nec poſſit matrimonium inire cum filia baptizata, vel cum Matre, aut Patre ipſius baptizati. Vnde Pater, qui filium, quem ex Concubina ſuſcepit, & baptizat ex neceſſitate; non poteſt ſibi illam in vxorem ducere. Ratio eſt, quia omnia iura clamant ex vera collatione baptiſmi oriri cognationem ſpiri-

ſpiritualem, neque hæc cognatio impoſita eſt ob pœnam, ergo incurritur ſtatim ob actum baptiſmi collati: ita ex Theolog. Paludanus, Sotus, Bart. a Ledeſma, Palacios, Enriquez. Manuel, Viualdus, quos refert Sanchez hic *numero decimo* Philiar. *de offic. ſac. tom. 1. par. 2. libr. 2.* Llamas *in method. curatio. 3. par. cap. 8. §. 19.* D. Anton. *3. par. tom. 1. cap. 15. §. 3.* Cum Gregor. Lopez. *l. 1. v. clerico tom. 7. par. quarta.* Matienz. *libr. 5. t. 1. rubr. gl. 1. nume. 170.* Gallego *de cognatio. ſpiritual. cap. 11. nume. 59.* Couarruu. *4. decr. 2. par. cap. ſexto §. quarto.*

2 At tenens puerum in hoc baptiſmo non ſolemni, non fit Patrinus, nec contrahit vllam cognationem; etiam ſi ille velit eſſe Patrinus, & adhibeatur ex compacto. Ratio eſt, quia hæc cognatio oritur ex Eccleſiaſtica conſtitutione, quæ adhibuit ſuſceptorem, ſeu Patrinum ſolum in baptiſmo ſollemni: ergo vbi non eſt baptiſmus ſollemnis, nullus eſt legitimus patrinus, neque eſt in poteſtate tenentis, vt hæc cognatio contrahatur, ſed requiruntur conditiones ab Eccleſia petitæ. ita docent Gallego *loc. cit.* Manuel. *l. 1. t. ſum. 2. editio. cap. 226. numero ſecundo.* Vega *1. tom. ſum. cap. 33. caſu vltimo* cum Suario, qui tamen putat probabile contrahi cognationem hanc quando verè, & propriè patrinus adhiberetur. *tertia parte quæſt. 67. ar. 8. dub. vltimo.*

3 Contraria ſententia eſt probabilis, eam docent Angelus, Viualdus, Ludou. Lopez, cum alijs apud Sanchez. *numero 13.* Ratio eorum eſt, quod iura indiſtinctè loquuntur de hac cognatione, & ſolum petunt, vt ſit ſuſceptor. Illud tamen eſt certum nullam contrahi cognationem, quando poſt datum baptiſmum priuatim ſitſolemnis iteratio baptiſmi; quia hic eſt nullus, & ſic nullum præſtat effectū *reg. non præſtat. de reg. iuris in ſexto*. ſimiliter nec contrahitur cognatio hæc, quando puer baptizatur non integre natus in ea parte corporis, in qua eſt dubium, an valuerit, & eſt baptiſmus iterandus ſub conditione: tunc enim contrahitur cognatio ex iteratione baptiſmi dati ſub conditione: quando nil conſtat de certitudine primi, & ſi eſt varietas opinionum, poteſt quis ſequi probabilem, quam velit.

DE IMPEDIMENTO cognationis legalis.

DISPVTATIO LXIII.

Quid ſit adoptio, & cognatio legalis.

1 ANtequam impedimentum cognationis legalis explicatur, præmittere oportet quid, & quotuplex ſit adoptio, & cognatio legalis, & ex qua cognatione legali oriatur impedimentum matrimonij. quare ſciendum eſt primo adoptionem. ita definiri (*eſt actus legitimus, per quem fit filius, vel Nepos, qui non eſt, plane naturam imitans*) & ſenſus eſt, quod per adoptionem aſſumimus in filios, vel nepotes, & in cęteros deſcendentes eos, qui nobis tales non ſunt, vt hoc pacto imitemur naturam dantem filios & cætera; vbi nota, quod nemo poteſt in fratrem, vel patrem adoptari.

2 Hæc autem adoptio eſt duplex, perfecta, & imperfecta, perfecta eſt cum is, qui adoptatur tranſit in poteſtatem adoptantis, & dicitur arrogatio, in qua is, qui arrogatur, debet eſſe Paterfamilias, & deſinit eſſe in poteſtate Patris naturalis; fit hæres tam ab inteſtato, quam ex teſtamento patris arrogantis, & requiritur Principis auctoritas. & vt tam arrogans, quam arrogatus interrogetur à Principe, an hæc velint ſpon-

ſponte *inſtit de adoptione*. Imperfecta eſt, cum adoptatus non tranſit in poteſtatem adoptantis, & hæc dicitur adoptio retinens nomen generis, per quam adoptatus non eximitur à poteſtate Patris naturalis, nec ſuccedit Patri adoptanti, niſi ab inteſtato: habentur hæc omnia, & alia *d. titul. de adoption. inſtitutio*.

3 Et quamuis omnes tam maſculus, quam fœmina, poſſint adoptari, quando ſunt præſentes; tamen non omnes poſſunt adoptare; nam fœmina non poteſt adoptare, niſi de licentia Principis; & viri tunc adoptare poſſunt cum ſunt ſui iuris, & maiores vigintiquinque annis. Secundo cum poſſunt generare, vel ſi non poſſunt ex aliquo accidenti; Tertio debet adoptans excedere adoptandum in ætate decem, & octo annis. Vide de his, Angel. *verbo adoptio numero quarto*. Sylueſtrum ibi *quæſtio. ſecunda*, & alios ſupra inſtit.

4 Finitur autem adoptio ſex modis, morte naturali, morte ciuili. ob nuptias inceſtuoſas, ob dignitatem, per ſententiam, per manumiſſionem.

5 Sciendum eſt ſecundo cognationem legalem eſſe propinquitatem prouenientem ex adoptione, & eſt triplex per lineam rectã inter adoptãtem, & adoptatum, & eius deſcendentes: ſecunda per lineam collateralem; inter adoptantem, & filios naturales adoptantis. Tertia inter adoptatum, & vxorem adoptantis, & contra, nimirum inter adoptantem, & vxorem adoptati: habentur hæc *inſtit. denuptijs & l. adoptiuus ff. de ritu nuptiarum*.

His poſitis.

(††)

QVAERES I.

An cognatio impediens matrimonium oriatur ex cognatione imperfecta.

REſpondeo nullum ex hac cognatione oriri impedimentum neque dirimens matrimonium neque impediens, quod non oriatur impedimentum dirimens, probatur, quia cum matrimonium ſit res fauorabilis, iura prohibentia debent reſtringi, & coarctari ad propriam verborum ſignificationem, ſed adoptio imperfecta non eſt ſimpliciter, & abſolutè adoptio ex Diuo Thoma 4. *diſ.* 42. *articulo primo*. ita Innoc. *capite vnico de cognatione legali* Sylueſtr. *matrimon. octauo quæſt. octaua* Sotus 4. *d.* 42. *quæſ. ſecunda articulo ſecundo* Ledeſma *ſecunda parte, quæſtion.* 59. *articulo tertio*. Enriquez *l.* 12. *capite duodecimo numero tertio hic* Petrus Ledeſma *hic quæſtio.* 57. *articulo ſecundo concluſione ſecunda.* 6

Quod autem nec oriatur impedimentum impediens probatur, quia nullus eſt textus id aſſerens, ergo non debemus illud inducere. ſic etiã Innoc. & Sylu. *loc. cit.*

Contraria ſententia eſt probabilis ſatis; ducitur ex eo, quia omnes textus agentes de hoc impedimento loquuntur indiſtinctè de adoptione. ita Alex. de Neuo *d.c. vnico* referens Tancredum Dama Laurent. Philipp. Vincen. Couar. *quarto decreto, ſecunda parte cap. ſexto §. quinto numero ſecundo*. Vgolin. *de de ſacram. capite decimonono numero 3. de matrimon.* Scot. 4. *d.* 42. *quæſtio. prima*. vbi Riccard. *articulo ſecundo quæſtio. ſecunda*. Palud. *quæſtio. prima* Baſſolis. *quæſtio. prima articulo quarto* Nicolaus de Orb. *quæſtio. ſecunda*. & alij.

QVE-

QVAERES II

An omnes tres ſpecies cognationis ſupra numeratæ dirimant matrimonium?

8 REſpondeo affirmatiuè ; nam quamuis hæ leges dirimentes matrimonium inter has perſonas, ſint impoſitę à iure ciuili; tamen ſunt approbatæ de iure Canonico, vt patet ex *cap. ita diligere* 30 *quæſt. tertia*, vbi approbatur impedimentum dirimens matrimonium in prima ſpecie, nempe inter adoptantem & adoptatam, & ex *cap. vnico de cognatione legali*, vbi approbatur impedimentum in ſecunda ſpecie, nempe in linea tranſuerſali, impedimentum vero in tertia ſpecie, nempe inter adoptatum, & coniugem adoptantis, & è contra, licet non inueniatur textus approbans tale impedimentum ; tamen conſuetudine Eccleſiaſtica eam receptam eſſe cõſtat Pontificibus id ſcientibus. ex Diuo Thoma 4. *d.* 42. *quæſtio. ſecunda articulo ſecundo.* vbi D. Bonau. *qu. ſecunda* Soto *quæſt. ſecunda artic. primo.* Ouand. *qu. vnica prop.* 11. & alijs, atque hanc cõgnationem eſſe impedimentum dirimẽs docent etiam ex Iuriſper. Couarru. *loc. cit.* Alex. Carrer. *libro ſecundo de ſponſ. capite decimo.* Tauallos *quæſt.* 728. Alber. *in dictio. lit. I. ver. imped.* 7. Innoc. Anton, Abba. Cardin Anchar. *d. c. vnico*, & alij Theol. mox ref.

Et quamuis ſpeculator *titulo de cognatione legali §. vnico numero ſecundo* doceat ſecundam ſpeciem cognationis legalis, nempe inter filium naturalem adoptati, & filiam adoptatam ſolum eſſe impedimentum impediens ; tamen non eſt audiendus, cum pro noſtra ſententia ſint tot Canoniſtæ cum Durando, Paludano, Manuel, Vega, & alij Theolog. cit. infra.

9 Hinc patet primo, quod ad hoc vt impedimentum contrahatur, debet ſeruari forma à legibus præſcripta in adoptione de qua *numero ſecundo*. Secundo ſi ſuperueniat matrimonio contracto non impedit debiti petitionem ; quia nullus eſt textus id exprimens. Tertio dirimit ſponſalia cotracta. quia hæc ſunt via ad matrimonium ; ergo vbi nullum redditur matrimonium ſponſalia etiam redduntur irrita. Quarto hoc impedimentum eſt iure tantum Eccleſiaſtico, vnde infideles poſſunt legitime contrahere inter ſe, non obſtante adoptione, cum ipſi non teneantur Eccleſiæ præceptis. Vide Veracrux *prima parte ſpeculi artic.* 60. Barth. à Ledeſm. *dub.* 47. Denatr. *articulo primo.* Vegam *primo tomo ſummæ cap.* 10. *caſu primo.* Roſell. *imped. 6. nu. 16.*

QVAERES III.

Quonam gradu hæc cognatio legalis dirimat matrimonium?

10 REſpondeo in prima ſpecie cognationis legalis, nempe inter adoptantem, & perſonam adoptatam. impedimentum non durat ſolum dum durat adoptio; ſed etiam ea diſſoluta, ita vt adoptans non poſsit ducere in matrimonium eam, quam ſemel adoptauit, etiamſi poſtea à ſe emancipauerit ; ita habetur *l. quin etiam ff. de ritu nupt. & inſt. de nupt. §. ergo non omnes.*

11 Idem etiam dicas in tertia ſpecie, nempe inter adoptatum, & vxorem adoptantis; & contra inter vxorem adoptati, & adoptantem, inter quos etiam diſſoluta adoptione nõ poteſt ſtare matrimonium *l. adoptiuus ff. de ritu nuptiarum.* at in tertia ſpecie, nẽpe inter filios carnales adoptantis, & filiam adoptatam, tunc ſolum matrimonium conſiſtere non poteſt, cum filij carnales, & adoptiui ſunt in patris adoptantis poteſtate ; vnde diſſoluta adoptione, cum forma à legibus præſcripta, vel emancipatio

filio,

filio, qui erat ſub patria poteſtate nullum remanet impedimentum. ita *cap. vnico de cogn. legali, & cap. per adoptionem* 30. *quæſt.* 3. *& inſt. de nuptijs. §. inter eas.*

12 Quare ſequitur primo, quod inter adoptantem, & Parentes adoptati nullum eſt impedimentum matrimonij, cum nullum Ius id prohibeat. Secundo nec inter fratres adoptiuos inter ſe eſt impedimentum: & à fortiori nec inter filios ipſorum fratrum adoptiuorum, vnde ſi quis adoptet in filios Titium, & Bertam, hi poſſunt contrahere matrimonium, quia id nullo iure habetur *tex. in cap. vnico. citato.* loquitur de filia carnali, & legitima adoptantis. ita ex Theologis Palud. 4. *d.* 42. *quæſt.* 1. *art.* 2. Enriq. *l.* 12. *cap.* 12. *num.* 3. Emanuel Sà. *matrim. num.* 6. *de imped. dirim.* Manuel. 1. *t. ſum.* 2. *edit. cap.* 227. Toled. 7. *ſum. cap.* 4. cum Ant. Cuc. *lib.* 5. *inſt. ti.* 14. *num.* 48. Greg. Lopez *l.* 7. *tit.* 7. *par.* 4. Manol. *ſum. de matrim* Alberic. *lit.* I. *impedi.* 7. ſupp. ſum. Piſan *imp.* 7. Ant. Henriq. *d. cap. vnic.* & alijs iuriſtis.

13 Tertio quando filia, vel filius carnalis, eſt illegitimus non habetur hoc impedimentum inter ipſum, & adoptatum, nam cum cognatio ſoluta adoptione, vel emancipatis filijs ceſſet; nec contrahitur quando filij non ſunt ſub patria poteſtate *inſt. de nupt. §. vltimo*, ergo &c. *nec text. in capite ita deligere* 30. *quæſt.* 3. vbi ait inter filium naturalem, & adoptatum non poſſe eſſe matrimonium, intelligendus eſt de filio naturali, & non legitimo, vt intelligunt Abbas, Cardinalis, & Præp. *d. cap. vnico*: ſed de filio naturali legitimo ex Aſtens. 2. *par. l.* 8. *tit.* 19. *ar.* 2. Inno. Hoſti. Ant. Anch. Alex. de Neuo *d. cap. vnico.* Enriquez Toled. Manuel. Manald. Alberic. *l. c.* Gullel. Borrillong, 4. *d.* 42. *queſt. vnic.* vbi Nicol. de Orbell. *quæſt.* 2. Petr. Led. *de matr. qu.* 57. *ar.* 3. *dub.* 1.

(†) (†)

QVAERES III.

Ad quem gradum extenditur hoc impedimentum.

14 REſpondeo in ſecunda, & tertia ſpecie certum eſt non extendi niſi in primo gradu, nẽpe inter adoptatum, & filios carnales, qui ſunt in poteſtate adoptantis, & non vltra, & inter adoptatum. & vxorem adoptantis, & contra, vt ex dictis patet.

15 De prima vero ſpecie probabilius eſt hoc impedimentum ſe extendere ſolum ad deſcendẽtes adoptati, qui tẽpore adoptionis erant ſub poteſtate ipſius adoptati: vnde ſi Titius adoptat Caium, & Caius quando fuit adoptatus habebat cẽtum deſcendentes in ſua poteſtate, nempè neptem, Proneptem &c. non poterit accipere vllam ex his deſcendentibus in cogiugem. ratio eſt quia adoptans dum adoptat aliquam perſonam cenſetur etiam adoptare omnes illius deſcendentes, qui erant in poteſtate adoptati tempore adoptionis *l. ſi. Paterfam ff. de adoptionibus*: ergo cum inter adoptantem, & adoptatum non poſſit conſiſtere matrimonium; neque poterit conſiſtere matrimonium cũ omnibus deſcendentibus adoptati, qui erant in poteſtate ipſius, tempore adoptionis. ita Gregorius Lopes, *l.* 7 *ver. nunca, & l.* 8 *fin. tit.* 7. *p.* 4. in qua ſententia videtur expreſſè D. Thomas 4. *diſput.* 42. *qu.* 2. *ar.* 3. & fauent Doc. referen.

16 Contra vero adoptans aliquam Fœminam poterit inire matrimonium cum eius filijs; quia fœminæ non habent filios in ſua poteſtate §. *fœmina inſt. de nuptijs*, & cum omnibus filijs illegitimis adoptati, quia hi non ſub Patris poteſtate §. *vltimo inſt. de nuptijs*. Aſtenſis *ſum. l.* 8. *tit.* 19. *art.* 2. *par.* 2. Ang. *mat.* 3. *imp.* 8. Sylu. *matr.* 8. *qu.* 8. *d.* 5.

(†)

DE IMPEDIMENTO affinitatis.

DISPVTATIO LXIV.

Quid ſit affinitas, & quomodo contrahatur.

1 AFfinitas eſt propinquitas perſonarum ex carnali copula prouenies omni Parentela carens. ita D. Thom. 4. *d.* 25. *quæſt. vnic. a.* 1. *quæſt.* 3. cum Theologis, & Iuriſtis. & ſenſus eſt, quod ad contrahendam affinitatem non requiritur conſanguinitas; ſed ſufficit copula ſiue ea ſit licita, ſiue illicita. Affines vero ſunt conſanguinei vnius coniugis v. g. Titij, cum altera v.g. Berta, & contra: ipſi autem coniuges non dicuntur affines; ſed fines ad quos accedũt affines.

2 Hæc autem affinitas durat etiam mortuo coniuge, vel eo per quem contracta eſt affinitas, vt ſi Titius rem habeat cum Berta, mortua Berta remanet etiam affinis cum eius ſorore. ita *cap. fraternitatis* 35. *quæſt.* 10. quod eſt Greg. Pont. Gradus affinitatis, vt ſi Paulus habet conſanguineos in tertio gradu, iſti ſunt affines ſuæ vxori in tertio gradu, & conſanguinei vxoris v. g. in tertio gradu, ſunt etiam affines Pauli in tertio gradu. ita *ex cap. porro* 35. *quæſt.* 5. atque hoc pro primo caſu in titulo poſito. pro ſecundo vero

QVAERES I.

An ad contrahendam affinitatem requiratur perfecta copula, in qua virile ſemen recipiatur intra vas mulieris.

3 REſpondeo affirmatiue, quare ſi ſolum penetretur vas fœmineum non oritur affinitas. ratio eſt quia affinitas ideo oritur ex copula, quia per eam uir, & fœmina facti ſunt vna caro, & ſic conſanguinei eorum fiunt illis affines *ex c. fraternitatis* 35. *quæſt.* 10 ſed non efficiuntur vna caro niſi per copulam perfectam, & ſufficientem ad generationem, qualis eſt ſola ſeminatio intra vas fœmineum vt dictum eſt *lib.* 2. *diſp.* 21. ergo, &c ſunt pro hac ſententiã 50. fere doctores Theologi cum D. Thom. 4. *d.* 41. *quæſt. vnic. art.* 1. *quæſtiun* 3. D. Bonau. *quæſt.* 1. Gabr. ſuppl. 9. *v. art.* 1. Dur. *quæſt.* 1, *num.* 7. Riccar. *cor. art.* 1. Palud. *a.* 3. Guillel. paris. *lib. de ſacr. cap.* 30 *de matrim.* Petr. Sot. *lec.* 10. *de matr.* Sotus 4. *diſp.* 41. *quæſt. vnic.* vbi Nicol. de Orbel. Borrillon. Ouand. Valent. 4. *par. diſput.* 10. *quæſt.* 5. *punt* 3. Enriq. *lib.* 12 *de matrim. cap.* 16. *num.* 1. ex Canon. Cañedo *in collec. ad ius Can. coll.* 9. *num.* 1. Fran. Marcus *deciſ.* 467. *num.* 7. *par.* 2. Azebedo *lib.* 8. *recop. tit.* 20. *l.* 7. *num.* 17. Soauius *de ſponſ. par.* 1. *ſup. inſt. de nupt.* § *affinitas.* Bellamer. *cap. extraordinaria* 35. *quæſt.* 3. vbi Archid. Card. *Clem. vnic. quæſt.* 14. *num.* 11. *de canſang.* Mouius *de contr. tit. de ſponſ.* §. *de natural. ſponſ num.* 3. Nauar. *ſum. cap.* 22. *nu.* 42. & alijs.

4 Si ſola fœmina ſeminat, non contrahitur affinitas, quia ea ſola non ſufficit ad generationem, aut ſi ſpado coeat, & ſemen intra vas emittat, quia hoc ſemen non eſt verum ſemen iuxta Ledeſmam 2. *par. quæſt.* 56. *ar.* 3. & alios, aut ſi polluant ſe extra vas vt decidit Vrbanus Secundus *cap. extraordinaria* 35. *quæſt.* 3. & multo minus ſi ſe tangant inhoneſtè, aut denique ſi copula ſit ſodomitica in vaſe præpoſtero ob dictam rationem: quia nimirum ea non ſufficit ad generationem, & quamuis hoc delictum ſit enorme, tamen cum hæc pœna affinitatis nullibi ſit poſita, non eſt aſſerendum eam conſurgere. ita docent Bonau. Durandus. Riccar. & alij communiter *l. cit.*

5 Contra vero ſi ſemen intra vas fœmineum aliqua arte etiam Dęmonis mittatur, etiam ſi illud per copulam non penetretur, oritur affinitas, quia tale ſemen ſufficit ad generationem, ſiue talis copula ſit licita, ſiue non, ſiue ſit publica, ſiue occulta, ſiue fiat cũ muliere cõſentiente, ſiue fiat cũ inuita ignorãte, dormiẽte, vel ebria, quia ea copula ſatis eſt ad generationẽ; nec iura diſtingũt quãdo copula eſt publicę,

vel

vel occulta, quando eſt conſenſus alterius, vel non. vide Hoſtien. *ſum. tit. de ſponſ. §. & qualiter num.* 10. Cardin. *cap. diſcretionem num.* 2. *de eo qui cogn. conſ.* vbi Præp. *num.* 3. Couarr. 4. *decr.* 2. *p. c.* 6. §. 7. Palud. ſup. Gabr. *l. c.* Archid. *c. vnico nu.* 7. *de ſpon. in* 6. Viual. *candel. ſacr.* 1. *p. n.* 200. *hic* Soauium *d.* 1. *p. de ſponſ.* Lambertinus *de iur. patr. lib.* 2. *p.* 1. *q.* 9. *art.* 18. *nu.* 11. Nauarr. *lib.* 4. *conſ. tit. de conſan.* 1. *edit. conſ.* 9. *ſecunda. con.* 1.

6 Solum hic nota, quod pro foro exteriori non habetur fides ijs qui fatentur copulam, & neguant fuiſſe ſemen intra vas, niſi forte fœmina fuerit virgo, & ex aſpectu appareret intacta, vt ex Vrbano Secundo colligit Gloſſa *cap. extraordinaria citato*. ita Palud. ſuppl. Gabr. *loc. cit. num. ſeq.* Greg. Lopez. *l.* 5. *v. carnalmiente tit.* 6. *p.* 4. Archid. & Bellamera *d. cap. vnico*

QVAERES II.

An deſideretur ſemen vtriuſque coniugis ad hanc affinitatem.

7 REſpondeo multo probabilius eſt ſolum ſemen viri ſufficere; quia copula in qua ſolus vir ſeminat intra vas eſt perfecta, & ſufficiens ad generationem, etiam ſi mulier non ſeminet vt *lib.* 2. *diſp.* 21. dictum eſt, ergo ex ea contrahitur affinitas. ita Palud. 4. *diſp.* 41. *quæſt.* 1. *a.* 3. vbi iuxp. Gabr. Vega 2. *tit. ſum. cap.* 34. *caſu* 171. Sylu. *matrim.* 8. *quæſt.* 15. Petrus Ledeſma *de matrim. quæſt.* 55. *art.* 3. *dub.* 2. Ant. Cucus *lib.* 5. *inſt. maior. tit.* 12. *num.* 243. Manuel. 1. *tom. ſum.* 2. *edit. cap.* 228. *nu.* 1. & alij.

8 Contraria tamen ſententia eſt probabilis; hæc putat ad affinitatem contrahendam deſiderari ſemen tam viri, quam fœminæ ad hoc vt fiat commixtio ſanguinis. Probatur *ex cap. lex diuina* 27. *quæſt.* 2. vbi Benedictus Pont. ſic ait (*ſed neque oſculum parit propinquitatem, quod nullam facit ſanguinis admixtionem*) & ratione confirmant, quia ad generationem iuxta communem medicorum ſententiam requiritur vtrumque ſemen. ita docent Innoc. *cap. fraternitatis num. vni. de eo qui cog.* Archid. *cap. vnic. num.* 3. *de ſponſ. in* 6. Bellam. *cap extraordinaria num.* 2. *quaſt.* 3. 35. Cardin. *clem. vnic. nu.* 10. *quæſt.* 13. *de conſang.* Lambertinus *de iur. patron. lib.* 2. *p.* 2. *quæſt.* 9. *num.* 9. *art.* 18. Ludouicus Lopez 2. *parte inſtr. cap.* 50. *fol.* 1147. *de matrim.* & alij, & videtur expreſſe D. Tnom. 4. *diſput.* 41. *quæſt.* 1. *quæſtiu.* 4. *art.* 1. *ad.* 2. vbi D. Bonau. *quæſt.* 1. *ar.* 1. Duran. *qu.* 1. *nu.* 7.

9 Ex dictis infertur, quod ex matrimonio non conſummato, non contrahitur proprie affinitas; ſed ſolum impropriè: vnde ſi quis, mortua coniuge, cum qua contraxit per verba de præſenti; accipit conſanguineam ipſius: licet hoc matrimonium ſit nullum, ob impedimentum publicæ honeſtatis: tamen non incurret excommunicationem latam *Clemen. vnic. de conſanguin.* vbi excommunicantur illi, qui contrahunt matrimonium cum affinibus. ita Præp. *cap. ſponſam num.* 2. *de ſponſ.* Nauarr. *lib.* 4. *conſ. in* 1. *editio. tit. de ſponſ. conſ.* 33. *in* 2. *conſ.* 4. *tit. de conſanguin.* Couarr. 4. *decret.* 21 *part. cap.* 6. §. 2. *num.* 1. Alex. Carrer. *lib. de ſponſ. cap.* 13. Monald. *ſum. tract. de matrim.* Ioan. de Fribur. *ſumm. confeſ. lib.* 4. *tit.* 14. *quæſt.* 3. Loarez. *de matrim. Reg. Angliæ dub.* 1. *num.* 103. Azebedo *lib.* 8. *recop. tit.* 20 *l.* 7. *num.* 15. Matienz. *lib.* 5. *recop. tit.* 1. *rubr. gl.* 1. *num.* 162. & alij multi.

* Contra dicta in hac *diſ. n.* 5. opponit Pontius merum ſcrupulum his verbis (*vnde ſi ſemen alicuius viri, ope Dæmonis deferatur in vterum fœmineum probabile iudico non contrahi affinitatem, quidquid dicat Thom. Sanch. lib.* 2. *diſ.* 21. *n.* 2. *vt dico infra l.* 9. *cap.* 9. vult dicere 10. *quia illi non ſunt facti vna caro, nec ſibi adhæſerunt, & alias, innumeros ſcrupulos inijceret ea opinio, dubitantibus hominibus, an ab illis dormientibus deciſum ſemen, raptum à Dæmone alioq; delatum eſſet*) ſed hæc, vt dicam ingenue, meri ſcrupuli

ſunt nullum habentia fundamentum; nec ſolum contra Sanchez, quaſi ipſe ſolus eam ſententiam docuerit, vt videtur annuere Pontius, dum ait (quidquid dicat Thom. Sanchez. ſed etiam contra omnium fere Doctorum mentem videntur eſſe; nam præter Doctores, quos numero 3. poſui aſſerentes requiri ſeminis immiſſionem, non facientes mentionem coitus, à Pontio requiſiti, & vltra eos, quos n. 5. retuli dicentes expreſsè ſatis eſſe ſi ſemen vas fæmineum ſubintret quacumque arte, etiam attrahente illud matrice, docent expreſſius quando arte Dæmonis immitteretur. Palud. 4. *d.* 41. *q.* 1. *ar.* 3. *concl.* 2. *ſuppl.* Gabr. *q. vnic. ar.* 1. *col.* 2. *vtr. ex illo ſequitur* D. Ant. 3. *p. tit.* 1. *cap.* 11. *paulo ante not. ſecundum* Roſſella *v. impedimentum imp.* 14. *nu.* 8. Ang. *matrimonium* 3. *tmp.* 15. Sylu. *matr.* 8. *q.* 15. Tabiena *imp.* 4. *q.* 2. *n.* 3. Gaeta *repet. cap. ad limin.* 30. *q.* 1. §. 4. *q.* 212. *nu.* 502. Petr. Ledeſm. *de matrim. q.* 55. *ar.* 3. *dub.* 2. *in ſolut. ad* 4. Sotus 5. *d* 27. *q.* 1. *ar.* 4. Rebell. *lib.* 3. 2. *par. q.* 15. *nu.* 2. Hurtad. *diſ.* 20. *de mat. vbi de affinit. diff.* 1. *n.* 4. dicens eſſe commune. quod autem merum ſit ſcrupulum quis non videat; nam in primis affert pro ratione id, quod eſſet probandum, nimirum quia per illam ſeminis commixtionem non ſunt facti vna caro; quod tamen iam omnes Doctores negant, quos citauimus, & ſatis ſuperque probatum eſt à Sanch. *hic n.* 8. & 15. cum tale ſemen ſufficiat ad generationem, & *lib.* 2. *d.* 21. vbi ait ex omnium ſententia carnis commixtionem eſſe impertinentem ad conſummationem cum habetur ſeminis ſuſceptio, Pontius vero quaſi aliquid ſine fundamento a Sancio eſſet allatum dicit, quidquid dicat Tho. Sanchez; vel quaſi aliquod magnum afferret argumentum contra communem ſententiam Doctorũ, tantum obijcit id, quod probare debebat; qui vero ſcrupuli rationabiliter ex hac ſententia ſequantur, non video; eſſet enim ridiculum ſi Titia v.g. nollet cõtrahere matrimonium cum Caio ex eo, quod dubitet an Dæmon attulerit intra ſuum vas, ſemen fratris Caij, & per hoc contraxerit affinitatem cum eo; neque hæc dubitatio poteſt euenire tantum in hoc caſu; ſed in ſexcentis alijs, dato quod Dæmon poſſit ſemen vnius viri in matricem fœminę immittere, adeo attemperatũ, vt ex eo ſequatur generatio, quod Pontius non negat; poſſet dubitare puella, quando nubit adoleſcenti: an ille ſit ſuus frater ex Patre; quia potuit Dæmon ſemen deciſum ex illius patre deferre in vterum matris adoleſcentis ex quo illa puerum pareret: & ſicuti in hoc caſu Pontius conſuleret puellę vt ſcrupulum veluti delirium deponat ſic etiam deberet fateri, quando nollet ducere quis vxorem ob dubium; quod Dæmonis arte ſit affinitas contracta; hęc enim docent Doctores vt naturam affinitatis cognoſcamus, quę quoties vera ſeminum commixtio ſit, apta ad generationem, oritur; neque vlla rationabilis dubitatio poteſt eſſe quamuis timoratæ conſcientiæ viris: modo ſanę ſint mentis: adde hos etiam ſcrupulos poſſe oriri ex Pontij ſententia, ipſe enim hoc loco putat contrahi hanc affinitatem, quamuis copula habeatur cum fœmina dormienti ibi (*Oritur autem affinitas etiam ſi copula ſit cum fœmina inuita & coacta, & ſiue ſit cum fœmina dormienti, aut vigilanti*) tum ſic: poſſet fœmina dubitare; an contraxerit affinitatem cum Caio; quia potuit eius frater, cum ea dormiente copulã habere, quid huic diceret Pontius conſultus in hoc dubio, ſeu ſcrupulo? Conſiderauit hæc forte inter ſcribendum vir doctus, & ingenio pollens egregio, & ideo *lib.* 9. *c.* 10. *n.* 1. fatetur communem eſſe ſententiam Doctorum, neq; iudicium vllum voluit in hac re proferre. Verba ipſius Pontij ſunt hęc (*An ſufficiat ſi ſemen virile penetret fœminæ vas; ſiue arte, ſiue ope Dæmonis, vt conſummatum dicatur; communis eſt opinio ſufficere quia ſunt effecti vna caro, ſcilicet vnus filius in principio, & in ſemine; ſic cum cõmuni ſententia ſupponit, vt certum Tho. Sanch. l.* 2. *d.* 21. *n.* 2. *quamuis mihi videatur res ſatis dubia, & multis ſcrupulis ex*

poſi-

posita, qui vix humano iudicio definiri possunt: vtrumque requirem ego, & coniunctionem, & seminationem intra vas, SED NEC DEFINIO) vide ergo Pōtium non obstantibus scrupulis, retractare id, quod dixerat supra. *l.7. c.* 33. à me cit. nam quamuis ibi agat de affinitate, hic vero de consummatione, eadem omnino est ratio, vt ipsemet notauit, dum ait (*sed de his infra l.9.c.*10) & dum loquens de affinitate citat Sanchez. *lib.*2. *disp.*21. *num.*5. vbi ipse loquitur de consummatione matrimonij; nam de affinitate tractat *in præsenti disp.* neque circa hoc est vlla dubitatio, vnum enim sequitur ab alio si enim semen ope Dœmonis immissum sufficit vt dicantur vna caro; sufficit etiam ad affinitatem vt ex dictis est manifestum, & ideo Pontius negat *l.7.c.*33. non contrahi affinitatem cum arte Dæmonis semen imittitur. (*quia illi non sunt facti vna caro, nec sibi adhæserunt*)

DISPVTATIO LXV.

An Affinitas sit vinculum naturale, & contrahatur tempore infidelitatis.

1 SEnsus huius quæsiti non est an tēpore infidelitatis habeatur hoc impedimentum, ita vt infidelis affinem ducere non possit; sed est iste; an hoc vinculum affinitatis oriatur ex ipsa natura, ita vt sicuti consanguinitas est quid naturale competens etiam infidelibus; ita etiam sit affinitas, ad hanc igitur quæstionem

Respondeo affinitatem ex copula licita, nempe coniugali, esse quid naturale, & consurgere tempore infidelitatis; ita vt si Titius Infidelis consūmet matrimonium cum Berta infideli, contrahat affinitatem cum eius sorore, matre, &c. & Berta pariter cum consanguineis Titij: ratio est quia affinitas est fundamentum naturale cuiusdam amicitiæ, & coniunctionis, sicuti consanguinitas, ex Aristotele *hic cap.*12. sed consanguinitas est vinculum naturale etiam tempore infidelitatis, ergo etiam affinitas est quid naturale oriens tempore infidelitatis. ita D. Thomas, 4.*d.*41.*q.vni. ar.*1.*quæstiun.* 1. vbi Dur.*q.*1.*n.*7. Palud. *ar.*1.*nu.* 10. Sotus *col.*2. Ouandus *propos.vl.* Victoria *sum. de matr.n.*296. Veracruz 1.*p. spec.ar.*47.*concl.*1.

2 Ex qua decisione infertur primo in fidelem, qui tempore infidelitatis matrimonium legitimum, & validum consūmauit, si conuertatur ad fidem non posse ducere consanguineam vxoris suæ; quia licet hoc impedimentum sit ecclesiasticum, & non obliget infideles tempore infidelitatis: tamen quando iam sunt fideles, tenentur stare ecclesiasticis constitutionibus; quibus impeditur matrimonium inter affines; sed iam iste fidelisfactus est affinis, affinitate illa contracta tēpore infidelitatis, ergo non potest ducere vxorem affinem. ita Veracrux *ar.*50. *con.*1. contra Enriquez *lib.* 11. *de matr.cap.*3.*n.*4.

3 Infertur secundo, quod licet ex matrimonio rato non consummato nō oriatur affinitas; oritur tamen quoddam vinculum naturale, ita vt infideles contrahentes matrimonium validum, licet illud non consūment, si postea conuertantur ad fidem non possint ducere cōsanguineos alterius coniugis; nam vinculum propinquitatis naturale contractum tempore infidelitatis, durat etiam post Baptismum, quando iam subditur Ecclesiæ legibus irritantibus matrimonium consūmatū; quod si matrimonium infidelium esset nullum ex eo, quod contra ius naturale esset initum: tunc nullum oritur vinculum, & per consequens nullum impedimentum; quia per tale matrimonium vere non datur potestas in corpus alterius legitima; sicuti neque oritur ex sponsalibus, quia in his impedimentum est de mero iure Ecclesiastico. ita *l. c.* Enriquez, Veracrux *ar.* 51.

QVAE-

QVAERES.

An affinitas orta ex copula fornicaria ſit vinculum naturale, ita vt tempore infidelitatis contrahatur.

4 REſpon. negatiue. ratio eſt quia ex illa copula, vt experientia comprobat, potius odia, quam amor, & affectus inter conſanguineos naſcatur; ita vt tempore Romanorum ex hoc coitu non oriretur affinitas *l. non facile §. affines ff. de Grad. affin.* ita Nauar. *lib. 4. conſ. tit. de ſponſ. in 1. edit. cõ. 7.* Victoria *ſum. hic. n. 296* Led. 2. *p. qu. 57. ar. 8.* Enriquez *l. c.* contra Io. And. *c. 1. n. 3. de conuer. infid.* vbi Ant Cardin. *nu. 1.*

5 Hinc infertur quod infidelis, qui tempore infidelitatis copulam habuit cum aliqua, poteſt poſt Baptiſmum ducere conſanguineam illius in gradu ab Eccleſia prohibito contra Vegam *t. 2. ſum. c. 34. caſu 129.*

Contra vero attenta Eccleſiæ conſuetudine ſi fidelis habeat rem cum infideli; vel fideli, quæ habet ſororẽ infidelem, contrahet affinitatem cum illa ſorore, ita vt ſi illa baptizetur non poſſit coniungi matrimonio cum ipſo vt patet ex hoc, quia ſi fidelis habet rem cum fideli, contrahit affinitatem cum ſorore illius, quæ poſt decem annos v. g. naſcitur, quæ tamen dum nota non erat, nec baptizata non poterat ſubijci Eccleſiaſticis legibus; ſufficit ergo ad hoc vt contrahatur affinitas cum conſanguineis alterius coniugis, quandocumque baptizentur, ſi vnus ex copulam illicitam habentibus ſit fidelis.

DISPVTATIO LXVI.

An in affinitate aliquis gradus dirimat matrimonium de iure naturæ.

1 REſpondeo nullum gradum affinitatis dirimere matrimonium de iure naturæ, tam in linea recta aſcendentium, & deſcendentium, vt inter priuignum, & nouercam, inter priuignam & vitricum, vel inter ſocrum, & generum, inter ſocerum, & nurum. quam in linea tranſuerſa, vt ſi quis ducat ſororem vxoris ſuæ: quamuis aliqua ſit naturalis indecentia, niſi cauſſa aliqua grauis talia matrimonia cohoneſtet.

Probatur prima pars, quia hoc matrimonium cum affinibus, etiam in primo gradu, inter deſcendentes, & aſcendentes, non cenſetur apud omnes gentes interdictum: nam Valerius Maximus. *lib. 5. cap. 7.* laudat Seleucum ex eo, quod dederit Straconicam propriam vxorem in vxorem filio ſuo Antioco; & 3. Reg 2. Adonias filius Dauid petijt Abiam vxorem, quæ erat vxor Dauid, ergo tale matrimonium non eſt iure naturæ interdictum ita Alex. Gaie. Abulen. Ancona Veracrux. Armilla Petrus de Led. & alij: quos habes apud Sanch. *n. 7.* Loarez *de matrim. Reg. Ang. dub. 2.* Taper. *a 20. louanienſ.* Llamas *methodo curat. 3. par. c. 8. §. 19.* Vega 2. *t. ſum. c. 34. caſu 126.* Em. Sà *ver. matr. n. 4. de imp. dir.* Albertus Pighius *contr. 13.*

Secunda pars, quæ eſt veriſſima nimirum inter affines collaterales non eſſe iure naturæ, irritum matrimonium, probatur ex Innocen. 3. & Alex. 6. & Iulio ſecundo, qui diſpenſarunt in his matrimonijs, & Clemens ſeptimus conſultis doctiſſimis viris ex toto orbe decreuit fuiſſe legitimas diſpenſationes: vide Couar. *4. decr. 2. p. c. 6. §. 10. n. 7.* Bellarmin. *lib. 1. de matr. c. 28.* Valen. 4. *par. diſ. 10. q. 5. pun. 3.*

2 Probabilis tamen eſt ſententia, quæ putat in primo gradu lineæ rectæ aſcẽdentium, & deſcendentium eſſe iure naturæ irritum matrimoniũ: ac propterea ſi priuignus nouercam ducat tempore infidelitatis, ſeparandos eſſe cum baptizantur; quia nullum erat eorum matrimonium. ita D. Thomas Sylueſt. Victoria, & alij 30. fere Theologi, apud Sanch. n. 6. quibus valde fauet D. Auguſtinus lib. 22. contra Fauſtum *cap. 61.* vbi ait (*ſi vir & vxor non duo, ſed vna caro ſunt, non aliter eſt nurus deputanda quam filia*) quod eſt præcipuum argumentum horum dicto-

rum

rum. Sed hoc non eſt aliter intelligendum, niſi quod nurus debet cæteris affinibus collateralibus præponi, & tamquam filia haberi; non autẽ quod matrimonium ſit irritum iure naturę; ſed ſolum quod præferat quamdam indecentiam, vt iam conceſſimus.

De affinitate vero orta ex copula fornicaria certum eſt nullum gradum dirimere matrimonium de iure naturæ, quia vt *diſ. præ. n.* 4. dixi nullum oritur vinculum naturale, & ita dicit eſſe certum Petrus Ledeſma *hic q.* 55. *ar.* 6. *diff.* 2.

DISPVTATIO LXVII.

Ad quotum gradum extendatur impedimentum affinitatis de iure Eccleſiaſtico.

1 REſpondeo affinitatem ortam ex copula licita ſolum dirimere matrimonium inter affines vſque ad quartum gradum: ita *cap. non debet de conſ. & affin.* Affinitatem verò ortam eſt copula illicita (nam concilium dum reſtrinxit affinitatem ortam ex fornicatione, nomine fornicationis intellexit quemcumq; coitum illicitum contra formam matrimonij, vt docent DD. cit.) reſtrictã eſſe à Concilio Trident. *ſeſſ.* 24. *de mat. cap.* 4. vſque ad ſecundum gradum & Pius V. 1566. motu proprio declarauit nullum impedimentum eſſe in vlterioribus gradibus. ita Ouand. 4. *d.* 4. 1. *q. vni. prop.* 6. Nauarr. *cap.* 22. *n.* 43. & 91. Angles. Florib. 1. *p. q.* 14. *ar.* 1. *p. q.* 14. *ar.* 2. *diff.* 1. Perez. *lib.* 8. *ordi. tit.* 15. *l.* 5. *col.* 3. Azebedo *l.* 8. *reco. t.* 20. *l.* 7. *n.* 9. Toledo *l.* 7, *ſum. c.* 11. Graffi. 1. *par. deciſ. lib.* 12. *c.* 80, Philiar. *de off. ſacerd. t.* 1. *p.* 2. *lib.* 2. *cap.* 12.

Quare hodie ſi Titius ducat Bertam in vxorem, non poteſt ea mortua ſine diſpenſatione Pontificis contrahere matrimoniu cum conſanguineis Bertæ intra quartum gradum, & Berta mortuo Titio non poteſt nubere cum conſanguineis Titij intra eumdem quartum gradum v.g. cum Nepote, & ſi Titius habeat rem fornicariam cum Berta, non poteſt ducere eius ſororem aut Nepotem filiam ſororis, licet poſſit Pronepotẽ, quæ eſt in tertio gradu.

Contra vero ipſi conſanguinei Bertę poſſunt contrahere matrimonium cum conſanguineis Titij (niſi alio modo ſint coniuncti) quia non ſunt affines, nam affinitas non parit hodie affinitatem.

PETES HIC

Titius rem habuit cum Berta, & deinde cognouit conſanguineam Bertæ in tertio gradu; an hoc peccatum ſit inceſtus, vel non.

3 REſpondeo non eſſe inceſtum, ſed ſimplicem fornicationem, quia in tantum copula cum affinibus eſt inceſtuoſa, in quantum inter affines prohibetur matrimonium, vt dictum eſt diſp. 5. ergo dum ceſſat in conſanguineis in tertio gradu prohibitio matrimonij, ceſſabit etiam ratio inceſtus. ſic etiam Metina *lib.* 1. *ſum. c.* 14. §. 18. Salzedo *add. ad Diaz pr. q. c.* 84. Ceruantes *l.* 8. *Tauri n.* 33. Alcozer. *ſum. ca.* 20. Gutier. *q. can. lib.* 1. *c.* 209.

PETES II.

Quidam erat affinis cum Titia, vel conſanguineus, & petijt à Pontifice diſpenſationem, ad hoc vt poſſet illam ducere, obtenta iam diſpenſatione antequam fieret matrimonium habuit copulam cum illa, an hæc copula ſit inceſtuoſa.

4 REſpondeo negatiue ob dictam rationem, tum etiam quia, vt docent Gaiet. *ſum. v. inceſtus* & Vega, 2. *c. ſum. c.* 5. *caſu* 1. inceſtus eſt quando inter conſanguineos, vel affines fit cõmixtio abſque diſpenſatione obtenta; ſed hic iam eſt obtenta diſpenſatio. Solum aduerte, quod affinitas ſuperueniens dirimit ſponſalia, non vero matrimonium contractum, ſed impedit vsũ vt *lib.* 9. dicemus.

DE IMPEDIMENTO PVBLICAE honeſtatis.

DISPVTATIO LXVIII.

Explicatur quid ſit impedimentum publicæ honeſtatis.

1 IMpedimentum publicæ honeſtatis eſt propinquitas ex ſponſalibus prouenjens, robur trahens ex Eccleſiaſtica iuſtitutione, propter honeſtatem eius; ita D. Thomas, quem omnes ſequuntur 4. *d.* 41. *q. vnic. ar.* 1. *quæſtiunc.* 44.

Et primo aſſignatur differentia, quę eſt inter hoc impedimentum, & affinitatem, nam affinitas oritur ex copula, publicæ honeſtatis, impedimeutum ex ſola prommiſſione matrimonij de futuro. Secundo dicitur cauſſa efficiens eſſe ſolum de iure eccleſiaſtico, & ſic non ligare infideles, 3. dicitur cauſſa finalis, ſeu cur Eccleſia hoc conſtituit, & aſſignatur id inductum eſſe ob honeſtatem, & decentiam.

2 Dico ſecundo hodie ex Concilio Trid, *ſeſſ.* 24. *de matrimonio cap.* 3. hoc impedimentum nõ conſurgit ex ſponſalibus irritis ex aliquo impedimento v. g. ſi monachus prommittat Bertæ matrimonium, vel frigidus, qui generare non poteſt; & non extenditur niſi ad conſanguineos in primo gradu, ſiue hi ſint legitimi, ſiue naturales tantum, vnde Titius contrahens ſponſalia cum Berta, non poteſt ducere vxorem eius ſororem; etiam ſi ſit illegitima, & naturalis tantum, vnde apparet correctum eſſe ius antiquum *cap. vnico de ſponſalibus*, vbi hoc impedimentum vſque ad quartum gradum extendebatur, & conſurgebat ex ſponſalibus irritis, et hoc verum eſt etiam ſi ſponſalia mutuo conſenſu, aut morte alterius Coniugis diſſoluuntur quidquid dicat in contrarium Emm. Sà *v. matrim. n.* 12. *de imp. dirimentibus* vide Anchar. *cap. ſponſam nu.* 3. *de ſpon.* Couar. 4. *decret.* 2. *p. c.* 6. §. 2. Fran. *cap. vnic. notab.* 4. *de ſponſal.* 6. vbi Io. Andr. *n.* 5. Toled. *ſum. lib.* 7. *c.* 10. Gaet. *repet. c. ad limina* 30. *q.* 1. §. 4 *q.* 203. Nauar. *ſum. c.* 22. *n.* 57. Petr. Ledeſm. *de matr. q.* 55. *a.* 4. *dub* 1. Manu. 1 *t. ſum.* 2 *edit. c.* 234. *u.* 4. Vegam. 2 *t. ſum. c.* 34.

4 Quod ſi impedimentum dirimens matrimonium ſit tale, vt in ea ætate in qua contrahuntur ſponſalia non poſſit dignoſci, v. g. ſi puer vere frigidus contrahit ſponſalia, pariunt impedimentum publicæ honeſtatis, quia impedimentum illud vere frigiditatis in puero non erat in actu impediendi matrimonium; cum non potuerit tunc dignoſci. ita D. Thomas 4. *d.* 42. *q.* 1. *ar.* 1. Sotus *ibi a.* 2. Lud. Lopez 2 *p. inſtr. c.* 50. *de matr.*

4 Dico tertio quando ſponſalia ſunt irrita ex defectu conſenſus, ex eo quia qui promiſit non habebat animum promittendi, vel ex aliquo impedimento occulto v. g. ex voto caſtitatis non nubendi, vel Religionis, & ſponſalia ſunt publica; tunc conſurgit impedimentum publicę honeſtatis, ſi verò etiam ſponſalia ſunt occulta non conſurgit, quia tale impedimentum eſt inſtitutum ad publicam honeſtatem, & ad vitandum ſcandalum: ſed quando ſponſalia ſunt publica, & impedimentum occultum non vitatur ſcandalum, ſi ſponſus ducat matrem ſponſæ v. g. ergo &c. quare *text. in dicto capite vnico*, vbi dicitur quod ſponſalia irrita ex impedimento aliquo non pariunt hoc impedimentum, intelligi debet de impedimento publico, vt exponunt Duran. Palud. Gabr. D. Ant. & alij multi Theologi, apud Sanch. *n.* 14. cum Gloſſ. *d. c. vnico ver. conſenſus.* Archid. *n.* 9. Io. And. *n.* 5. Domin. *n.* 12. Vincent. *c. ad audientiam de ſponſ. & in propriis terminis* Henriq. *lib.* 12. *c.* 10. *n.* 2. Bat. à Ledeſm. *dub.* 43. *col.* 4. Manuel. Vega *cit.*

5 Solum hic aduerte quod ſi impedimentum illud occultum probetur ſiue veris Teſtibus, ſiue falſis, tunc ceſſabit impedimentum publicæ honeſtatis; contra verò ſi ſponſalia occulta, ob quæ non conſurgeret impedimentum publicæ honeſtatis, deinde probentur ſiue veris, ſiue falſis teſtibus, conſurget im-

impedimentum hoc ob rationem nu. præcedenti allatam.

6 Hinc infertur primo, quod ſi Titius habebat impedimentum occultum, & contraxerat cum Maria ſponſalia occulta, poterat ducere ſororem ipſius Mariæ, & matrimonium fuit verè validum in foro conſcientiæ; at ſi poſtea probentur ſponſalia, in foro externo illud matrimoniũ annullabitur, cõtra verò ſi cõtraxit cũ Maria matrimoniũ per verba de præsẽti, nõ poterat ducere conſanguineas vſque ad quartum gradum, quia ex matrimonio rato, ſiue irrito, ſiue non, conſurgit hoc impedimentum tum in foro externo, tum in foro conſcientiæ.

7 Infertur ſecundo, quod quando parentes contrahunt ſponſalia pro filijs, ſi ipſi ſunt præſentes doli capaces, & tacent; conſurgit hoc impedimentum etiam ſi filij interius diſſentiant, quia Eccleſia preſumit ſponſalia in foro externo, de quo dictum eſt *lib.* 1. *diſ.* 23.

Si vero ſunt abſentes, vel ſi non ſunt doli capaces, non conſurgit hoc impedimentum, niſi poſtquam ſciuerint, conſentiant, de quo diligenter interrogandi ſunt, & ipſis fides eſt habenda, niſi antea inierint matrimonium cum conſanguinea ſponſæ; tunc enim non creditur ipſis fatentibus impedimẽtum. vide Maſcardum *de prob. conc.* 1030. *num.* 7. vbi multos citat.

8 Dico quarto ſi quis conetur habere copulam cum Berta, poteſt nihilominus ducere eius ſororem, vel filiam quia ex mero conatu ad copulam, niſi ſit illa copula ratificatio ſponſaliũ, non oritur vllum impedimentum; ita Io. And. Anchar. Domin. *num.* 4. *relati*.

9 Dico quinto, ſi quis contrahit ſponſalia cum Berta, & deinde contrahit cum Titia eius ſorore ſponſalia, aut matrimonium per verba de præſenti, poteſt nihilominus accipere Bertam in coniugem; quia per ſponſalia poſteriora non contrahitur impedimentum, & matrimonium contractum per verba de præſenti poſt ſponſalia inita cum ſorore eſt nullum ob impedimentum publicæ honeſtatis.

10 Immo ſi frater Titij contrahentis ſponſalia cum Berta, ducat ipſam Bertam, nec conſummet matrimonium: poteſt nihilominus Titius Bertam ſponſam accipere; quia matrimonium fratris fuit irritum propter impedimentum publicæ honeſtatis; contra verò ſi in his casibus habetur copula, non poteſt ſponſus accipere illam, quia iam eſt affinitas contracta per copulã illicitã.

* Quæ dicta ſunt *n.* 4. & 5. ſi Pontius perpendiſſet non dixiſſet profecto *lib.* 7. *cap.* 36 *nu.* 10. noſtrum auctorem nõ conſideraſſe diuerſam eſſe rationem quando conſenſus deeſt in ſpõſalibus, ac quãdo eſt impedimentum occultũ, nã quando non eſt conſenſus internus non ſunt inualida; quando vero eſt cõſenſus cum aliquo impedimento ſunt inualida his verbis (*quodſi cum celebrantur ſponſalia deeſſet animus ſe obligandi, ego exiſtimo etiam ex iſtis ſponſalibus induci iuſtitiam publicæ honeſtatis quia vt dixi ſupra lib.* 2. *contractus omnes excepto matrimonio ſignis tantum externis, etiam ſine interno animo valide celebrantur, ex quo intelliges diuersã eſſe rationẽ, quando conſenſus deeſt, vel quando eſt impedimentum occultum, ratione cuius ſunt inualida ſponſalia, priora.n. illa ex defectu cõſenſus interni non ſunt invalida, quod non conſiderauit Tho. Sanch. lib.* 7. *diſ.* 68. *nu.* 13. & *ſeq.*) nõ inquam dixiſſet Pontius Sãciũ non conſideraſſe diuerſam eſſe rationem &c. ſi legiſſet quæ Sancius habet *n.* 14. & nos retulimus hoc *nu.* 4. conſiderauit enim optime vir occulatiſſimus nullam eſſe differentiam inter ſponſalia defectu conſenſus celebrata, & cum conſenſu; ſed cum aliquo impedimento dirimenti, ac vtraque eſſe nulla, parere tamen impedimentum publicæ honeſtatis ob rationem aſſignatam, quæ ſane valde efficax eſt, quod vero ſponſalia defectu conſenſus eſſent nulla hic iam ſupponit ex toto fere *lib.* 1. vbi id conſtat aperte, neque a Pontio quidquam in contrarium affertur, cui mihi reſpondendum

ſit; præter verba a me citata.

DISPVTATIO LXIX.

An ex ſponſalibus incertis vel conditionatis oriatur impedimentum publicæ honeſtatis.

1 REſpondeo ex ſponſalibus incertis non oriri tale impedimentum; quia ſunt irrita, vt ſi quis dicat promitto me ducturum vnã ex filiabus Titij; habetur expreſſe *cap. vnico de ſponſalibus in 6.* & confirmatur à Conc. Trid. *ſeſſ. 24. de matrim.* At ex ſponſalibus conditionatis, ſi conditio ſit de futuro, talis quæ ſuſpendat conſenſum, non oritur hoc impedimentum donec impleatur conditio, quia ea non impleta non ſunt adhuc ſponſalia; quare poterit non impleta conditione ſponſus ducere in vxorẽ ſororem ſponſæ: ita ex Trid. docent Enriquez *lib. 12. cap. 10. num. 2.* Bartol. a Ledeſm. *dub. 43.* Manuel. *1. tom. ſum. 2. edit. c. 234. concl. 3.*

2 Dixi ſi conditio ſit de futuro talis, quæ ſuſpendat actum ſeu conſenſum; nam ſi conditio eſt de præterito, vel præſenti, & eſt vera, tunc ſunt vera ſponſalia, & pariunt impedimentum publicę honeſtatis, ſi eſt falſa nõ pariũt: vt ſi dicant, ducam te ſi puer tuus iuit Romam ſi vere puer illius iuit Romã iam ſunt vera ſponſalia. vel ſi conditio eſt de futuro taliis tamen quæ non ſuſpendit actum; vt ſi ſit neceſſaria, vt ſi ſol orietur, vel ſi ſit impoſſibilis, vel inhoneſta non contra ſubſtantiam matrimonij, vel ſi tacitè inſit, vt ſi vixerimus, tunc ſponſalia ſunt vera, ac ſi eſſent abſolutè contracta, vnde pariunt impedimentum publicæ honeſtatis. vide de his cõditionibus *lib. 5. diſ. 1. 2. & 3.* ita Silu. *matrim. 8. quæſt. 14.* Tabiena *impedim. 11. nu. vnic.* Couar. *4. decret. 2. p. cap. 6. §. 2.* Ant. Cucus *lib. 5. inſt. maio. t. 10. num. 60.*

(†)

PETES I.

Titius contrahit ſponſalia conditionata cum Berta, & ante impletam conditionem contraxit ſponſalia abſoluta cum eius ſorore, an hæc poſteriora pariant impedimentum, ita vt non poſſit ducere Bertam.

3 Reſpondeo negatiuè, quia hæc poſteriora ſponſalia fuerunt nulla, quia Titius debebat prius expectare exitũ conditionis appoſitæ in ſponſalibus cum Berta.

PETES II.

An ſint ſponſalia abſoluta, ita vt ſtatim pariant impedimentum, ſi quis dicat ducam te niſi fornicationem admiſeris.

4 Reſpondeo negatiue; quia ea conditio eo modo appoſita non ineſt tacite ſponſalibus.

DISPVTATIO LXX.

An ex matrimonio rato oriatur impedimentũ publicæ honeſtatis, & quo modo

1 DIco primo ex matrimonio rato abſolutè contracto ſiuè valido, ſiue irrito, ex quacumque cauſſa (excipe tamen niſi ſit irritum defectu cõſenſus) oritur impedimentum publicę honeſtatis, itaut ſi quis ſciens ſe eſſe impotentem, vel ignorans contrahat cum Maria per verba de præſenti, nõ poterit ducere conſanguineam ipſius Mariæ vſque ad quartum gradum, & quamuis non reperiatur textus expreſſus ſtatuens hoc impedimentum, tamen deducitur à fortiori; ſi enim ex ſponſalibus oritur hoc impedimentũ, multo magis ex matrimonio rato; quod autem ex matrimonio irrito oriatur hoc impedimentum, declarauit Pius V. in modo proprio anno 1568. denique quod extendatur vſq; ad quartum gradum, patet, quia ante Tridentinum ita extendebatur, nec poſtea eſt correctum, vt notant Veracruz *append. ad ſpec. dub. vlt. cõcl. 1.* Sotus *4. d. 41. q. vnic. ar. 2.* Nauar. *ſum. c. 22. n. 50.* Valentia *4. p. diſ. 10. q. 5. pu. 3.*

Vnde

2 Vnde infertur primo quod impuberes contrahent matrimonium per verba de præſenti, quando malitia non ſupplet ætatem, tunc ſi habent aliquod impedimentum dirimens, nõ conſurgit impedimentum publicæ honeſtatis; quia tale matrimonium non valet nec etiam ſponſalia, ſi vero nullum habent impedimentum, conſurget impedimentum hoc publicæ honeſtatis, quia tale matrimonium habet vim ſponſalium.

3 Infertur ſecundo, quod quando matrimonium eſt nullum ob metum cadentem in virum conſtantem, vel ob errorem perſonæ non conſurgit hæc publica honeſtas, quia in his deficit conſenſus, vel quando matrimonium eſt clandeſtinum, ſine Parocho & teſtibus; quia tunc non habet nec formam, nec figuram matrimonij.

4 Cætera vero ex his, quæ diximus de ſponſalibus, facile colligi poſſunt, nimirum quod hoc impedimentum eſt ex iure ſolum Eccleſiaſtico, nec ex eo oritur aliquod vinculum naturale, quod etiam infideles liget: Secundo hoc impedimentum eſſe perpetuum; & non contrahi cum affinibus Coniugis, ſed cum conſanguineis: Tertio conſurgere hoc impedimentum ſi matrimonium ſit irritum defectu interni conſenſus, vel ſi parentes contrahant nomine filiorum præſentium, & tacentium; cum hæc taciturnitas habeatur pro conſenſu, quamuis ipſi interius diſſentirent, de qua re vide *diſp. 68. num. 7.* vbi *à nu. 8.* aliquos caſus reperies.

5 Dico ſecundo ex matrimonio conditionato, quando conditio vere ſuſpendit conſenſum, nullum oritur impedimentũ, niſi conditione ſequuta; vt ſi quis dicat, accipio te in vxorem ſi Pater voluerit, non ſtatim oritur impedimentum; ſed quando Pater voluerit; ratio eſt quia ante euentum conditionis non habet rationem contractus.

PETES.

An ſtatim ac conditio impletur, impedimentum oriatur; an verò requiratur vt nouum præſtent conſenſum coniuges.

6 Reſpon. in noſtra ſententia *vt lib. 5. diſ. 8.* diximus, non requiritur nouus conſenſus, aliqui tamen, quos ibi retuli, putant valde probabile requiri nouum conſenſum poſt impletam conditionem v.g. poſtquam Pater voluit, requiritur vt coniuges de nouo conſentiant acceptando ſe ad inuicem per verba de præſenti.

DE IMPEDIMENTO Diſparis Cultus.

DISPVTATIO LXXI.

An matrimonium inter infidelem, & fidelem ſit irritum.

1 REſpon. certum eſſe matrimonium fidelis cum infideli eſſe irritum; ita vt ſi quis baptizatus, ſiue ſit catholicus, ſiue hæreticus ducat infidelem non baptizatam, etiam ſi ſit cathecumena, vt ſcilicet credat in Chriſtum; ſed nondum ſuſcepit Baptiſmum; ſit nullum. in prima parte huius concluſionis concordant omnes theologi, & iurisperiti; ſecunda pars, quod ſcilicet etiam ſi ſit cathecumena, eſt irritum, habetur expreſſe *cap. caue 28. quæſt. 1.* ibi (*ſi Chriſtiana ſit nõ eſt ſatis niſi ambo fuerint baptizati*) vbi Gloſſ. verbo, *ſi Chriſtiana*, explicat id eſt, Cathecumena. tertia pars ſcilicet quod etiam ſi hæreticus ducat infidelem, eſt nullum matrimonium, patebit *ex nu. vltimo.*

QVAERES.

Hoc matrimonium ſit iure diuino irritũ, an verò ſolo iure Eccleſiaſtico.

2 REſpondeo multo probabilius eſt non eſſe vllo iure diuino irritũ; ſed ſolum iure eccleſiaſtico non ſcripto; ſed ex recepto eccleſiæ vſu, & traditione Apoſtolorum. quod non ſit ex iure diuino naturali patet

quia matrimonium fidelis cum infideli non est omnino contra fidem matrimonij; potest enim ex ipso procreari, & educari proles. quod nec sit iure diuino positiuo, patet ex eo quod in lege noua nullum preceptū positiuū positum est propter fidei, & sacramẽtorum susceptionem: nec Christus in matrimonio aliquid immutauit de ratione cõtractus naturalis. ita ex theolog. Scotus 4.*d.*39. Durand. *q.*1.*nu.*8. Thomas de Arg. *q.* 1.*art.* 1. Sotus *qu. vni. a.* 2. Gullel. Rubion. *quæst.*1.*ar.*2. *concl.*3. Bellar.*li.*1. *cap.* 23. *de matrim.* Enri. *l.*12. *ca.*13. Valen. 4.*par. dis.* 10. *q* 5 *pu.*3 Palacios 4.*d.*39.*disp.vnic.col.*6. Calder.*ca. fin.de cond. app.* vbi Alex. de Neuo & alij, contra Catherinum, Viguerium, & Paulum Grillandum. putãtes esse irritum Iure diuino apud Sanch. *hic. nu.* 6.

3 Non est tamen negandum matrimonium hoc fidelis cum infideli esse iure diuino vetitum; ita vt peccent taliter contrahentes sine valde vrgenti necessitate: probatur *ex cap.* 7. *Deut.* vbi Deus interdixit matrimonium Hebræorum cum gentilibus, & tertio Regum *cap.* 11. & alibi ex eo quia facile sequi potest vt seducant filios, & protrahant ad infidelitatem, & etiam ipsos coniuges, quod etiam verum est nunc inter Indas noui orbis recenter ad fidem conuersos. infertur ex nostra sententia posse Pontificem dispensare cum fideli, vt contrahat cum Infideli. & hæreticos non posse valide ducere infidelem; quia subduntur Ecclesiæ legibus. ita Mozzius *de contrac. tit. qui possunt matr.contr. nu.*27. Calderi. Alex. de Neuo Tho. Arg. *sup. cit.*

DISPVTATIO LXXII.

An matrimonium fidelis cum hæretico validum sit.

1 REspondeo non esse irritum, quia in nullo iure id exprimitur; sed solum prohibitum, ita vt Catholicus cũ hæretica, vel apostata peccet mortaliter. ratio est quia contrauenit iustissimo Ecclesiæ precepto *ex Conc. Generali Calcedonensi can.* 13. & alijs Concilijs Prouinc. a Pontifice confirmatis. ita docent ex Theolog, D. Thomas 4. *d.*39.*qu.vni.ar.*1. Alb. Magn.*a.*4. D. Bonau.*a.*1.*qu.*1. Durand.*q.*1. supp. Gabr. *q.vnic.ar.*1. Azor.*l.*8.*inst.mor.c.*11.*q.*5. Cañedo *sum. sacr. de matr.c.*6. Henriq. *l.de matr.c.* 13. cum Petr Bollo *œcono. can.*2.*class.c.*4.*§.*7. Greg. Lop.*l.*15.*nin. con.hereta tit.*2.*p.*4. Segura *de bonis lucr. const.matr.n.*96. vbi Perez *add. Turr. c. si quis Generalis art.* 1. 28. *qu.*1. & alijs iurisperitis.

At sponsalia inita sunt irrita, vt si Catholicus dicat Bertę; promitto me ducturum te in vxorem, nulla erunt hæc sponsalia, qui promissio est de re turpi vt docet Nauar.*l.*4.*cons.de spon.*1. *edit.cons.*38.

2 Excipe tamen loca, in quibus Hæretici non denunciati viuunt permixti cum catholicis; vt est Germania, Gallia, Polonia, &c. in ijs enim licẽt coniugia Catholici cũ hæretica ex recepta consuetudine, & tolerata, in quibus tamen omnino amouenda sunt pacta vt impia, quibus fit, vt ex filijs alij sequantur hæresim, alij fidem.

DISPVTATIO LXXIII.

An liceat Coniugi ad fidem conuerso cum altero remanere, vel ab eo separari debeat.

1 CAsus propositus supponit matrimonium inter infideles contractum sine vllo impedimento iure irritante, esse verum, & legitimum, ita vt infidelis si repudiet primam coniugem, & aliam accipiat, si deinde conuertatur ad fidem teneatur hanc secundam deserere, ex eo quod non sit vera coniux, & primam recipere, casu quo illa vellet fieri Christiana; & si plures habeat vxores, ab omnibus est separandus excepta prima, si velit se conuertere, iuxta ea quæ infra dicemus. & solum quæritur an si sint duo infideles coniugati, & vnus ex ipsis conuertatur ad fidem possit separari quoad

Tho-

Thorum, & cohabitationem, ab eo, qui remanet in infidelitate. ad cuius rei deciſionem.

2 Reſpondeo coniux, qui ad fidem conuertitur, non poteſt hodie cohabitare cum altero coniuge infideli; etiam ſi is velit habitare abſque iniuria Creatoris, & abſque eo, quod pertraheret fidelem ad peccatum, vel ad infidelitatem.

Dixi hodie, quia tempore primitiuę Eccleſiæ ab Apoſtolorum tempore, & ſexcentis poſtea annis permittebatur habitatio fidelis cum infideli volente habitare abſque iniuria Creatoris; imo fuit conſilium D. Pauli 1. *ad Corint. Septimo* deinde quando pauciores ad fidem conuertebantur, ſucceſſu temporis fuit conſtitutum à Concil. Toletano 4. *can.* 62. relato *capite Iudæi.* 28. *q.* 1. vt vxores Iudęorum, qui nollent ad fidem conuerti ab ipſis ſepararentur; non autem ab alijs infidelibus, qui non ſunt ita peruicaces, & obſtinati, nunc denique Eccleſiæ vſu ſancitum eſt, vt ab omni infideli ſeparetur alter coniux ad fidem conuerſus, quia nunc refriguit iam feruor ille in antiquis Chriſtianis recentèr conuerſis vnde timetur ne ab infideli ſubuertantur potius quam ipſos conuertant ad fidem: ita D Thomas D. Bona. Riccardus, & alij quam plures Theologi *in* 4. *diſ.* 39. Arboreus *l.* 6. *Theoſophiæ c.* 10. Ledeſ. 2. *p.* 4. *q.* 61. *ar.* 3. Barth. à Ledeſ. *de matr. dub.* 55. *conc.* 3. Vega *ſum.* 2. *t. c.* 34. Couar. 4. *decr.* 2. *p. c.* 6. §. 11. Matienzo *lib.* 5. *recep. t.* 1. *rubr. gl.* 1. *n.* 160. *ſup. Jum. Piſanæ imped.* 9. *nu.* 3. Aſtenſ. 2. *p. lib.* 8. *tit.* 21. *ar.* 2. *q.* 5. Vigue. *lib. inſt. c.* 16. §. 7.

3 Quod verum eſt etiam ſi fidelis conuerſus ad fidem, habuerit copulam cũ coniuge infideli; quo caſu non ſolum nunc debet; ſed etiam tempore primitiuę Eccleſiæ poterat ab eo diuertere; quia habet hoc priuilegium in fauorẽ fidei; vt ſit ſolutus ab onere matrimonij, quoad copulam, & habitationem; nam non ſtatim eo ipſo quod vnus ex coniugibus conuertitur ad fidem diſſoluitur matrimonium quoad vinculum, & hoc eſt de fide ex D. Paulo *loc. cit.* contra vero infidelis, qui cum coniuge non conuertitur peccat in Deum quia non ſuſcipit fidem, & in legem matrimonij, quia eſt cauſſa diuortij, & ponit impedimẽtum cohabitationi debitæ coniugibus. vide Sotum 4. *diſ.* 39. *q. vnica.*

QVAERES.

An quando eſt ſpes vt infidelis conuertatur teneatur coniux fidelis cum illo habitare.

4 REſpondeo non teneri: nam hoc fuit ſolum conſilium tempore primitiuę eccleſiæ vt dixi n. 2. imo hodie non ſolum non tenetur cohabitare; ſed etiam tenetur recedere, ſicuti etiam tempore Apoſtolorum quando non erat ſpes conuerſionis tenebatur, vt docet D. Thomas, Viguerius, & alij l. c. quia licet in aliquo caſu rariſſimo ſit ſpes conuerſionis, tamen lex obligans coniugem conuerſum ad diuertendum ab infideli eſt generalis, & non reſpicit ea, quæ raro accidunt *l. nam ad ea ff. de legibus.*

5 Poſſet tamen vbi frequens eſt conuerſio infidelium de *Epiſcopi* diſpenſatione commorari cum infideli, quando eſt ſpes conuerſionis, ſicuti etiam poſſet cohabitare cum infideli nolente conuerti, quando eſſet periculum vitæ, nam præcepta Eccleſiaſtica non obligant cum tanto diſpendio. ita Sotus. 4. *d.* 39. *q. vnic. a.* 3. *in ſol. ad* 3. Petrus de Ledeſm. *de matr. q.* 59. *ar.* 3. Lud. Lop. 2. *p. inſtr. c.* 53. *de matr.* Graff. 1. *p. deciſ. lib.* 2. *c.* 85.

6 Denique hic nota quod quando alter ex coniugibus ſolus eſt Fidelis, filij ſi ſint doli capaces, relinquendi ſunt in ſua libertate; ſi vero minores debent educari apud Parentem fidelem, ſiue ea ſit Mater, ſiue Pater, ceſſat .n. fauore fidei diſpoſitio *l. neque cod. de patria poteſtate*, vbi dicitur quod minor triennio apud matrem eſt educandus, maior vero apud Patrem. ita Gloſſa *cap. finali de coniug. infideli.* & alij contra Lancellotum. *inſt. iur. can. l.* 2. *c. de diuo.* §. *item ſi alter.*

DI-

DISPVTATIO LXXIV.

An quando vnus ex coniugibus vult permanere in ſua infidelitate, vel non vult habitare abſque iniuria creatoris poſſit cõuerſus ad fidẽ aliud matrimoniũ inire.

1 HIc caſus poteſt dupliciter accidere, primo modo ſi coniux, qui remanet in infidelitate, aut omnino non vult cohabitare cũ fideli, aut vult cũ illo habitare cũ iniuria ſaluatoris, & pertrahendo illum ad infidelitatẽ; ſecundo modo ſi coniux infidelis cõuerti non vult; ſed tamen vult habitare cum coniuge ad fidem conuerſo ſine contumelia ſaluatoris, & ſine pertractione ad infidelitatem, & in vtroque caſu quærimus; an liceat coniugi fideli deſerere coniugem infidelem, & inire matrimonium cum altera, ad cuius deciſionem

2 Reſpondeo ad caſum primo modo poſitum, quando infidelis non vult ad fidem conuerti, aut non vult cohabitare cum fideli, aut vult habitare, ſed cum iniuria ſaluatoris; tunc poteſt coniux fidelis aliud matrimonium inire; nam diſſoluitur vinculum prioris matrimonij; etiam ſi conſummatum fuerit, ex priuilegio Chriſti explicato a D. Paulo 1. *Corint.* 7. hæc concluſio eſt ita certa, vt ſit de fide, eam docent Abulen 1. *reg.* 8. *qu.* 32. Bonau. 4. *d.* 39 *art.* 2. Ouandus *ibi diſ. vnic.* Gallego *de cogn. ſpir. cap.* 3. Enriq. *lib.* 11. *c.* 8. *num.* 4. Lud. Lopez. 2. *p. inſt. ca.* 53. *col.* 4.

3 At ſi infidelis non vult cohabitare cum fideli ex eo, quia ipſe commiſit adulterium; tunc non poterit fidelis prius matrimonium diſſoluere; quia hoc priuilegium chriſti fuit conceſsũ, ne chriſtiani ſcilicet Tyrones timore continentiæ ſeruandæ auerterentur a fide ſuſcipienda; at quando coniux infidelis non vult cum illo habitare ob adulterium commiſſum; cogitur ſeruare continentiã propter ſuum delictum, & non propter fidem ſuſceptam. ita Abul. 1. *reg.* 8. *qu.* 55.

4 Hic nota quod ad hoc, vt infidelis dicatur velle habitare cum iniuria ſaluatoris, non ſufficit ſi velit in ſua infidelitate perſeuerare; ſed requiritur vt is conuicia in Chriſtum, & Deum iactet coram fideli; nam hoc modo fidelis non debet illa conuicia coram ſe dicta ſuſtinere; ne videatur fauere infidelitati, vnde tenetur recedere a ſic blaſphœmante. & ex hoc imminet magnum periculum peruerſionis ipſius fidelis, qui dictis illis, vel factis impijs pertrahi poteſt ad infidelitatem. quod vult S. Thomas *in* 4. *diſp.* 29. *quæſt. vnica art.* 5. Valentia, Palacios, Scotus ibidem cum D. Bon. & alijs qui quamuis diſcordare videntur; hoc tamen quod nos dicimus intendunt. vt videre eſt.

5 At ad hoc vt dicatur pertrahere ad peccatum mortale non ſufficit, *ſi* infidelis ſuggerat, vel leuiter ſuadeat fideli aliquod peccatum; ſed requiritur talis perſuaſio, vt vim quandam afferat: nam *tex. cap.* 4. *& cap. gaudemus*, dicunt quando infidelis pertrahit, tractio autem ſignificat motionem violẽtem. nunc ad caſum ſecundo modo propoſitum, ſcilicet.

An quando infidelis eſt obſtinatus in ſua infidelitate; ſed vult habitare ſine iniuria ſaluatoris, & ſine pertractione fidelis ad infidelitatem poſſit matrimonium diſſolui.

6 Reſpondeo verius eſt in hoc caſu fidelẽ poſſe ab infideli ſeparari, & aliud matrimonium inire. ratio eſt quia tũc fidelis poteſt ſeparari a priori coniuge infideli, quando ille diſcedit, & nõ vult cohabitare cum fideli, ex D. Paulo *loc. cit.* vbi dicit, *quod ſi infidelis diſcedit, diſcedat, non enim ſeruituti* (ideſt matrimoniali) *ſubiectus eſt frater, aut ſoror*) ſed quando infidelis non vult ſe ad fidem conuertere, eſt ac ſi nollet cum fideli habitare, nam fidelis tenetur illum deſerere vt diſ. præ. dictum eſt: ergo quando infidelis non vult cõuertere ſe ad fidem, poteſt fidelis illud matrimonium diſſoluere, & aliud inire ex chriſti priuilegio, ne cõiux fidelis ſit ſubiectus ſeruituti infidelis, & teneatur ob illius malitiam ſeruare continentiam, quod quidem præceptum

à Chriſto fuit conceſſum in omnibus illis caſibus, in quibus eſſet illicita cohabitatio coniugis fidelis cum infideli; vt eſt hodie etiam ſi infidelis velit habitare ſine iniuria Saluatoris &c. huius ſententiæ ſunt Victoria *in præl.* Salman. apud Petrum Led. *q.* 59. *ar.* 4. *hic* Sotus 4. *d.* 39. *q. vn. ar.* 4. Turrec. *c. Iudæi a.* 3. *n.* 3. *n.* 28. *q.* 1. Palacios 4. *diſ.* 39. *diſp. vni.* Henri. *lib.* 11. *c.* 8. *n.* 4. Manuel. 1. *t. ſum.* 2. *edi. c.* 230. Vega *ſum.* 2. *t. cap.* 33. *caſu* 143.

7 Sunt tamen permulti, & inſignes Theologi vt D. Thomas, D. Bonauen. Dur. D. Ant. Valent. & alij cum multis iuris peritis, quos citat Sanch. *n.* 8. qui putant non poſſe in eo caſu diſſolui matrimonium; ſed non teneri fidelem habitare cum infideli, eorum ratio potiſſima eſt, quia D. Paulus explicans Chriſti priuilegium ſolum loquitur quando infidelis omnino renuit habitare cum fideli; aut non vult habitare ſine ignominia ſaluatoris, nec poſt D. Paulum facta eſt alia lex Eccleſiæ de diſſolutione matrimonij.

8 Ad hoc autem, vt in caſu poſito fidelis poſſit infidelem relinquere, & aliud matrimonium inire, nulla requiritur iudicis ſententia: quia hæc facultas eſt ex Chriſti priuilegio; ſicuti eſt illa quæ conceditur diſſolutioni matrimonij rati per poſſeſſionem: ſed ad diſſoluendum matrimonium ratum per profeſſionem nulla requiritur ſententia Iudicis: ergo neque ad diſſoluendum matrimonium cum infideli nolente conuerti, requiritur ſententia Iudicis; niſi tamen iſta infidelis obſtinatio eſſet occulta; tunc enim exigitur Eccleſiæ ſententia. ita Alberti. *in dictio. lit. a. v. in fidel.* Monal. *ſum. de matr. vbi de diſpari cultu* Io. de Fribu. *ſum. conſ. l.* 4. *t.* 10. *q.* 9. Gloſſ. *c. infidelis v. libertatem* 289. 1. vbi ſcribentes. vnde neque per Iudicem aſſignandum eſt tempus infideli, intra quod debeat fidelis expectare; licet ſit vtiliſſimum vt docet Præp. *ca gaudemus §. qui autem de diu.* Abul. 1. *reg. c* 8. *q.* 105. Henr. *cap. quanto eod. ti.* vbi Hoſt. Ant. ſed ſolum tunc concedendæ ſunt induciæ, quando infidelis eas peteret ad deliberandum, & ſi procraſtinauerit tunc fidelis poteſt matrimonium inire. ita Sotus 4. *d.* 39. *q. vni. ar.* 3. Bar. à Ledeſ. *dub.* 55. *de matr.*

9 At requiritur vt infidelis interrogetur, ſeu moneatur, vtrum velit ſe ad fidem conuertere (quod maioris ſecuritatis gratia deberet fieri coram teſtibus) vt patet ex Concilio Toletano 4 *c.* 62. *tap Iudæi* 2. 8. 91. & docent grauiſſimi Doctores: Abul. *l.c.* Sotus. *l.c.* Veracruz. 1. *p ar.* 29. Em. Sà. *v. matrimon. vbi de imp. diri. n.* 8. Manuel. 1. *t. ſum.* 2. *edit. c.* 230. Archid. *d.c. Iudæi* vbi Bellamera Ant. Cuc. *lib.* 5. *inſt. mai. tit.* 12. *n.* 103. niſi tamen aliunde moraliter conſtet infidelem eſſe obſtinatum, vel niſi tam longe abſit, vt commode requiri nequeat; tunc .n. non eſt neceſſaria monitio vt conſtat ex motu proprio Pij v. pro Indis nouæ Hiſpaniæ, vbi Pontifex decernit eos, qui adhuc non monuerant coniugem infidelem poſſe perſiſtere in matrimonio contracto poſt conuerſionem ad fidem. & à fortiori non requiritur monitio ſiin fidelis facto ipſo renuat, vt ſiineat matrimonium. Excipe tamen caſum quando Coniux v.g. infidelis repudiata fuit à marito infideli, qui poſtea conuerſus eſt ad fidem, ſi.n. illa init matrimonium, non videtur pro hoc recedere à priori coniugio, ex eo quod nolit cum fideli habitare, & conuerti; ſed ex eo, quia putat ab illo relictam ſe eſſe; vnde requiritur, vt fidelis faciat ipſi monitionem, an velit ſe ad fidem conuertere quando commode fieri poteſt &c. iuxta dicta, vel quando fidelis eſt dubius de obſtinatione infidelis; tunc enim debet facere monitionem, aut certus fieri per nuncium fide dignum, qui aſſerat illum eſſe obſtinatum, nam huic teſtimonio habenda eſt fides addita præſumptione obſtinationis ſimilium infidelium.

Hic nota Pontium *lib.* 9. *cap.* 4. *n.* 21. dicere quod Sancius docet neceſſarium non eſſe requirere conſenſum infidelis, qui remanet antequam fidelis diſſoluat matrimonium ineundo aliud cum fideli, vel profeſſionem emittendo.

do. uerba Pontij ſunt hęc *n.*20. *Addendum tamen vt ſecundum matrimonium in prædictis euentibus celebrari poſſit,* (nempè quando fidelis conuertitur ad fidem altero manente in infidelitate) *neceſſarium eſſe, vt requiratur infidelis, moneaturq; an velit cohabitare; aliàs non poterit fidelis ad ſecundas nuptias tranſire, vt docet communis ſententia, quam tenet D Thomas in 4. diſt. 39. q. 2. in fine, & alij interpretes iuris canonici in d. cap. gaudemus.*) Et ſtatum quæſtionis poſitum à Pontio, & ſuam concluſionem, vult enim ad hoc vt fidelis ducat aliud matrimonium neceſſarium eſſe, vt infidelis prius admoneatur. deinde n. 21. ait *ſcio aliter nonnullos ſentire, ſcilicet non eſſe neceſſarium ulterius conſenſum requirere. ita Panormitanus c. quanto de diuortijs. Riccardus Palud. Gabr. locis citatis* (loca autem ſunt ſupra ab ipſo citata, nempè Riccardus *in* 4. *diſ.* 39. *ar.* 2. *q.* 2. Gabriel. *q. vnica ar.* 2 *concl.* 3. Palud. *q.* 1. *ar.* 2 *conc.* 3.) *Et nouiſſimè Thomas Sanchez lib. 7. de matr. diſ. 74. ſed ſine vllo fundamento etiam pro ſtatu præſenti, habent in. contra ſe litteras Gregorij xiii. de quibus infra*) qua in re certè mirarer ſi Pontio nouum eſſet Sancio ea tribuere, quę nunquam ſomniauit; ſed quoniam id ſupra ſępius factum vidimus, nunc etiam breuiter oſtendamus falſo tribui hanc ſententiam noſtro Auctori, & ſine vllo fundamento, adeò enim manifeſtè docet neceſſariam eſſe monitionem, & expectandam alterius reſponſionem, vt nullus relinquatur locus dubitandi ijs, qui legem tantum ſciunt; nedum Doctiſſimo viro, qualem ſemper Pontium putaui: & quamuis ex ijs, quæ dixi in hac diſputatione id conſtet, referam tamen Sancij verba n. 12. vbi ait (*tertio deducitur neceſſariam eſſe monitionem infidelis, aut interrogationem, an velit conuerti* (*ſeu iuxta aliam opinionem an velit habitare ſine Dei contumelia, nec ad peccatum protrahens*) *vt poſſit fidelis diſſoluere matrimonium: & ad aliud tranſire, conſtat quia id effici nequit, niſi infideli renuente conuerti, aut iuxta aliam ſententiam renuente legitimam cohabitationem; vt ergo validè id fieri poſſit neceſſarium eſt conſtare de voluntate infidelis renuentis conuerſionem, aut legitimam cohabitationem, ac proinde vt hæc voluntas conſtet neceſſe eſt ipſum moneri, ſeu interrogari*) proſequitur deinde eandem probationem, & citat pro hac ſententia D. Tho. *in* 4. *diſ.* 139. *q. vnica eodem loco*, quo citat Pontius, vt vidimus, immò Riccardum *in* 4. *diſ.* 39. *ar.* 2. *q.* 1. & ibi ſuppl. Gabr. quos Pontius citat pro contraria ſententia vna cum Panormitano *c. quanto de diuortijs.* Quis igitur legens Sancium tam clarè, diſtinctè, & copioſè probantem requiri monitionem & ratione, & auctoritate D Th. Riccar. Abulenſis, Palac. Ouandi Veracr. Toleti, Manuel. Emm. Sà, P. de Ledeſma, Enriquez. Lud. Lopez, Vegæ, & multorum etiam canoniſtarum, dicet Sancium putare non eſſe neceſſariam monitionem, neque ſolum in hoc loco à Pontio citato docet apertiſſimè requiri monitionem; ſed etiam infra *diſ.* 73. *n.* 3. vbi habet (*ante monitionem autem infidelis non poteſt fidelis ad religionem, aut ad ordines tranſire, ſicuti de tranſitu ad aliud matrimonium probauit diſ.* 74. *nu.* 12.) Neque hic dicat aliquis Pontio infenſus, ipſum id dixiſſe ob malum animum, quo affectus eſt erga Sancium, falſum enim dicet quiſquis erit de viro tam religioſo, præſertim cum alios etiam citauerit nempè Riccardum, & Gabrielem, quos valdè ſæpius commendat, eſſe in hac ſententia, cum verè oppoſitum dicant, nimirum requiri monitionem. nam Riccardus loco à Pontio citato ait (*concluſio quando infidelis coniux diligenter, & ſufficienter monitus noluerit conuerti, tunc cum eo fidelis cohabitare non debet*) & in reſponſione poſtquam diſtinxit tria tempora addit (*modernis autem temporibus tam Iudæi, quam Gentiles pro maiori parte quaſi obſtinati videtur, adeo prohibitum eſt ne conuerſus ad fidem cohabitet cum coniuge iufideli tam gentili, quam iudæo, vel iudæa ſi diligenter, & ſufficienter monitus vt conuertatur, conuerti noluerit*) & Gabriel loco etiam à Pontio citato ait (*quinta concluſio tametſi olim ex Conſilio Apoſtoli licuit conuerſo fideli manere cum*

cum infideli pro eius conuerſione in caſu certo: hodie tamen non licet niſi ſufficienter monitus, vt conuertatur, quantocius conuerti, & baptizari voluerit)

Stet igitur ex dictis erraſſe Pontiũ, dum dicit Riccardum, Gabrielem, & Sanchez docere non eſſe neceſſariam monitionem, quando conuerſus ad fidem vult inire aliud matrimonium, nam Sanchez apertiſſimè docet neceſſariam eſſe monitionẽ, & illi Auctores id ſupponunt, vt ex eorum verbis patet.

Quod verò Sanchez *n.*13. dicat non eſſe neceſſariam monitionem, quãdo aliundè cõſtat obſtinatio infidelis nullam præbet excuſationem erroris Põtij, tum quia aliud eſt dicere abſolutè non eſſe neceſſariam monitionem, vt Pontius tribuit noſtro Sancio, quod tamen non dicit, tum quia hoc ſecundum Sancij dictum refertur à Pontio *n.*22. vbi ipſe oppoſitum tenet citans Rebellium 2. *parte de oblig. iuſt. lib.* 3. *quæſt.*10. *ſect.* 2. *num.* 11. neque quidquam addit præter ea, quæ fideliter è Rebellio in ſuum librum tranſtulit, vnde aliud mihi nec addendum erit qui ſolas Pontij calumnias à Sancio auertere propoſui.

DISPVTATIO LXXV.

An quãdo poteſt fidelis matrimoniũ prius diſſoluere, requiratur vt aliud ineat.

3 REſpondeo matrimoniũ contractum cum infideli non diſſoluitur ſtatim ac fidelis habet cauſam; ſed requiritur vt aliud matrimonium ineat; quare donec is eſt abſque alia coniuge durat prius matrimonium; probatur *ex cap. gaudemus de diuort.* ibi (*quod ſi conuerſum ad fidem, & illa ſequatur ante quam propter cauſas prædictas legitimam ille ducat vxorem eam recipere compellitur*) vbi nota textum dicentem; compellatur: prius ergo vinculum, non erat diſſolutum, ante quam aliud inierit matrimonium, neque poteſt dici quod hoc fiat in fauorem fidelis de nouo conuerſi; nemo enim poteſt compelli cum perſona determinata ad matrimonium, niſi ex propria culpa *cap.* 1. *de adulter.* nec iure reſtitutionis, quia poſito quod ſemel vinculum ſolutum eſt, nulla debetur reſtitutio. ita docent ex Theol. D. Thomas 4. *d.* 49. *qu. vnic. ar.* 5. *ad.* 2. D. Bonau. *ibi qu.* 2. Durand. Palud. Maioris, Supp. Gabr. & alij cum Cañedo. *ſum. ſacr. cap.* 7. *nu.* 66. *de matr.* Veracr. 1. *par. ſpec. a.* 33. *concl.* 1. Em. sà. *de imp. dir. nu.* 8. Petr. Ledeſm. *quæſt.* 59. *art.* 5. *dub. vnic.* Hoſt. *ſum. tit. de diu. nu.* 12. Alex. de Neuo *d. c. gaudemus* §. *qui autem nu.* 9. Nauar. *ſum. cap.* 22. *nu.* 49. Couar. 4. *decr.* 2. *p. c.* 7. §. 4. ex qua ſententia.

2 Infertur quod etiam ſi Eccleſia declarauerit poſſe fidelem aliud matrimonium inire, tamen ante quam ineat durat prius matrimonium, ita vt ſi infidelis alias nuptias contraxerit eę ſint irritæ, & ſi conuertatur ad fidẽ, debeat ab his ſeparari, & redire ad cõiugẽ fidelẽ, quę adhuc non contraxit aliud matrimonium; neq; requiritur nouus conſenſus, quod verũ eſt etiam ſi infidelis, poſt quam conuerſus eſt alter, & effectus eſt fidelis, exercuit aliquem actum infidelitatis, vt habetur aperte *d. cap. gaudemus de Diuortijs*. ratio pro dictis eſt, quia adhuc durat prius vinculum matrimonij, donec fidelis aliud ineat matrimonium. vide Sotum 4. *d.* 39 *quæſt. vnic. art.* 4. Petr. Led. *l. c.*

Quare ſi fidelis init matrimonium,
3 & moritur vxor, quam duxit, & alia quæ remanſerat infidelis, conuertatur ad fidem, non poterit illam ſine nouo conſenſu ducere; quia iam vinculum matrimonij eſt ſolutum, quidquid dicant in contrarium Innocen. *cap. quanto n. vni. de diuor.* Hoſt. *d. c. gaudemus n.* 13.

Sunt tamen in hac re duæ aliæ ſen-
4 tentiæ. Prior ait matrimonium prædictum diſſolui ſtatim ac coniux infidelis conuerti nequit, etiam ſi fidelis non contrahat matrimonium: ducitur ex eo quia *cap. fin.* 28. *quæſt.* 2. dicitur cõtumelia creatoris ſoluit ius matrimonij circa eum, qui relinquitur ita tenet Ioannes doctor antiquus re-

latus a Gloſſa *c.gaudemus* vbi Abbas,& alij Canoniſtę cum Riccard *4.d.39.ar. 2.q.2.* Manuele *l.4. ſum.trac.9.cap.6.q. 2.* & Abulens *1.tom.ſum.2.edit.ca.230 d.1. reg.8.quæſt.30.*

5 Poſterior ſolum addit ſupra hanc ſententiam, quod diſſoluatur ſtatim ac elabitur terminus præfixus ab Eccleſia ipſi infideli; putat enim requiri Eccleſiaſticam prefinitionem temporis. quod ſupra diſ. præ. negauimus addit etiam quod ſi infidelis conuertatur ad fidem,antequam fidelis tranſierit ad alias nuptias, debet redire ad prius coniugium iure poſtliminij. ita Hoſt. Anchar.Io.Andreas, & alij *c.gaudemus cit.*

DISPVTATIO LXXVI.

An quoties poteſt fidelis aliud matrimonium inire, poſſit etiam ad Religionem ingredi,vel votum caſtitatis emittere, & per hæc diſſoluatur prius matrimonium.

1 REſpon. ad primum caſum propoſitum in omnibus caſibus,in quibus poteſt fidelis aliud matrimonium inire, de quibus dixi diſputationibus præcedentibus, poteſt etiam Religionem ingredi, ordines ſacros recipere, & votum caſtitatis ſimplex emittere, quia iam eſt vinculum ſolutum; imo quamuis infidelis vellet habitare ſine iniuria creatoris; poteſt tamen hæc omnia fidelis preſtare; quia in omnium ſententia, etiam eorum, qui aſſerunt non poſſe fidelem matrimonium contrahere, licitum eſt in hoc caſu diuortium, vt ſupra dictum eſt; ſed coniux, cui licet diuortium poteſt ad Religionem tranſire, vel ad ordines ſacros, vel votum caſtitatis emittere,ergo fidelis poteſt hęc omnia facere,quoties infidelis cõuerti renuit.

2 Debet tamen prius infidelis admoneri, quando admonitio profutura eſt iuxta ea quæ *diſ.74.* dicta ſunt, atq; adeo ante talem monitionem nõ poteſt fidelis nec votum caſtitatis emittere, per quod obliget ſe non ad reddendum debitum; quia ante quam cognoſcatur voluntas infidelis renuentis baptiſmum, non eſt ſolutus fidelis ab obligatione reddendi debitũ, & cohabitandi. ita D.Thomas,Sotus, & alij. *in 4.d.39.* Alber. *diction. li.I.v. infidelis* Sylu. *matrim.8.quæſt.10.* Ant. Cucus *l.5. inſt.maior. t.12. n.103.* Rainer. *2.p. ſum.de matr. c. 21.*

3 Immo ſi infidelis monitus renuit;& deinde ante quam fidelis mutet ſtatutum, conuertatur, non poteſt fidelis amplius profeſſionem emittere, etiam ſi ſeparatio facta fuerit Eccleſiaſtica ſententia; quia talis ſententia non abſoluit fidelem ab obligatione habitationis,vt fit quando vnus ex cõiugibus fit Hæreticus, & ob tam graue delictum ab Eccleſia damnatur iuxta *cap. fine de conuer. coniu.* ſed tamen declarat poſſe fidelem ad aliud tranſire ſtatum, niſi re integra, (hoc eſt ante quam ſtatum mutet) infidelis conuertatur. ſic Abul. *1.Reg.8.qu.64.*

4 Contra vero ſi fidelis iam profeſſus eſt, vel ordines ſacros ſuſcepit, aut votum caſtitatis emiſit abſolutè, non eſt reſtituẽdus coniugi infideli, etiam ſi conuertatur, vt omnes fatentur.

5 Dixi.ſi iam fidelis profeſſus eſt, quia ſi non dum profeſſionem emiſit, eſt reſtituendus, quia infidelitas non eſt cauſſa perpetui diuortij, vt *diſp.præcedenti* dictum eſt; ſed ſolum dum ea durat, ergo ſi ceſſat tempore, quo coniux fidelis non dum mutauit ſtatum, debet matrimonium inſtaurari ita multi quos citat Abulens. *1. reg. cap. 8. quæſt. 66.*

6 Quare ſanum erit conſilium exiſtẽte ſpe probabili conuerſionis infidelis vt fidelis nõ ſtatim Religionem ingrediatur, vel ordines ſuſcipiat, aut votũ caſtitatis emittat. at ſi exiſtente tali ſpe votum caſtitatis emitter; tenetur illud ſeruare, quia legitime ſe taliter ligat,altero renuente, etiam ſi ſit ſpes cõuerſionis vt docet Sylu.Ant.Cuc.*l.c.*

Ad ſecundum caſum,an ſcilicet per hæc nimirum profeſſionem vel ordines ſacros, vel votum caſtitatis diſſoluatur matrimonium.

Reſ-

7 Reſpõdeo per profeſſionem emiſſam à fideli omnino diſſolui prius matrimonium conſummatum, ratio eſt quia matrimonium ratum fidelium eſt magis indiſſolubile, quam matrimonium conſummatum infidelium; nam eſt etiam ſacramentum; ſed a Chriſto conceſſum eſt, vt per profeſſionem matrimonium ratum dirimatur; ergo multo magis diſſoluetur matrimonium conſummatũ infidelium, per profeſſionem. ita D. Bonau. 4.*d.*39. *ar.*2. *qu.*2. *vbi qu.*3. Riccardus Lud. Lop. 2.*p. inſtr. de matr. c.*53. Enriq. *l.* 11. *de mat.c.*8.*num.*5.

8 Contra vero non diſſoluitur per ordines ſacros, & multo minus per votum ſimplex caſtitatis; quia nulla eſt ratio id probans, nec ſacer ordo dirimit matrimonium ratum fidelium; ita Enriquez, Cannedo *ſum. ſacr. vbi de matrim. cap.* 7.

DISPVTATIO LXXVII.

An quando fidelis profeſſionem fecit, vel matrimonium iniit, poſſit infidelis alias nuptias celebrare.

1 REſpondeo poſſe etiam licite, & ſine peccato, ſiue is infidelis permaneat in ſua infidelitate, ſiue ad fidem cõuertatur. ratio eſt quia id nullo iure prohibetur; & ſicuti non peccaret coniux infidelis nouo peccato præter id, quo ius diuinum naturale violauit, quo adſtringebatur ſequi fidelem, ſi mortuo fideli matrimonium iniret; neque peccabit, ſi matrimonio a fideli inito ad alias nuptias tranſeat; quia tam per mortem, quam per aliud matrimonium a fidele contractum prius vinculum diſſoluitur. ita D. Duran. 4. *d.* 39. *qu.* 2. *vbi qu. vnic.* Guillem. Borrilong. *a.* 3. Maioris *qu. vnic.* Abul. 1.*Reg.*8.*qu.*127. Celaia 4.*d.* 3.9.*qu.vnic.* vbi Ouand. Enriq. *l.* 11. *de mat. c.*8.*nu.*5. contra D. Tho. Altiſidorenſẽ, & alios Theologos putãtes peccare; quia ius naturale diuinum obligat infidelem, vt ſequatur conuerſum ad fidem.

2 Quid vero dicendum; ſi fidelis ſolum ordines ſacros ſuſcepit, vel votum caſtitatis emiſit, vide *lib.* 10. *d.* 10. vbi eadem militat ratio.

* Quæ diximus in hac diſputatione quæ Sanchez doctè proſequitur *nu.* 6. facilè putat Pontius *lib.*9.*cap.*4.*nu.*26. refelli poſſe ſuis argumentis, verum nõ video horum argumentorum vim, qua tam facile Sãcij doctrinam refellamus. ſunt autem iſta *n.*25. poſita. Primo dicit eſſe communem ſententiam teſtimonio Durandi *in* 4.*diſ.*39.*quæſt.* 2. ſecundo ait expreſſè eam tenere S. Thomam, & citat eius verba, cum Bonauentura, & Turrecremata. Tertio ait ſuam ſententiam expreſſè haberi in *cap. ſi infidelis* 28. *q.*2. tandem ſubiũgit hanc pœnam eſſe inflictam à Deo infideli, ſed ab Eccleſia promulgatam. Sic enim habet *nu.* 24. (*Reſtat explicemus, an coniux infidelis, qui vel diſcedit, vel cohabitare ſine iniuria creatoris non vult, maneat liber vinculo matrimonij, ita vt iam reipſa contrahere cum alio infideli poſſit. Ricc. in* 4.*diſp.*39.*art.*2.*qu.*3. *duas de hac re contrarias refert ſentẽtias, vnam, quæ infideli tribuit poteſtatem nouarum nuptiarum, alteram, quæ negat. Durandus eod. diſ.qu.*2.*mirari ſe ait quomodo potuerit Eccleſia hanc ſeruitutem imponere infideli, cum nihil ad nos, qui foris, vt inquit Innocentius* 3. *cap. Gaudemus de diuortijs. Ceterum communis ac ſententia vera eſt coniugem, qui fidelem coniugem ſequi nolit, non poſſe nouum ſibi coniugem eligere ex ſua gente, quæ eſt in eadem perfidia, donec conuertatur. hanc eſſe communem ſententiam fatetur Durandus loco citato, eamque expreſſè docet D. Thom. in* 4. *diſt.*37.*quæſt.* 2.*art.* 5. *ad Tertium. idem ſentit Bonau. eod. diſt. Turrecremata. Habetur expreſſè hæc ſententia in cap. ſi infidelis* 28. *quæſt.* 2. *vbi Ambroſius. Hanc autem pœnam non Eccleſia, ſed Deus infligit propter iniuriam, qua infidelis ipſum Deum, veram fidem, & veritatem ſacramenti matrimonij afficit, cuius pœnæ Eccleſia eſt promulgatrix ex quibus facilè refelles, quæ pro ſua ſententia adducit Thomas Sanchez. lib.*7.*diſ.* 77.*nu.*6.) Hęc Pontius.

Sed quæſo quonam horum dictorũ Sancij dicta refellemus. fortaſſe quia communis ſententia appellatur à Durando; verum idem ipſe Durandus loco ante citato *nu.* 24. docuit ſententiam, poſtea Sancius ſequutus eſt, relinquens illam, quam Pontius dicit ab ipſo vocari communem, adeò validè permouent rationes, an vero quia D. Thom. D. Bonau. & Turrecremata id ſentiunt, ſed hoc Sancio nouum non eſt, nam præter hos à Pontio citatos, perplures etiam affert. quibus, & rationum pondera, & aliorum Doctorum opponit auctoritatem. Durandi, ſcilicet, Enriquez, Abulenſis, Maioris Ledeſ. & aliorum multorum. quodſi inſtet id deciſum haberi in *cap. ſi fidelis* 28. *q* 2. videamus an aliquid ſit verbũ ex his, quæ in extenſum profert, ex quo deducatur Pontij ſententia (*contumelia quippe creatoris ſoluit ius matrimonij circa eum, qui relinquitur: infidelis autem diſcedens, & in Deum peccat, & in matrimonium, neque eſt ei fides ſeruanda coniugij, qui propterea diſcedit, ne audiret Chriſtum eſſe Deum Chriſtianorũ coniugiorum*) vbi quæſo his verbis reperitur infidelem pertinacem poſtquã fidelis conuerſus diſſoluit matrimonium, non poſſe aliud inire. dicitur ſolum infidelem peccare in Deum, & in matrimonium, quod non ſufficit ad hoc vt dicamus per id peccatum non poſſe diſſoluto matrimonio per conuerſionem trãſire ad alias nuptias; nam vt benè notat Sanchez *nu.* 6. *cit.* ſi coniux fidelis obiret, poſſet infidelis in omnium ſententia; cõtrahere aliud matrimonium, & tamen peccauit in Deum, ſed dices id haberi in his verbis (*contumelia quippe Saluatoris ſoluit ius matrimonij circa eum; qui relinquitur*) atque adeò ſi circa eum, qui relinquitur, ſoluitur ius matrimonij, non ſoluetur circa eum, qui relinquit, nempè infidelem obſtinatum. ſed hic ſenſus apertè eſt falſus, vt Baſilius ipſe fatetur *nu.* 26. ibi (*neque enim dici poteſt aut debet vinculum matrimonij remanere, tum quia matrimonij vinculum mutuum eſt ex vtraque parte, tum quia fidelis reuera ſolutus eſt, cum in religione Chriſtiana nunquam valeat ſecundum coniugium conſtante primo, tum etiam quia inquiram ex cuius parte ſolutum ſit ſi ex parte viri, quia vir non eſt alligatus neque habet fœmina infidelis poteſtatem in virum; ergo ex parte fœminæ perſeuerauit vinculum, quo illa ſcilicet adhuc alligata ſit, igitur, & habet fidelis poteſtatem in corpus fœminæ infidelis, atque adeò ad illam liceret acceſſus &c.*) non debebat igitur Pontius textum hunc afferre, quem ſi intelligat in eo ſenſu vt ex parte vnius eſſet ius matrimonij, eſt contra ea, quæ huc vſq; dixit. Senſus igitur iſtius canonis, & aliorum eſt ille, quem Sancius affert *nu.* 7. ad tertium, nimirum ius diſſoluendi matrimonium per aliud matrimonium ſoli fideli competere non enim poſſet infidelis diſcedere, & ſoluere matrimonium abſque peccato, ni ipſe fidelis ante matrimonium contraheret, aut profiteretur.

Vltimum Pontij dictũ, ſcilicet hanc eſſe pœnam a Deo impoſitam, debet ab ipſo probari. negatur enim à noſtro Sancio, & meritò cum nullum ius Diuinum à patronis contrariæ ſententiæ afferatur, quod tamen deberẽt afferre, nec gratis dicere. Stet igitur ex ijs quæ Pontius attulit *d. nu.* 25. & 26. non poſſe refelli, vt ipſe putauit Sancij dicta. quæ validis rationum momentis, vt apud ipſum *n.* 6. videre licet, roborantur. quare hanc ſententiam ex recentioribus, qui eodem modo intelligunt dictum *cap. ſi infidelis*, ac noſter Sanchez docuit Filiucc. *tract.* 10. *de ſacram. cap.* 7. *num.* 248. & 249. Rebel. *par.* 2. *lib.* 3. *de matr. imped. qu.* 10. *ſect.* 2. *num.* 8. Regin. *lib.* 31. *n.* 167. circa finem, quamuis enim id non expreſſè doceat, remittit tamen ſe ad ea, quæ dicit Tho. Sanchez his verbis (*de quo etiam Sanch. qui in diſ.* 73. *& quatuor ſequentibus latè diſſerit de matrimonio infidelium quæ apud ipſum videnda relinquam*) Bonacina *q.* 3. *pun.* 7. *nu.* 7. Candidus *diſq.* 28. *ar.* 7. *dub.* 15.

DE

DE IMPEDIMENTO Criminis.

DVo ſunt Crimina quæ ſi commit tantur dirimunt matrimonium prius eſt adulterium commiſſum ab altero Coninge cum machinatione mortis alterius Coniugis, vt ſi Petrus committat adulterium cum Berta, & vt illam ducat machinetur mortem ſuæ vxori, non poterit amplius Bertam ducere ob hoc crimen, licet poſſit alias fœminas valide in vxores accipere, vt conſtabit ex iuribus infra aſſignandis.

Poſterius crimen eſt adulterium cum fide data de contrahendo matrimonio, poſt mortem propriæ Coniugis; vt ſi Petrus adulteretur cum Berta, dando illi fidem ſe illam ducturum in vxorem; ſi propria vxor, vel Bertæ maritus moriatur, vel ſi contrahat matrimonium per verba de præſenti cum Berta adultera, quare patet primo non ſufficere ad hoc impedimentum ſolũ adulterium; ſed requiri vel mortis machinationem, vel fidem de matrimonio futuro; patet ſecundo iuſtiſſima cauſſa Eccleſiam ſtatuiſſe hoc impedimentum, abſtulit enim ſpem Coniugij vt tolleret occaſionem parandi inſidias vitæ alterius Coniugis, prius igitur de priori crimine in proxima diſputatione; deinde de poſteriori in ſequenti tractabimus.

DISPVTATIO LXXVIII.

Quando crimen machinationis mortis alterius Coniugis dirimat matrimonium.

1 CErtum eſt hoc impedimentum incurri quando cum adulterio eſt machinatio mortis alterius Coniugis, nomine autem machinationis non intelligitur ſola mortis præparatio; ſed requiritur etiam effectus, vt vere coniux interficiatur quia *cap. ſi quis viuente* 31. *q.* 1. petit actum conſummatum, vt docent vniuerſi Theologi, non tamen eſt neceſſe ad hoc impedimentũ contrahendum, vt mors proprijs manibus inferatur, ſed ſatis eſt quæcumq; cooperatio, vt mandatum, vel conſilium; quod tamen verè influat in mortem, nam ſi mandans reuocauit mandatum tempore, quo reuocatio prodeſt, vel ſi mandatarius, ex ſe iam erat paratus, nec conſilio alterius fuit animoſior non incurritur hoc impedimentum; patet *ex cap.* 1. *de conuer. infidelium*, vbi vxor fidelis non interfecit virum, ſed ſolum parauit inſidias, quibus interficeretur ab infideli. non ſufficit tamen rati habitio mortis, vt ſi adulter interficiat virum adulteræ etiã nomine ipſius adulteræ, & hæc ratum habeat, quia licet ratihabitio ex iuris fictione aliquando æquiparetur mandato, tamen non ſemper id ita obſeruatur, ſed quando actus poteſt exerceri tam initio, quam tempore ratihabitionis *ex lege bonorum ff. rem ratam hab.* v.g. Petrus adulter anno præterito interfecit virum Bertæ hæc hodie ſcit talem occiſionem, & ratam habet; adhoc vt talis rati habitio poſſit ex fictione iuris trahi retro ad annum præteritum, ita vt Berta ipſa fingatur mandaſſe, neceſſe eſt, vt actus exercitus à Berta poſſet hodie fieri, ſed in hoc caſu non poteſt hodie exerceri actus, per quem Berta contrahit hoc impedimentum, nam eſt machinatio mortis, machinatio autem nõ poteſt eſſe poſt mortem iam inflictam, ſed antequam inferatur ita docent ex Theol. Scotus 4. *d.* 35. *q. vn.* vbi Guillel Boril *a.* 2. Veracruz. 1. *p. ſpec. a.* 33. *con.* 3. Vega 2. *t. ſum. c.* 34. *caſu* 74. Emm. Sà *v. matrim. imped. dir. n.* 7. Veracruz. 1. *p. ſpe. a.* 33. Palac. 4. *d.* 35. *diſp. vni. col.* 24. Enriq. *l.* 12. *de mat. c.* 4. *n.* 2. *in com. l.* Q. ex iuris perit. Gloſſ. *fin. c.* 1. *de conu. infid.* Hoſt. *c. ſuper hoc eod.* vbi Io. And. Ant. Abbas Alex. de Neuo Præp. Cardin. & *c.* 1. *eod. tit.* vbi cit. DD. Matienzo *lib.* 5. *recep. tit.* 1. *rub. gl.* 1. *n.* 178. Mozzius *de contr. tit. qui matri. poſſ. con. n.* 25. & alij.

3 Dixi numero primo certum eſſe Adulterium cum machinatione mortis inducere hoc impedimentum; quia quoties interuenit adulterium cum machinatione, contrahitur hoc impedimentum; ſiue adulterium ſit ante ma-

machinationem mortis; ſiue poſt modo intercedat ante mortem: vt ſi vir venenum det vxori, vt Bertam ducat, & antequam illa moriatur adulterium committat cum dicta Berta. ſed non contra, ſcilicet quoties interuenit machinatio mortis ſine adulterio cõtrahitur hoc impedimentum, nam quando non eſt adulterium, requiritur, vt ambo mortem machinentur, & ſic ſi Petrus v. g. velit ducere Bertam in vxorem, cum qua non commiſit adulterium, & vt id poſſit facere vxorem occidat, non contrahit impedimentum hoc dirimens, ſed mortua vxore poterit Bertam ducere, at ſi tam Berta, quam ipſe mortem machinati ſunt, contrahunt hoc impedimentum, etiam ſi non fuerit adulterium; nam quoties textus loquuntur caſu quo nõ fuit adulterium, requirunt, vt tam vir, quam fœmina, qui volunt matrimoniũ inire, mortem machinentur coniugi, vt patet *ex capite primo de conuerſ. infidelium*; & quando textus loquuntur caſu, in quo fuit adulterium, requirunt ſolum machinationem ab vno tantum patratam. ita Palud. Enriquez, Quandus, & alij 40. fere Theologi, quos citat Sanchez hic *n.* 9. & ex iuris peritis Io. And. *c.* 1. *de conu. infid.* Ant. *n.* 2. Abbas *n.* 8. Anchar. *n.* 3. Greg. Lopez. *v. qualquier l. fin. tit.* 2. *p.* 4. vbi Montaluus, Matienzo *lib.* 5. *recop. tit. n. rubr. gl.* 1. *n.* 179. Vgolin. *de ſacr. c.* 19. *n.* 9. *de matr.* Lancellottus *inſt. iur. can. lib.* 2. *ti. de diuo.* §. *cum ea autem* Brunellus *de ſponſal. con.* 34. *nu.* 6. Nauar. *ſum. c.* 22. *nu.* 46. Gaeta *repetit. c. ad limina* 30. *q.* 1. §. 4. *q.* 162.

4 Quattuor tamen obſeruanda ſunt primum eſt, quod prædicto caſu quando alter ſolus mortem machinatus eſt non ſolum requiritur adulterium; ſed etiam vt vtrique, qui volunt contrahere, ſciant illud eſſe adulterium, quare Petrus, vt Bertam, cum qua adulterium commiſit, ducat, interficiat vxorem; ſi Berta ignorat illum eſſe vxoratum non incurrit hoc impedimentum etiam ſi Berta eſſet coniugata, quia non commiſit adulterium reſpectu Coniugis, qui fuit interfectus, (vt canones prædicti requirunt) nam ignorabat Petrum habere vxorem. ſecundum eſt, quod non incurritur hoc impedimentum, quando alter interficit vxorem non hoc fine, vt cum adultera contrahat, ſed alia de cauſſa v. g. ob odium &c. requiritur enim, vt interfectio fiat ad hunc finem, & ſaltem vt alter ex machinantibus mortem coniugis intendat matrimonium inire; quod colligitur *ex cap. ſi quis viuente* 31. *q.* 1. ibi (*occidiſſe notetur*) nam verbum *notetur* ſignificat malitioſam procurationem. ita ex Theologis D. Thomas, Bonau. Durand. 4 *d.* 34. *q.* 2. *ar.* 2. vbi Riccar. *d.* 35. *ar.* 5. Maior. *q.* 2. Suppl. Gabr. *q. vni.* Baſſol. 4. *d.* 34 *q. vnic.* Nicol. de Niza *ſup.* 4. *ſent. tr.* 6. *q.* 2. D. Ant. 3. *p. tit.* 1. *c.* 5. Guill. Borrolong. *q. vni. ar.* 42. *poſt* 3. *concl.* Viguer. *lib. inſt. c.* 16. §. 7. Beia *ſum. caſu* 5. Vega. 2. *t. c.* 34. *caſu* 74. Emm. Sà *v. matrim. de imp. diri. n.* 7. Manuel. 1. *t. ſum.* 2. *edit. c.* 229. cum Monald. *ſum trac. de matr.* vbi *de imp. crim. col.* 2. Rainer. 2. *p. ſum. tit. de matr. c.* 14. Ioan. de Friburg. *ſum. conſ. l.* 4. *tit.* 9. *q.* 2. Alberi. *dictio. l. A. v. Adulter.* Calder. *c. ſup. hoc de eo qui duxit* vbi Henricus, & alij.

5 Hinc ſi quis dicat adulterę, niſi eſsem coniugatus te ducerem, vel ſi communi conſenſu cum adultera interficiant coniugem, vt liberius vacent libidini, vel ſi procurent mortem vxori hoc fine, vt adulteram ducat, & mors tunc non ſequuta eſt, ſed poſtea alio caſu, quia in his caſibus non ſequitur mors procurata fine ineundi matrimonium. vide Emm. Sà, Vegam, Manuel, & alios.

6 Immo ſi vir interfecit vxorem animo ducendi vnam indeterminatam, poterit poſtea ducere quamcumque, etiam eam, cum qua eſt adulteratus, quia ad hoc vt incurreretur hoc impedimentum, debebat eſſe intentio matrimonij cum perſona determinata. Similiter ſi habebat expreſsè intentionẽ ducendi vnam ex pluribus, & cum aliqua ex his fornicatus eſt, poterit quam libet ex illis accipere in coniugem, quia cum alijs non fuit adulterium requiſitum, & cum ea, cum qua commiſit adulterium, non fuit determinata intentio,

debet

debet enim esse adulterium, & animus contrahendi matrimonium cum tali adultera.

7 In foro tamen externo præsumitur talis intentio, quãdo quis vxorem occidit; & postea vult ducere illam cum qua adulterium commisit. ita Beia, Manuel. Vega *cit.*

8 Tertium est, quod non sufficit ad contrahendum hoc impedimentum, si interficiatur vxor, quæ talis non erat ob aliquod impedimentum occultum; nam requiritur vt sit verum matrimonium: licet non sit necesse vt fuerit consummatum, vt *disp. sequ.* dicemus, quia textus constituentes hoc impedimentum de adulterio loquuntur, quod committitur etiam in matrimonio rato, quando est verum, & non irritum ob occultum impedimẽtum. ita Ant. Cuc. *lib. 5. inst. matr. tit. 12. num. 84. & 85.* Palacios *4. d. 35. dis. vni. col. 24.*

9 Quartum denique quod obseruari debet est, quod hoc impedimentum est solo Iure ecclesiastico inductum, vnde non incurrunt illud infideles, at si fidelis machinaretur mortem cõiugis, vt ducat infidelem, postquam ad fidem conuertetur, vel si infidelis suasione fidelis coniugi mortem machinaretur, vt ineant simul matrimoniũ; consurget hoc impedimentum, itaut etiam si baptizetur infidelis, non possit matrimonio copulari: quod non est ex eo quia ipsi infideli positum sit hoc impedimentum, vel pœna ab Ecclesia; quia imponi non potest, sed quia imponit fideli, ne possit in tali casu cum infideli etiam si ad fidem conuertatur, contrahere. ita Enriq. *lib. 12. de mat. c. 14.*

DISPVTATIO LXXIX.

An & quando adulterium cum fide data de contrahendo matrimonio cum adultera post mortem coniugis dirimat matrimonium.

1 SI quis committat adulterium cũ Berta, & prommittat se illam post coniugis mortem ducturum, vel si adhuc eius coniuge viuente contrahit per verba de præsenti cum adultera, incurrit impedimentum criminis, ita ut non possit contrahere post mortem coniugis valide matrimonium cum tali Adultera. ita expresse habebetur *cap. relata 31. q. 1. & cap. fin. de eo qui duxit* ibi (*si quis vxore viuẽte fide data prommisit aliam se ducturum, vel cum ipsa de facto contraxit si nec ante, nec post legitima eius superstite cognouit eamdem non est matrimonium, quod cum ea contraxit post vxoris obitum dirimendum. ceterum tolerari non debet si prius, vel postea dum vixerat vxor ipsius, illam adulterio polluisset.*) in quo textu patet plures requiri conditiones ad hoc impedimentum incurrendum. Prima conditio est, vt præter adulterium sit prommissio ineundi matrimonium cum adultera post obitum vxoris, vel de facto ineatur matrimonium cum ipsa per verba de præsenti coniuge iã viuente: vnde nec sufficit sola prommissio futuri matrimonij post obitum coniugis, aut initum matrimonium sine adulterio, nec etiã sufficit si adulteri dent sibi fidem de contrahendo matrimonio, ante obitum coniugis; sed requiritur vt de facto contrahant; quia per hanc promissionem non datur tam facile ansa procurandæ mortis alterius coniugis. Ex altera parte ita etiam requiritur adulterium siue ante promissionem, aut matrimoniũ initum cum adultera, vt non sufficiat conatus ad copulam; sed cum hoc impedimentum sit pœnale, requiritur copula consummata cum seminatione viri intra vas fœmineum; etiam si fiat sine penetratione vasis, aut sine semine fœminæ iuxta dicta *dis. 64. & lib. 2. dis. 21.* vide Gloss. *c. fin. cit.* vbi lo: And. *n. 4.* Ant. *n. 4.* Abb. *fine* Card. *fine.*

Explicantur conditiones requisitæ in prommissione ad hoc vt pariat impedimentũ.

2 Prommissio talis matrimonij debet primo aliquo signo externo manifestari; nam si sit merè interna non dat occasi-

caſionem procurandæ mortis. ſufficit tamen ad hoc impedimentum ſi fictè, & oretenus fiat, ita vt alter, cui fit non facile aduertat ioco, vel fictè talē promiſſionem fieri, quia præbet anſam captandæ mortis alteri coniugi, quæ eſt ratio cur hoc impedimentum ſit ab Eccleſia poſitum. & quamuis pœnæ Eccleſiaſticæ debeant intelligi de delictis perfectis, & conſummatis, vt ſupra dixi, qualis non eſt ficta promiſſio; tamen quando ex fine pœnæ impoſitæ colligitur eccleſiæ intentio, & de his etiam non perfectis debet intelligi; ita Io. Andr. Ant. *c. ſignificaſti de eo qui duxit* vbi Ancha. Alex. de Neuo. Vega 2. *t. ſum. c.* 34. *caſu* 124. Graffis *de cif.* 1. *p. lib.* 2. *c.* 85 *n.* 8. Veracruz 1. *p. ſpe. a.* 3. *con.* 9. contra Enriquez *l.* 12. *c.* 14. *n.* 3. *de matr.* Manuel. 1. *t. ſum.* 2. *edic. c.* 229. *nu.* 7.

3 Secundo ſufficit ſi ſit conditionata quæ vere conditionalis ſit, & ſuſpendat conſenſum, qualis eſt ſola conditio de futuro. ratio eſt quia etiam promiſſio conditionalis habet vim vt verè dicatur datam fuiſſe fidem, & promittens teneatur ſeruare extante conditione vnde dabitur anſa captandæ mortis.

4 Quod debet intelligi quando talis promiſſio eſt coniuncta cum adulterio; nam ſi quis promittit cum conditione ducendi in vxorem Mariam v.g. poſt obitum propriæ coniugis, cum hac conditione, ſi intra menſem nauis venerit; ſi nauis non venit, & ipſe adulteretur cum Maria, non erit hoc impedimentum; quia fuit adulterium ſine promiſſione, nam deficiente conditione prorſus euanuit promiſſio; at ſi iam habitum eſt adulterium antequam deficeret conditio, habetur hoc impedimentum; quia verificatur fuiſſe promiſſionem ſimul cum adulterio, ita Nauar. *lib.* 4. *conſ. tit. de eo qui duxit con.* 2. Manuel. 1. *t. ſum.* 2. *edit. c.* 229. Vega 2. *t. c.* 34. *caſu* 70.

5 Immo conſurgit hoc impedimentum quamuis promiſſio eſſet ſub conditione impoſſibile, ſiue ſit de facto, vt ſi digito cœlum tetigeris, ſiue de iure, vt ſi vir abfuerit per ſeptem annos; & deinde promittat adulteræ ſe illam ducturum ſi probauerit per illam abſentiam poſſe à primo matrimonio reſilire; ſiue contra ſubſtantiam matrimonij, ſiue non; ratio eſt quia conditio impoſsibilis aut turpis non tangens ſubſtantiam matrimonij habetur pro non adiecta, & conditio turpis quando eſt contra ſubſtantiam matrimonij, licet irritet promiſſionem *ex cap. fin. de cond. app.* tamen quia hoc impedimentum non pendet ex valore promiſſionis; ſed ex eo, quod datur anſa captandæ mortis alterius coniugis habetur impedimentum. ſicuti ſi coniungatus ineat matrimonium cum Berta, coniuge viuente, hoc matrimonium eſt nullum, vel ſi contrahat clandeſtine, & tamen parit impedimentū ex eo, quia non ponderatur valor matrimonij; ſed anſa quæ præbetur captandæ mortis alteri coniugi.

6 At ſi talis ſit conditio, vt alter adulter eam reijciat, ex eo, quia apparet eam non ſerio fuiſſe positam, non incurritur hoc impedimentum. in foro tamē externo ſemper in conditione impoſsibili, aut turpi, quæ non tangit ſubſtantiam matrimonij iudicatur adeſſe impedimentum. quia præſumitur conſenſus fuiſſe abſolutus.

7 Stet igitur, quod quoties habetur promiſſio ſiue vera, ſiue ficta, ſiue abſoluta, ſiue conditionalis, quæ verè ſit talis nempe per verba de futuro, & concurrit adulterium, habetur hoc impedimentum, quando autem verba ſignificent promiſſionem nec, ne, vide *lib.* 1. *diſ.* 18. illud tamen eſt certum, quod ſi quis dicat Adulteræ, ſi non eſſem coniugatus te ducerem, vel ſi voluero te ducam, non incurrit hoc impedimentum. quia nulla prorſus eſt promiſſio, quę ad propriam voluntatem refertur; ſecus vero eſt, ſi dicat niſi aliud arbitratus fuero, vel ſi viſum fuerit, quia hęc verba referuntur ad arbitrium boni viri, vt cum Bartol. omnes ſentiunt ſuper *extrauag. ad reprim. n.* 3. *& ſeq.*

8 Tertio licet non ſufficiat ſola promiſſio Adulteri vnius ad hoc impedimen-

men-

mentum inducendum, niſi alter accep tet; quia non eſt vere promiſſio, aut fidei datio, quas textus requirunt; ſed mera pollicitatio, quę eſt ſolius offerentis promiſſio ; tamen non requiritur alterius repromiſſio , ſed ſufficit ſi alter acceptet expreſſe, non ſolum quando promiſſio fit gratuitò ; ſed etiam quando fit per modum contractus oneroſi; vt *lib.* 1. *diſ.* 5. dixi.

9 Et quidem non requiri repromiſſionem, quando promiſſio fit gratuito (quę in hoc caſu talis eſſe in dubio prę-ſumitur, quia fit ad ſignificandũ amorem, quem habet vnus ex adulteris reſpectu alterius) patet *ex cap. ſignificaſti de eo qui duxit*, (*niſi alter eorum mortem vxoris defunctæ fuerit machinatus, vel ea viuente fidem illi dederit de matrimonio contrahendo*) vbi agitur de vnius promiſſione . quando verò eſt per modum contractus illa acceptatio eſt repromiſſio ; quia cuiuſcumq; contractus acceptatio eſt virtute contrahere. vide Menochium *de præſum. lib.* 3. *præſ.* 29.

10 Dixi, ſi expreſſe acceptet, nã ſi adulter promittat , & illa taceat, non eſt acceptatio, quia eſt nociua ipſi acceptanti, incurrit enim impedimentum dirimens, nec præſumitur hoc damnũ Adulteram ignorare, quia eſt ignorantia Iuris *de reg. Iuris in 6.*

11 Hinc infertur, quod ſi adulter promittat adulteræ ſe ducturum aliquam perſonam, quæ ab alio tertio, quẽ ipſa adultera elegerit, deſignabitur, & fidẽ dans; vel acceptans exiſtimat fore, vt tertius ille adulteram deſignabit, incurritur hoc impedimentum, quia idẽ eſt ac ſi fides, ſeu promiſſio fieret ipſi adulteræ de illa ducenda; nec fraus debet alicui patrocinari *cap. ad verſ. de immunit. Eccleſiaſtica.* At ſi nulla ſit fraus, non erit hoc impedimentum, quia non fuit promiſſio futuri matrimonij cum adultera.

12 Quarto deniq: ſufficit nuda promiſſio quibuslibet verbis facta , vndè non requiritur vt veſtiatur fide, aut intercedat hoc verbum, promitto. ſratio eſt quia licet ex rigore Iuris, & attentis verbis Pontificum videatur nõ ſufficere nudam promiſſionem ; ſed requiri fidem, attenta tamẽ illorum ratione, ſcilicet ne mors paretur coniugi ſufficit; & ita explicat communis omnium Doctorum ſententia. adde quod Abbas *c.* 1 *nu.* 2. *de ſponſ. duorum*, & ibi Alex. de Neuo cum alijs dicunt poſſe quamcumq; nudam promiſſionem appellari fidem, tenent ex Theol. Palud. Supp. Gabriel. Enriq. apud Sanch. *n.* 29. cum Pedraza. *ſum. præc.* 6. *ver* 14. Lud. Lop. 2. *p. inſtr. c.* 54. *de ma.* ſupp. Piſanæ *imp.* 8. *n.* 2. Matien. *lib.* 5. *recep t.* 1. *rubr. gl.* 1. *n.* 187 D. Ant. 3. *p. t.* 1. *c.* 5. *in* 2 *crim. dirim.* & alij multi cõtra Nicolaũ de Orbellis 4. *d.* 35. Tabiena, *imped.* 7. *qu.* 3. Gaet. *repet. c. ad limina* 30. *q.* 1. §. 4. *qu.* 161. *nu.* 413.

Explicantur reliquæ cõditiones requiſitæ.

13 Secunda conditio ad hoc impedimentum requiſita eſt, vt tam adulterium, quam fides de matrimonio contrahendo cum adultera , vel matrimonium de facto irritum ſint durante eodem matrimonio; quare ſi Petrus v.g. viuente vxore promittit Bertæ ſe illã ducturum in vxorem poſt mortẽ propriæ coniugis, & illa mortua, rẽ habeat cũ Berta nõ incurret hoc impedimentum. ſimiliter ſi dum Petrus eſt coniugatus cũ Maria vxore dat fidẽ Bertæ ſe poſt mortem Mariæ illam ducturum; ſed nõ dum cum Berta eſt fornicatus, ſi mortua Maria accipiat aliam vxorem, & fornicatur cum Berta, nõ incurret hoc impedimentum; & idem dicas ſi prius adulterium cõmiſit cũ Berta, & poſtea cũ alia vxore coniunctus dedit fidem ; quia textus eadẽ coniuge viuente requirunt adulteriũ; & promiſſionem ad hoc impedimentum criminis incurrẽdum, vt patet *c. fi. de eo qui duxit*, ibi (*dum uixerit vxor ipſius*) vide Cald. *d. c fi.* Abb. *nu* 5. Io. de lignauo apud Sylu. *mat.* 8. *q* 9. *dic.* 5. Brunell. *de ſponſ. concl.* 34. *n.* 4. Sot. 4. *d.* 37. *q. vn. ar.* 4. *col pen.* Matien. *lib.* 5. *rec. t.* 1. *rub. gl.* 1. *nu.* 188. quamuis hi auctores hoc vltimum non explicent.

14 Vnde etiam colliges, quod ſi Petrus dedit fidem Bertæ ducendi illam in vxorem, & deinde illa remiſit talem promiſſionem, vel ambo pœnitentiã egerunt, ſi poſtea viuente adhuc vxore fornicetur, non erit locus huius impedimenti; quia non eſt ſimul fides, & adulterium: contra vero ſi prius adulterium commiſerunt, & poſtea dederunt ſibi fidem, inducitur hoc impedimentum, etiam ſi fides data remittatur; quia iam per adulterium, & fidem datam incurrerunt impedimentum, nec pendet amplius ab eorum voluntate, vt incurrant poſitis delictis requiſitis in iure. Tertia conditio eſt, vt prius matrimonium ſit validum, ſiue ratum, ſiue conſummatum, vt *diſp. præc.* dixi & docent multi Theol. & Iuris periti cum D. Thom. Soto, Gabriele apud Sanch. *nu.* 30.

15 Quarta conditio, eſt vt vterq; adulterans tam ſcilicet prommittens, quã acceptans promiſſionem, ſciat coniugium alterius, ita vt habeat certitudinem, vel probabilem opinionem de tali coniugio, habetur aperte *cap. fin. de eo. qui duxit & cap. veniens eod. titulo*; & eſt communis Doctorum ſententia, quamuis ignorantia etiam craſſa, & ſupina excuſet a tali impedimento, quia ignorantia hæc eſt facti, quæ excuſat *iuxta regulam ignorantia de regulis iuris in ſexto*; & confirmatur quia ad hoc impedimentum eſt neceſſarium adulterium, & adulterium non committitur ſine dolo *l. pen. ff. ad leg. iuliam*, ſed vbi exigitur dolus excuſat ignorantia etiam craſſa, & ſupina, vt docet Gloſſ. recepta *leg. magna negligentia ff. de verborum ſignificatione*. ita Alex. de Neuo relatus a Calderi. *Ca. 1. num. 3. & ca. ex literarum fin. de eo qui duxit.* contraria tamen ſententia putans non excuſare niſi ignorantiam probabilem, eſt communis, & ſatis probabilis, quia non videtur iuſtum ignorantiam excuſare eum, qui culpam cõmiſit. ſic Hoſt. *ſum. tit. de eo qui dux. & c. 1.* vbi Ioan. And. D. Ant. *3. p. t. 1. c. 1.* ſupp. ſum. piſan. *imped. 8. num. 8.* Petr. Soto *lec. 9. de matr.* Nauar *ſum. cap. 22. n. 46*

16 Circa quam conditionem tria aduerte. primum eſt quod ſi ante ſcientiam matrimonij, adulteri ineant matrimonium, vel dent ſibi fidem futuri matrimonij, & poſt ſcientiam, habeant copulam; incurri hoc impedimentum; quia iam præbetur anſa machinandi mortem alteri coniugi. niſi tamen habita ſcientia de coniugio, reſilierint ab illa fide; vel pœnitentiam egerint. tunc enim ſi poſtea copulam habeant, non erit hoc impedimentum, vt ſupra diximus. ita Abbas *cap. 1. cit. nu. 2.* Angelus. *matrim. 3. imp. nu. 1.* Roſell. *imped. 8. n. 1.*

17 Secundum eſt quod ſi dubitetur, an coniux viueret, quando fuit copula, vel fides data, ſi vere coniux viuebat, incurritur hoc impedimentum; quia præſumitur viuere coniux; niſi contrarium probetur; contra vero ſi dubitatur, an fides vel adulterium interceſſerit, non incurritur hoc impedimentum, quia ea, quæ ſunt facti, non præſumuntur. ſic Nauar. *lib. 4. conſi. 2. edit. tit. de ſpon. conſ. 17.*

18 Tertium deniq; eſt quod ignorans coniugium, poteſt compellere alterũ decipientem, ad hoc, vt mortua coniuge matrimonium ſecum ineat, & ſi vtriq; ignorabant, poteſt quilibet eorum alterum cogere; quia iam vterq; conſenſum præbuit ex parte ſua. ita Innoc. *c. 1. cit. in fine* & Prępoſitus ibi.

PETES I.

An ſit peccatum promittere matrimonium contrahendum poſt obitum coniugis, & talem promiſſionem acceptare.

19 Reſp. graue peccatum committi, quia datur anſa procurandæ mortis coniugis, ita expreſſe habetur *c. fin. de eo qui duxit*, & tradunt ibi omnes ſcribentes. immo talis promiſſio, etiam ſi ex ea non oriatur impedimentum dirimens, erit nulla, quia ius ſimilibus pactis reſiſtit *ex l. fin. ff. de pactis*.

PE-

PETES II.

An hoc impedimentum ſit ſolo iure eccleſiaſtico inductum.

20 Reſpondeo affirmatiue, atque adeo non incurrunt illud infideles, quamuis ante Baptiſmum fidem dederint de contrahendo matrimonio poſt coniugis obitum, & poſtquam receperint Baptiſmum, adulterium committant: quia cum Eccleſia puniat vtrumque delictum coniunctim, debet vtrumque delictum eſſe tempore habili, nempe quando ambo ſunt ſubiecti Eccleſiæ ob Baptiſmum, quãuis Veracrux, 1.*p ſpec.a.* 34.*dub.* 3. *poſt.* 9. *concl.* Vega 2.*t.ſum.caſu* 123. *cap.* 34. & alij oppoſitum teneant. At ſi vnus ex his ſit fidelis; alter vero infidelis, tunc oritur hoc impedimentum, non quia Eccleſia punit infidelem, ſed fidelem, vt *diſp.precedenti circa finẽ dixi.*

DE IMPEDIMENTO Ligaminis.

Nomine ligaminis intelligimus vinculum prioris matrimonij, quo durante, eſt irritum poſterius matrimonium, & circa hoc impedimentum plura querimus ſcitu digna in ſequentibus diſputationibus.

DISPVTATIO LXXX.

An durante priori matrimonio, ſecundum ſit irritum iure naturæ.

1 REſpondeo ſi loquamur de pluralitate virorum, ita vt vna mulier quæ eſt coniugata cum Petro, accipiat alium, vel alios viros: dico certum eſſe iure naturæ eſſe irritum poſterius matrimonium, quia aduerſatur primario fini ipſius, nempe prolis generationi, quæ aut numquam, aut rariſſime ſequetur ob commixtionem virorum. ita D. Thomas 4 *d.* 33. *quæſt.* 1. *ar.* 1. *ad* 7. quem vniuerſi ſequuntur.

2 Quamuis autem nũquam inueniatur in ſacris literis Deum diſpenſare, vt vna vxor nuberet pluribus viris; tamen nõ eſt adeo intrinſecè malum, vt dicamus Deum non poſſe diſpenſare, quod late probat Petrus de Ledeſma *de matrim. qu.* 65. *art.*2. *dub.* 2. *concl.*2. contra communem placitum Doctorum aſſerentium Deum in hoc diſpenſare non poſſe. ſi vero loquamur de pluralitate coniugum, vt ſcilicet vnus vir plures habeat vxores: Dico licet in prima ſui inſtitutione, matrimonium fuerit inſtitutum inter vnum, & vnam, vt aperte ſignificant verba illa Gen. 2. maſculum, & fœminam fecit eos; & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna; tamen pluralitas vxorum non eſt adeo contra ius naturæ, quatenus natura dicit quædam præcepta vniuerſaliſſima, vt ſunt præcepta decalogi; ſed ſolum contra quædam præcepta, quę ex his deducuntur; vnde poteſt Deus diſpẽſare ad hoc vt vnus vir plures habeat vxores; quod pluralitas vxorum non ſit contra prima iuris naturæ, & vniuerſaliſſima præcepta patet, quia pluralitas vxorum nõ aduerſatur primario fini matrimonij, nempe generationi prolis; ſed valde illum iuuabit. quod ſit contra ius naturæ aliquo pacto probatur, quia aduerſatur fini ſecundario matrimonij, nempe concordiæ coniugum, & gubernationi domeſticę, quæ eſt finis ſecundarius, vt docet D. Thomas Ricc. Palud. & alij multis Theologi. *in* 4.*d.*33. Driedo *lib.* 1.*de liber. chriſt. cap. fin.* Enriquez, *lib.* 12. *cap.*6. *de matr. nu.*3. Pereira *cap.*16. *Geneſ. diſ.*1. *nu.*22. Celaia 4. *d* 33. *qu.*1. Lud. Lopez 2 *p. inſtr. c.*56. *de matr,*

3 Quod autem Deus poſſit diſpenſare, patet primo, tum quia nulla videtur repugnantia; tum quia de facto cũ antiquis patribus diſpenſauit quadam inſpiratione interna facta Patriarchis, quæ poſtea deriuata eſt vi exempli, & conſuetudinis ad reliquos de populo Iſdraelitico. ita D. Thom. Riccar. 4.*d.* 33. vbi Duran. Capr. Sotus, Valentia 4.*p. diſ.* 10. *q.* 1. *pun.* 3.

4 Dixi ad reliquos de populo Iſdraelitico, quia dubium eſt talem diſpenſationem fuiſſe etiam Gentilibus conceſſam, probabilius enim eſt non fuiſ-

ſe conceſſam, quia non militat fidelis populi multiplicatio, quæ fuit ratio dispenſationis, vt Sotus, Angles Flor. 2. *p. de mat. q. 7. ar. 1. dif. 3.* Enriquez *l. 11. c. 2. num. 3. de matrim.*

5 In lege tamen Euangelica deleta fuit talis diſpenſatio; ita vt hodie prohibitum ſit iure diuino plures habere vxores, vt definit Trid. *ſeſſ. 24. de matr. cap. 3.* non ſolum fidelibus, ſed etiam infidelibus, ita vt ſi conuertantur ad fidem, ſeparandi ſint ab omnibus alijs fæminis præter primam, vt decidit expreſſe Innoc. *3. cap. gaudemus de diuortio*, & ſi dum ſunt infideles plures accipiunt vxores, peccant mortaliter, vt expreſſe definit Innoc. *d cap. gaudemus.* ſic Sotus *l. c.* Bellarmin. *l. 1. de matrim. cap. 11.* Valen. *l. c. col. 4.* Enriq. *l. c. in comm. lit. M.* & alij.

6 Vnde patet nec Pontificis diſpenſatione, nec conſuetudine induci poſſe, vt quis plures habeat vxores, quia hoc eſt interdictum tum lege naturali, tũ Chriſti Domini præcepto, nec quidquam poteſt conſuetudo contra legẽ diuinam *cap. fin. de conſuetudine.* ſic Couarr. *4. decr. 2. p. c. 7. §. 3. n. 1.*

DISPVTATIO LXXXI.

An diſſoluto matrimonio prioris coniugis morte, licitæ ſint poſteriores nuptiæ.

REſpondeo certum eſt de fide diſſoluto priori matrimonio, poſſe contrahi ſecundum, tertium, quartũ &c. matrimonium, quod erit verum Sacramentum; patet ex D. Paulo *cap. 7. ad Romanos (quæ ſub viro eſt mulier alligata eſt legi, ſin autem mortuus ſit vir eius, ſoluta eſt à lege viri)* ita decisum eſt in Concilio Niceno, & Florentino; ẽt patet eſſe Sacramentum, quia eſt matrimonium legitime contractũ, quod in noua lege eſt Sacramentum, nec à Sanctis Patribus damnantur ſecundæ nuptiæ, vt illicitę, ſed ob nimiam intemperantiam, & quamuis ius ciuile multas poſuerit pœnas ſecundis nuptijs, tamen ius Canonicum eos correxit vt potè contra bonos mores.

DISPVTATIO LXXXII.

An in ſecundis nuptijs ſit danda benedictio.

1 ANte deciſionem caſus propoſiti ſciendum eſt primo, ben edictiones nuptiales ab Eccleſia fuiſſe adhibitas propter dignitatem Sacramenti matrimonij, ita vt in Concilio Trid. *ſeſſ. 24. de matr.* excommunicentur ij, qui illas improbant, & qui illas ſine cõtemptu omittit peccat venialiter, cũ ſit præceptum in re Sacrametali, quæ non eſt tanti momenti, quanti ſunt Sacramenta, ſed quanti ſunt Sacramẽtalia, quæ ante baptiſmum adhiberi ſolent, niſi tamen omitterentur ex contemptu, tunc enim peccaret mortaliter. eſſet autem contẽptus, quando quis tales benedictiones nihil faceret, ac ſi eſſent res vanæ, vel ſi puerile, & vile exiſtimaret illis ſe ſubijcere. ita Victoria *ſum. vbi de confirm. n. 48.* Sotus *4. d. 7. q. vnic. ar. 8.* Enriquez *l. 3. de confirm. cap. 1. num. 6.*

2 Secundo ſciendum eſt has benedictiones à proprio parocho eſſe tribuendas, nec ab alio poſſe impertiri ſine parochi, vel ordinarij licentia, & qui illas tribuit ſine huiuſmodi licentia remanet ſuſpẽſus, donec ab illo parocho, aut ab ordinario abſoluatur, non obſtante quocumque priuilegio, & conſuetudine immemorabili. ita Triden. *ſeſſ. 24. de matr. cap. 1.* ſufficit tamen parochus vtriuſuis contrahentis, ſiue vxoris, ſiue viri, ſicuti ſufficit ad aſſiſtendũ matrimonio, quia Concil. eodem modo loquitur. ita Cañedo *Collectaneo ad decr. 81. num. 8.*

3 Tertio ſciendum eſt, quod hæ benedictiones in Regno Hiſpaniarum faciunt, vt filiusfamilias eximatur à patria poteſtate in omnibus, tam ſibi fauorabilibus, quã non; quare ſi filius familias matrimonium ineat, & benedictiones non recipiat, remanebit ſub poteſtate Patris, vt iure communi remanet; & ſi ante benedictionem filius ex eo conceptus ſit, erit ſub poteſtate Aui, etiam ſi naſcetur poſt benedictionem

nem, quia per *l.43. Tauri* ſolum conceditur, vt filius eximatur per benedictionem àpatria poteſtate;non autem nepos conceptus ex filio non dum emancipato; nam in emancipatione attenditur tempus conceptionis, vt docet Angelus *inſt.§.illud autem ti. quibus modis,&c.* Io.Lupus *rubr.de donat.inter vir.& vx.§.43.* Ant.Gomez *l.47.Tauri* vbi Caſtillo, Gutierez, Matien. & alij. his poſitis.

4 Ad caſum propoſitum reſpondeo ſi vterque, vel alter ex coniugibus benedictiones nuptiales accepit in primo matrimonio,non ſunt iterum in ſecũdo recipiendæ, attento iure Eccleſiaſtico ſecundum veriorem ſententiam probatur *ex cap.vir.de ſecundis nuptijs*, ibi (*vir autem, aut mulier ad Bigamiam, tranſiens* (ideſt ad ſecundas nuptias, vt optime exponit Hoſtienſis)*non debet à Præsbitero benedici,quia cum aliàvice benedicti ſint eorum benedictio irritari non debet*) vbi vides textum in codicibus emendatioribus loqui diſiunctiue, nimirum vir,aut vxor,& ratio eſt ne iteretur benedictio, in perſonam illam, quæ fuit benedicta,ne vilipendatur.ita Abbas,Alex.de Neuo,Præp.Anchar.*d. c.vir*,& alij.Imo quamuis prius matrimonium, in quo à coniugibus benedictiones nuptiales receptæ ſunt; fuerit irritum, ſi poſtea ijdem coniuges inter ſe valide contrahant, vel vnus cũ alia perſona: non ſunt repetendæ benedictiones, quia benedictio propriè reſpicit perſonam, nec ſemel recepta amittitur *ex cap.vir de ſecundis nuptijs*: ergo licet nuptiæ ſint irritę, adhuc remanet perſona benedicta: ita Hoſt. *ſum. ti.de ſec.nupt.* Henric. *d.c.vir.* Palud.4.*d.*42. *q.*3.*ar.*3.Sylu. *v.nuptiæ q.*3. vbi Roſſel. *n.*3.

5 Dixi attento iure *Eccleſiaſtico*,quia de conſuetudine approbata *in Extrauagant. concertation. Ioannis XXII.* quam refert Perez. *lib.*5. ſemper confertur benedictio ſecundis nuptjs,quãdo alter ex Coniugibus non fuerat antea benedictus, & hoc teſtatur Enriq. *lib.*11.*c. n.*3. *in com. l.G.* vbique ſeruari cum Bar. a Ledeſ.*de matr.dub.*63.quãuis non deſint alij, qui aliter dicant ſeruari de conſuetudine.

6 Quamuis autem ita ſeruetur de conſuetudine; tamen non inducitur præceptum,vt accipiantur de nouo benedictiones;ſed ſi alter ex coniugibus fuit benedictus, poſſunt tales benedictiones omitti;quia cõſuetudo non eſt inducta eo rigore, vt pariat obligationem; ſed ſolum vt excuſet à peccato iterum recipientes, caſu quo alter eorum fuerit benedictus. ita etiam Enriquez *l.c.*

7 Ad hanc autem conſuetudinem inducendam non requiritur ſcientia Pontificis,quia *tex.cap.fin.de conſuetud.* decidit abſolutè conſuetudinem rationi conſentaneam vim obtinere cuiuſque legis deſtruendę.ita Palud. *l.c.*Couar,4.*decr.*2.*p.c.*6.§.10. *n.*19. Gaet. *repet.c.ad limina* 30. *q.*1.§.4. *n.*550. Lud. Lopez.2.*p.inſtr.hic c.*56.

Contra Abbatem,Prępoſit.Riccar. *l.c.* & alios putantes requiri ſcientiam Pontificis ſaltem tacitam;quia hę benedictiones ſunt Sacramentalia, & contra Hoſtienſem, & Henricum *l. c.* volentes requiri expreſſamPontificis approbationem.

QVAERES.

Quam pœnam incurrit Parochus ſupradictas nuptias benedicens,quando non licet eas benedicere?

8 REſpondeo non eſſe impoſitam pœnam huius delicti ordinariam de iure;ſed à iudice imponendam eſſe, attentis circumſtantijs, quæ grauius aut leuius reddent delictum, & caput primum de ſecundis nuptijs, vbi Alexander III. imponit pœnam ſuſpenſionis ab Officio,& beneficio inferẽdam à Iudice, & ſedi Apoſtolicæ reſeruatã, (quæ tamen reſeruatio à Ioanne 22. *extrau. concertatio.* reuocata eſt) intelligi debet, vel quando benedicentur ſecundæ nuptię conſtantibus primis; vel in illo caſu ſpeciali, vt docet Gregorius Lopez. *l.*2.*ti.*12.*p.*4. *v.entiendeſe.*Abbas, & Alexander de Neuo,

*d.c.*1.

d.c. 1. nam non videtur conueniens ob tam leue delictum tam grauem pœnam eſſe imponendam.

DISPVTATIO LXXXIII.

Quid, & quotuplex ſit Bigamia, & qualiter ex vera Bigamia irregularitas contrahatur.

1 BIgamus dicitur ille, qui cum pluribus init matrimonium, & hic ē irregularis ex defectu ſignificationis Sacramenti; nam matrimonium, ideo habet rationē Sacramēti, quia ſignificat coniunctionem vnius Chriſti cum vna Eccleſia: ſed bigamus non habet hanc ſignificationem, quare prohibetur ordines ſuſcipere, & eſſe miniſter Sacramentorum, cum hi nullum debeant pati defectum, circa ſignificationem Sacramenti; ita exponit Cæleſt. 3. *cap. debitum de bigamis.* & per hoc ſatisfactum eſt ad primam partem caſus propoſiti.

2 Ad ſecundam partem dico, triplicē eſſe Bigamiam, prima eſt Bigamia vera, quando quis duplex init, & conſūmat matrimonium, & vtrumque eſt validum; ita *cap. debitum de Bigamis*; ſecunda dicitur interpretatiua, & eſt, quando quis duplex init, & conſūmat matrimonium; ſed vel vnum, vel ambo ſunt irrita: vel cum quis ducit non Virginem, vel ſi duxit Virginem, illam cognouit poſt adulterium, vt infra dicam. Tertia dicitur ſimilitudinaria, & eſt, cum qūis in ſacris conſtitutus, aut profeſſus init matrimonium, & conſummat, etiam ſi ſit cum vnica, & virgine.

3 Ad tertiam partem caſus propoſiti dico tunc hanc Bigamiam incurri, ita vt Bigamus ſit irregularis, quando cōtrahitur duplex verum matrimonium quod ſit validum, & vtrumquè conſummatum per copulam; quia copula requiritur ad omnem bigamiam contrahendam, vt expreſſe definitur *cap. debitum de bigamis.* Ratio eſt, quia vbi non eſt copula, non poteſt dici vir ille carnem ſuam in plures diuiſiſſe, vnde non tollitur perfecta ſignificatio coniunctionis Chriſti cum vna Eccleſia, quæ eſt in matrimonio. ita D. Thomas 4 *d.* 27. *q.* 3. *ar.* 1. *quæſtiu.* 1. vbi Palud. *q.* 4. *ar.* 2. Villadiego *tract. de irregularit. c.* 13. Humada *p.* 1. *tit.* 5. *l.* 5. *gloſſ.* 34. Sylu. Toledus, Viualdus, & alij paſsim contra Magiſtrum in 4. *diſt.* 27. cuius ſententia volens per ratum matrimonium contrahi bigamiam ab omnibus improbatur.

4 Immo non ſufficit ad irregularitatem incurrendam, quæcumque matrimonij conſummatio; vt ſi membro virili vas fœmineum penetretur; vel ſi ſolum ſodomitice, aut extra vas mulier cognita ſit, ſed requiritur ſeminis virilis immiſsio intra vas, ſiue id fiat membro virili intromiſſo, ſiue alia arte. Ratio eſt, quia *d. cap. debitum* petit expreſſe coniugium conſummatum commixtione corporum, quod ſufficiat ad repreſentandam coniunctionē Chriſti cum Ecclesia per incarnationē ſed quando matrimonium non eſt cō ſummatum commixtione ſeminum hoc non habetur: quando vero introducitur ſemen, hoc habetur, vt probaui *lib.* 2. *diſ.* 21. ergo quando matrimonium conſummatur ſine seminis immiſſione, non habetur bigamia: contra vero incurritur, quando cum ſeminis immiſsione, etiam non penetrato vaſe fœmineo, conſummatur.

5 Dixi requiri immiſsionem ſeminis virilis, quia non requiritur ſemen mulieris, quamuis aliqui, quos *lib.* 2. *diſ.* 21. retuli, probabiliter oppoſitum teneant; in foro tamē externo præſumitur contractam fuiſſe bigamiam, quia preſumitur ſeminis immiſsio, vt *libro* 2. *diſ.* 21. dixi.

6 Denique hic nota, quod omne illud matrimonium, quod propter ſignificationis defectum efficit perſonam irregularem; ſi contrahatur poſt baptiſmum; reddit etiam nunc irregularem ſi contrahatur ante baptiſmum, quare ſi infidelis tempore infidelitatis duo matrimonia contrahat, & conſummet; ſi poſtea conuertatur ad fidem non poterit ad ordines promoueri, quia

eſt

eſt irregularis. ita eſt definitum ab Innocentio *Epiſtola 22.cap.2. & Epiſtola 2.cap.5.refertur cap.deinde diſ.26.& cap. ſi quis viduam* 1.34.*diſ.* quamuis antea apud Sanctos Patres de hac re fuerit controuersia. ratio eſt quia hoc impedimentum non eſt inductum ab Eccle sia in pœnam delicti;ſed quia deficit in tali matrimonio ſignificatio Chriſti coniunctionis cum Ecclesia, qui defectus tam eſt ante Baptiſmum, quam poſt Baptiſmum;ſi tamen aliqua bigamia eſſet ex delicto,vt volunt aliqui eſſe bigamiam interpetratiuam, de quibus infra, probabile eſſet non incurri irregularitatem, ſi fuit contracta ante Baptiſmum.

DISPVTATIO LXXXIV.

Qualiter contrahatur irregularitas ex Bigamia interpretatiua.

QVatuor modis eſt Bigamia interpretatiua, primo modo eſt quando quis init, & conſummat duo matrimonia, vnum validum, alterum irritum, ſiue viuente adhuc priori coniuge,ſiue non. Secundo modo, quando quis ambo matrimonia irrita, & inualida contrahit, & conſummat.tertio modo eſt,quando ducit viduam cognitam à priori viro; ſiue aliquam corruptam, & cum ea conſummat matrimonium. quarto denique modo, quando ducit virginem, ſed poſtquam illa fornicata eſt, eam cognouit carnaliter. dicitur autem hæc Bigamia his modis cõtracta interpretatiua, quia non fit ſicuti vera, per duo legitima, vera, & conſummata matrimonia, & ſic non verè diuiditur caro viri;ſed ex quadam iuris interpretatione; nam quantum erat ex voluntate, & affectu contrahentis, iam diuiſit carnem ſuam pluribus contrahẽs duo matrimonia, etiam ſi fuerint irrita,& cognoſcendo viduam corruptam aut virginem poſt fornicationem deficit perfecta ſignificatio vnius Chriſti, cum vna Eccleſia incorrupta.

De Bigamia interpretatiua primo, & ſecundo modo contracta quando ſcilicet quis duo matrimonia ambo inualida, aut vnum inualidum, & alterum validum conſummauit.

1 SI quis incurrit bigamiam modo prædicto eſt irregularis, ſiue matrimonia ſimul, ſiue ſucceſſiue vnum poſt aliud inita ſint. ita colligunt Doctores ex *cap.nuper in fine de Bigamis*, vbi Clericus, qui ante ordines ſacros, vnũ matrimonium contraxit; & poſt ordines ſacros aliud; dicitur eſſe irregularis;nõ quia duo matrimonia valida cõtraxit (nam ſaltem illud,quod poſt ordines ſacros inijt fuit irritum) ſed ob affectum ad duo matrimonia cum opere carnali ſubſequuto; ergo cum in his duobus modis bigamiæ ſimilis affectus inueniatur, cum opere carnali ſubſequuto (ſupponimus enim fuiſſe ambo conſummata) ita contrahens erit Bigamus,& irregularis ex iuris interpretatione,ita Riccar.4.*d.*27.*ar.*4.*q.*3.Palud.*q.*4. Supp.Gabr.*q.*3.D.Ant. 3.*p.tit.*28.*c.*3.Sotus *q.*3.*ar.*1,Palac.*diſp.* 4.*col.*2.*&* 5. Bellar.*l.*1.*de cleric.c.*24.Vega 1.*t.ſum.c.*38.*caſu* 2.Toledus *l.*1 *c.*26. *n.*4.Valen.4.*p.diſ.*7.*q.*19.*pun.*3.Llamas *method.curat.*1.*p c.*12. §.3. Lud.Lopez. 2.*p.inſtr.vbi de irreg.big.n.*2.Hoſt.Goff. *ſum.tit.de Bigam.*Aſtenſis 2.*p.ſum. lib.*6. *t.*7.Aufrerius *lo. deciſ. capp.Tholoſ.* 135. Supp Piſan.*v.bigamia n.*1.vbi Sylu.Armilla,Tabiena.

2 Quare si quis vxorem validè accepit ſed cum ea non dum copulam habuit, & ea viuente aliam vxorem accipit,& carnaliter cognoſcit; ſi poſtea compulſus ab eccle sia redit cum prima, & vera vxore,& cũ ea conſummat,incurret hanc irregularitatem. ita D.Thomas 4.*d.*27.*q.*3.Aſtensis *l.c.*

3 At si quis diſſoluto priori matrimonio valido, contrahat aliud, quod sit irritum;ipſe vero ignoret impedimentum, ſed putat ſe valide contrahere non incurret hanc irregularitatem.ratio eſt, quia hic contrahendo ſecundum matrimonium,non peccauit,putauit enim eſſe validum, ergo non debet

bet incurrere hanc irregularitatem, quæ ponitur ob culpam, vt patet *ex capite nuper de Bigamis*, ex quo fuit hæc bigamia deducta; vbi expreſſe dicitur, quod quando ſaltem vnum matrimonium eſt irritum, non incurritur irregularitas ob defectũ ſacramenti, quia tale matrimonium irritum nõ eſt aptum ad ſignificandam coniunctionem Chriſti cum Eccleſia; nam eſt concubinatus: validum autem matrimonium non deficit ab hac ſignificatione, nam eſt tantum vnum; ergo ſi incurritur ob delictum ſolum incurritur; vbi ergo non eſt delictum cum ſcilicet iniens ignorat impedimentũ, incurri non debet irregularitas, ita Archidiaconus *cap. vnico de Big. in 6.* & idem dicendum eſt quando vtrumque matrimonium fuit nullum, & tamen contractum ex ſcientia, quia deficit delictum, & ex altera parte non ſunt vera matrimonia, vnde non præſtabit impedimentum ad ordines ſuſcipiendos. *regula non præſtat de regulis iur. in 6*

4 Verum ſi contrahens cognoſcit alterum ex matrimonijs eſſe irritũ, vel vtrũq; contrahitur hæc irregularitas; quia inuenitur affectus ad duplex matrimoniũ, neq; deſideratur delictũ in vtroq; ſed tãtũ ſufficit in vno matrimonio, ſiue validũ contrahatur ante irritum, ſiue prius irritũ, & deinde validũ.

5 Alij tamen putant ſemper incurri hanc bigamiam, volunt enim non cõtrahi ex delicto, ſed ſolum ex affectu duplicis matrimonij ineundi ex textu *cap. nuper citati*. ita tenent Io. Andr. Anchar. Domin. *d. c. vnico* & eſt communior ſententia, & ſatis probabilis.

De tertio modo Bigamiæ interpretatiuæ, quando ſcilicet quis contrahit cũ vidua cognita a primo viro, aut cũ corrupta.

6 Hic tertius modus habetur *cap. primo, & cap. debitum de bigamis.* ita vt qui accipit corruptam, putans eſſe virginem, vel aliquam per vim, & violenter cognitam incurrat irregularitatẽ hanc; nam hæc contrahitur ex defectu ſignificationis (vt infra dicemus) quem defectũ habet ille, qui ignoranter corruptam duxit.

7 Non incurrit tamen irregularitatẽ ille, qui prius fornicatus eſt, & deinde virginem duxit, etiam ſi de hoc videatur poſſe dici, quod carnem ſuam in plures diuiſit, vt omnes fatentur, quamuis laborent in aſſignanda diſparitate. vide D. Thomam *in 4. diſ. 28. quæſt. 3. ar. 1.* qui optimam affert conuenientiam, quem omnes Theologi, & aliqui Iuris periti ſequuntur.

8 Sicuti neque incurrit irregularitatem ille, qui ducit viduam corruptam caſu quo matrimonium non eſt validum; quia non præſtat impedimentum, quod de iure non ſortitur effectum *regula non præſtat de regul. Iuris in 6.* nec ſolus effectus ſufficit ad hanc irregularitatem cum opere ſubſequuto, nempè affectus ducendi viduam, & opus, ſcilicet conſummatio, ſed requiruntur duo matrimonia *ex cap. nuper de bigamis.* & docent Nauar. *ſum. c. 27. nu. 195.* dicens ſic deciſum fuiſſe in ſacra pœnitentiaria. Enriq. *l. 12. c. 6. nu. 9. de matr.* Lud. Lopez *2. p. inſtr. de irregul. cap. 22. inp. ſpec.* Valentia *4. p. diſ. 7 q. 8. n. 8.* & alij Theologi: contra Ricc. Palud. Coffredum, & alios plures apud Sanchez. *n. 10.* affirmantes eſſe irregularem in hoc caſu ob affectum contrahendi opere ſequuto.

9 Quod verum eſt etiam ſi illud matrimonium eſſet validum in foro externo, & in facie Eccleſiæ; adhuc .n. ceſſante ſcandalo poſſet ſine vlla diſpenſatione ordines ſacros ſuſcipere, ob dictam regulam *non præſtat*.

10 Immo ducens fœminam, quam ipſe ſolus defloraſſet, non incurrit hanc irregularitatem; quia hic ducendo corruptam non diuiſit carnem ſuam in plures; ergo non incurrit irregularitatem hanc. conſequentia eſt certa ex dictis. nam ideo hæc irregularitas contrahitur, quia ducens corruptam diuiſit carnem ſuam in plures. Antecedens probatur: ille, qui ducit corruptam ab alio, dicitur ex Iuris interpretatione diuidere carnem ſuam in

plures

plures, quia fit vna caro per matrimonium cum coniuge, quæ diuiſit carnem ſuam in plures; ſed quando quis ducit Virginem a ſe ſolo defloratam, hæc non diuiſit carnem in plures; ſupponimus enim ab ipſo ſolo fuiſſe cognitam; ergo. ſunt pro hac ſententia D. Thomas Ricc. Palud. Sotus 4. *d.* 27. Petr. Sot *lec.* 18 *de matr. pag.* 4. Philiar. *de off. ſacer. t.* 1. *p.* 1. *l.* 4. *cap.* 7 Henriq. *lib.* 12. *de matr. cap.* 6. *n.* 10. Manuel. 1. *t. ſum.* 2. *edit. cap.* 158. *num.* 3 Toled. *lib.* 1. *ſum. cap.* 26. *num.* 5. Petr. Ledeſm. *qu.* 66. *de matr. ar.* 3. *col.* 7. cum Gloſſ. *cap. debitum de big. &c. vnico de clerī. coniug.* vbi ſcribentes Io. de Friburg. *ſum. conf. l.* 3. *t.* 3. *quæſt.* 5. Abertus Trotius *l.* 2. *de vero cler. cap.* 11 Villadiego *de irregular. cap.* 13. *num.* 2. Greg. Lopez *l. reg.* 35. *t.* 5. *p.* 1. *v. el miſmo.* Ant. Gomez 3. *var. cap.* 10. *num.* 4. Maiol. *de irreg. l.* 1. *cap.* 33. & alij contra Aſtenſem 2. *p. lib.* 6. *tit.* 7. *art. vni.* & alios paucos canoniſtas.

De quarto modo Bigamiæ interpretatiuæ quando ſcilicet quis ducit Virginem, & poſt eius adulterium illam cognoſcit.

11 Qui Virginem duxit, & poſtquam ea adulterata eſt, copulam cum ea habet, fit irregularis: nec poteſt ſine diſpenſatione ordines ſacros accipere; quod etiam fit non ſolum quando ſcit illam fuiſſe corruptam; ſed etiam quando ignorat, & quando non poteſt probare illius adulterium; & Eccleſia compellit illum, vt cognoſcat vxorem. ratio eſt, quia hic non agitur de vitio, aliquo per quod ordines recipi non poſſunt, ad quod requiritur ſcientia; ſed ſolum de defectu ſignificationis, vt toties dictum eſt: hunc autem defectum poteſt habere etiam ignorans. ita D. Thomas 4. *d.* 37. *quæſt.* 3. *art.* 1. cum innumeris Theologis, & Canoniſtis. Abulens. *cap.* 19. *Matt. q.* 72. Caſtro *l.* 2. *de lege pœn. cap.* 4. Sotus 4. *d.* 27. *quæſt.* 3. *a.* 1. vbi Palud. *quæſt.* 4. *a.* 2. Gabr. *quæſt.* 3. *a.* 1. D. Ant. 3. *par. t.* 28. *cap.* 3. Henriquez *l.* 12. *cap.* 6. *num.* 6. Viual. *candel. ſac.* 2. *p. de irregul. bigam. num.* 6. Alberic *in dictio. li B. v. bigamia* Domin *cap. ſi cuius* 34. *quæſt. pen.* vbi Turrecr. Montagna *de Bigamis quæſt.* 6. Salzedo *in addit. Ber. diaz. prac. can. noua edit. cap.* 16. Nauar. *ſum. cap.* 16. *num* 27. Couarr. *clem. ſi furioſus de homic.* 1. *p.* §. 2. *num.* 4. Cenedo *collect. ad decret. num.* 166. Iul. Clar *l.* 5. *recept.* §. *fin. pract. crim. quæſt.* 4. 36. *num.* 10. Borgarſius *in tr. de irreg. p.* 5. *t. de bigam.*

12 Quamuis perpauci oppoſitum teneant, nam Emm. sà *de bigamia num.* 3. & Petrus de Ledeſma *hic quæſt.* 66. *a.* 3. putant in hoc caſu ignorantiæ non incurri. Bernardus vero Diaz *loc. cit.* vult tunc incurri quando poteſt probari Adulterium, quem videntur ſequi Ioannes Andræas, Anton. & Anchar *cap. inquiſitioni num.* 1. *de ſenten. excom.* dum aiunt non incurri ſi Eccleſia præcipiat viro, vt adulteram cognoſcat.

DISPVTATIO LXXXV.

Quo pacto contrahatur irregularitas ex Bigamia ſimilitudinaria.

1 BIgamia ſimilitudinaria tunc eſt quando aliquis in ſacris conſtitutus, vel Profeſſus contrahitur matrimonium ſiue cum corrupta, ſiue cum Virgine, & dicitur ſimilitudinaria, quia poſt matrimonium ſimilitudinarium cum Chriſto initum, per votum caſtitatis ſollemne, ordini ſacro annexum, vel in profeſſione emiſſum, ad alias nuptias tranſiuit, eas conſummans copula.

Hæc concluſio tres habet partes, prima pars dicit, quod clericus in ſacris ducens corruptam incurrit irregularitatem Bigamiæ ſimilitudinariæ, & hæc ab omnibus admittitur, & habetur expreſſe *cap. fin. de Bigamis.*

Secunda dicit etiam ſi Virginem, & non corruptam accipiat incurrere hanc irregularitatem Bigamiæ ſimilitudinariæ, quod probatur ex ratione adhuc adducta, & ſuſtinēt ex Theologis Riccar. Palud. 4. *d.* 27. Valentia.

4. *p. d. 7. qu.* 19. *p.* 3 Manuel. 1. *t. sum.* 2. *edit. cap.* 138. Philiar. *de off. fac. t.* 1. *par.* 1. *l.* 4. *cap.* 7. Viualdus *Cand.* 2. *p. de irr. big. n.* 12. Lud Lopez 2. *p. inſt. de irreg. cap.* 22. *in* 1. *ſpecie.* ex iuris peritis Abb. *c.* 2. *qui cleri. vel voue.* vbi Alex. de Neuo, Humada *p.* 1. *t.* 5. *l.* 5. *gl.* 34. *num.* 1. Couarr. *clem. ſi furios.* 1. *p.* §. 2. *nu.* 2. Maiol. *l.* 1. *de irreg. c.* 33 *n.* 7. Flam *de reſig. bene. l.* 5. *qu.* 3. *nu.* 190. Monal. *ſum tr. de irregul. propter bigamiam col.* 2. Turrec. *c. lector. d.* 34. *a.* 2. *num.* 10. licet aliqui, vt exponit Silueſter *irregularitas qu.* 16. contendant non eſſe irregularem ex hac bigamia ſimilitudinaria, ſed propter ordinum reuerentias, in qua re, cum parum referat in re morali, non contradicam.

Tertia pars eſt, quod Profeſſus ducens corruptam, aut Virginem incurrit irregularitatem. hæc probatur ex ratione ibi adducta, & eam colligunt Doctores communiter *ex cap. quot quot* 27. *quæſt.* 2. ibi (*quotquot virginitatem pollicitam præuaricata ſunt profeſſione contempta inter bigamos, id eſt qui ad ſecundas nuptias tranſierunt haberi debebunt*) ita tradunt Riccar. Palud. Valentia, & alij Theologi cum multis iuriſtis. quos citat *n.* 8.

2 Duo tandem hic animaduertenda ſunt, primum eſt hanc irregularitatem oriri ex delicto, non autem ex defectu ſignificationis, patet expreſſe *ex cap. nuper & fin. de Bigamis*; nam hic non eſt duplex matrimonium ad hoc vt poſſit dici non eſſe ſignificationem coniunctionis vnius Chriſti cum Eccleſia. ſic Ant. Abb. *cap. fin. de bigam.* Manuel. 1. *t. ſum.* 2. *edit. c.* 158.

3 Secundum eſt, quod qui poſt votum ſimplex caſtitatis matrimonium conſummauit, non incurrit irregularitatem; nam nec reperitur in iure, nec militat eadem ratio, quæ militat in profeſſionis voto; & multo minus illam contrahet qui mulierem accepit, quæ voto caſtitatis erat ligata; nam nullo iure probatur, quidquid dicant Viuald. & Maiolus. *l. cit.*

DISPVTATIO LXXXVI.

Quibus modis ceſſet irregularitas Bigamiæ.

1 TRibus modis poteſt irregularitas tolli, primo Baptiſmo, ſecundo profeſſione, tertio diſpenſatione. de primo modo dixi *diſp.* 83. nimirum quoties contrahitur bigamia defectu ſignificationis coniunctionis Chriſti cum Eccleſia, tunc non deletur per baptiſmum; quando vero contrahitur ex delicto, vt eſt bigamia ſimilitudinaria, & ſecundum aliquos, quorum ſententiam ſequuti ſumus *diſ.* 84. *nu.* 3. bigamia interpretatiua quando cõtrahitur ex duplici matrimonio irrito, aut ex vno irrito, & altero valido deletur per Baptiſmum.

2 Circa ſecundum modum dico nullam irregularitatem deleri per profeſſionem, niſi quæ iure exprimitur, vt eſt illa, quæ oritur ex defectu natalium, vt quando quis eſt illegitimus. ratio eſt quia *cap.* 5. *de filijs præsbiterorum.* tamquam quid ſpeciale decernitur tolli hanc irregularitatem ſolum quoad ſuſceptionem ordinum; non vero quoad dignitates; ergo in alijs non eſt aſſerendum, quia non ſunt iure expreſſa. ita Abbas, Ananias *c.* 2. *de apoſtat.* Sylu. *v. irregularitas qu. fin.* vbi Armilla *nu.* 88. Socin. *c. ad audientiam de hom.* Villadego *de irre. c.* 16 Couar. *c. ſi furios. de hom p.* 1. §. 2. *n.* 6.

3 Circa tertium modum, nempe diſpẽſationem certum eſt poſſe Pontificem de poteſtate ordinaria in his irregularitatibus bigamiæ diſpenſare. ratio eſt, quia hæc irregularitas eſt quia hæc irregularitas eſt inducta, ex mero Iure humano, ergo poteſt in hac Pontifex de poteſtate ordinaria diſpenſare. conſequentia eſt certa; antecedens patet, quia non eſt de iure naturali, vt patet, neque de iure diuino poſitiuo, quia in lege Euangelica nullum eſt præceptum diuinum poſitiuum, præter præcepta fidei, & ſacramentorum ſuſceptionem; vt alias dictum eſt: hæc autem bigamia non per-

pertinet ad prædicta, ergo &c. ita D.Thomas 4.*d.*27.*q.*3.*ar.*3.vbi Maior. *quæſt.* 6. ſup.Grab. *quæſt.* 3. *a.* 3. vbi Sotus.& reliqui Theologi cum Couar. *loc. cit.* Nauar. *ſum. cap.* 27. *num.* 197. Anan. *c.ſi vir. de adult. l.regia.* 5.*t.* 5. *p.* 1.vbi Greg. Lopez. *Gloſſ.c.lector.v fiat diſ.*34. vbiſcribentes, & cæteri iuris periti.

4 Epiſcopus vero in bigamia vera, & interpretatiua non poteſt diſpenſare in irregularitate ad ordines ſacros ſuſcipiendos, vel in ijs miniſtrando; ſed ſolum ad ſuſcipiendos ordines minores, & ſuſceptis vtendo. probatur *ex capite lector diſ.* 34. quod eſt Martini Papæ.& ratio eſt quia per ordines minores non deputatur homo ita perfecte diuino cultui; vt in ſacris ordinibus;ſed poteſt ab eo reſilire, ergo non eſt ratio cur denegetur Epiſcopo facultas diſpenſandi cum irregulari ad illos ſuſcipiendos. ita D.Tho.Albertus Magnus, Durandus, & alij 20. fere Theologi,& Canoniſtæ,apud Sanch.*n.* 11. quod etiam verum eſt, quamuis ille irregularis tranſeat ad Religionē; quia nullus textus id aſſerit, nec eſt in vſu,vt docent multi Theologi. Palud. Sup. Gabr. Sotus 4.*d* 27.

5 Excipe tamen quando bigamia,quę oritur ex delicto, vt eſt illa interpretatiua, quæ contrahitur ob duplex matrimonium irritum, aut ob vnum irritum,& alterum validum,eſt occulta. tunc.n. poteſt Epiſcopus diſpenſare,etiam ad ordines ſacros,quia Conc. Trid. *ſeſſ.* 24.*de refor.* concedit Epiſcopo facultatem diſpenſandi in omni regularitate occulta,quæ oritur ex delicto, excepta illa quæ ex homicidio voluntario prouenit: vel quando neceſſitas miniſtrorum magna eſſet in Eccleſia, nec aditum facile ad Pontificem pateret, vt probaui in ſimili *lib.* 2.*diſ.* 40. at Palud. ſupp. Gabr. Tabiena *bigamia quæſt. vlt.* Armilla *num.* 9. ibi. abſolute concedunt quando eſt occulta bigamia poſſe Epiſcopum diſpenſare.

6 At in bigamia ſimilitudinaria ſi clericus vnicam, & Virginem duxit, poteſt Epiſcopus diſpenſare; quia hic nec verus, nec interpretatiuus, aut fictus bigamus eſt; ſed ſolum ita dicitur ob aliquam ſimilitudinem, & patet *ex cap.ſane Sacerdotes.de clericis coniugatis.* ibi (*officio ſuo reſtitui poſſunt, & ex indulgentia Epiſcopi ſui habere executionem*) ita ex Theologis Palud. 4. *d.* 27. *qu.* 4. *ar.* 2. *nu.* 12. Petr. Ledeſm. *hic qu.* 66. *a.* 5. Valent. 4. *p. diſ.* 7. *qu.* 19.*p.* 3. Lud. Lopez 2.*p.inſtr.* vbi *de irreg.c.* 22.*in* 1.*ſpecie.* cum Nauar.*ſum.c.* 27 *n.*197. Couar. *clem.ſi furioſus de homic.* 1.*p.*§. 2.Borgaſi *de irreg.p.*5. *tit. de tig. nu.*9. & alijs.

7 Immo ob eamdem rationem non ſolum poteſt Epiſcopus diſpenſare cū Clerico in dicto caſu; ſed etiam cum profeſſo quando non eſt exemptus, vel ſi eſt exemptus, ex licentia ſui ſuperioris ipſi Epiſcopo ſubijcitur.

8 Si vero clericus duplex init matrimonium, aut viduam, vel corruptam accepit, non poteſt cum eo Epiſcopus diſpenſare in officio, ſed in beneficio: quod non poſſit quoad officium patet *ex capite nuper, & capite fin. de Bigamis*, vbi dicitur non licere cum clericis diſpenſare; quod autem poſſit in beneficio probatur *ex capite Præsbiterum diſt.* 28. ibi (*Præsbiterum non legalibus nuptijs detentum cathedram quidem habere, ſed ab officio abſtinere præcipimus.*

9 At ſi Clericus contraxit occultè bigamiam hanc ſimilitudinariam, vel interpretatiuam ineundo matrimonia irrita; vel vnum validum ante ordinem, & vnum irritum poſt ordines, aut vnum irritum ante ordinem, & multa irrita poſt ordines poteſt Epiſcopus diſpenſare ex Concil. Trid. *ſeſſ.* 24.*de reformatione.*

10 Denique nota quod in petitione diſpenſationis, facienda eſt mentio de ſpeciebus bigamiæ v. g. ſimilitudinaria, interpretatiua, & cæt. ſicuti debet etiam explicari gradus affinitatis. non autem de numero matrimoniorum, quia ſolum textus ponderat Bigamiam.

DISPVTATIO LXXXVII.

De pœnis impoſitis ſecundis nuptijs intra annum luctus, ſecundum ius ciuile.

1 NVptiæ intra annum luctus ſunt illæ, quę contrahuntur intra annum primum poſt obitum viri, numerando à die mortis prioris viri, qui etiam cedit ignoranti ex *l. genero ff. de ijs, qui notantur infamia.* Viduis ergo, quæ antequam lapſus ſit annus poſt obitum mariti, aliud contrahunt matrimonium, ſequentes pœnę à iure ciuili imponuntur.

2 Prima eſt, vt tam ipſa, quam vir eam ducens ſit infamis *ex lib. 1. eod. de ſecundis nuptijs*, nec ad hanc pœnam requiritur ſententia iudicis; ſed ſolum ſententia declarans caſum; quo declarato ipſo iure pœna incurritur. ita *ex auth. de nuptijs §. primæ ſi quidem coll. 4.* inferunt; dicitur enim ibi (*infamia mox ſequitur, & erit omnino mulier illa infamis*) particula enim *omnino*, & *mox* important executionem paratam, etiam ſi cum futuro coniugatur, vt docet cum multis Tiraq. *l. ſi vnquam vers. reuertatur cod. de reuoca. donat.*

3 Secunda pœna eſt, vt mulier vltra tertiam partem bonorum ſuorum, quę computanda ſunt, deductis legatis, non poſſit ſecundo viro intra annum luctus accepto in dotem dare, aut in teſtamento relinquere *leg. 1. c. de ſecund. nupt.* neque per donationem inter viuos. licet poſſit vltra tertiam partem extraneo dare, &c. modo non fiat in fraudem, ſcilicet vt hic, cui fit donatio, marito det. vide Gloſſ. Salicetum Alberic. Cynum, Garron. & alios *ead. l. 1.*

4 Quod ſi vxor inſtituat heredem poſteriorem maritum, hic ſecundum Bar. *d. l. 1.* intelligitur ſolum inſtitutus hęres in tertia parte, & ſic mulier in hoc caſu ſpeciali, ex Bart. *d. l. 1.* partim decedet inteſtata, & partim teſtata. Gloſſa verò Cynus, & Salicetus putant tunc virum eſſe hæredẽ in ſolidum; ſed teneri, quod ſupereſt de tertia parte hæredibus vxoris ab inteſtato reſtituere. tertia pœna eſt, vt mulier non ſolum amittat omnia tum quoad dominium, tum quoad proprietatem, quæ à viro relicta ſunt in vltima voluntate, & etiam omnia, quæ accepit titulo donationis, aut alio lucratiuo, non autem oneroſo; ſed etiam fit incapax cuiuſcumque hæreditatis, fideicommiſſi, legati, & donationis cauſa mortis, etiam ab extraneo ſibi relictorum, non autem eorum, quæ Donatione inter viuos relicta ſunt. ita habetur *l. 1. cod. de ſec. nuptijs.* vbi Cyn. *nu. 4 q. 4.* Bald. *n. 3. fin.*

5 Vnde patet, quod niſi hæc pœna fuiſſet de iure canonico correcta, vt dicemus, teneretur vxor ea reſtituere ante omnem ſententiam hæredibus, quibus illa competunt; non autem fiſco. ratio eſt, quia quoties quis redditur incapax aliqua hæreditate, legatis, &c. & illa non applicantur Fiſco, ſed alijs hæredibus inſtitutis, vel ab inteſtato venientibus; nam incapax habetur, ac ſcriptus nõ eſſet, & pro mortuo *leg. 2. ff. de ijs, quæ pro non ſcriptis habentur.* quando vero quis non redditur incapax, tunc applicantur Fiſco (niſi delictum vergeret in offenſam tertiæ perſonæ, tunc .n. illi bona applicantur ex Bart. Salic. Iaſo. & alijs) ratio eſt, quia ea bona, cum fuere acquiſita illi, cui relicta ſunt, & hæredes nullum ius habent, ſi ab hoc auferuntur tamquam ab indigno, ſuccedit Fiſcus. ita Bar. *lege hæreditas num. 3. cod. de his quibus vt indignis.* Bald. Paulus, Salic. & alij ibi.

6 Patet ſecundo virum ducentem viduam intra annum luctus, non amittere ea, quæ relinquuntur à marito, niſi illam cognoſceret extra matrimonium) quia *leg. 1. c. d.* ſolam viduam punit, ſicuti nec alias pœnas incurret vir, ducens vxorem intra annum luctus, quia vir non compellitur vxorem lugere *l. vxores ff. de his. qui notan. infamia*, & docent Nicol. Arelat. *l generaliter n. 8. q. 1. C. de ſecu. nupt.* Ripa *q. 1. c. eod. l. fœmina.* vbi Decius Tiraqu. *l. boues §. hoc ſermone nu. 159. ff. de verb. ſignif.*

7 Quarta pœna eſt, quod vidua hæc

non

non poteſt ſuccedere ab inteſtato cõſanguineis, vltra tertium gradum, & tenetur dare medietatem bonorum ſuorum filijs prioris mariti, *l. Si qua mulier. cod. ad ſenat. conſ.* 3.

Has autem pœnas de iure incurrit vidua, etiam ſi minor ſit, nam *l. d.* 1. loquitur generaliter, modo tamen prius matrimonium fuerit conſummatum, & poſterius fuerit validum, & conſummatum etiam; nam, ſi prius matrimonium fuit ſolum ratum, non incurritur hæc pœna; quia nomine mariti, & nuptiarum, quo vtuntur leges imponentes has pœnas, in odioſis, venit ſolum matrimonium conſummatum, vt dixi *lib.* 1 *diſ.* 1. ſimiliter ſi prius fuit irritum, & ſecundum etiam non incurritur, quia nulla infertur iniuria priori marito; vel ſi poſterius non fuit conſummatum, quia non poteſt dici matrimonium, aut nuptiæ, vt dixi, ſi vero prius fuit validum, & ſecundum irritum neſciente muliere illud eſſe irritum; tunc incurruntur pœnæ in foro externo, ne melior ſit conditio delinquentis, ſic Decius *d. l.* 1. *n.* 4. Garronis ibi *n.* 8. *notab.* 3. Couarr. 4. *decret. 2. p. ca.* 3. §. 9. *n.* 6.

8 Si vero ſit ignara nullitatis, non incurret, quia non præſtat impedimentum; quod iure non habet effectum *regula non præſtat de regulis iur. in* 6. in foro tamen conſcientiæ numquam in hoc caſu incurret, quia non eſſe futuram meliorem delinquentis conditionem ad pœnam ſpectat, quæ ante ſententiam iudicis non ligat.

9 Verum omnes hæ pœnæ prædictæ correctæ ſunt iure Canonico, non ſolum quoad forum Eccleſiaſticum; ſed etiam quoad forum ſeculare; probatur *ex cap. final. de ſecundis nuptijs*, vbi dicitur, quod non debet mulier infra annum luctus nubens ſubſtinere iacturã infamiæ, quia vtitur facultate conceſſa ab Apoſtolo; ergo ſimiliter neque alias pœnas, quia nullum crimen committit, quod verum eſt, ſiue ſtatim poſt mortem viri ſiue poſtea nubat; nam ſemper vtitur iure ſuo, nec peccatum committit. Sunt pro hac ſententia Gloſſ. *l.* 1. *ver. honoraria c. de ſecundis nuptijs*; vbi Bart. Bal. Abbas, Alex. de Neuo *d. c. fin. de ſec. nupt.* vbi Hoſt. Io. And. Ant. Anchar. Cardin. & alij Alberi. *l.* 1. *fin. C. eod. ti.* vbi Salic. Angel. de Peruſi *auth. de non eligendo n.* 6. Corneus *l. ſi qua mulier n.* 1. *c. ad Tertu.* Baptiſta de S Blaſio *in repet. rubr. decreti nu.* 64. Nicol. de Vbald. *de ſucceſſ. ab inteſt. p.* 2. *n.* 8. Bolegni. *in addit. ad Matteſyllan. de ſucceſ. ab int. n.* 19. 4. *t.* 8. *tract. p.* 1. Ant. Gabr. *t.* 3. *com. l.* 3. *t. de ſec. nupt. concl.* 5. Minchaca *de ſucceſſ. prog. l.* 3. §. 27. Valaſ. *conſ.* 16. *n.* 3. *t.* 1. Surdus *de alim t.* 7. *q.* 22. *n.* 15. & alij iuriſperiti: Vtile tamen fuit eas recenſere, quia incurruntur à vidua luxuriosè viuente, vt diſp. 90. dicemus, & à matre tutrice, quæ tranſijt ad ſecundas nuptias non petito tutore filijs vt dif. ſequenti videbimus.

10 Illę vero deciſiones circa viduam nubentem intra annum luctus, quę non ſunt in pœnam ſecundi matrimonij contracti impoſitę, non ſunt correctę; atque adeo infertur primo, quod diſpoſitio *auth. cui relictum cod. de indicta viduit. tollen.* vbi dicitur, quod legatum relictum viro ab vxore, vel vxori à viro, vel vtriſque ab aliquo extraneo ſub ea conditione ſi ad ſecundas nuptias non tranſierit, non poſſit intra annum peti, niſi nulla ſit ſpes nuptiarum; elapſo vero anno poſſit peti dando cautionem, illud reſtituendi cũ fructibus; quando ad ſecundas nuptias tranſiret, qui annus numerandus eſt à Die mortis teſtatoris ex Bald. Iacob. Bellouiſo ibi; non ſit de iure canonico correcta, quia non eſt hęc diſpoſitio pœnalis; nam nulli iuri ciuili aduerſatur. ita Albericus, Baldus, Paulus, *d. auth.* vbi id ſupponunt, & docet Garronis *rub. c. de ſec. nupt. noua edit. poſt* 9. *pœnam n.* 22. quæ Deciſio etiam in Hiſpania ſeruanda eſt. vt probat Burgos de Paz. *l.* 1. *Tauri a n.* 520. cum ſit etiam ibi conſuetudo recepta vt lex.

11 Infertur ſecundo non eſſe correctã communem Doctorum ſententiam, qui dicunt hæredes mariti, qui non reſtituunt dotem intra annum luctus, quando conſiſtit in rebus mobilibus

tene-

teneri alimenta viduæ præſtare; ſi vero illa intra annum nubat non teneri alimenta dare; quia iam ceſſat ratio præſtandi alimenta; nam nouus maritus poteſt illa præſtare (at ſi adeo pauper eſſet vt illa non poſſet, tunc hæredes tenentur, quia ceſſat ratio) vt docent Couar. Ant. Cucus, Nauar. & alij, nec etiam tenentur ſoluere intereſſe dotis non reſtitutæ intra illum annum: ratio eſt quia non tenetur ſoluere intereſſe, qui non eſt in mora, ſed hęredes non reſtituendo dotem intra annum, quam reſtituere non tenebantur, niſi poſt annum, non ſunt in mora; ergo &c. vide Garronem *rubrica c. de ſecundis nupt. in noua edit.*

12 Tertio infertur, caſum, in quo vidua tenetur reſtituere veſtes lugubres traditas ſibi ex bonis prioris mariti, quando tranſit ad ſecundas nuptias, intra annum luctus, non eſſe correctum iure canonico; quia non eſt conſtitutum hoc in pœnam ſecundarum nuptiarum. ita Ant. Cuc. *l. 5. inſt. mai. ti. 12. nu. 190.*

Caſus autem eſt iſte, quoties hæredes tenentur alere viduam, tunc tenentur dare etiam veſtes lugubres, quas, ſi mulier tranſit ad ſecũdas nuptias intra annum luctus, non tenetur reſtituere; nam ſicuti alimenta ſemel data non debent reſtitui, ita neque hæ veſtes debent reſtitui, quæ veniunt nomine alimentorum *l. verbo victus ff. de verb. ſignificatione*: ſi vero hæredes non tenentur alere mulierem; tũc vxor tranſiens ad ſecundas nuptias tenetur intra annum luctus reſtituere veſtes lugubres pretioſas; alias vero non tenetur; nam cenſentur donatæ ſic Barboſa *in leg. quæ dotis ff. ſolu. mat.* cũ multis, quos ibi citat. verũ alij alio modo in hac re dicũt. vide Cou. 4. *decr. 1. pat. c. 3. §. 9.* Perez. *lib. 1. ordin. tit primo lege 7. verb. veſtir de luto*, Lud. Lop. *ſecunda par. de mat. cap. 81. col. 4.* & alios.

13 Quarto infertur lectum quotidianum reſtituendum eſſe hæredibus cõiugis Defuncti quando alter tranſijt ad ſecundas nuptias intra annum luctus, etiam de iure Canonico, quia eſt mere pœnalis diſpoſitio illa *lib. 3. fori Regij tit. 6. lib. 6.* vbi dicitur quod ſiue viro, ſiue vxori ſuperſtiti debet relinqui lectus quotidianus, (qui non eſt ſericus, & pretioſus, quo vſi ſunt tempore matrimonij, ſed qui ſit conueniens ſtatui viduali) ex Gutier. *inf. cit.* & tranſeunte ad ſecundas nuptias cõiuge ſuperſtite, debere reſtitui hæredibus defuncti. vide Io. Lupum *l. 15. Tauri num. 6.* Salazar *in trac. de vſu, & ſtylo cap. 2.* Gutt ier. *l. 2. prac. qu. 95.* Aluara *de coniecturata mente l. 4. c. 2.* Tauallos *prac. qu. 1.* vbi habes non eſſe dãdum lectum ſi defunctus non ſit ſoluẽdo; & eſſe quoad medietatem reſtituendum, ſi ex communibus bonis ſit datus. & alia huc ſpectantia.

DISPVTATIO LXXXVIII.

De Pœnis a Iure Ciuili impoſitis ſecundis nuptijs in fauorem filiorum prioris mariti, & quæ ſint correctæ.

1 SEcundæ nuptiæ non ſolum dicuntur illæ, quæ verè ſecundæ ſunt, ſed etiam tertiæ, quartæ, & deinceps reſpectu precedentium. ita *l. hac edicta ti. 6. c. de ſecundis nuptijs.* ibi (*ad ſecunda vel tertia, aut vlterius repetiti matrimonij vota migraueris*) & doctores cõmuniter docent. ſecundis ergo nuptijs in ea ſignificatione acceptis multę ſunt pœnæ impoſitæ in fauorem filiorum in præcedenti coniugio procreatorum, quas hic referemus.

2 Prima pœna eſt vt eo ipſo quod cõiux tranſit ad ſecundas nuptias amittat proprietatem bonorum, quæ conſequuta eſt a coniuge defuncto, & ſolum retineat vſum fructum. de qua late dicemus diſputatione ſequenti.

3 Secunda pœna, vt non poſſit in dotem dare marito, aut vir dare vxori, nec alio titulo ei relinquere pluſquã dederit vni ex filijs prioris mariti, aut vxoris, cui minus dedit; computatis in eo, quod datum eſt, non ſolum quæ filius habuit in teſtamento Parentis; ſed etiam quæ habuit ipſo viuente v. g. ſi filius coniugis centum

ha-

habuit à matre in vita, & centum in teſtamento: mater poteſt ſecundo viro ducenta relinquere. ita *l. hac edit. cod. de ſecundis nuptijs*, & docet Angel. *auth. de nupt.* quod ſi plus dederit, irritatur talis donatio non in totum, ſed in illud plus *ex d. l. hac edictal.* immo ſi coniux vnum tantum filium habeat, qui ſit incapax ſucceſſionis &c. tunc omnia poteſt ſecundo coniugi dare, quia filius incapax reputatur, ac ſi eſſet mortuus. *lege ſi neceſſe §. deportatus ff. de bonis lib.* vbi Angelus.

4 Tertia pœna eſt, vt mater tranſiens ad ſecundas nuptias, ſtatim amittat tutelam, vel curam filiorum ipſo facto; ſiue ea ſit dataria, nempe in teſtamento relicta, ſiue legitima, nempè ex diſpoſitione legis, quando non eſt alius tutor datus, niſi pater diſponat in teſtamento, vt mater etiam ad ſecundas nuptias tranſiens ſit tutrix, quia tunc fides eius probata eſt ab ipſo teſtante probatur prima pars, quia licèt *Auth. Sacramentum c. quando mulier dicatur contractis ſecundis nuptijs expelli eam conuenit.* tamen ibi non loquitur, quod deſideretur ſententia iudicis; ſed de expulſione facti, hoc eſt ipſo iure expellitur mulier, ita Bar. *lege ſi quis ſub conditione ff. de teſtam. tutel.* Corneus *l. omnem n. 2. c. ad tert.* vbi Bal. *n. 7.* Paulus *n. 1.* Salyc. *n. 4.* Abb. *c. ex parte M. de appel.* vbi Decius *in noua edit. n. 5.* Bellamer. *n. vlt.* Greg. Lopez. *l. 5. tit. 16. pa. 6. v. el mas cercano*, & alij cum Nauarra *c. 25. n. 67. Summæ.* dicente matrem peccare mortaliter retinendo tutelam, vbi ſecundo nupſerit.

Secunda vero pars, quod tam tutelam teſtamentariam, quam legitimam amittat probatur ex *cap. ſin autem verſ. nos autem auth. de nuptijs colla. 4.* vbi mater tutrix ſimpliciter equiparatur illi, quę intra tempus luctus tranſit ad ſecundas nuptias; ſed iſta ab omni tutela remouetur vt pote infamis, & ſuſpecta; ergo etiam mater tutrix tranſiens ad ſecundas nuptias ab omni tutela priuatur Gloſſa *l. omnem c. ad tert.* vbi Bart. Bald. Albericus Salyc. Garron. *auth. eisd. pœnis c. de ſec. nupt.* Guido *deciſ. 539.* Sylua. *nupt. l. 2. v. viduæ non eſt n. 50. Boer. dec. 124. n. 12.* Baeza *de deciſ. tutoris c. 4. n. 51.* Molina *l. 1. de primo. c. 9. n. 49.* & alij.

5 At adhoc vt mater priuetur tutela debet contrahere verum matrimoniũ licet non ſit conſummatum; quia leges introducentes hanc pœnam, ſolum ponderant matrem fregiſſe fidem, quã dedit cum accepit tutelam, non tranſeundi ad ſecundas nuptias; & ſuſpicionem malæ adminiſtrationis, quę etiam in matrimonio non conſummato inueniuntur; ſic Bal. *d. l. omnem n. 10. c. de ſec. nupt.* quamuis *c. ex parte m. d.* putet amitti per matrimonium irritum.

6 Contra verò ſi ſolum contraheret ſponſalia, non incurreret hanc pœnã, quia non verificatur tranſijſſe ad ſecundas nuptias; nam pœnæ non ſunt extendendæ. vide Menoch. *de arbitrar. l. 2. 151. n. 7.* Guttier. *de tut. 1. p. c. 9.*

7 Hæc autem pœna amittendæ tutelæ non extenditur niſi ad matrem, quare Pater ſi ſit legitimus adminiſtrator bonorum filij familias (quo caſu habet vſumfructum bonorum remanendo proprietatem apud filium, nec tenetur reddere rationem de adminiſtratione) ſi tranſeat ad ſecundas nuptias non amittit adminiſtrationem, vt docent omnes; neque etiam ſi ſit tutor, (quo caſu tenetur reddere rationem, vt docet. Pinel. *lib. 1. p. 2. n. 6. de bon. mater.* amittit tutelam tranſiens ad ſecundas nuptias; quia non eſt lex loquens de patre, nec militat eadem ratio, quæ militat in matre; nam amor Patris maiori iudicio roboratur, quam amor mulierum. ita Bal. *auth. eisdem pœnis c. de ſec. nupt.* Ang. *l. ex facto ff. de vulga.* Fulgoſ. Corn. Imola apud Pinel. *l. fin. n. 15. c. de bon. mat.* Minchaca *de ſuc. crea. lib. 2.* contra Calaſſa. *in conſuet.* Burgu. *rub. 6. §. 8. n. 2.* & Ripam *l. fin. c. de reu. donat.*

8 Quarta pœna eſt, vt mater, quę contra promiſſionẽ factã nõ trãſeũdi ad ſecundas nuptias in acquiſitione tutelę, tranſijt ad ſecundas nuptias; non prius petito tutore filijs, nec reddita ratione adminiſtratæ tutelæ, ſi ſit maior (nam

ſi ſit

si sit minor non contrahit has pœnas etiam si male fecerit accipiendo tutelam minor, vt Bald. & Garronis *loc. cit.* docent cum alijs multis) incurrat omnes pœnas, quas *disp. præced.* enumeraui mus; quia ita decernitur *auth. de nuptijs §. si autem coll. 4.* nam licet hodie mater accipiens tutelam non promittat cum iuramento abstinere se à secundis nuptijs; tamen hæ incurruntur, quia sunt positę ob malam administrationem, ex eo quia non petiuit tutorem filijs. vide Baldum *Auth. eisdem pœnis co. de secundis nuptijs*. Ant. Gabr. *t. 3. com. l. 3. t. de sec. nup. concl. 9.*

9 Vnde patet, quod si mater sit executrix testamenti, vel habeat facultatem à viro priori testandi, non cessat ab his muneribus ob secundas nuptias, nullus .n. textus inuenitur, qui id decidat, nec omnia, quæ de tutela dicuntur, debent intelligi de executione testamenti, vt patet *ex lege cum pater §. hæreditatem ff. de legat. 2. iuxta l. si arrogat. ff. de tutel.* vbi tutela finitur deportatione, non autem officium executionis, vel electionis. ita Bar. *l. a filij nu. 2. ff. de alienat. & cibarijs* Baldus, *d. auth. eisdem pœnis* Dec. *l. 2. ff. de reg. iur.* Couarr. *c. tua u. 3. de testam.* Greg. Lopez. *l. 2. v. frailes tit. 10. p. 6.* contra Guill. Ben. *c. Raÿnun. v. qui cum alien. n. 203. de test.* Luc de Penna *l. quoties c. de priu. scho l. lib. 12.* & numerant pro quinta pœna, & alij multi.

10 Sexta pœna est, vt quamuis filij sint potius educandi apud matrem, quam apud alios consanguineos ex *l. 1. co. vbi pupilli educari debeant*, tamen oritur præsumptio de iure contra illam suspicionis malæ educationis, quare iudex videre debet, an mater, & vitricus sint adeo benemorati, vt potius apud ipsos filij sint educandi, quam apud alios consanguineos. ratio est, quia *in dicta l. 1.* dicitur potius apud matrem, quam apud alios consanguineos educandos esse filios, & additur *si non vitri cum eis induxerit*, hoc est nisi ad secundas nuptias transierit, & subiungit *(quãdo autem inter eam, & cognatos, & tutores super hac orta fuerit dubitatio, aditus præsens prouinciæ inspecta personarum qualitate, & conditione, perpendet vbi puer educari debeat)* vbi vides quod quando oritur dubitatio circa matrem nuptã, iudex debet operam suam interponere, nã ly ad eam refertur ad matrẽ iam nuptam, particula enim is, ea, id, talis est naturæ, vt restringat præcedentia cum omnibus suis qualitatibus, vt docet Menoch. *cons. 390. n. 13. vol. 4.* ergo cum prius agatur de matre iam secundo nupta, ly eam, ad ipsam nuptam debet referri. ita Alber. *l. 1. c. vbi pupilli.* Baldus *l. omnem n. 11. co. ad Tertu.* Paulus *l. si paterno 25. n. 3. c. de neg. gest.* Vincentius de Francis *dec. neap. p. 2. dec. 350. n. 3.* Caldas *l. si curatorem n. 100. cod. de in integ. resc.* Surd. *de alim. t. 4. q. 13. n. 18.* & ita decisum est in Tribunali granatensi. Quare Iudex habente matre pares qualitates, cum cæteris consanguineis illam debet prę ferre; quia strictior est in gradu, quod etiam verum est, quamuis mater succes sura sit in hæreditate filijs; quia licet tunc maior sit coniectura suspicionis, vt cit. DD. volunt. tamen potest euenire, vt sit adeò bonis moribus &c. vt suspicio abolea tur. ex Roma *cons. 47. n. 1.*

11 Sunt tamen multi, qui putant matrem secundo nubentem, siue suspecta sit, siue non, priuari educatione filiorum, mouentur *ex dicta l. 1.* vbi volunt ea verba non extendi ad matrem secundo nuptam. ita Anchar. *cons. 136. in causa quæ vertitur n. 4.* Ruin. *con. 87. vol. 5.* Aimon. *cons. 18. n. 3. vol. 1.* Guido *dec ij. 539. n. 1.* Garron. *rubr. c. de sec. nupt. in noua edit. n. 16.* Menoch. *de arbi. centu. 2. casu 168.* quorum sententia est probabilis.

12 Illud tamen est certum in vtraque sententia hanc pœnam non includere Patrem, & in quacumque sententia matrem non ipso iure priuari educatione liberorum; sed opus esse iudicis sententia, nam nullus est textus id decidens, nec aliquis Doctor id affirmat.

13 Septima pœna est, vt mulier secundo nubens, non gaudeat priuilegijs honoris, & dignitatis, quibus gaudebat vidua permanens ex Tiraq. *de nob. c. 18. nu. 9.*

*nu.*9. nam non cenſetur eſſe ſub priori marito, dum alium recipit *l. mulieres C. de Idignit.* 12.

Octaua eſt, vt filius ex alijs bonis, quam ex bonis Patris, non teneatur matrem pauperem dotare, ad hoc vt ad ſecundas nuptias tranſeat; quia licet pauperi teneatur alimenta præſtare, & ſi ſecundo ſit nupta; tamen non tenetur dotem dare; ad hoc, vt nubat, quia ſecundum matrimonium cedit in iniuriam filiorum; niſi tamen eſſet periculum incontinentiæ, ſiue ſit iuuenis, ſiue non: quia tunc de duobus malis minus eſt eligendum. ita Nouellus *de dote 6.par.priuil.* 16.*num.* 5 Bartolinus *l.* 1.*num.* 82. *ff. ſol. matrim.* Tiraq. *de iure primo quæſt.* 62. *num.* 12. Boerius *dec.* 129. Guil. Benedic. *cap. raynuntius. de teſtam. v. dotem. num.* 70. Baeza *de non melior. fil. cap.* 12.*num.* 49. Bald. *l. vni. cap. de in offi. dot* Corraſius *l. qui liberos. ff. de rit. nupt. num.* 115. qui duo putant non teneri, etiam ſi ſit periculum incontinentiæ.

14 Dixi filius diues ex alijs bonis, quam paternis, nam in bonis Paternis mater pauper ſuccedit in quarta parte *auth. præterea cap. vnde vir.* & docent prædic. Doctores.

15 Nona eſt, vt mater non poſſit reuocare donationem factam filio ob ingratitudinem, quia præſumitur facere id ob amorem ſecundi mariti; niſi ingratitudo ſit vna ex his tribus. prima, ſi vitæ matris insidias parauit. ſecunda, ſi manus in eam intulerit: tertia, ſi omnibus eius bonis iacturam molitus ſit. ita *l. his ſolis cap. de reuoc. donat. & auth. quod mater c. eod. tit.* vnde cum textus loquatur de matre, nec par ſit ratio in patre, is non incurret hanc pœnam. ex Gloſſ. *d. auth. quod mater. fine.*

16 Decima pœna eſt, quod Pater ſi ab Auo rogetur, vt reſtituat hæreditatem filijs; tenetur ſatis dare de ea reſtituenda, ſi ſecundam vxorem ducat *l. iubemus §. in ſupradictis cap. ad Treb* & cautionem dare de bono vſu bonorũ aduẽtitiorum filij, quorum habet vſufructum *l. hac, §. hic igitur ca. de ſecundis* ſic Pinellus *l.* 1.*p.* 2.*nu.* 31. & 75. *cap. de bon. mater.*

Examinantur an veræ ſint duæ pœnæ a Doctoribus impoſitæ.

17 PRæter poſitas pœnas, duæ etiam aliæ ab aliquibus Doctoribus ponuntur; prior eſt, vt mater non poſſit exemplariter ſubſtituere filio ſurdo, & muto, aut mente capto C. *quod poſſet ſi ad ſecundas nuptias non tranſiiſſet. l. humaniter c. de impub. & alijs ſubſt.*) ducuntur præcipue ex eo, quod in lege dicta conceditur matri talis ſubſtitutio ob humanitatem; at mater ſecundo nubens oſtendit ſe filiorum inimica, & nouerca. ſecundo quod ipſa priuatur tutela, vt ſuſpecta, etiã ſi tutela ſit in fauorem filiorum: ergo etiam debet priuari hac facultate, etiã ſi hæc facultas ſit data in fauorem filiorum, ne abſque hærede decedant. ita tenet Bartolus *l. ex facto nu.* 12. *ff. de vulg.* Alex. Angelus *in practica tit. de forma libel. v. exemplariæ col.* 3. Barth. de Hucio *trac. ſubſt. cap.* 3. *de exem. nu.* 7 *in tom.* 8. *trac.* Paul. Leonius *de ſubſt. vbi de exem. num.* 47. *eod. tit.* 8 Hier. Viuius *repet l. ex facto nu.* 240.

18 Aliqui tamen limitant hanc ſentẽtiam, & tunc volunt ſubſtitutionem hanc vulgarem valere, quando mater transiens ad ſecundas nuptias pie, & honeſte ſubſtituit. ita Ang. de Aretio *inſt. de pupil. §. quæ ratione nu* 8. Rolandin. *de teſt. rubr.* 25. *de exemp. n.* 10. *tom.* 8. *trac. p.* 1. Guil. Ben. *ca. Raynũtius v. ſi abſque liberis* 2. *de exempl. nu.* 16. & alij. mouentur, quia hæc ſubſtitutio humanitatis cauſſa introducta eſt, ergo vbi humaniter fit, valet, vbi vero inhumaniter, non valebit, & ſane ambæ ſententiæ ſunt valde probabiles.

19 Probabilior tamẽ ſententia eſt, matrem non priuari tali facultate, quia non eſt æquum illam priuari hac poteſtate, quæ cedit in filiorum fauorem & quamuis priuetur tutela, ideo eſt quia licet tutela vt ſic, cedat in fauorem filiorum; tamen tutela matris ſecũdo nuptæ, ob ſuſpicionẽ nõ cedit

in eorum vtilitatem. Adde quod Iudex dat alium tutorem idoneum loco matris ſuſpectæ, at non poteſt facere, vt alius ſubſtituat loco matris mente captis &c. ita Baldus *l humanitatis cod. de imp. & alijs ſubſt.* vbi Corne. *nu.* 7. Salyc. *nu.* 15. *qu.*2. Imol. *l. ex facto. nu.* 19. *ff. de Vulg.* vbi Ripa *nu.* 67. Iaſo. *nu.*25. Hier. Viuius dicens hanc eſſe iure veriorem *nu.* 230. *l. cit.* Barbatius, Corneus, Ripa. Iaſon. & alij multi.

De Patre vero tranſeunte ad ſecundas nuptias non eſt dubium quod poſſit exemplariter ſubſtituere. ita Alex. Angel. *d. l. ex facto* Hieronimus viuius, & alij. cit.

20 Verum dato caſu, quod prior ſententia eſſet vera, tamen ſi mater tranſiens ad ſecundas nuptias prius ſubſtituit vulgariter; non irritatur ſubſtitutio per ſecundum matrimonium; quia ceſſat ſuſpicio, quando ſubſtitutio eſt facta, antequam ſecundum matrimonium ſit contractum. ſic Bal. *d. l. humanitatis num.* 35. vbi Salyc. *qu.* 3. *nu.* 16. Cumanus *d. l. ex facto num.* 18. Hier. Viuius *num.* 23. Bertach. *in reper. lit. S. v. ſubſtitutio exemplaris.*

21 Poſterior pœna ab aliquibus poſita eſt, vt mater excludatur a ſucceſſione filij, per ſubſtitutionem Pupillarem tacitam.

Ad intelligentiam huius pœnæ ſciẽdum eſt, quod Pater poteſt ſubſtituere hæredem Pupillo exiſtenti in ſua poteſtate, & non recaſuro in alterius poteſtatem, expreſſe ſcilicèt, & tacite; expreſſe, quando verbis expreſſis, vt ſi dicat filium meum hæredem inſtituo, & ſi intra pupillarem ætatem deceſſerit, Caium ſubſtituo, & tunc decedente pupillo intra ætatem pupillarem Caius ſuccedit in hereditate, excluſis omnibus alijs, etiã matre. Tacitè vero ſubſtituit, quãdo non exprimit illam cõditionem: ſi ſub pupillari ætate diſceſſerit, ſed ea intelligitur, vt ſi dicat, filium meum impuberem hæredem inſtituo, & ſi hæres non erit Caiũ ſubſtituo: tunc de iure *l. iam hoc iure ff. de vulgari*, decedente pupillo in ætate pupillari ſuccedit etiam ſubſtitutus, & excludit alios conſanguineos; ſi vero mater eſt viua, non ipſe ſuccedit, ſed mater, quando non ſunt ſufficientes coniecturæ teſtatorem voluiſſe matrem excludere, vt docent omnes *l. precibus cap. de impub. & aliis ſubſt.* vult ergo hæc ſententia, quod mater tranſiens ad ſecundas nuptias non ſuccedat filio, ſed ſubſtitutus in hac ſubſtitutione pupillari tacita ob iniuriam, quæ infertur marito; & filiis. ita Angelus de perus. *l. v. ff. de vul. §. fin. l. precibus num.* 5. *c. de impub.* vbi Dec. *num.* 19 Corn. *con.* 28. *num.* 3. Menoch. *de præſ. l.* 4. *præſ.* 39. *num.* 65. Marc. Aquili *l. Centurio p.* 4. *num.* 198 *ff. de vul.* alios refert.

22 Sed probabilius eſt matrem ſuccedere, & non ſubſtitutum in pupillari tacita; quia nullo iure priuatur tali ſucceſſione; ergo non debemus id aſſerere; nam in materia ſucceſſionis valet hoc argumentum; non reperitur lex, ergo non debet induci priuatio ſucceſſionis · *auth. de non ligando ſecundo nubentes § cum igitur c de ſecundis nuptiis*. ita Alex. Aretin. Imol Iaſon: *l. 2. ff. de Vulg.* Garron. *rub. cod. de ſec. nupt. num.* 44 *in noua edit. pœna* 20. Lancel Polyt. *tr. ſubſ.* vbi *de vul. parti. 6. q.* 7. *num.* 44. *in to.* 8 *tractatuum par.* 1. Decian. *con.* 82. *num.* 37.

23 Niſi tamen ſint coniecturæ teſtatorem voluiſſe excludere Matrem ſecũdo nubentem, vt ſi reliquerit vxori legatum ſub conditione non tranſeundi ad ſecundas nuptias, vel ſi legatum reliquit annuum, dum vxor vitam vidualem ſeruauerit, nam licet non valeat argumentari: ſecundum ius excluditur a legatis, ergo à ſucceſſione, vt docet Imola, Ripa, & Lancell· Politus; valet tamen in indaganda diſpoſitione teſtatoris, v. g. noluit dare legatum ſi ſecundo nuberet: ergo multo minus totam hereditatem, ſic tenent Menoc. *de præſ. l.* 4. *pr.* 39. *num.* 58. Bald. *l. precibus num.* 13. *cap. de impub* Garr. *loco cit.* Mantic. *de conie. vltim. lib.* 5. *t.* 15. *a num.* 13. Guil. Bened. *cap. Raynuntius. de teſt.*

de teſt. v. ſi abſque liberis vbi de pupil. nu. 94. Garro. & alij.

24 Denique aduerte, quod licet non valeat pœna, etiam iuramento poſita non reſiliendi à ſponſalibus, v. g. ſi quis dicat: ſi matrimonium hoc non contraham tecum, voueo me ingreſſurum Religionem, caſtitatem & cęt. *vt lib.* 1. *diſ.* 30. diximus: tamen ſi coniuges ſe obligant ad nõ tranſeundum ad ſecundas nuptias illo matrimonio diſſoluto, & pœnam imponunt, pœna valebit, & eos ligat quia *cap. gemma de ſponſ. & l. Titia ff. de verb. obligat.* ſolum dicunt non valere pœnam, qua quis ſe obligat ad ineundum matrimonium; ne metu pœnæ coactè illud ineat; at in caſu noſtro pœna imponitur, vt à ſecundis nuptijs abſtineant in quo Caſu nullus textus eas irritat; immo conditio abſtinendi a ſecundis nuptijs valida eſt, & admiſſa iure ciuili *auth. cui relictũ c. de ind. viduitate.* quãuis Garron. *loc. cit.* putet non valere. *cum deciſ. Tholoſſ.* 292.

25 Quæres quam pœnam poſitam in fauorem filiorum Ius Canonicum correxit. Reſpondeo nullas pœnas eſſe correctas, atque adeo fœminam ſecundo nubentem poſt annum luctus incurret omnes prędictas pœnas, quia hæ non sũt meræ pœnæ, vt ſupra diximus, ſed potius filijs conſultum eſt iuſtiſſime, & cum magna prouidentia; nam aliquando Parentes ad ſecundas nuptias tranſeuntes amittunt amorem filiorum prioris coniugis, & omnes potius odio habent; eſt ferè communis omnium Doctorum ſententia, Gloſſ. *l.* 1. *verſ. honoraria cap. de ſec. nuptijs* vbi Cyn. Baſt. Bal. Alber. Salyc. Innoc. *ca. fin. de ſec. nupt.* vbi Hoſt. Ioan. And. Ant. Card. Anchar. Alex. de Neuo. Henric. & alij ſcrib. Matt. de Aff. *deciſ. Neap.* 75. *nu.* 5. Roma *cap.* 282. *nu.* 1. Paris. *conſ.* 29. *num.* 8. *vol.* Bilogninus *addit. ad matthen. de ſucc. ab int. art.* 2. *mem.* 1. *num.* 31. Nicol. Arelatan. *in reſ.* 1. *num.* 3. Rebuff. 1. *t. conſt. tit. de conſtit. gl.* 5. *num.* 66. *in proem.* Montal. *l.* 3. *fori tit.* 1. *l.* 13. *v. pierda* Fuluius Pacianus *de prob. lib.* 2. *cap.* 3. *nu.* 88. & alij, quos citat Sanchez. hic *a num.* 39.

DISPVTATIO LXXXIX.

Quomodo coniux ad ſecundas nuptias tranſiens teneatur ſeruare filijs prioris coniugis bona habita a coniuge Defuncto.

COniux ad ſecundas nuptias tranſiens tenetur ſeruare filijs prioris matrimonij bona nabita a coniuge defuncto, poſitis ſequentibus conditionibus.

1 Vxor tranſiens ad ſecundas nuptias tenetur totum id, quod habuit a primo marito aliquo titulo lucratiuo ſeruare filijs prioris mariti, retento ſibi ſolum vſufructu (quem non tenetur illis ſeruare) non ſolum quando tranſit ad ſecundas nuptias poſt annum luctus, vt iura citanda dicunt; ſed etiam intra annum luctus; nam militat maior ratio. ita *ex l. fœminæ cap. de ſecundis nuptijs l. hac edictali §. his illud c. eod. tit.* & alibi; quod adeo verum eſt, vt ſtatim ac ad ſecundas nuptias tranſierit, nulla expectata ſententia iudicis talium rerum dominium deueniat ad filios prioris mariti, vt habetur *auth. de nuptijs §. ſi vero expectet coll.* 8. *& d. l. fœminæ*, non enim hæc diſpoſitio eſt mere pœnalis, inducta ſolum ob iniuriam illatam priori viro, & filijs, ſed eſſe in fauorem filiorum. vide Nicol. Arelati *l. generaliter in noua editione num.* 93. Ant. Gabr. *tomo.* 3. *commun. opinion. lib.* 3. *tit. de ſecundis nuptijs conclus.* 1. *num.* 10. Io. Lup. *l.* 15. *Tauri nu.* 10.

2 Quæ bona ita ſeruari debent filijs prioris matrimonij, vt non poſſit mater in his vnum filium præferre dando v. g. maiorem quantitatem vni, vel illum Heredem inſtituendo; ſed debent æqualiter inter illos diuidi, quamuis illa bona mulier non immediate a viro accepiſſet; ſed a filio, qui ſucceſſit Patri, & eo defuncto mater ſucceſſit. ita *auth. lucrum cap. de ſecundis nuptijs* (*lucrum hoc æqualiter*

inter liberos diſtribuitur, non arbitrio parentis permittitur) & cum hoc ius nullam faciat diſtinctionem; ſed abſolutè priuet matrem proprietate, quando tranſit ad ſecundas nuptias, debet etiam dici, quod priuet etiam illam hac poteſtate præferendi filios. ita videtur ſentire Sylu. *nuptial.l.2. v. diuiti non eſt nubendum n. 71, ampl. 1.* Ant. Gomez. *l.* 14. *Tauri nu.* 2. Matien. *l.* 5. *rec.t.1.l.3.glo.2.n.42.* Molin. *t.1.de iuſt. tr.2.diſ.163. col. 3.not.3.* quæ diſpoſitio ſeruatur etiam in Regno Hiſpaniæ, nec eſt correcta per *legem Regiam* 29. *Tauri*, quia loquitur de bonis proprijs matris (*puedã ſeñalar en cierta, coſa o parte de ſu haziẽda el tercio y quinto de mejora*) & ſupponunt Doctores Hiſpani communiter.

3 Hinc deducitur primo deciſio huius caſus, quidam v. g. Titius habuit quatuor filios, vnum ex illis prætulit in tertiam partem bonorum ſuorum, & vxorem inſtituit hæredem quintæ partis: mortuo viro vxor tranſit ad ſecundas nuptias, & per conſequens debet filijs quintam illam partem, quã habuit à marito. nunc quæritur an hæc quinta pars debeat æqualiter inter quatuor filios diſtribui? Reſpondeo negatiue, ſed prius de hac quinta parte debet accipi tertia pars, & dari illi, quia Patre fuit prælatus in tertia, & id, quod ex quinta, remanet diſtribui in quatuor partes, ita vt etiam illi filio prælato in tertia detur ſua pars. ratio eſt quia *in origin.d. auth. lucrum* ſunt hæc verba (*ſecundum portionem vniuscuiuſque*) ergo deberent ſuccedere ſecundum portionem, ſecundum quam fuerunt inſtituti a Patre, ſed à patre fuerũt inſtituti inæqualiter, vnus enim prælatus eſt in tertia, ergo etiam inæqualiter ſuccedent. ita duo iuriſtæ Granatenſes.

4 Secundo deducitur matrem non poſſe alienare hæc bona, nam non habet eorum dominium; ſi vero alienat, filij, ipſa viuente, non poſſunt reuocare alienationem *ex §. ſed quòd ſancitum eſt auth. de nuptijs*; vbi Textus ait (*non vt prohibeant eos* (nempe filij Parentes) *aliqua agere in ijs* (nempe in bonis quæ ſeruare debent) *quæ voluerint, erubeſcit n. lex caſtigatores filios genitoribus ſtatuere*.

5 Si vero parens conſumpſit, tenentur hæredes illius, dare filijs æſtimationem; modo non perierint ſine cul pa ipſius Parentis, aut hæredum: tunc enim filijs perierunt, & nil debetur. ita Baldus *l. generaliter. C. de ſec. nuptijs* vbi Nic Arelat. *n.* 116. *in noua edit.* Ripa *l. fœminæ C. eod.* vide etiam Gregorium Lopez *l.* 26. *Tauri* An. Gomez. *l.* 15. *Tauri nu.* 5. Couar. 1. *var. c.* 8. *n.* 61.

6 Deducitur tertio quatuor requiri conditiones ad hoc vt detur talis reſeruatio bonorum in priori matrimonio acquiſitorum.

Prima vt mater tranſeat ad ſecundas nuptias; ſecunda, vt bona ſint acquiſita ex patrimonio coniugis defuncti. Tertia vt extent filij prioris matrimonij. circa quas conditiones plura explicanda ſunt.

Circa primam conditionem.

7 ADuerte ea, quæ diximus non ſolũ intelligi de matre tranſeunte ad ſecundas nuptias, ſed etiam de Patre *Auth. de nuptijs coll.* 4. *§. ſi vero expectet* ibi (*hæc communis mulieris, & viri multa ſit poſita*) & docent quam plurimi Oldrad. *conſ.* 33. *nu.* 2. Azo. *ſum. de nup. num.* 14. Paulus *l. mater. nu.* 3. *c. ad Tert.* vbi Ang. de Perus. Hoſt. *ſum. t. de ſec. nup. num.* 5. Areti *inſt. de ſene. conſ. Tertulli. §. præferuntur nu.* 16. Cifuentes *l.* 15. *Tauri n.* 2. Gomez Arias *l.* 12. *Tau.* Ant. Gomez *l.* 15. *Taur. nu.* 4. vbi Tello *n vni.* Ripa *l. fœmininæ c. de ſecun. nup.* vbi Bart. Bald. Villalobos *in ſuis com. opin. lit. B. nu.* 42. & alij: immo idem dicendum erit in Auis, Proauis, & alijs aſcendentibus reſpectu nepotis, & cęterorũ deſcendentium; debent enim omnia quæ a coniuge præmortuo titulo lucratiuo acquiſierunt, deſcendentibus illius diuidenda tradere, quando ad ſecundas nuptias tranſeunt *ex l. fœminæ §. illud C. de ſecundis nuptijs*. ibi (*nullam ex priori matrimonio ſucceſſionẽ ha-*

habuerit) l. in quibus c. eod. tit. (filio vel filiæ nepote, vel nepte, & vel pluribus de relictis) & docent multi iurisperiti cũ Angelo, Aret. Hoſt. Ripa, Caſtillo, & alij apud San. n. 12.

8 Poteſt tamen Pater retinere vsũfructum, qui toto vitæ ſuæ tempore durat, nec extinguitur ex eo, quod filij, vel nepotes emancipentur *l. fœminæ c. de ſecundis nuptijs.* ibi *(poſſidendi atque fruendi in diem vitæ)* ſic Azebed. *leg. 5. recop. tit. 1.*

9 Quod ſi prius matrimonium fuit irritum, & filij fuerunt legitimi ob parentum bonam fidem, debent & ipſi ad ſecundas nuptias tranſeuntes, filijs bona habita ab altero coniuge reſeruare; contra vero ſi fuerunt illegitimi, non debent, ſicuti neque tenentur reſeruare quando poſterius matrimonium non eſt conſummatum, quia *dicta l. fœminæ*, & cæteri textus de nuptijs loquũtur, nomine autem nuptiarum in pœnalibus venit matrimonium conſummatum. ex dictis *l. 1. diſ. 1.*

At ſi poſterius matrimonium eſt irritum, & hoc ſcienter à coniuge contractum eſt, debet poſt ſententiam iudicis reſtituere bona, vt dicemus *diſput. ſequenti*, ſi vero ignoranter eſt contractum, non debet bona reſtituere vt dixi *diſp. 78.* in simili.

Circa ſecundam conditionem, vt ſcilicet bona ſint acquiſita ex patrimonio prioris coniugis defuncti.

10 ADuerte primo, quod ſi maritus vxori, vel vxor marito legatum relinquat, tenetur tranſiens ad ſecundas nuptias filijs prioris matrimonij reſeruare, ita *l. fœminæ c. de ſecundis nuptijs.* ibi *(teſtamenti iure directo, aut fidei commiſſi, aut legati titulo)* nec obſtat *auth. ex teſtamento c. de ſecundis nuptijs.* vbi dicitur, quod ſi filius legatum Patri, vel Matri relinquat, ille, vel illa tranſiens ad ſecundas nuptias non tenetur illud reſeruare filijs prioris matrimonij, & redditur ratio; quia accipit tamquam ab extraneo, non obſtat, inquam quia hæc diſpoſitio iubens coniugem reſeruare bona habita ab alio, ſi ad ſecundas nuptias tranſit, eſt ſpecialis ob iniuriam viro mortuo irrogatam. ſic Oldrad. Ripa, Caſtillo *l. 14. Taur.* Matienzo *l. 5. rec. tom. 1. l. 3. gl. 2.* vbi Azebed. *l. 4. num. 21.* Mol. *l. 2. de prim. cap. 10. num. 60.*

11 Nota ſecundo, quod ſi Pater ſubſtituat pupillariter ſuam vxorem filio communi impuberi, tunc vxor ſi tranſit ad ſecundas nuptias, debet reſeruare filijs prioris matrimonij omnia bona, quæ acquiſiuit ex illa ſubſtitutione ob mortem filij impuberis; nam ſecundum probabiliorem ſententiam per illam ſubſtitutionem Pater cenſetur facere teſtamentum, non filius, vt docet Garronis *auth. ex teſtamento in nouæ additione c. de ſecundis nuptiis*: ſed omnia quæ mater acquiſiuit ex bonis coniugis titulo lucratiuo, tenetur reſeruare filijs prioris coniugis, tranſiens ad ſecundas nuptias, vt in *dicta l. fœminæ* dicitur; ergo etiam tenetur reſeruare hereditatem acquiſitam per ſubſtitutionem factam ſibi à coniuge: excipe tamen ea bona, quæ Pupillus non ex patre; ſed aliunde habuit; ea enim mater non tenetur reſeruare, quia *dicta l. fœminę, & d. l. generaliter* loquuntur de bonis, quæ fuerunt prioris mariti, non autem de ijs, quæ fuerunt filiorum tantum. ſic Acoſta *c. ſi pater 3. p. num. 19. de teſtament. in 6.* & Garron. *loco citato.*

12 Similiter ſi aliquis tertius committat marito Bertæ facultatem teſtandi nomine ſuo, vel diſtribuendi bona ſua, cui placuerit, ſi maritus diſtribuat Bertæ, hæc tranſiens ad ſecundas nuptias non tenetur reſeruare, quia non ſunt bona mariti, ſed illius extranei, qui mandauit marito, vt faceret diſtributionem.

13 Nota tertio quod bona, quæ fuerunt data alteri coniugi v.g. vxori contemplatione alterius v.g. viri, quando taliter ſunt data, vt coniux accipiens habeat vsũfructum, non tenetur reſtituere; quia lex priuans proprietate bonorum acquisitorum ab altero coniuge, eſt pœnalis: ergo non debet trahi à caſu

caſu vero ad caſum fictum; ſed quando acquirit ex bonis coniugis, eſt caſus verus, quando vero acquirit ex eo, quod donata sibi ſunt contemplatione alterius, eſt caſus fictus; ergo non debemus dicere, quod illa bona debet reſeruare, sicuti reſeruat bona acquisita à coniuge. ita Decius *c. Eccleſia de conſt. in no edit. n.* 125. Roman. *conſ.* 405. Caſſanæus *in conſuetud.* Burgun. *rub.* 7. §. 7. *n.* 2. Ant. Gabr. *t.* 3. *com. opi. li.* 3. *tit. de ſec. nupt. con.* 3. Garronis *d. auth. ex teſ.* Caſtillo *l.* 15. *Tauri n.* 2. *col.* 3. contra Ant. Gomez. *l.* 14. *Tauri. nu.* 7. Valaſc. *conſ.* 16. *n.* 2. *vol.* 1. Molin. *t.* 1. *de iuſt. trac.* 2. *diſp.* 431.

14 At si ita dantur vni coniugi contemplatione alterius v.g. viri, vt cenſeantur donata ipſo viro, & non vxori, nulla eſt difficultas; tunc enim vxor nec proprietatem habet, nec vſufructum acquirit, etiam ſi non tranſeat ad ſecundas nuptias, vt dixi late *lib.* 6. *diſ.* 36

15 Quarto nota quod coniux tranſiens ad ſecundas nuptias tenetur reſeruare filijs prioris mariti bona, in quibus ſucceſſit filio morienti ab inteſtato, quando ipſe filius à parente illa habuit; etiam ſi ſit legitima, quæ iure debetur parentibus *ex auth. de nuptijs §. hic nos collat.* 4. vbi id aſſeritur, nec diſtinguitur; an ea bona proueniant tamquam legitima, necne, ita Garronis *d. auth. ex teſtam.* Fabianus de Grochis *auth. nouiſſ. q.* 12. *c. de in offic. teſt.* Boer. *deci.* 175. *n.* 6. & alij.

16 Ita vt ſi tam maritus, quàm vxor dotem filiæ conſtituant ex vtriuſque bonis, & filia moriatur ſine deſcendentibus, ſi alter coniux ad ſecundas nuptias tranſit v. g. Pater teneatur reſeruare partem illam dotis, quam ipſi prouenit ex bonis vxoris; intellige quando coniux comparauit bona iſta immediate ex eo, quia filius, cui ipſa ſuccedit ab inteſtato immediatè ſucceſſit parenti; nam ſi ſit alio modo non tenetur reſeruare proprietatem illam v.g. ſi Berta habet quatuor filios, qui Patri Titio ſucceſſerunt, ſi primus ex illis moritur ab inteſtato, tenetur Berta ſuccedens in bonis talis filij, reſeruare proprietatem reliquis tribus, ſi tranſit ad ſecundas nuptias; quia iſta bona acquirit ex eo, quia ipſa ſucceſſit filio mortuo, qui immediate Patri Titio ſucceſſit: ſi vero moriatur ſucundus filius etiam ab inteſtato, mater ſuccedit in parte illa quam hic filius acquiſiuit à primo fratre iã mortuo. dico ergo quod in hoc caſu non tenetur mater hæc bona reſeruare duobus filijs relictis quoad proprietatem, quia textus citati loquuntur, quando mater immediate acquiſiuit bona paterna, aut mediate, ſcilicet mediante filio, qui immediate ſucceſſit Patri. in caſu vero poſito mater acquirit bona filij, quę non prouenerunt filio immediate a patre; ſed a fratre qui antea mortuus fuit, & mater non priuatur proprietate bonorum, quę vnus frater ab alio acquirit, ſed ſolum bonorum, quæ ipſa immediate a marito acquiſiuit, vel filius, cui ipſa ſucce lit, immediatè acquiſiuit a patre, & quod dico de matre idem dices de patre. ſic Corneus *conſ.* 286. *num.* 3. *l.* 1. vbi alios refert & deciſum eſt iudicis ſententia teſtatur Barboſa *l. poſt. dotem* 41. *n.* 76. *ff. ſol. mat.* Boer. *deciſ* 192.

17 At ſi filio bona etiam contemplatione patris prouenerunt ab alijs aſcẽdẽtibus v.g. ab Auo, non tenetur parens ſuccedens & ſecundo nubens ea reſeruare; ratio eſt, quia textus decidentes hanc reſeruationẽ, loquuntur de bonis, quæ prouenerunt ex ſubſtantia paterna, at non venit ſubſtantia cæterorum aſcendentium in pœnalibus. ſic Garronis *auth. ex. teſtam. c. de ſec. nupt.* Azebedo *l.* 4. *t.* 1. *lib.* 5. *recop. n.* 43. Bartol. *d. auth.* Matheſ. *de ſuc. ab int. a.* 2. Ant. Gabr. *t.* 3. *1. de ſec. nupt.*

18 Et multo minus tenetur ſeruare bona illa, quæ filio prouenerunt ab alijs extraneis; ſiue parens ſuccedat in his bonis filio, antequam ad ſecundas nuptias tranſeat, ſiue non. ita *lege mater c. ad Tertull. & auth. de ſec. nup. §. hic nos alia verſ. ſed quarta.* ita Bartolus *auth. de non elig. ſecun. nubentes §. cum igitur coll.* 1. Angel. perus. Cor. *l. mat.* 5. *c. ad Tertul. n.* 3. Cynus *auth. ex teſt. c. eod.* vbi Gar-

Garro. *in noua edi. n. 4. not. 6. n. 37* Anaias *conſ. 73.* Ciſuentes *l. 15. Tauri col. 1. nu. 2.* Matienzo *l. 5. rec. t. 1. l. 3. gl. 2. n. 15.* Cynus, Corneus, & alij.

19 Nota denique quod omnia ea, quæ diximus, vt ſcilicet coniux tranſiens ad ſecundas nuptias teneatur reſeruare bona, quæ ex altero coniuge ſunt profecta filijs prioris matrimonij, habent locum etiam ſi illi hereditatem renunciauerit, nam hæc bona debentur filijs ex diſpoſitione legis, quæ non tollitur per renunciationem. Excipe tamẽ niſi renunciatio eſſet facta poſt quam parens tranſijt ad ſecundas nuptias; quia tunc renunciatio extenditur etiam ad illa bona, quorum iam habent filij dominium, vt ſunt illa, quę parens habuit ex alterius coniugis ſubſtantia, & tranſijt ad ſecundas nuptias, aut niſi filij ſint excluſi, vt ingrati a ſucceſſione, aut alia via incapaces; quia tunc ſe habent vt mortui. vide Ripam *l. fœminæ n. 15 q. 8. in noua edit. c. de ſec. nup.* Garron. *loc. cit.* Bened. *c. Raynun. de teſtam. deciſ. 5. num. 84.* habetur hęc expreſſe *auth. hæres. c. de ſecundis nuptijs.*

Circa tertiam conditionem, vt ſcilicet bona ſint acquiſita ex ſubſtantia coniugis defuncti titulo lucratiuo.

20 PAtet ex hac conditione, quod quidquid acquirit titulo oneroſo ratione contractus non tenetur reſtituere *ex l. fœminæ c. de ſecundis nuptiis.*

Vnde medietas lucri acquiſita conſtante matrimonio, quod attenta lege eſt commune vtrique coniugi, reſeruari non debet, quia præſumuntur acquiſita titulo oneroſo, vt docent Ripa *d. l. fœminæ qu. 22. nu. 59.* Io. Lupus *l. 14. Tauri num. 5.* vbi Caſtillo *num. 2.* Tello *num. vnic.* Auendaño *gl. 2. nu. 4.* Pinell. *l. 1. num. 37. cap. debon. mater.* Couarr. *4. de 2. p. cap. 3. §. 9. num. 8.* Io. Gar. *de coniug. acquæſtu. cap. 13. nu. 17.* & alij; & in Regno Caſtellæ deciſum eſt *l. 14. Tauri.* quamuis Minc. *de ſucceſſ. creat. l. 1. §. 1. num. 25.* oppoſitum teneat.

21 Immo id quod coniux lucratur ex pacto mutuo inito inter ipſos, vt ſcilicet ille, qui ſuperuiuat, acquirat certam quantitatem in bonis alterius, non debet reſeruare; quia proficiſcitur ex vero titulo oneroſo, & ex contractu do, vt des, vt tenet Ripa *loc. cit.* contra Boerium *deciſ. 185. num. 7. & 8.* Guil. Bened. *C. Raynunt. deteſt. v. & vxorem dec. 5. vbi de ſucce. ab inteſt. n. 87.*

22 At quidquid coniux ſuperſtes lucratur ex Defuncti Patrimonio ob diſpoſitionem alicuius legis, ſiue conſuetudinis, debet reſeruari filijs prioris matrimonij; quia cenſetur acquiſitum titulo lucratiuo, nam ſolum matrimonij occaſione comparatur. ita Bar. *l. vnica c. de inoffic. dot.* Couarr. *n. 7.* Boeri *l. c.* Guil. Ben. *l. c.* Sylua nupti. *l. 2. v. diuiti non eſt nubendum. n. 76.* Pinel. *l. c.* Ant. Cuc. *l. 5. int. mai. t. 12. n. 189.* Matienzo *l. 5.* Rec. *t. 9. l. 6. gl. 1. n. 3.* alios referens Io. Garcia *l. c.* & alij contra Baldum, Aretinum, Montaluum, & alios, quos refert Sanch. *nu. 30.* hic. & Menoch. *conſ. 155. n. 32. vol. 2.* Caſtillo *l. 14. Tauri* vbi Ant. Gom. Gomez, Arias *l. 12. Tauri*, qui ſatis probabiliter tenent non debere reſeruari, quia ea bona coniux potius ex diſpenſatione legis, aut conſuetudinis, quam ex liberalitate mariti acquisiuit.

23 In omnium tamen ſententia certum eſt, quod coniux debet reſeruare quartam partem, quam habuit e bonis coniugis ob paupertatem, vt habetur *auth. præterea c. vnde vir etiam ſi non tranſeat ad ſecundas nuptias.*

24 Alia quæ hic quæri poſſent de hac quarta vide Greg. Lopez *l. 7. tit. 3. p. 6.* & Barboſam *l. maritum 13. n. 99. ff ſol. mat.* & quæ nam bona dicantur ex titulo lucratiuo. vide *lib. 6. diſp. 41. & hic diſp. 87.*

Circa quartam conditionem.

25 Hæc quarta conditio, vt ſcilicet tũc Parens transiens ad ſecundas nuptias teneatur bona prioris mariti reſeruare, quando filij ex tali matrimonio extant; habetur expreſsè *lege fœminę in principio c. de ſecundis nuptijs & auth. de nuptijs §. ſi vero expectat coll. 4.* & adeo

vera

vera eſt, vt etiam ſi coniux Defunctus cuius bona acquiſiuit tranſiens ad ſecundas nuptias, reliquerit filios alterius matrimonij, non teneatur reſeruare hæc bona.

36 Immo ſi ex priori matrimonio extiterint filij, & tranſeunte parente ad ſecundas nuptias mortui ſunt, ſine liberis, ſiue fecerint teſtamentum, ſiue non; parens tranſiens ad ſecundas nuptias acquirat etiam dominium, & vſus fructus cum dominio conſolidatur, quia hæc diſpoſitio habita eſt potiſſimum in fauorem filiorum; mortuis ergo filijs ceſſat, licèt non ceſſent eæ pœnæ, quæ non ſunt inductæ in fauorem filiorum, vt docet Garronis *c. de ſecundis nuptijs.* ita Bart. *conſ.* 54. *vol.* 1. Bald. *d. auth. ex teſt. c. de ſec. nup. n.* 2. vbi Alex. *adit. ad Bal. v. nupſit.* Salyc. Ant. de Roſſel. *de ſucceſſ. ab int. n.* 195 *in t.* 8. *trac. p.* 1. Tauallos *in prac. qu.* 671. Fran. Aretin. *conſ.* 40 *nu.* 4. Beroius *deciſ.* 185. *nu.* 17. Guil. Bened. *c. Raynuntius de teſt. dec.* 5. *vbi de ſucc. ab inteſ. n.* 81. Ripa *l. fœminæ p.* 4. *noua edi. c. de ſec. nupt.* Ant. Gom. *l.* 14. Tauri. & Tello *l.* 6.

37 Vnde ſi filius non habens deſcendẽtes velit diſponere de tertia bonorũ parte in præiudicium parentum, iuxta *l. Tauri lib.* 1. *tit.* 8. *lib.* 5. *nouæ recopilat.* non poterit diſponere de bonis, quæ acquiſiuit parens tranſiens ad ſecundas nuptias; quia iam proprietas, & vſus fructus iure pertinent ad parentem per mortem filij, vt docent Guill. Benedictus C. Raynuntius *cit. n* 85.

38 Denique hic nota ſi parens moriatur antequam perceperit fructus in bonis ſibi prouenientibus, ex ſubſtantia alterius coniugis, ij pertinebunt ad filios prioris matrimonij; quia vſufructuarius non tranſmittit ad hæredes fructus non perceptos §. *is vero inſt. de rerum diu. & l. ſi fur ff. de vſu fru. leg.* ſic Caſſaneus *in conſuet. Burg. rub.* 6. §. 7. & Azebedo *l.* 5. *rec. t.* 1. *l.* 4. *nu.* 56.

(†)

QVAERES.

An ſint aliqui caſus, in quibus coniux tranſiens ad ſecundas nuptias non teneatur reſeruare bona accepta ab altero coniuge filijs prioris matrimonij,

39 REſpondeo affirmatiue, & quidẽ primus caſus eſt, quãdo filius moriens inſtituat parentem hæredem bonorum, ſiue in teſtamento, ſiue in Codicillis, quæ conſequutus eſt ab altero cõiuge, vel per modum legati, aut fidecommiſſi, aut per donationem inter viuos illi relinquit; tunc enim parens acquirit tam vſufructum, quam dominium illorum bonorum; quod verum eſt, ſiue talis inſtitutio, vel donatio facta ſit antequam parens ad ſecundas nuptias tranſierit; ſiue poſtquam tranſijt. ita *ex auth. C. de ſecundis nuptijs* vbi redditur ratio, quod tunc parens conſequitur illa bona quaſi quilibet extraneus. ita Garr: *d. aut exteſt. num.* 11. *in noua edit. nota.* 1. Bart. *auth. de nupt. §. hinc nos num.* 1. Corneus *l. mater. Co. ad ſen. con.* Ter. *n.* 3. Paulus *nu.* 2. Bald. *nu.* 1. Cifuent. *l.* 15 *Tauri. nu.* 2. *poſt.* 4. *limit.*

30 Secundus caſus eſt, quando filij expreſſe conſenſerunt, vt parens ad ſecundas nuptias tranſiret, & ſi omnes conſenſerunt, parens omnium bonorum dominium acquirit: ſi aliqui, acquirit illorum, qui conſenſerunt; imo mortuis filijs, ſufficit conſenſus nepotum, qui loco filiorum ſuccedẽt. ratio eſt, quia hæc reſeruatio eſt indicta in fauorem filiorum, & in pœnam iniuriæ ipſis illatæ per ſecundas nuptias: ergo dum illi conſentiunt ceſſat ratio huius conſtitutionis, nam volenti, & conſentienti nulla fit iniuria: ergo dum filij conſentiunt ſecundis nuptijs, omnes illæ pœnæ, quæ in fauorem ipſorum ſunt inſtitutę, ceſſant remanentibus alijs, quæ non ſunt inſtitutæ in ipſorum fauorem. eſt communis ſententia Doctorum. Roman. *ſing.* 248. *Soncl. regul.* 272. *fall.* 1. Deciu. *l. nemo fraudare ff. de reg. iur.*

Cepo-

Cepola *cautel.* 23. Rolan. *con.* 81. *num.* 13. *vol.* 3. Crottus *repet. l.* 1. *num.* 90. *ff. ſol. matrim.* Perez *l.* 5. Ordin. *t.* 1. *l. fin. fol.* 54. Menoch. multos allegans *con.* 156. *num.* 13. *vol.* 2. Garron. *rubr. Co. de ſec. nupt. noua edit. num.* 116. *rem.* 2. *ad euitandas pœnas ſec. nubent.* contra ſolum Sarmento *lib.* 1. *Selec. cap.* 4. *n.* 1.

32 Dixi ſi expreſſe conſentiunt, quia non ſufficit conſenſus tacitus, niſi ſit talis, vt de voluntate filiorum nulla ſit dubitatio. ratio eſt, quia ille, qui non contradicit actui, qui abſque ſuo conſenſu geri poteſt, non videtur conſentire *lege Caius ff. de Pign. act. & lege quæ dotis ff. ſol. matrim.* ſed ſine conſenſu filiorum poteſt Parens ad ſecundas nuptias tranſire, ergo, ſi illi non contradicunt, & tacent, non cenſentur conſentire. ita Garr. *num.* 118. Perez *loco citato*, & alij contra Decium *conſ.* 206. *vol.* 2. Menoch. *loco cit.* Padillã *l. cũ donat. n.* 5. *Co. de trans.*

33 Debent tamen filij, vel nepotes eſſe puberes, licet non ſit neceſſarium nec in foro externo, nec in foro conſcientiæ, vt ſciant ſe per illum conſenſum amittere ius ad proprietatem bonorum, quæ parens poſſidet ex ſubſtantia coniugis mortui; quia hæc ceſſatio reſeruationis habetur ex eo quod filij remiſerint: ergo in vtroque foro valet ipſis remittentibus.

34 Secundus caſus eſt, quando coniux expreſſe dedit licentiam, vt alter ſuperſtes tranſiret ad ſecundas nuptias, vel tacitè; ita vt nullum fuerit dubium de eius voluntate, vt ſi moriens relinquat legatum coniugi ſuperſtiti, caſu quo tranſeat ad ſecundas nuptias, nam hæ pœnę ſtatutæ ſunt ob iniuriam illatam coniugi, ſed hæc iniuria per ipſius conſenſum ceſſat, vt ſupra diximus; ergo etiam pœna ceſſabit; quamuis coniux ad tertias, & quartas nuptias tranſierit, quia iniuria ſemel remiſſa non reuiuiſcit *l. ſi non conuicijs c. de iniurijs*. vt tradit Ripa *rubr. Co. de ſec. nup num.* 13.

35 Immo neque requiritur conſenſus filiorum, quando eſt conſenſus coniugis; nam licet per ſecundas nuptias irrogetur iniuria filijs; principaliter tamen irrogatur coniugi mortuo, & per quandam conſequentiã ipſis: ergo poteſt parens illam iniuriam remittere in præiudicium filiorum, vt docent Menochius *conſ.* 15. *numero* 33. ita Decius *rub. c. de ſec. nupt. nu.* 8.

36 Vnde fit, vt ſi ſint duo coniuges, & vnus aſſerat bona, quæ ipſe alteri dedit, dediſſe titulo oneroſo debeat ipſi fides haberi, quatenus hic poſſit ad ſecundas nuptias tranſire; nõ reſeruata proprietate, vt docet Simon de Pretis *de interpretat. vlt. vol. lib.* 1. *inter.* 1. *circa legata dub.* 10. contra vero ſi is dedit amplam facultatem coniugi diſponendi de omnibus, quæ ipſe reliquit; vel in teſtamento legauit, non videtur dediſſe licentiam tranſeundi ad ſecundas nuptias, nam in conceſſione generali non veniunt caſus ſpeciales nota digni, qualis eſt hic *cap. fin. de officio Vicarij in ſexto*. ita Ripa cum Fulgoſio *l. fœminæ in noua edit. quæſt.* 12. *c. de ſec. nupt. num.* 27. Ant. Gabr. *t.* 3. *com. opin. l.* 3. *tit. de ſec. nup. concl.* 1. *num.* 11.

37 Quartus caſus eſt, qui ponitur a Doctoribus, quando mulier de licentia Principis tranſit ad ſecundas nuptias, habetur *ex l. ſolet ff de his qui notantur infamia* (*ſolet a Principe impetrari, vt mulier intra legitimum tempus nubere liceat*) & cum hodie hoc priuilegium non poſſit intelligi circa pœnas conſtitutas intra annum luctus, cum ſint correctæ iure Canonico, debet intelligi circa reſeruationem, vt Priuilegium Principis aliquod operetur *ex cap. Papa de priuilegio in ſexto*. ita Angel. *repet. l. mater num.* 5. *C. ad Tert.* Decius *l.* 1. *num.* 10. *c. de ſec. nupt.* Ant. Gabr. *loco citato*. Extra hos caſus dictos, coniux tranſiens ad ſecundas nuptias tenetur reſeruare bona filijs prioris matrimonij, iuxta ea, quę huc vſque tradidimus etiam ſi ſit minor, nam nullum ius eſt, quo agitur de lucro non acquirendo, etiam ſi tranſeat ad ſecundas

nuptias ante, vel poſt filiorum pubertatem. ita Ciſuent. *l.* 15. *Taur. num.* 2. *limi.* 4 Azebedo *li.* 5. *recop. t.* 1. *l.* 4. *nu.* 38. & 41.

DISPVTATIO LXXXX.

An pœnæ conſtitutæ coniugi tranſeunti ad ſecundas nuptias, incurrantur a viduis fornicantibus attento iure canonico.

1 POenæ, quæ ſunt impoſitæ fœminis ſecundo nubentibus, vel ſunt impoſitæ nubentibus infra annum luctus, de quibus *diſ.* 87. dictum eſt, vel fœminis nubentibus poſt annum luctus. Hoc poſito ad caſum poſitum Reſpondeo, & dico primo, ſi fœmina fornicetur intra annum luctus, incurrit pœnas impoſitas fœminæ nubenti intra annum luctus, & etiam alias pœnas impoſitas fœminæ ſecundo nubenti, quas *diſput.* 88. numerauimus; neque in hoc ius commune eſt correctum per ius canonicum; nam aliter voluiſſent opitulari viduarum fornicationi, quod non eſt dicendum, quare fœmina intra annum luctus fornicans amittit ante nuptialem donationem, & quidquid acquiſiuit à liberalitate viri mortui: habetur expreſſe *auth. de reſtitutione, de ea quæ parit §. fin.* & redditur ibi ratio (*non enim aliquid amplius habet caſtitate luxuria*) ſic Anchar. *cap. vxoratus num.* 1. *de conu. coniug.* vbi Abbas *num.* 2. Angel. Aret. *inſt. de legitima patronor. tutela §. fin.* Hypp. *l. vnica. num.* 56. C. *de rap. virg.* Ioan: Lup. *rubr. de donat. inter iur. & vx. §.* 67. *num.* 3. Beroius *conſ.* 32. *num.* 11. *vol.* 2. Nata *repet. cap. quamuis pactum de pactis in* 6. *num.* 365. Barbati. *cap. ex parte Baeſ foro compe.* Anto. Gom. *l.* 14. *Taur. num.* 16. Ant. Gabr. *t.* 3. *comm. lib.* 3. *tit. de ſec. nupt. concl.* 8. *num.* 1. Surd. *de alimen. t.* 6. *quæſt.* 24. *num.* 2.

2 Quod verum eſt quamuis ſemel fornicata ſit, vt docent Acoſta C. *ſi pater* 1. *parte de teſt. in* 6. Couarruuias *4. decr.* 2. *parte cap.* 7. §. 6. Ioan: Garcia *de coniug. acqueſtu. num.* 45. modo fornicatio non ſit commiſſa poſt ſecundum matrimonium contractum intra annum luctus; quia iam non cenſetur eſſe in priori matrimonio, vt docet Garronis *l.* 1 *num.* 74. C. *de ſec. nup. in nouaedit.*

3 At ſi fœmina poſt annum luctus fornicatur, non incurret pœnas impoſitas nubenti intra annum luctus; ſed ſolum illas, quæ imponuntur fœminæ nubenti poſt annum luctus.

Prima pars, quod ſcilicet non incurrat pœnas ſtatutas nubenti intra annum luctus, probatur quia *Text. d. auth. de reſeruatione* expreſſe loquitur de fornicante intra annum luctus, & fornicatio intra annum luctus eſt magis vituperatione, & pœna digna, quod etiam in Hiſpania ſeruatur teſtibus. Matienez. *l.* 5. *rec. tit.* 9. *l.* 5. *gl.* 8. *num.* 5. & Barboſa *l.* 2. *p.* 1. *num.* 67. *ff. ſol. matrim.* ita Gloſſa. *d. §. fin.* Alciatus *de præſ. reg.* 2 *pr.* 9. Garro. *auth. eiſd. pœniſ. in nou. edit. num.* 19. *Cod. de ſec. nupt.* Matienzo Barboſa *loco citato*, & alij contra Azebedum *li.* 5 *rec. tit.* 1. *l.* 4. *num.* 10. Salyc. *l. his ſolis num.* 1. *Co de reu. don.* vbi Bart. Ripam *l. fin. quæſt.* 26. C. *eod. num.* 98. Gomez Arias *l.* 3. *Taur. num.* 3. Surdum *de alim. t.* 7. *quæſt.* 24. *num.* 12. & alios apud San. *nu.* 4.

Secunda pars, quod ſcilicet, ſi poſt annum luctus fornicetur, incurret alias pœnas impoſitas ſecundo nubentibus; patet *ex d. auth.* & ne plus concedatur luxuriæ, quam caſtitati; nam ſi fœmina ſecundo nubens incurrit illas pœnas, cur non incurret luxurioſe viuens. ſic Doctor. cit. & late Ioan: Lupus *rubr. de donat. int. vir. & vx. §.* 67.

Vtcumque tamen fornicetur non amittit dotem, quia id nullo iure probatur, licet in Regno Caſtellæ fœmina, quæ aſſuefacta eſt fornicationi, amittat omnia lucra acquiſita conſtante matrimonio, ex lege Regia 5. *fin. tit.* 9. *lib.* 5. *recept.* & docent.

cent Couarruuias 4. *decr.* 2. *part. cap.* 7. §. 9. *numero* 2. Padilla *l. fideic. num.* 7 C. *de fid.* Barboſa *d. l.* 2. Acoſta C. *ſi pater legauit numero* 44. *de teſt. in* 6. & alij.

4 Dico ſecundo hæ pœnæ non incurruntur à vidua ſic fornicante, niſi poſt ſententiam iudicis, etiam in foro conſcientiæ; quare ante ſententiam non tenetur vidua, quæ fornicata eſt, reſtituere bona, quæ à viro lucrata eſt. ratio eſt quia priuatio talium bonorum eſt in pœnam fornicationis inducta, & vere pœna proprijſſime eſt, quia eſt, inducta ad puniendum fornicationem: at Pœna ante iudicis ſententiam ſaltem declaratiuam delicti non debetur in foro conſcientiæ. vt docent communiter Doctores, quietiam volunt quod quamuis dicatur in textu eam incurri abſque alia declaratione, intelligatur de declaratione pœnæ, non autem delicti, ex Couar. 4. *de.* 2. *part. cap.* 6. §. 8. *num.* 10. Azebedo *li.* 5. *reco. t.* 11. *l.* 5. *num.* 1. vbi Matienzo *gl.* 1. *num.* 4. ergo reſtitutio talium bonorum non eſt facienda ante Iudicis ſententiam: fauent huic ſententiæ Bart. *l.* 1. *nu.* 3. *ff. de his quib. vt indi. & l. fideicommiſſum* vbi Paulus *num.* 3. Salyc. *num.* 3. Ant. Gomez. 1. *var. cap.* 12. *num.* 6. Molin. *lib.* 1. *de prim. cap.* 9. *num.* 46. Mantica. *de conc. vlt. lib.* 12, *t.* 5. *nu.* 6. Sim. de Pretis *inter. vlt. volu. li.* 1. *inter.* 1. *circa legata dub.* 12. *nu.* 121.

Quamuis oppoſita ſententia habeat etiam valde efficaces rationes, & eam videantur tenere multi Iurisperiti. quos vide apud Sanch. *n.* 10.

5 Hinc primo infertur ſi maritus vxori leget ſuorum bonorum vſufructum, ſi caſtè in viduitate vixerit, vel centum, ſi ad ſecundas nuptias tranſeat, ſi mulier fornicatur amittit vſufructum, at ſi ad ſecundas nuptias tranſeat poſt fornicationem acquirit centum; quia tunc expletur conditio, nec tale legatum intelligitur reuocatum. ita Simon de Pretis *de int. vlt. vol. loc. cit.*

6 Infertur ſecundo non teneri vxorem fornicantem, & multo minus virum reſeruare proprietatem bonorum, filijs prioris matrimonij in foro conſcientiæ, niſi poſt ſententiam Iudicis; immo etiam in foro externo idem poſſet dici, quia ſicuti in viro eſt ſuſpicio dilapidandi bona in damnum filiorum, ex eo, quia non ita vehementi amore trahi ſolet; & quia maturiori pollet iudicio; ita etiam in fœmina fornicante non eſt tanta ſuſpicio, quanta eſt quando ad ſecundas nuptias tranſit, ob amorem mariti, qui eſt ſtabilior, & filiorum ex ſecundo matrimonio: quare neque debet intelligi de ipſa diſpoſitio, vt bona à primo marito habita reſeruet filijs prioris matrimonij. ita Anton. Gom. *leg.* 15. *Tauri nu.* 16.

7 Contraria tamen ſententia, quæ affirmat priuari, ſicuti ſi ad ſecundas nuptias tranſiret, eſt communis: ne plus concedatur luxuriæ, quam caſtitati contra §. *fin. auth. de reſt.* & ſicuti incurrit alias pœnas, ita & hanc debet incurrere. ita Ripa *l. fœminæ noua edit. queſt.* 15. *num.* 25. C. *de ſec. nup.* Nata *repet. ca. quamuis pactum de pac. in* 6. Ioan. Lupus *l.* 14. *Taur. num.* 11. Garronis *d. auth. ex eſt. poſt.* 7. *notabile* Cifuentes *l.* 15. *Tauri ad finem* Tello *l.* 6. *num.* 21. Villalobos *comm. opin. l.* 3. *t. de ſec. nupt. concl.* 1. *num.* 12. Perez. *li.* 1. *ordinamenti. tit.* 1. *l.* 7. *u. veſtir porluto.* Angu. *de melior. l.* 2. *gl.* 1. *num.* 6.

8 Infertur tertio quod ſi mater luxurioſe viuat (nam Pater nullo modo illam amittit) in foro conſcientiæ non tenetur deſerere tutelam filiorum, quia in aſſumptione tutelæ, vt conſtat ex praxi communi, ſolum hodie petitur promiſſio abſtinendi a ſecundis nuptijs, non autem promiſſio pudicitiæ; nec eſt textus decidens per fornicationem ipſo iure amitti tutelam, ſicuti deciditur per ſecundas nuptias, *vt diſput.* 88. dixi ob ſuſpicionem dilapidandi bona. ſicuti nec tenetur abſtinere ab educatione liberorum, ante ſententiam Iudicis. bene verum eſt

quod in foro externo tam a tutela, quam ab educatione filiorum eſt priuanda; nam licet de hac re nullus ſit textus, tamen conueniunt omnes Doctores *inf. cit.*

9 At contraria ſententia putans matrem per fornicationem amittere ipſo iure tutelam, ſi ad ſecundas nuptias tranſiret, eſt communis Doctorum, ducuntur *ex l. fin. C. quando mulier tutelæ officio*, vbi dicitur (*iuramentum autem præſtet quod ad nuptias nõ perueniat, ſed pudicitiam ſuam intactam conſeruet*) & ne plus luxuriæ, quam caſtitati tribuatur. ita ſentiunt Bart. *l. ſi quis ſub condit. nu. 26. ff. de teſt. tut.* Paul. *l. omnem n. 2. c.* ad Tertull. Hypp. *l. vni. nu. 54. c. de rapt. virg.* Angel. de Ganbell. *trac. de teſtam. gloſ. 96. n. 13.* Syl. *nuptia. t. 2. ver. viduæ non eſt nubendũ. n. 50.* Rolan. *conſ. 86. num. 48. vol. 2.* Auiles *in proemio. c. prætorum gl. 1. nu. 40.* Mincaca *de ſucceſſ. creat. li. 2. §. 12. nu. 38.* Gail. *de obſeruatio. lib. 2. obſ. 97. nu. 19.* & Doct. *nu. 6. ſup. cit.* Surd. *de alim. t. 6. qu. 24. nu. 18.*

10 Verum textus hic non cõcludit nãly (*ſed pudicitiam ſuam intactam conſeruet*) intelligitur a ſecundis nuptijs iuxta verba præcedentia; ratio autem (*ne plures tribuatur luxuriæ*) militat in foro externo; poſt ſententiam iudicis.

DISPVTATIO LXXXXI.

An pœnæ appoſitæ a teſtatoribus in ſuis teſtamentis tranſeuntibus ad ſecundas nuptias, ſint iure canonico correctæ, & quid in ijs caſibus ſit ſeruandum.

1 PAenę quas teſtatores apponunt in ſuis teſtamentis, tranſeuntibus ad ſecundas nuptias non ſunt iure canonico correctæ; nam *cap. fin. de ſecundis nuptijs*, ſolum loquitur de pœnis impoſitis à lege. ratio eſt quia quilibet rei ſuę poteſt apponere conditionem honeſtam. ita Garr. *rubr. c. de ſec. nupt. nou. edit. nu. 22.* Io. Lupus *l. 15. Tauri n. 5.* Guill. Bened. *ca. rayuntius de teſt. v. qui cum alia nu. 166.* Couar. *4. decret. 2. p. c. 3. §. 9. nu. 11.* Mantica *de conc. vlt. l. 11. t. 19. 2. fin.*

2 Vnde debet hæres, vel legatarius implere has pœnas ante omnem iudicis ſententiam, & in foro conſcientiæ: vt ſi coniugi legetur vſus fructus, vel aliquod legatum hac conditione vt caſtè, & honeſtè viuat, ſi illa caſtitatem violet, teneatur legatum, vel hereditatem reſtituere heredibus Defuncti; etiam ſi occultè delictum cõmiſerit; ratio eſt quia hæ nõ ſunt propriè pœnæ, ſed conditiones ſub quibus, & non aliter teſtator vult rem ſuam dare: ergo vbi hæres, vel legatarius acceptat tenetur præſtare cõditiones, ſicuti ſolet in alijs cõtractibus. ita Gaeta. *ſum. v. pœna.* Sotus *l. 1. de iuſt. q 6. ar. 1.* Enriq. *li. 13. de excom. c. 56. nu. 2. in com. lit.* V. Molina *t. 1. de iuſt. tr. 2. dis. 96. fin.* Ma. sà. *v. pœna n. 2.* Beia *ſum. caſu 41.* Ludou. Lopez *l. 2. de contr. cap. 45. col. 3.* Manuel. *1. t. ſum. 2. edit. ca. 96. nu. 4. & ex iuriſp.* Nauar. *ſum. c. 23. nu. 6.* Cremens *ſing. 7.* Mexia *prag. panis. concl. 6. §. 8. nu. 101.* Couar. *4. decret. 2 p. c. 6. §. 8. nu. 17.* Azeb. *li. 2. recop. ti. 1. rubr. num. 28.* Cenedo *collec. 154. ad. decret. num. 9.*

3 Immo licet conditio, qua excluditur matrimonium illi, qui aut numquam iniit, aut non conſummauit, excludatur a legatis; tamen valet in vtroque foro quando vxor ponit illam viro, vel vir vxori; dicens lego, ne tranſeat ad ſecundas nuptias, ſi matrimonium fuit conſummatum, vt *lib. 1. diſ. 34. dixi, & diſp. 31.*

4 Quod ſi quis inſtituatur hæres, vel legatum illi relinquatur conditione negatiua perpetua; vt ſi teſtator dicat lego centum ſi ad ſecundas nuptias non tranſierit, tunc ne legatum reddatur irritum, (nam heres ſemper poteſt expectare impletionem conditionis, quæ non niſi in fine vitæ poteſt impleri, dum enim viuit ſemper poteſt eſſe periculum contraueniendi) Mutius legem conſtituit, vt ſtatim debeatur legatum, data cautione a legatario, reſtituendi legatum cum fructibus perceptis ab eo tempore, quo legatum accepit, & etiam perceptibilibus, in foro tamen conſcientiæ

tiæ tunc tenetur fructus perceptibiles reſtituere; cum is, cui facienda eſt reſtitutio, percepturus eſſet. ita Angel. *v. reſtitutio* 1. Metin. *qu. 6. de reſt. in ſol. ad* 2. Couarruuias *reg. pec. ca. 2. par.* §. 6. *num.* 4. & alij. vide circa hanc rem *diſp.* 81.

5 At ſi conditio eſt diſtributiua (quæ quando ſit vide Menoc. *de præſump lib.* 4. *præ.* 187.) v.g. ſi dicat teſtator quoad vſque caſtitatem ſeruauerit, tunc poteſt ſtatim accipi legatum, & ſolum hi fructus ſunt reſtituendi, qui percepti ſunt poſtquam non impleuit conditionem: ſicuti etiam debetur legatũ annuum pro omnibus illis annis, quibus conditio eſt impleta, & ſi legatarius conditionem impleuit initio vltimi anni viuendo caſte, deinde vero fregit, debebitur tamen annuum legatum, quia ſatis eſt cęptum eſſe annum, vt *lib.* 1. *diſp.* 33. dictum eſt. ita Alberi. *l. defunc. nu.* 3. *ff. de vſuf. & quem ad.* Mantica *de con. vlt. lib.* 10. *t.* 2. *n.* 14. Bar. *l. a nobis.* Croctus *l. nemo poſt. n.* 54. *ff. de leg.* 1. Ruin. *con.* 170. *nu.* 2. *fi. vol.* 3. Alciat. *l. ſi cum nu.* 12. *ff. de leg.* 2. & alij.

6 Deniq; legatum ſiue ſit de vſufructu, ſiue alimentorum, ſi pure, & ſine conditione a coniuge relinquatur; non amittitur per ſecundas nuptias, quia id nullo iure cauetur; niſi quando vidua intra annum luctus nupſit, quod etiam iure canonico eſt correctum, vt vidimus *diſ.* 87. ita Paulus de Mõte Pico *l. Titia. ff. de leg.* 2. Garron *rubr. c. de ſec. nupt. in* 2. *edit. nu.* 36. *pœna* 16. Ripa *l. fœminæ nou. edit. nu.* 56. *qu.* 21. *c. eod. t.* Surdus *de alim. t.* 7. *qu.* 23. *num.* 8. His poſitis.

QVAERES I.

An legatum relictum ſub conditione caſte, & honeſte viuendi amittatur per ſecundas nuptias.

7 REſpondeo cum hac diſtinctione, ſi legatum relinquitur à viro vxori, aut à conſanguineo ipſius viri, vel ab Amicis arcta amicitia coniunctis, vel a filijs, ſiue viri, ſiue vxoris cum hac conditione; ſi caſte, & honeſtè vixerit, aut ſub hac, ſi lectum meum cuſtodierit, ſi mulier tranſeat ad ſecundas nuptias, tunc amittit legatum; ratio eſt, quia ex perſonis dicta penſanda ſunt *l. fin. ff. de act. & oblig.* ergo cum viris ſint odioſæ ſecundę nuptię vxorum, & iniuriam videantur afferre, vt ſupra viſum eſt: quando vir ponit conditionem caſte, & honeſtè viuendi, debet intelligi de ea caſtitate, quę eſt omnimoda, qualis eſt non tranſire ad ſecundas nuptias; quę ratio etiam militat in filijs; nam iniuria parenti illata, in ipſos redundat, & ceteri conſanguinei, & amici debent etiam iniurię ſui amici proſpicere. ita tenent de viro Baldus *l. cum filius* §. *qui mutianam nu. uni. ff. de leg.* 2. Alberic. *l. fin. nu.* 8. *c. de indic. uid. dicens ſic conſuetud. ſeruari.* Saly. *nu.* 1. Iaſo. *nu.* 32. Corne. *nu.* 2. Imola *d. l. cum filius* Tiraq. *l. boues* §. *hoc ſermone num.* 149. *ff. de verb. ſignif.* Mantic. *de con. vlt. lib.* 11. *ti.* 19. *nu.* 31. Lara *l. ſi quis a liberis nu.* 147. *ff. de lib. agnoſcen.* Lud. Lopez 2. *p. inſtr. vbi de matr. c.* 41. *col.* 5. Greg. Lopez. *l.* 1. *ver. o mas. t.* 12. *par.* 4. Ant. Gomez. *l.* 14. *Tauri nu.* 9. Villalobos *in com. opin. lit. V. v. vxor n.* 126. Bertachinus *in ſuo repert. lit L. u. legatum uxori, & u. legatum ſub cõditione.* Claud. Aquenſis *l. mulier* §. *cum proponeretur n.* 1. *ff. ad* Trebell. Couar. 4. *decr.* 2. *p. c.* 3. §. 9. *nu. ult.* Durans *de arte teſtandi in tit.* 6. *caut.* 39. *n.* 4. & loquentes de filijs legantibus tradunt. Garronis *rubr. c. de ſec. nup. noua edit. n.* 105 *pœna* 68. Couar. *l. c.* Tauallos. *in ſuis prac. q.* 151. *num.* 3. Lud. Lopez *l. c.* Ant. Gomez. Imola. *l. c.* & de conſanguineis legantibus tenet expreſſe Lud. Lopez, & fauent cæteri ſicuti etiam de amicis legantibus.

Et quod dico de viro relinquente vxori legatum, idem etiam dicas de vxore legante viro, & de alijs conſanguineis, & amicis vxoris, nam ſi iſti relinquant legatum viro ſub conditione caſte, & honeſte viuendi, ſi maritus ad ſecundas nuptias tranſeat, amittat legatum ob dictas rationes.

8 Quod verum eſt quando coniux tranſiens ad ſecũdas nuptias prius matrimo-

trimonium conſummauit, nam alias illa verba, ſi caſtè, & honeſtè vixerit non intelliguntur de ſecundis nuptijs, quia hæc conditio reijcitur iure, & eſt nulla, quando prius matrimonium non fuit conſummatum vt *lib.* 1. *dis.* 34 dictum eſt.

9 At ſi conditio caſtè, & honeſtè viuendi apponatur à conſanguineis illius coniugis, qui tranſit ad ſecundas nuptias, vel ab extraneo, tunc tranſiens ad ſecundas, & vlteriores nuptias acquiret legatum ſub ea conditione relictum, quia ſecundæ, & vlteriores nuptiæ impudicæ non ſunt, ſed caſtæ, & honeſtæ, & iure canonico approbatæ, ergo ex vi illorum verborum caſtè, & honeſtè viuendi veniunt etiam ſecundæ nuptiæ; nec ex tacita mente teſtatoris id debet præſumi, cum ſecundæ nuptiæ conſanguineos tranſeuntis ad ſecundas nuptias non offendant. ita Doctores ſupra citati.

10 Excipe tamen niſi tranſiens ad ſecundas nuptias ea eſſet ætate, aut ſtatu vt iuxta prudentem extimationem, eæ reputarentur in honeſtæ, aut niſi vergerent in dedecus relinquentis legatum; tunc enim militant rationes *n.* 7. allatæ, aut denique niſi caſtitatem vouiſſet, aut vouiſſet ſe à ſecundis nuptijs abſtinere, aut aliqua de cauſſa efficeretur infamis, & propter delictum damnata eſſet, in his omnibus caſibus amittet legatum relictum ſub conditione caſtè, & honeſtè viuendi. ſic Paul. de MontePico *l. Titia §. Titia cum nube ret. n.* 196. *q.* 68. *ff. de leg.* Mantic. *de coniec. vlt. lib.* 11. *n.* 19. Claud. Aquens. *l. mulier. cit.*

11 Secunda tamen ſententia indiſtinctè docens per ſecundas nuptias non amitti legatum ſub prædicta conditione relictum, eſt probabilis, ducitur potiſſimum ex eo, quod ſecundæ nuptiæ caſtæ ſint, eam docent Bartol. *l. mulier §. cum proponeretur nu.* 5. vbi Oldradus Abbas *c. quod ate n.* 3. *de cler. coniu.* Hyppol. *ſing.* 577. Euerard. *in Topi. loco auigeminationis n.* 9. Caſtillo *l* 15. *Tauri nu.* 1. Molina theol. Lud. Lop. *lib.* 2. *de contrac. c.* 45. *col.* 2. & alij apud Sanch. *n.* 14.

QVAERES II.

Cuidam fuit relictum legatum ſub conditione ſi caſtè, & honeſtè vixerit, hæc commiſit vnam fornicationem, an debeatur legatum.

12 REſpondeo ſi legatum relinquatur fœminæ à marito, filijs, conſanguineis mariti, vel amicis arcta amicitia cum marito coniunctis, tunc ſi ea ſemel fornicetur, non debetur ei legatum; ita vt nec ſi in ſe reuerſa bonã vitam ducat, illud amplius acquirat, quia deficiente conditione, iam expirauit. ſic Bald. Beroius *l. infra cit.* Menoch. *lib.* 4. *præſ.* 188. *n.* 12. quod autem non debeatur legatum tam in foro externo, quam in foro conſcientiæ, probatur, quia licèt attenta verborum ſignificatione, verba illa caſte & honeſtè viuendi importent habitum, nec poſſet dici honeſtè viuere, quæ ſemel, aut bis fornicata eſt, *ex §. item lex Iulia de adulterijs in verſ. ead. leg. inſt. de publ. Iud. & ex l. ſtuprum ff. de vſu nuptiarum*; tamen ex mente teſtatoris, qui grauiter ex fornicatione offenditur, quando is eſt maritus, filius, conſanguineus, aut amiciſſimus ipſi marito, colligitur, ipſum nolle dare legatum illi, quæ ſemel fornicata eſt, & ob id dedecore ipſum affecit; quod etiam probatur ex *dictis queſt. præced.* atque in hoc ſenſu intelligendi ſunt Doctores, qui aſſerunt amitti legatum ſub hac conditione, per vnicam fornicationem, quia exempla quæ ipſi afferunt ſemper ſunt, quando vir legat vxori; hi ſunt Ludouicus Lopez. 4. *p. inſtr. cap.* 295. *col.* 13. Vega 2. *t. ſum. c.* 32. *caſu* 9. videntur etiam expreſsè tenere Bald. *l. pen. n. vni. ff. de excuſ. tut.* Præp. *c. Nicena n.* 4. *d.* 31. Iaſon *l. fin. n.* 31. *eo indi. viduit.* Berous *conſ.* 30. *n.* 2. *vol.* 2. Ang. de Gambel. *trac. de teſtam. gl.* 46. *nu.* 5. Nata *conſ.* 4. 73. Roſſella *v. adul. n.* 6. Sylu. *v. legatum* 2. Couar. 4. *de cr.* 2. *p. c.* 6. §. 8. *num.* 17. Nauar. *ſum. c.* 27. *num.* 63

13 At ſi legatum relinquatur ab extraneo; tunc non amittet mulier legatũ; niſi ita ſæpe fornicata fuerit, vt merito

poſſit

poſſit dici, impudicam vitam agere. ratio eſt, quia vidua ſemel fornicans ſeruauit conditionem caſtè,& honeſtè viuendi;nam per vnicam,vel alteram fornicationem, etiam poteſt dici caſtè,& honeſtè viuere; nam vnicus actus non denominat quemquam bonũ, vel malum in proemio *inſtit.* §.*cumque* &colligit.ibi Gloſſa,Sebaſtianus de Medicis *de reg.iur.2.p.reg.21.n.10.*Bar.*in proem. ff.veteris n.*10.Abbas *c.1. de iud. n.*38.vbi Decius *n.*8. nec eſt indicium vnde poſſit colligi mens teſtatoris,quãdo is eſt extraneus,ergo &c.fauentAcoſta *cap.ſi pater de teſtam.in* 6. & Barboſa *l.2. p.1. n.*68. *ff. ſol.mat.* explicantes *l.9. tit.* 12. *l.* 3. *fori de vidua*; *quæ fecit conſuetudinem malè viuendi.*

14 Similiter ob eamdem rationem ſi vxor, aut eius conſanguinei &c. marito legatum relinquat ſub conditione caſtè,& honeſtè viuendi,maritus tunc amittet legatum, quando ita carnis vitijs deditus erit, vt merito poſſit dici impudicus.

15 Et idem dicas ſi relinquatur legatum, vt quotannis collocentur matrimonio fœminæ honeſtæ vitæ, tunc .n. hoc legatum debetur fœminę, quę ſemel, aut bis fornicata ſit, etiam ſi ſit conſanguinea teſtatoris: ratio eſt,quia id legatum non eſt relictum alicui ſpeciali conſanguineæ, vt ex hoc deducatur mens teſtatoris, voluiſſe in legataria omnimodã caſtitatem:ergo debent verba attendi; quando autem fœmina ſemel, aut bis fornicata eſt,non poteſt dici impudicamvitam agere:vt ſupradictum eſt.

QVAERES III.

An legatum relictum ſub conditione caſtè, & honeſtè viuendi amittatur per oſcula,& tactus libidinoſos?

16 REſpondeo ſi fœmina plures tactus huiuſmodi habeat, ita vt arbitrio boni viri poſſit dici inhoneſta, tunc amittit legatum;quia deficit conditio; ſi autem ſemel, aut bis oſcula, aut tactus libidinoſos habuiſſet, tunc non amittit legatum, quia licet tales tactus libidinoſi ſint contrarij pudicitiæ, tamen non ſunt actus conſummatus, ita vt fœmina per eos dicatur impudica, quare nec ſi legatum à viro, aut eius conſanguineis relictum per huiuſmodi paucos tactus amittitur, licet per vnicam fornicationem amitti ſupra dixerimus; quia fornicatio eſt actus perfectus, & denominat fœminam ſimpliciter impudicam, attentis ijs,quæ ibi dixi. ſic Lud.Lop. 1. *p. inſt. c.*293.*col.*13.

17 Sunt tamen multi, vt Baldus *conſ.* 207. *n.*1. *vol.*4. Paul. de Mont. Pico *l. Titia nuberet.q.*64.*n.*4.Anton.de Prato *conſ.diuerſ doctorum vol. vlt.c.*136.*n.*32. Mantica *de coniectur.vlt. l.*11. *ti.*19. *n.* 34. Menoc. *præ.* 41. *lib.*5. *n.*38. & alij, qui putent abſolutè id legatum per tactus libidinoſos amitti; contra vero Nauarrus vtraque ſumma negat.lat.*c.* 23.*n.*93. *Hiſp.c.*28.*addit.ad n.*67.

QVAERES IV.

An legatum relictum ſub conditione non tranſeundi ad ſecundas nuptias,amittatur ſi fœmina fornicetur,aut quando ſecundas nuptias irritas contraxit, vel ſi veras non conſummauit?

18 REſpondeo in nullo ex caſibus propoſitis amitti legatum à fœmina,&quidem quando fœmina fornicatur, aut ad ſecundas nuptias irritas transit,non amittet legatum,nisi poſt Iudicis ſententiam; nam verè conditio fuit adimpleta, fornicatio enim non eſt ad ſecundas nuptias transire, nec nuptiæ irritæ dicendæ ſunt nuptię *regula non præſtat de reg.iuris in* 6. ita de fornicat.Nauar.*c.*25.*n.*65. Ant.Bernard.*ſum.ca.*18.*n.*94.

19 Pertinet tamen ad Iudicem in pœnam fornicationis, & transitus ad ſecundas nuptias irritas tali legato fœminam illam priuare vt dixi *diſp. præcedenti*;quando vero ſecundum matrimonium non fuit conſummatum habetur legatum, quia nondum perfectè receſſum eſt à conditione, vt latè probat

probat Beroius *conſ.* 31. *vol.* 2. quando ſolum ſponſalia ſunt contracta. ſicuti neque amittitur legatum, ſi fœminæ relinquatur ſub hac conditione: donec viduale.n vitam ſeruauerit,& illa ingreditur religionē, perfectius enim ſeruatur ibi vita vidualis *auth. cui relictum C. de ind. viduit.* ſic Bald *l. Deo nobis nu.* 9. *c. de Epiſ. & cler.* Iaſo *l. fin. c. de ind. vid.* Simō. de Pretis *de interpret vlt. vol. l.* 1. *interp.* 1. *circa legata dub.* 10. *nu.* 27.

QVAERES V.

An quando alter coniux relinquit legatum alteri coniugi ſub hac conditione: vt illi debeatur quamdiu commorata fuerit cum filijs coniugis legantis, amittatur legatum, ſi coniux legatarius trāſeat ad ſecundas nuptias?

20 REſpondeo amitti, quia per ea verba cenſentur interdictæ ſecundæ nuptiæ, & quia filijs iuſtam cauſam habent ſeparandi ſe a morte, & multo magis a patre ſecundo nubente, nec cum nouerca habitent. ita Præpoſ. Pariſius, Bald. Matiēzo, & alij multi apud Sanch. *n.* 48. *hic* vbi Paulus de Mont. Pico *l. cit.* Vitalis de camb. *trac. de clauſ. clauſula renunciauit omnibus* §. *ſed an iuri elem.* Io: Lup. *l.* 15. *Tauri nu.* 5. vbi Caſtillo, Gomez. Arias *l.* 13. *Tauri num.* 1.

21 Immo amitteret etiam legatum relictum à viro vxori, ſub hac conditione: dum ſteterit in domo mariti, vel ſi abſolutè legat habitationem, quando fœmina tranſit ad ſecundas nuptias, quia per ea verba intelligūtur ſecūdæ nuptiæ prohibitæ; nam per eas ceſſat memoria mariti, nec cenſetur cum marito permanere. vide Baldum in *l. voluntatis c. de fide ſer.* Greg. Lopez. *l.* 21. *verb. ver el e ſu muger. t.* 31. *pa.* 3. Perez *l.* 5. *ordin. t.* 2. *l.* 1. *pa.* 1. Surd. *de alim. ti.* 7. *q.* 23. *nu.* 22.

22 At ſi dum filij viuebant, mater viduitatem ſeruauit, & pater ijs mortuis ad ſecundas nuptias tranſijt; tunc debetur legatum; nam mors impediuit ne poſſit cum eis ſtare. ita Garronis. *rubr. cod. de ſec. nup. pa.* 15. *n.* 34.

23 Similiter debetur legatum relictum cuidam, ſi ſteterit cum vxore Teſtatoris. quando ea tranſeunte ad ſecundum matrimonium, ipſe legatarius nō ſtat cum illa: quia per tranſitum ad ſecūdas nuptias, iam ceſſat illa eſſe vxor prioris mariti; vnde non imputatur legatario, ſi non famuletur Vxori teſtatoris; ſic Simon de Pretis cum alijs quos citat. *de interpr. vlt. vol. lib.* 1. *inter.* 1. *circa legata dub* 10.

24 Cęterum contraria ſententia putās per tranſitum ad ſecūdas, nuptias, non amitti legatum relictum ſub cōditione, habitandi cum filijs; eſt valde probabilis, nam ſtante ſecundo matrimonio poſſunt habitare ſimul cum parēte filij; & ſi nolint, ipſis imputetur. ita Angelus de Gambellionibus *trac. de teſt. gl.* 20. *n.* 2. *in* 8. *t. tra. p.* 1. Lara *l. ſi quis a liberis* §. *ſi quis ex his num.* 196. *ff. de lib. agnos.*

QVAERES VI.

Quibus fœminis ſit dandum legatum relictum pro maritandis?

25 REſpondeo, & dico primo, non poteſt dari fœminis, quæ ſecundo nubere volunt, quia ea verba intelliguntur de primis nuptijs *ex l boues* §. *hoc ſermone ff. de Verb. ſignif (hoc ſermone dum nupta erit; primæ nuptiæ ſignificātur)* & docent Baldus *proem. decre. num.* 25. Tiraq. *multis cit. d.* §. *hoc ſermone nu.* 111. Manti. *de conie. vlt. l.* 8. *ti.* 5. *num.* 21

26 Excipe tamen tres caſus, in quibus poteſt legatum prædictum dari etiam fœminis ſecundo nupturis; primus eſt ſi illæ prius matrimonium non conſummārunt: ſecundus, ſi prius matrimonium fuit nullum, quia perinde eſt mulier, ac ſi numquam matrimoniū contraxiſſet: tertius ſi non ſunt aliæ fœminæ, quæ eſſent nubilis ætatis nēpe duodecim annorum. ſic Garronis cum alijs *loc. ſup. cit. nu.* 5. quia præſumitur voluntas teſtatoris ea eſſe, vt illis detur.

27 Vnde vides legatum relictum pro maritandis non poſſe dari niſi fœmi-

nis

nis duodecim annorum, quia non poteſt impleri cauſſa finalis diſpoſitionis Teſtatoris, niſi teſtator reliquiſſet legatum pro certa perſona maritanda: quia tunc ipſe illam eligens, reddit habilem ad legatum obtinendũ. ſic Baldus *l. ſancimus c. de nuptijs*. Garr. *d. loc.* Manti. *lib.* 11. *ti.* 21. *nu.* 5. *de con. vlt.*

28 Dico ſecundo ſi relinquatur legatũ pro maritandis Puellis incertis, vel cõſanguineis maritandis, ſi fœmina iam eſt maritata, non poteſt dari legatum relictũ pro maritandis ipſis, quia verba legati verificari in ea non poſſunt; contra vero ſi dicatur, relinquo legatum pro dotandis Puellis, poteſt dari iam maritatis, quia poteſt verificari cõditio. ita Baldus, Nouellus *de dote* 5. *p.* 12. & Io: Lupus. *c. per veſtras de don. inter vir. & vxo. not.* 3. §. 12. *num.* 8.

29 At ſi legatum relictum ſit pro certa perſona maritanda, vt ſi teſtator leget centum Frãciſcæ ad hoc, vt nubat, ſi illa tempore teſtamenti iã maritata eſt, vel poſt factũ teſtamentum nubat viuo teſtatore debetur legatũ, quia in hoc caſu teſtator ducitur erga illam ſpeciali affectione, quæ non ceſſat etiã ſi illa nupſerit viuo teſtatore, aut neſciente: ita Baldus *l. fin. C. de ſent. quę ſine cer quant. n.* 11. Ioſon *l. quo minus nu.* 133. *ff. deſſum.* Io: Lup. & Bald. Nou. *l. c.* Mexia *l. Toleti. p.* 12. *fund.* 1. *nu.* 35. quidquid dicat Man. *l.* 12. *de cõi. vlt. ti.* 1. *n.* 13

30 Similiter obtinebit legatũ relictum conſanguineis maritãdis illa, quæ poſt mortem teſtatoris nupſit; nam hoc legatum videtur quodammodo relictũ certæ perſonæ, nempe conſanguineis teſtatoris, & hæc a die mortis teſtatoris acquisiuit ius in rem, in illud legatum; ita etiam ſentiunt duo illuſtres Doctores Granatenſes.

QVAERES VII.

An legatũ relictũ vxori debeatur ſecũdæ, qua teſtator duxit poſt factũ teſtamẽtũ?

31 REſp. cum hac diſtinctione ſi teſtator quando fecit teſtamentũ habebat vxorem nomine v. g. Mariam, & dixit; lego centum vxori meæ Mariæ, tũc ſi moriatur Maria, & teſtator ducat aliã, nõ debetur huic ſecũdę legatũ quia tũc videtur legaſſe ob ſpecialem affectũ ad illã Mariã; ſi vero ſecũdam vxorem nomine Marię appellet, debetur huic, quia videtur habere eamdem affectionem. ita Menoc. *lib. præſ.* 122. *n.* 14. alios referens.

32 At ſi teſtator vxorem appellet ſine proprio nomine dicẽs, lego vxori meę cẽtũ, tũc ſi is erat cõiugatus quãdo fecit teſtamẽtũ, nõ debetur ſecũdę, quã ducet mortua prima, (niſi id, quod relinquitur ſit fauorabile, vt legatum alimentorũ, tũc. n. cõcurrẽte fauore vltimę voluntatis, & rei legatę, debetur) ſi vero nõ erat cõiugatus debetur etiã cuicũq; vxori, quia intelligitur ex ſola affectione maritali id legatum eſſe relictum. ſic Mant, *lib.* 8. *ti.* 15. *n.* 1. *de con. vlt.* Cou. *de teſt. c. requiſiſti n.* 3. vbi alios referunt, quãuis multi ſatis probabiliter teneãt sẽper deberi ſecundæ vide Men. *l. c. n.* 8. Aliqua de hac re vide *lib.* 1 *diſ.* 33. *& l. Iutius ff. de legat.* 2. vbi Doct.

DE IMPEDIMENTO impotentiæ.

DISPVTATIO LXXXXII.

An, & quæ impotentia coeundi dirimat matrimonium.

1 DVo hic quærimus: primum eſt an impotẽtia coeundi dirimat matrimonium ſubſequens, ita vt ſi quis ſit impotens, & ducat vxorem, tale matrimonium ſit nullum. ſecundum eſt, quæ nam ſit talis impotentia.

Ad deciſionem horum, quæ diſputatione hac, & ſequenti dicturi ſumus ſciendum eſt, impotentiam eſſe vitium naturale impediens coitum, quæ poteſt prouenire ab intrinſeco, vt ex viri frigiditate (nam licet aliquando impotẽtia coeundi oriatur ex nimio calore; tamen ex D. Th. 4. *diſt.* 34. *q. vnica* nõ ſolet calor perpetuo obſtare) & ex fœminæ arctitudine; aut à cauſſa extrinſeca. vt à maleficio, per quod fœmina, ſeu vir impotens reddatur, & ex caſtratione viri. rurſus impotentia alia eſt perpetua, alia temporalis, alia abſoluta reſpectu omnium, alia verò reſpectiua reſpectu huius, vel alterius.

His poſitis, Z Reſ-

2 Reſpondeo ad caſus propoſitos impotentiam tunc dirimere matrimonium, quando eſt perpetua; ita vt vir non poſſit ſeminare nullatenus intra vas fœmineum, ſiue illud proueniat ex viri frigiditate, ſiue calore ſiue ex fœminæ arctitudine, ſiue ex maleficio per quod cõiugi oriatur horror coeũdi, quãdo remediũ ad hiberi nõ poteſt.

3 Hæc concluſio eſt certa apud omnes, & conſtat *ex cap.2.de frig. & ma. lef. & toto eo titulo.* ratio eſt quia qui eſt impotens ad copulam non poteſt ſe ad illam obligare, quod eſſentialiter requiritur in contractu matrimoniali: nam de impoſſibilibus nulla poteſt eſſe obligatio *l. impoſſibilium ff. de reg. Iuris.*

4 Quare infertur 1. quod ſi ſit aliquis qui poſſit quidẽ vas penetrare; ſed nõ poteſt ſaltẽ partẽ ſeminis in illud immittere, ſi contrahat, matrimoniũ erit irritum; quia non reputatur copula coniugalis, quando non ingreditur ſemen, vt *lib.2.* late dictum eſt *diſp.21.* & communiter tenent Doctores; ex Theol. Palud.*4.d.34. qu.2.a.1.* vbi Sotus *qu.vni. ar.2.* Ouand. *diſ.vn.prop.1.* Enriq. *lib.11.de matr.cap.10.n.vlt.* Toledo *ſum.l.7.c.12. num.2.* Hiero. Llamas *meth.curat.3.p. cap.8. §.13.* cum Nauar. *cap.22. nu.59.* Ant. Cucus *l.5. inſt.mai.tit.12.nu.218.* Barbo. *l.1.nu 92.* Rolan. *de lucro dot.qu. 84. t.9. tractat.* Gaeta. *rep.cap.ad limina 30.q.1.§.4.n.8* quidquid in contrarium dicat Hoſt. *ſum.de frig.§.qualiter, & quando nu.13.* Alberic. *lit.1.ve.imped. imp.15.* volens conſulendum eſſe Papam. quod verum eſt etiam ſi fœmina ſciat talem impotentiam, nam poſito quod ſit cõtra naturam matrimonij, parum refert quod coniuges id ſciant, vel non; quãuis Ant.Cuc.*nu.259.* & Henriq. *l.12. cap.7.n.4.* tunc putent valere.

5 Infertur ſecundo Eunuchos, qui habent virilia integra, ſed vtroque teſte carent, non poſſe validum matrimonium contrahere; quia ad valorem matrimonij requiritur, vt poſſit verũ ſemen immitti; at iſti non habent verũ ſemen; ſed quamdam aquoſam materiam. ita declarauit Sixtus V. an.1587. & ante hunc motum propriũ, fuit ſententia hæc cõmunis. D.Th.*4.d.34.* vbi Alb.Magn. *a.4.* Almain. *qu. vnic.* Sotus *ar.2.* Vict. *de ma.n.283. in ſum.* Led. *2.p.4.q.60. ar.1.* Enriq. *d.l.11.* Toled. *l.c.* Val. *4.p.diſ.10.q.4.pu.3. manu.ſum.t.1.2 edit.c.235. concl.2.* Vega *2.t.c.34. c.a.5.113. ſum.* cum Fran.Mar. *decis.677.* Parla.delphi. *n.6.* Plaza *de delic.lib.1.c.24.n.5. conſt.tr.deſpon.de his qui nup.contr.non poſſunt.n.72.* Alex.Carr. *de ſpõ.lib.5.c.16* quos duos habes *t.9.tra.* Io.And. *c.2.de fr. & mal.* vbi Abbas, Alex.de Neuo, & & alij iurisperiti.

6 Dixi in concluſione, quando impotentia eſt perpetua; nam ſi talis impotentia ſit ſolum tẽporalis: ita vt aliquo remedio ſemen intra vas ingredi valeat, non erit irritum matrimonium etiam ſi coniux potens talem impotẽtiam ignoret, nec ſciens ſuam impotẽtiam temporalem aliquam culpam committet (niſi forte ratione deceptionis, vel ob periculum incontinentiæ cui exponit alterum) ducendo matrimonium; ratio eſt quia qui habet ſpem, vt in poſterum ſit potens ad ſoluendum poteſt ſe obligare: ergo etiã ille, qui nunc non eſt potens ad coeũdum, ſi habet ſpem, quod in futurum erit potẽs, poterit ſe obligare. nec lex matrimonij obligat ad reddẽdum debitũ ſemper, ſed temporibus debitis, & ſalua incolumitate coniugis. quod autem non requiratur ſcientia in alio coniuge sic probatur: quia impotentia temporalis nõ dirimit matrimonium iure eccleſiaſtico; nullum enim ius circa hoc reperitur; neque iure naturali, vt patet ex argumento præcedẽti; ergo etiam ſi ignoretur non dirimit matrimonium; quare

7 Infertur primo quod poteſt matrimonium validè contrahere, qui habet maximam difficultatem ad coeundũ; ita vt ſit periculum ægritudinis. *ex cap fraternitatis*; vel ſi ſit ſenex decrepitus ita vt difficile poſſit coire, & ſeminare; tamen poteſt valide matrimonium contrahere modo non ſit ita decrepitus, vt nullo modo poſſit ſeminare quia

quia tunc habet impotentiam perpetuam, eſt communis ſententia Doctorum,& vſus Eccleſiæ cõprobat. vide Nicol. de lyra 3. *reg. c.* 1 Enriq. *l.* 11. *cap* 12. *num.* 3. Manuel. *quæſ. regu. t.* 1. *quæſt.* 13. *a.* 1. Lud. de ſardis *de natur. liberis.* 2. *part. tit. de legitimat. per uer. matrim. quæſt.* 1. *num.* 3. habes *t.* 8. *trac. p.* 1. Couarr. 4. *decor.* 2. *p. cap.* 8. §. 2. *num.* 9. Matien. *lib.* 5 *rec. tit.* 1. *rub. gl.* 1. *nu.* 198. Barb. *l.* 1. *p.* 1. *nu.* 94. *ff. ſol. matr.* Nicol. de Niſſa *d.* 4 *trac.* 6. *par.* 3. *de ma. q.* 6. *ad* 1.

8 Infertur ſecundo ſteriles poſſe validè contrahere, quia poſſunt habere ſinem ſecundarium, nempe ſedationem concupiſcentiæ, & vſus Eccleſiæ id conprobat, vt ſenibus, qui ſterile ſemen habent, matrimonium inire permittat. Quare ſi fœmina poſſet recipere ſemen; ſed illud non poſſet retinere, poſſet matrimonium validè cõtrahere, vt optimè Barb. *l.* 1. *cit. n.* 68. impugnans perpaucos cõtra ſentiẽtes.

9 Infertur tertio fœminam, quæ non poteſt parere abſque mortis manifeſto periculo, aut ita affecta vt omnes filios mortuos pareret, poſſe valide contrahere matrimonium; quia eſſentia matrimonij conſiſtit in mutua obligatione ad copulam perfectam, quæ ex natura ſua ſit apta ad prolis generationem; ſed in prędictis caſibus id totum habetur; ergo &c. ita Enriquez *l.* 12. *de matrim. cap.* 7. *nu.* 8. Em. sà. *v. matrim. vbi de imp. impo. num.* 14. Fran. Mar. *deciſ. delph.* 677. *nu.* 56.

10 Quamuis contraria ſententia ſit probabilis, quia fœmina non potens reddere debitum abſque periculo vitæ, eſt incapax ad matrimonium, ergo &c. ita Verac. 1. *parte ſpec. a.* 38. *con.* 8. Petru. Ledeſ. *de matrim. quæſt.* 58. *a.* 1. Bart. a Ledeſ. *hic dub.* 48. *concl.* 2. Vega 2. *t. ſum. cap.* 34. *caſu.* 109.

11 Infertur quarto ſpadones, qui vnũ teſtem habent, poſſe validè matrimonium contrahere; quia habent verum ſemen, & aptum ad generationem, vnus enim teſticulus ſufficit ad miniſtrandos ſpiritus; probatur etiam *ex lege ſi ſerua* 40. §. *ſi ſpadoni ff. de iure dotium.* & tradunt Doct. cit. cum Pet. Greg. *ſyritag. iuris lib.* 7. *c.* 2. *n.* 18. Caual. 2. *p. deciſ.* 18. *nu.* 6. Lancell. *inſ iur. can. l.* 12. *ti. quæ. ma. imp poſſunt.* §. *item frigid.*

DISPVTATIO LXXXXIII.

An impotentia naturalis reſpectiua ſi ſit perpetua dirimat matrimonium.

1 CAſus propoſitus eſt iſte. aliquãdo eſt aliquis vir adeo debilis, vel calidæ complexionis, vt virginis vas penetrare non poſſit, poteſt tamen corruptæ, vel eſt adeo pinguis, vt membrum non poſſit penetrare vas alicuius fœminæ arctum. quærimus an iſte talis, ſi virginem ducat, vel mulierem illã arctã, conficiat verũ matrimoniũ?

Reſpondeo in prædicto caſu talem virum non poſſe valide contrahere matrimonium cum ea fœmina, reſpectu cuius eſt impotens naturaliter; ſed cum alijs, cum quibus non eſt impotens, poſſe. quia ſicuti impotentia abſoluta dirimit matrimonium contractum cum omnibus; ita reſpectiua dirimet matrimonium cum illa, cum qua eſt impotentia, non autem cum alijs, & conſtat *ex cap. fin* 33. vbi conceditur impotenti ob maleficium coire cum aliqua fœmina, vt diſſoluto prius matrimonio, quod fuit irritum ob illam impotentiam, aliud contrahat; ergo etiam ſi impotentia eſt naturalis reſpectu alicuius fœminæ, nullum eſt matrimonium contractum cum illa, non autem cum alijs. ita Riccar. 4. *d.* 34. *a.* 3. ſupp. ſum. Piſ. *imp.* 15. *num.* 5. Matien. *l.* 5. *rec. t. rub. gl.* 1. *nu.* 197. Roſel. *v. imped.* 15 *imp. num* 5. Sylu. *matr* 8 *qu.* 16. *dic.* 3. ſunt tamen aliqui, qui negant poſſe dari hanc impotentiam naturalem reſpectiuam, ita vt ſit perpetua, nec poſſit medicamẽtis tolli, quod eſt probabile, & Docent Tabiena *imp.* 12. *q.* 5. *nu.* 6. Armil. *matr. n.* 50. Sotus 4. *d.* 34. *q. vni. a.* 2. Bar. a, Ledeſ. *de mat. dub.* 48. Hier. Llamas. 3. *par. metho. curat. c.* 8 §. 13. immo eiuſdem ſẽtentiæ videntur eſſe etiam D. Tho. D. Bonau. & alij theologi *in* 4. *d.* 34.

2 Probabilius tamen eſt eam dari ob rationes *n.* 1. poſitas. Adde quod *C. fra-*

ternitatis de frig & malef. dicitur quod mulier quæ fuit ſeparata a viro ob artitudinem,& poſtea a ſecũdo viro fuit corrupta , tunc debet reſtitui priori viro , quando ſecundus vir fuit ſicuti prior , quia præſumitur quod ſicuti poſterior vir potuit copulam habere ; ita potuiſſet prior, ergo ſupponit textus non eſſe verum matrimonium quando prior vir non potuerit fœminam illam cognoſcere. ita tenent Abbas, Alber.Prunellus.Turre , & alij Iuriſperiti cum multis Theologis , quos refert. Sanch. *num.* 5. vide Barboſa *l.*1. *p.*1. *num.*95. *ff. ſol matrim.* Hugoli *de matr.cap.* 19. *num.* 1. Monald. *ſum. tr. de matrim.tit.de impoſſib. coeun.* Enriq. *l.*12. *cap.*7.*num.*4.*& num.* 9. *in com.lit.Q.* Valen.4.*p.dif.*10. *q.*5.*pun.*3.

QVAERESI.

Quanã impotentia cenſenda ſit perpetua?

3 REſpondeo ea impotentia cenſenda eſt perpetua, quæ nulla arte humana abſque corporali periculo remoueri poteſt. ita expreſſe habetur *c. fraternitatis de frig. & malef.* ibi (*nos tamen perſpicaciter attendentes,quod impedimentum illud non erat perpetuum, quod præter diuinum miraculum per opus humanum abſque corporali periculo poterat remoueri*) ex quo textu

4 Infertur primo , quod ſi vir ſit ita impotens, aut fœmina ita arcta,vt ſolum per miraculum poſſint fieri potentes, ſi contrahant, matrimonium eſt nullum; & quamuis poſt contractum matrimonium fiant per miraculum potentes,adhuc remanet nullum niſi de nouo ineatur ; contra vero ſi impotentia talis ſit, vt medicari poſſit abſque corporali periculo , quamuis fœmina , aut vir nolint accipere illa medicamenta,matrimonium erit validum; vt ſi fœmina arcta nolit pati inciſionem , quam licitè poteſt renuere ex Petro Ledeſ.*mox cit.* quia valor matrimonij pendet ex ipſa rei natura: ergo vbi impedimentum poteſt medicamentis tolli, non erit perpetuum; ſed ſolum temporale , quod non reddit irritum matrimonium, niſi tamen medici dubitarent de periculo vitę in tali inciſione v.g. tunc .n. nullum erit matrimonium, quia tale medicamentum non poteſt accipi , ſine periculo vitæ. ita docent Paludanus 4. *d.*34. *q.* 2,*a*2.Turrecr.33.*q.*1.*a.*3. *n.*15.Sotus 4.*d.*44.*q.vni.a.*2.Gaet. *c. ad limina* 30. *q.*1.§.4.*q.*229.*n.*532. Petr.Ledeſm. *de matr.q.* 58.*ar.*1.*dub.*5. modo ſalus non ſit duratura breui temporis ſpatio, & poſtea ex eadem cauſſa conſurget aliud impedimentum , quod non poſſet tolli ſine vitæ corporalis periculo , quia non dicitur ceſſare impedimentum quando ex eadem cauſſa aliud impedimentum ſuperuenit ex Gloſſa à Bart. & alijs recepta *l. maritus ff. locati.* ſic Caualc. 2.*p. deciſ.* 18.*n.*4.

5 Infertur ſecundo quod fœmina, quæ nupſit viro,qui frigidus non erat; ſed ob eius arctitudinem cognoſcere illam non potuit, ſi poſtea cognoſcatur ab alio , vel iudicio matronarum putetur apta ad hoc, vt ab alio poſſit cognoſci,debet reſtitui priori viro , quando ille , qui cognoſcit eſt eiusdẽ ætatis , roboris , & complexionis , & membri,aut non valde diſſimilis;quia cognoſcibilis vni præſumitur omnibus cognoſcibilis , quando non ſunt frigidi,vel maleficiati:ergo mulier cognoſcibilis à ſecundo viro præſumitur etiam cognoſcibilis à primo viro, qui non erat frigidus, vel maleficiatus,vnde ipſi eſt reſtituenda ſic Duran.Palu. Ricc.ſupp.Gabr.4.*d.*34.*a.*2. *q.*2.Hen. *lib.*12.*c.*7.*n.*9.Matien.*li.*5.*rec.t.*1.*rubr. gl.*1,*n.*197.Turrec.33.*q.a.*3. *n.*15. Abbas *d.c.fraternitatis.n.*19.*de frig.* Brun. *de ſponſ.concl. limit.*6. *n.*25. lex Regia 3. *t.* 3. *p.* 4. vbi Montal. *verb. diuortio* Greg.Lop. *v.en miembros ti.*2.*p.*4.Vega 2.*t. ſum.c.*34.*caſu* 107.

6 Et idem dicas quando eſt dubium de differentia inter primum, & ſecũndum virum;quia tunc præſumptio iuris ſtat pro primo viro:ita Abbas Mattienzo, Henriq.*lo.cit.*

7 Dixi quando vterque vir non eſt notabiliter diſſimilis, nam ſi ſecundus vir eſt diſſimilis , tunc non debet fœmina priori viro reſtitui; quia contra

præ-

præſumptionem iuris poteſt admitti probatio vt docet Abbas *d.c. fraternitatis. n.* 5. vbi Præp. & Alex. de Neuo Aſtenſi 2.*p.ſum.li.*8.*t.*37.*ar.*2. ita Doctores quos *n.* 5. retuli.

8 Debet tamen hæc diſſimilitudo apertè conſtare, qua conſtante, etiam ſi prior vir ad alias nuptias tranſierit, & etiam ſi dubium ſit an vſu, & temporis longitudine potuerit mulier reddi apta, tamen non eſt reddenda priori viro, quia contra illum ſtat præſumptio. ita Palud. *in* 4.*d.* 34. Sylu. *matr.* 8. *q.* 16. *dic.* 4. Supp. Piſanæ *n.* 3.

9 Quamuis probabiliter multi Canoniſtæ, vt Innoc. Hoſtienſis, Anto. Io. And. Cardi. Anchar. *d.c. fraternitatis* abſolutè putent in caſu poſito reſtituendam eſſe fœminam priori viro, & matrimonium cum illo contractum fuiſſe validum, quia cognoſcibilis vni, omnibus præſumitur cognoſcibilis. vt *in d.c.* Doc. tradunt.

QVAERES II.

Quid intelligat dictum caput fraternitatis, nomine periculi corporalis, dum ait eſſe impedimentum temporale, quod ſine corporali periculo tolli poteſt?

10 REſpondeo intelligi ſolum periculum vitæ, vel grauis morbi, quia moraliter loquendo quando imminet grauis morbus, eſt periculum vitæ. ratio eſt, quia idem textus dicti *cap. fraternitatis verſ. per hæc autem ſe explicauit* ibi (*niſi per inciſionem aut alio ſibi modo violentia inferatur non ſolum modo leuis; ſed fore tam grauis, vt ex ea mortis periculum timeatur*) & ita docent ex Theolo. Sotus 4.*d* 34.*q. vni.* vbi Palac. *diſp.* 1. *col.* 5. Quand. *concl.* 4. Barth. a Ledeſm. *de matr. dub.* 48. *con.* 2. Graff. 1. *p. deciſ. l.* 2. *c.* 85. *n.* 22. Canedo *ſum. ſacr. c.* 5. *de matr. n.* 22. cum Card. *d.c. frater n.* 5. Ange. *matri.* 3. *imp.* 16. *n.* 2. Tabien. *imp.* 12. *q.* 1. *n.* 10. Caualca. 2. *p. deciſ.* 18. *n.* 4. iuriſperitis.

11 Quamuis aliqui abſolutè nomine corporalis periculi, intelligant quodcumque graue periculum, vt grauis morbi, quia ibi *in capite fraternitatis ſupra cit.* ſolum dicitur corporali periculo. ita Ricc. 4.*d.* 34.*a.* 2. Petr. Sot. *lect.* 5. *de mat. pag.* 2. Valentia 4.*p. diſ.* 10.*q.* 5. *pun.* 3. cum Albe *dic. lit. I. verb. imp.* 15. Roland. *de lucr. dotis q.* 104. *nu.* 4. Sylu. Greg. Lop. *l.* 2. *t.* 8. *p.* 4. *v. grande.* Montaluus *l.* 1. *v. flaqueza t.* 8. *p.* 4.

12 Quare ſi impotentia ſit talis, vt non poſſit tolli abſque periculo vitæ, nullum erit matrimonium cum ea contractum; quamuis laborans tali impotentia vellet medicamentum accipere & periculo vitæ ſe exponere; quia tunc reuera eſt impedimentum perpetuum irritans matrimonium.

13 Immo ſi experientia conſtat periculum vitæ fuiſſe, licet accipiens medicamentum illud euaſerit, & fuerit incolumis; tamen nullum reputatur matrimonium cum illa impotentia contractum; quia iam experientia oſtendit periculum vitę fuiſſe. ita Aſtenſis 2.*par. lib.* 8.*t.* 27.*ar. vni. q.* 2. *&* 4. Henri. *c.* 7. *lib.* 12. *n.* 6. & ſic intelligę Albericum. *l.c.* Io. de Fiburg. *ſum. confeſſ. lib.* 4.*t.* 16. *q.* 8. Monald. *ſum. vbi de matr. tit. de impoſſib: coeundi.* Roſſel. *imp.* 15. *num.* 14.

QVAERES III.

An ſi vir ſit imbecillis, vel ſenex ita vt non poſſit vas Virginis penetrare cenſeatur hæc impotentia perpetua; & per conſequens reddat nullum matrimonium cum virgine contractum?

14 REſpondeo ſi medicamentis poteſt vir adiuuari, talis impotentia non eſt impedimentum dirimens matrimonium cum Virgine contractum; quia eſt merè temporalis, vt ex ſupradictis patet; & caſu quo vir nullo medicamento poſſet adiuuari ad Virginem cognoſcendam, ſed poſſe medicinis, aut aliquo inſtrumento ſit ne periculo corporali Virginis vas aperiri, vt reddatur aptum congreſſu illius viri debilis; nec talis impotentia inducet impedimentum dirimens matrimonium contractum cum tali Virgi-

gine, quia cenſetur impotentia temporalis. ratio eſt quia textus *d.cap.fraternitatis* tradit pro regula generali ad dignoſcendum, quando aliqua impotentia non ſit perpetua, & dirimens matrimonium, quando per opus humanum abſq; periculo corporali tolli poteſt: ſed in caſu noſtro res ita eſt, vt ſuppono, poteſt enim tale impedimẽtum tolli aperiendo vas virgineum ſine illius corporali periculo; ergo eſt ſolum impotentia temporalis, non dirimens matrimonium; & licet fœmina non indigeat ex natura ſua medicamine, quia nullo morbo laborat, per accidens indiget, ratione matrimonij, cuius valor cognoſci poteſt, ex eo quod poſſit ſiue viro, ſiue vxori medicamen afferri, vnde impotentia tollatur. ita D. Tho. 4. *d.*34.*qu.vnic.a* 2. Alb.Magn.*ar.*4.Sotus *q.vnic.* Vigue.*l. inſt.cap.*16.§.7.*ver.*9 *imped.*11 Lud.Lopez 2.*p.inſtr.vbi de mat.c.*52.*col.*5.Bart. a Ledeſ.*dub.*48.Vega *ſum.t.*3.*c.*34.*caſu* 109Cañedo*ſum.vbi de matr.c.*5.*nu.*33. D.Ant.3.*p.ti.*1.*c.*12.§.1.Turrec.33.*qu.* 1.*ar.*2.*nu.*12.Greg.Lopez.*l.*2.*ver. meæ ſtrias t.*8.*par.* 4.

15 Vbi aduerte, quod quamuis vir iſte debilis, non potens cognoſcere virginem, poſſit corruptam cognoſcere; tamen non ſtatim reddendus eſt virgini, & matrimonium cum ea contractum validum eſt putandum; nam poteſt euenire, vt perpetuo ſit impotẽs ad Virginem, vt docent Sylu.*matr.* 8. *qu.*16.*dic.*6.D.Ant.*l.cit.*ſuppl.Gabr: 4. *d.*34 *qu.vni.ar.*2 *coroll.* 3. *ex prima propoſit.* ſolum erit maxima præſumptio pro viri potentia, & in dubio cenſebitur potens ad virginem, nec matrimonium cum ea contractum diſſoluendũ erit; contra verò niſi vir probet ſe potentem eſſe ad corruptam, cenſetur nullum matrimonium cum illa contractum; quia impotens ad vnam, cenſetur impotens reſpectu omnium. quando non eſt maleficium, quod communiter ſolet reddere virum impotentem reſpectu vnius, vt infra dicemus, non tamen erit licitum viro propria vi Virginis clauſtrum aperire, & ſi probabiliter timeatur illum vim illaturum, poſſe Virginem ab eo ſeparari, donec lis decidatur, aut detur ſecuritas. ita Hoſtiens *c.final.num.*10. *de frig.& mal.*vbi Ant Anch.Præp. *nu.* 4. Alex. de neuo *n.*19. nec Diuus Thom. contrarium huic ſententię ſentit, dum ait (*poſſe medicinaliter aliquo inſtrumento clauſtrum pudoris frangere*) nam ait (*medicinaliter*) ideſt adhibitis medicis & cæt.

QVAERES IV.

An fœmina, quæ eſt arcta, vel virgo, teneatur poſt contractum matrimonium pati inciſionem, vt viro reddatur apta?

16 REſpondeo teneri etiam ſi illi ſit grauis moleſtia, vel dolor; ratio eſt, quia id eſt neceſſarium ad ius copulæ, quod mulier illa tranſtulit in virum, & ne ſequatur periculum incontinentię tam ex parte viri, quam ex parte ipſius fœminæ, quæ cogitur habitare cum viro, quia impedimentum illud, cùi medicaminibus poteſt mederi ſine periculo corporali, eſt ſolum temporale non dirimens matrimonium, vt toties dictum eſt *ex cap. fraternitatis*.

17 At non tenetur mulier pati grauiſſimum morbum; quia non debet obligari cum tanta iactura ad debitum coniugale reddendum. vt docent Sotus 4. *d.*34.*q vnic.a.*2.Lud.Lop.1.*par. inſtr.c.*79.Bart. a Led. *de matr..du.* 48. *con.*2 Manuel 1.*t ſum.*2.*edit.c.*235.Vega 2.*t.c.*34.*caſu* 3.Enriq.*l.*12. *de matr. cap.*7.*num.*8.

Solum hic nota primo, quod virgo tunc tenetur pati apertionem Clauſtri, quoties potentia viri cũ corrupta eſt manifeſta, vel quia ipſe, & fœmina, cum qua habuit rem, iurarunt, *ex deciſ.cap.Tholos.* 581.*dub.*1.vel quia mẽbrum habet ſine vllo defectu; nam ea potentia non conſtante, non tenetur; quia ſi vir non poteſt probare ſuam potentiam, remaneret mulier ſine virginitate, & non tam facile alium poterit virum habere. ita Lud.Lop. *l.c.*

Secun-

18 Secundo nota quod ſi mulier nolit pati inciſionem, poteſt cum viro habitare, etiã poſt triennium experientiæ, an poſſint copulari, & cũ eo ſolos tactus habere abſq; pollutionis periculo.

19 Tertio nota quod quando diſſoluitur matrimonium, ſi impedimentum eſt perpetuum, & abſolutum, ille qui habet hoc impedimentum, non poteſt aliud matrimonium inire; ſi vero eſt perpetuum, ſed reſpectiuum, poteſt aliud inire cum perſona, cum qua non habet tale impedimentum. ita *ex cap. laudabilem de frigid. & malef. & cap. 2. in fine* 33. *quæſt.* 1. & quamuis coniux potens peccet ſi ante ſententiam Eccleſiæ aliud matrimonium ineat; tamen erit validum etiam poſt Tridentinum modo ſit coram Parocho, & Teſtibus vt *lib.* 3. *diſp.* 39 dictum eſt. ſic Enriquez *d. c.* 7. *com. lit. Q.* Sotus 4. *d.* 34. *qu. vnic. ar.* 2.

DISPVTATIO LXXXXIV.

An impotentia conjurgens ex maleficio dirimat matrimonium poſtea contractũ.

1 VT caſus propoſitus intelligatur ſciendum eſt primo, quod Dæmon varijs modis poteſt reddere hominem impotentem ad copulam; vnde & malefici ſuis maleficijs arte Dæmonis id efficere poſſunt, vt omnes Theologi concedunt, & experientia comprobat.

Quinque autem modis id fieri conſueuit; primus eſt impediendo corpora ipſa viri ac fœminæ, vel longe detinendo, vel dum volunt coire aliud corpus medium ponendo. Secundus ita inflammando ad actum, vt ante coitum ſemen emittatur; vel refrigerando ab illo actu. Tertius eſt mouere imaginationem, ita vt fœdiſſima appareat coniux, vel rixas ponendo, quarto faciendo, ne virga erigatur, vel ſpiritus decurrentes impediendo. quintus modus eſt arctando fœmineum vas, vel viri membrum coarctãdo, vel omnino tollendo.

2 Secundo ſciendum eſt, quod licet plerumque maleficiati ſint viri, ſolent tamen etiam eſſe fœminæ, vel quia Dæmon immittit ſpeciem, qua illa horret membrum viri, vel arctando vas illius. ita Delrius *lib.* 3. *diſquiſ. magicarum* Io. Nider. *in formicario de malef. c.* 5. Iacob. Spenger. *in malleo maleficarum p.* 1. *q.* 8. *pag.* 3. & licet quandoque maleficium reddat perſonam impotentem quoad omnes, tamen id raro accidit, & plerumq; impedit erga vnã, vel alteram perſonam, vt omnes Doctores fatentur ex D. Th. 4. *d.* 34. *q. vni. ar.* 3. *ad* 4.

3 Tertio ſciendum eſt, quod ſolent ab auctoribus aliqua ſigna tradi ad dignoſcendum: vtrum ſimilis impotentia proueniat ex natura, & frigiditate an ex maleficio; & quidem ſigna, quod impotentia proueniat ex frigiditate ſunt hæc: ſi vir habeat modicum membrum, quaſi in nihilum redactum, & male compoſitum, & ſine calore naturali, vt docet Guido Guliacus *tractatu* 6. *de decoratione* Fragoſus *chirur. vniu. tra.* 2. *de declaratio. ttt. como declara el ciruiano, acerca.* vel ſi membrum erigere non poteſt, etiam ſi medicamentis ad id deſtinatis vtatur, vel ſi venerea non appetat, nec ſtimulos carnis ſentit, aut pollutiones nocturnas numquam patitur; ſi enim ea pateretur, frigidus non eſſet; ſic Ioannes Andreas, Abbas, & alij. *c. laudabilem de frig.*

4 Signa autem maleficij ſunt: quando vir habens membrum proportionatum, non poteſt cum vna coire; ſed cum alijs, tunc enim cum hoc non poſſit refundi in arctitudinem fœminæ, neque in impotentiam naturalem viri; dicendum eſt prouenire ex maleficio; ſicuti ſi vir appetat coitum, & virgam erigat, & cum appropinquat ad penetrandum vas fœmineum, relaxatur ſtatim membrum, & ſi iterum erigatur membrum, & cum copulari velit, iterum concidit, vel denique ſi vir, aut fœmina appetant coitum; ſed quando volunt reddere, ſtatim exhorreſcant & odio ſe habeant. vide Abulenſ. *cap.* 19. *Matt. q.* 90. Sotum 4. *d.* 34. *q. vni.*

34.*q.vni.ar.*3.Iacob.Spinger.*deciſ.Tholoſ.*38. Alex. de Neuo. Abbat. Hoſt. *c. fin. de frigi.* His poſitis ad caſum propoſitum

5 Reſpondeo, qui habet impotentiã perpetuam, ortam ex maleficio, ſiue talem impotentiam ipſe procurauerit, ſiue non; non poteſt contrahere matrimonium cum illa perſona, cum qua eſt impotens ob maleficium. ita *ex cap fin. de frig. & malef.* qui textus ab omnibus ſcribentibus de impedimento maleficij intelligitur,& docent ex Theologis D. Thomas 4. *d.*34. vbi Alb.mag.D.Bona.Duran.Scotus Riccar.Palud.Maior Manuel.1. *t. ſum.* 2. *edit.c.*235.Graff. *1.p.dec.l.*2.*c.*85. *n.*25. Cañedo *ſum.ſacr. c.*5. *de matr.num.*36. Abulenſ.*c.*19.*cit.*Bellarmin. *lib.*1. *c.*18. *de matr.* & alij ex iuriſper. ſcribentes *c. fin. & c. fraternitatis d.* Alberic. *lit.I. imped.*15.Roman.*rubr. ff ſol.matr.*Monald.*ſum.tit.de impo.acciden.*Lex Regia 5.*tit.t.*8.*p.*4. vbi Greg.Lopez. *v.entiendeſe.*Montaluus *l 7.t.8.p.*45.Hugol.Anton.Cuc.Nauar.Petr.Greg.Alex. Car. & alij apud Sanch.*n.* 8.

6 Eſt autem impotentia perpetua ex maleficio,quando non poteſt tolli, niſi cum alio maleficio ; quia tunc non poteſt tolli ſine peccato mortali, vt communiter docent Doctores, vel quãdo nõ poteſt tolli niſi miraculosè.

7 Vbi nota,quod ſi tollatur per exorciſmos tale maleficium non erit impedimentum perpetuum, quia non tollitur per miraculum;ſicuti ſi impotentia quælibet per orationes,& ieiunia ceſſaret, non diceretur miraculosè ceſſare ; quia id ſolum dicitur fieri per miraculum, quod fit modo inſueto, & miraculoſo ; at quando medijs exorciſmis, & orationibus,vel ieiuniis ſoluitur maleficium, vel ſanitas impetratur à Deo,non habetur miraculosè eſt communis ſententia, & conſtat ex *cap.fin.*33.*q.*1.

8 Nota ſecundo, quod ſi poteſt tolli ab eodem maleficio, qui fecit maleficium modo licito,non erit impedimẽtum perpetuum ; quia poteſt ſine miraculo, & abſque peccato arte humana tolli *ex cap. fraternitatis diuo diſ.prę.* quamuis Abbas, Præpoſ. Alex. de Neuo,*d.c.fraternitatis.* putent eſſe perpetuum impedimentum, eo quod pendens ex voluntate vnius,reputatur impoſſibile *ex l. apud Iulianum §. fin. ff.de legat.*

9 Nota tertio, quod ſi dubitetur;an maleficium hoc ſit perpetuum, ſuppo nitur eſſe tale ; atque adeo poſt trienij probationem debere ſeparari coniuges tales. ita Diuus Thomas, Diuus Bonauentura,& alij Theol.cum.Alberic.Greg.Lopez.Montal.& alijs *n.*5.relatis.

DISPVTATIO LXXXXV.

An liceat maleficium alio maleficio ſoluere, ne matrimonium diſſoluatur.

1 REſpondeo non licere, nam eſt intrinſecè malum Dœmonis auxilium, quod fit in maleficijs,inuocare etiam ad bonum finem . ita docent multi Sancti Patres,vt D.Thomas *in* 4. *diſt.* 34. *quæſt. vni.* D. Auguſtinus relatus *cap. qui ſine ſaluatore* 15.*qu.*2. & erroneum eſt affirmare id eſſe licitum.

2 Immo nec licet vana vanis reijcere quamuis id putent licere Albericus *lit. I. imped.*15. D.Ant. 3.*p.t.*1. *c.* 12. §.3. Roſſella *impedim.*15.*n.*19.quando ſunt ſolum indifferentia, & Delrius *lib.* 6. *diſp.mag.c.*2.*ſec.*1.*q.*2.cum Sylu.*maleficium qu.vlt.*limitent tunc his rebus vanis, & non ſuperſtitioſis quempiam poſſe vti, quando Dœmon pactum feciſſet cum malefico ; tunc ſe ceſſaturum ab illo maleficio, cum perſona illa v. g. Titius tali re vtitur ; ratio tamen noſtra eſt,quia hæc vana ſunt illicita, & non carent ſuperſtitione.

3 Nec excuſantur à culpa illi,qui cum vident mirabiles effectus. v.g. ãnulum in girum verti,eis vtuntur cum proteſtatione,nonvtendi illis,quatenus ſunt res illicitæ ; hæc enim cautela ſolum eſt bona in dubio;an hę res ſint ſuperſtitioſæ, aut vanæ . sic Gaet. *ſum. v. incantatio.*

4 Sunt autem media ſuperſtitioſa, & vana illa,quæ efficiuntur,aut dicuntur ad ob-

ad obtinendum aliquem finem, ad quem nec habent vim naturalem, nec habent vim ſupernaturalem; ratio eſt, quia hæ res non adhiberi poſſunt, vt cauſſæ, nam vt ſuppono non ſunt, neque vt ſigna diuina, aut Angelorum, nam Deus, & Angeli his vanis non delectantur; ergo vt ſigna à Dœmonibus poſita. ita Diuus Auguſtinus *lib. 21. de ciu. &* D. Thom. 2.2. *quæſt. 96. art. 2.* ab omnibus receptus, vel quod res habent quidem talem effectum, ſed adduntur aliquæ conditiones vanæ, vt neceſſariæ: vt ſi quis dicat aliqua verba ſacra, intelligens tunc habere virtutem, cum in aliqua pelle ſcribuntur. Nauar. *cap. 11. num. 25.* Gaeta. *v. incantatio.*

QVAERES.

An liceat à maleficio parato ſoluere maleficij maleficia, id petere?

5 REſpondeo nullo modo licitum eſſe à maleficio, qui paratus eſt vt maleficium maleficio ſoluat; non ſolum explicando, vt maleficium ſoluat maleficio; ſed nec licitum eſt petere ſolutionem maleficij, non explicando an per maleficium, an vero per aliam viam, quando certum eſt illum maleficio vſurum.

Ratio eſt quia non licet petere ab alio opus, quod ille non poteſt ſine peccato exercere: ſed maleficus non poteſt ſine peccato, vt vidimus *num. 1.* maleficium maleficio ſoluere; ergo non licet ab eo petere, ſiue id petatur precibus, ſiue petens cogat minis, & per vim maleficum, vt faciunt aliquando Iudices cogentes maleficum benedictione quadam maleficium auferre: quia ſemper militat eadem ratio, nimirum vt nullo modo licite poſſit fieri a malefico, quia eſt intrinſece malum. ita Docent ex Theologis Albertus Magnus, 4. *d. 34. a. 9.* vbi Sotus *a. 3.* Palac. *diſput. 1.* Caſtro *l. 1. de iuſt. hæret. puni. cap. 15.* Margarita *Confeſſ. 1. præc. fol. 60.* Baſſes 2.2. *quæſt. 78. art. 4. dub. 2.* Gaeta. *v. maleficium ad finem.* Delrius *quæſt. 2. pag. 3. l. 6. cap. 2. diſ. q mag.*

6 At ſi maleficus plura habet remedia ad ſoluendum maleficium, quædam licita, quædam illicita, tunc poſſumus petere ab eo, vt ſoluat maleficium; nam hic poteſt rem illam licitè exercere, & ſi vtitur maleficio ſibi debet imputari, ſicuti ſi ego indigeam pecunia mutua, & illam petam ab Vſurario, non pecco, quia hic poteſt ſine Vſura mutuum dare contra Gaet. *opus. t. 2. tract. 12. de malef. quæſt. vnica.*

7 Si quis vero dubitet an maleficus ſciat aliquod remedium licitum, non poteſt petere ſolutionem maleficij; quia præſumitur illum facere maleficio alio, præſertim ſi non ſit ille, qui prius maleficium fecit: poſſet tamen interrogari de medijs, quæ habet, & videri, an ſint vana, & ſuperſtitioſa; ſimiliter neque licet pati, vt maleficus applicet aliqua medicamenta vana, quia tunc eſt cooperari eius ſuperſtitioni patiendo ea corpori admoueri, tenetur etiam petens ex charitate monere maleficum, vt medio licito faciat, quando ſpes eſt profuturæ monitionis.

8 A dœmone vero numquam licet petere ſolutionem maleficij; quia omnis familiaritas cum ipſo prohibita eſt, vt docet Delrius *ſec. 1. quæſt. 2. pag. pen. loco citato* contra Brianconum in collectaneo *ſuper. 4. ſent. qu. 13. concl. 3.*

DISPVTATIO LXXXXVI.

An liceat deſtruere ſignum maleficij ad obtinendam ſanitatem.

1 SOlent aliquando Malefici cum Dœmone ita paciſci, quamdiu duret talis ligatura, vel tale ſignum poſitum in profundo maris, vel in Terra &cæt. tamdiu duret maleficium, & eo ſigno deſtructo, vel ablato ceſſet; quærimus ergo an ipſe maleficiatus, ſi ſciat tale ſignum, vel quiuis alius poſſit illud tollere, & ligatu-

gaturam ſoluere animo ſoluendi pactum illud initum cum Dœmone, ita vt ceſſet nocumentum ortum ex maleficio.

Reſpondeo id eſſe licitum, quia nulla copula eſt; nam nec pactum cum Dœmone initur; ſed potius diſſoluitur nec honor illi fit; immo reſultat illi dedecus, cum fiat diſſolutio contractus cum illo initi, nec præterea finis eſt malus; nam eſt ad ſanitatem recuperandam. Vide Delrium *lib. 3. diſquis Mag. cap. 1. & 2. qu. 3.* latiſſime id probantem ex communi vſu virorum doctiſſimorum, ac priorum. ita etiam Docent Scotus *4. d. 34. quæſt. vn.* quem omnes ſcotiſtæ ſequuntur. Pelbertus Temeſuar. *4. part. Roſarij v. matrim. 5. §. 38.* Brian. Zoni. *4. ſent. quæſt. 13.* Borillong. *4. d. 34.* vbi Ouand. Lud. Lopez. *2. parte inſt. cap. 52. de matrim. col. antep.* Caſtro *l. 1. de iuſt. hær. pun. ca. 15.* Nauar. *ſum. cap. 11. nu. 29.*

2 Immo licitum eſt interrogare maleficum, vt dicat, vbi eſt tale ſignum, ad hoc vt tollatur, quando talis maleficus ſcit, nam ſi opus eſt noua arte maleficis non eſt licitum ad id illum inducere, quod ſi ille ſciat nouo pacto inito cum Dœmone, tunc eſt licitum vti illa ſcientia, & tollere ſignum; ita Ouand. *diſ. vnica cit.*

3 Et quamuis ſi auferatur ſignum, vel ligatura diſſoluatur, aliquid mali ipſi malefico, vel alicui tertio obueniret; tamen poteſt tale ſignum tolli ad hoc vt habeatur ſanitas; quia per accidens eſt illud damnum, & auferens ſignum cooperatur ſolum ad acquirendam ſalutem; ſi verò præter ablationem ſigni, requireretur aliqua actio poſitiua, ex qua reſultaret damnum ipſi malefico; tunc non poſſet actionem auctoritate priuata, ſed publica exercere, in pœnam ipſius malefici quando nullum nouum pactum cum Dœmone requireretur.

(†)

DISPVTATIO LXXXXVII.

An ſi contrahentes ſciant impotentiã amborum, vel vnius ex contrahentibus, matrimonium ſit validum.

1 REſpondeo nullo modo poſſe iniri validè matrimonium ſiuè à duobus impotentibus, ſiue ab vno impotente, & altero potente; etiam ſi talis impotentia ab ipſis cognita fuerit. ratio eſt quia de eſſentia matrimonij eſt mutua corporum traditio ad vſum matrimonij; ſed quando eſt impotentia non poteſt eſſe talis mutua traditio corporum ad vſum matrimonij; nam talis vſus ob impotentiam eſt impoſſibilis, quia quando eſt impotentia non poteſt verum matrimonium contrahi, etiam ſi impotentia ſciatur a contrahentibus; nam vbi eſſentia contractus non poteſt eſſe, non poſſunt illam contrahentes efficere, & cedere Iuri ſuo. ita ex Theologis Abulensis, Sotus, Ludouicus Lopez, Enriquez, Toledo, Emmanuel Sà. quos refert Sanchez *num. 2.* cum Valentia *4. parte diſput. 10. quæſt. 5. pa. 3.* Barthol. a Ledeſma *dub. 48.* Manuel *tom. 1. ſum. 2. edit. cap. 235. numero 1.* Nicol. de Nyſa *4. ſent. trac. 6. parte 3. de matrim. quæſt. 6.* ex Canoniſtis Monal. *ſumma de matrim. tit. qualiter, & quando fiat diu. ob imp.* Bolog. *l. 1. num. 52. ff. ſol. matrim.* Monta. *l. 1. v. maſ. como tom. 9. part. 4.* vbi Gregorius Lopez. *v. marido.* Taph. *conſilio 384. num. 43. vol. 1.* Nauar. *cap. 22. nu. 60. ſum.* & alij.

2 Contra Magiſtrum, D. Thomam, Nicolaum de Lira; Viualdum, & alios apud Sanchez *numero primo hac diſput.* aſſerentes poſſe conſiſtere matrimonium quando coniuges norunt impotentiam, quia poſſent iuri ſuo cedere.

(†)

QVAE-

QVAERES.]

An saltem cognita impotentia, siue ante, siue postquam contraxerint matrimonium, possint remanere tamquam frater, & soror.

3 REspondeo quando matrimoniũ, est bona fide initum, & postea fuit cognita impotentia; tunc possunt coniuges remanere tamquam fratres, licèt vt plurimum sit periculosa talis cohabitatio ob periculum incontinẽtiæ; nec Iudex Ecclesiasticus potest denegare talem cohabitationem, quãdo viuunt continentes, ratio est quia expresse conceditur *cap. Consultationi, & cap. laudabilem de frig.* & alibi, & docẽt Sot. 4. *d.* 34 *q. vn. a.* 2. Bar. a Led. *l. c.* Pet. Led. *qu.* 58. *a.* 1. *dub.* 3. Cañedo *collec. ad decret. coll.* 38 *num.* 2.

4 At si incontinenter viuerent, & non se abstinerẽt à tactibus inhonestis &c. non sunt permittendi simul cohabitare; immo ipsi quãdo sine scandalo clã separari non possunt, tenentur reclamare, ac petere ab Ecclesia separationem, vt docet Cannedo *loc. cit.*

5 Addo etiam, quod sicuti post irritũ matrimonium possunt remanere, vt frater, & soror, cognita impotentia; ita etiam si ante illam cognoscant, possunt vir, & fœmina quodam vinculo societatis copulari, ita vt vir teneatur alere mulierem etiam si cõtrahat matrimoniũ cum alia, & mulier teneatur obsequia præstare viro, quia sicuti possunt cæteros cõtractus inire, ita etiã hunc, quamuis non facile permitti debeat talis cõfœderatio, ob periculum incontinentiæ, immo si inhonestè viuerent, essent separandi, vt supra diximus in simili, ita Sot. Bar. a Led Pet. Led. Cañedo sup. cit. Abul. 3 *Reg. c.* 2. *quæst.* 25. Lud. Lop. 2. *p. inst. c.* 52. *de matr.* & alij.

6 Deniq; hic nota quod cõiuges, cognita impotentia, non tenentur tãquam fratres habitare, siue vnus tantum cognouerit impotentiã, siue ambo; nam *c. Consultationi de frig.* vbi dicitur (*Romana tamen Ecclesia consuevit in consimilibus iudicare, vt quæ tamquã vxores haberi non possunt, habeantur, vt sorores*) nõ est præceptum, sed sola permissio, nec contrahentiũ mens talis fuit. ita Ric. 4. *d.* 34. *ar.* 2. Io: de Fib. *sum. li.* 4. *t.* 16. *q.* 11. Nau. *c.* 22. *n.* 60. Gae. *rep. c. ad limina* 30. *q.* 1. §. 4. *q.* 228. *n.* 531. Bart. a Led. *dub.* 48. *con.* 1.

7 Cõtra multos Canonistas, Inno. Ant. Ab. Alex. de Neuo *d. c. cõsultationi* Alb Mont. Greg. Lop. Franc. Mar. & alios apud San. *n.* 11. asserentes ex dicto *cap. consultationi* teneri virum impotentẽ, qui sciuit suã impotẽtiam cum fœmina habitare, & illam alere, & si ambo sciuerint ambos obligari.

DISPVTATIO LXLVIII.

An Impotentia perpetua, siue sit absoluta respectu omnium: siue respectu alicuius dirimat iure naturæ matrimonium.

1 REspon. impotentiam perpetuam quomodocumq; sit, siue totalis, vt quando quispiam non potest coire, nec seminare potest intra vas; siue partialis, vt quando quis coire potest, vt sunt Eunuchi; nõ tamẽ seminare, quia non habet semen, vel non potest intra vas seminare ob debilitatẽ, vel fœminę arctitudinem, vel ob maleficiũ; reddere nullum matrimoniũ iure naturæ siue de cætero talis impotentia sciatur ab altero contrahente, siue non.

Ratio est, quia qui habet vnã ex his impotentijs, nõ potest tradere potestatem sui corporis ad actũ coniugalem, nam impossibilium nulla est obligatio *l. impossibilium ff. de regulis iuris*; ergo nõ potest iure naturę cõtrahere verũ matrimoniũ, & si contrahit non erit validũ, quia, vt toties dictũ est, ad essentiã matrimonij requiritur mutua traditio potestatis in propriũ corpus, in ordine ad usum coniugalẽ; nec refert quod cõtrahentes sciuerint impotentiam, nec nec ne, vt *dis. præcedenti* dixi. ita D. Th. Duran. Ricc. 4. *d.* 34. *q.* 1. Turrec. 33. *q.* 1. *n.* 8. aperte sentiunt, & docent Scot. Rub. Alm. Sot. quos refert Sanc. *nu.* 2.

Vict *ſum*, *n.* 283. *de mat.* Pet. Sot. *le.* 5. *de mat.* Verac. 1. *p. ſpecul. a.* 38. Bar. a Led. *de mat. dub.* 48. *concl.* 1. Lud. Lopez 2. *p. inſtr. cap.* 52.

2 Vnde etiam infideles, ſi impotentes ſint, non poſſunt validum matrimoniũ contrahere, quia impotentia non eſt de iure eccleſiaſtico, ſed de Iure naturæ, quod etiam ligat infideles, vt tradit Rubion. 4. *d.* 39. *qu.* 1. *ar.* 1.

DISPVTATIO LXXXXIX.

Explicantur aliqui caſus, in quibus prius matrimonium diſſolutum ob impotentiam ſit reſtaurandum nec ne.

QVAERES I.

An quando ſoluitur matrimonium ob frigiditatem viri, ſit de nouo reſtaurandũ ſi vir aliud matrimonium contrahat, vel fornicationem committat.

1 REſpõdeo quoties conſtat virum ſeparatum ob frigiditatem, aliud matrimoniũ conſummaſſe, vel fœminam quamcumque corrupiſſe, quod poteſt conſtare ex confeſſione vtriuſque coniugis, vel ex eo quod fœmina, quæ erat Virgo, videatur corrupta, vel aſſertione mulierum, cum quibus fornicatus eſt, vel ex membri inſpectione: toties reſtituendus eſt primæ coniugi, a qua ob frigiditatem fuit ſeparatus; quia iam reperitur falſam fuiſſe impotentiam, atque adeo matrimonium fuiſſe validum. Quare textus *cap.* 1. 33. *q.* . *& cap.* 2. *ibidem* dum dicunt inſtaurandum eſſe prius matrimonium, quod fuit ob viri frigiditatẽ diſſolutum, ſi vir ad alias nuptias tranſeat; intelligi debent ſi tranſit ad ſecũdas nuptias, & eas conſummat, vt docent ex theologis Sotus, Dur. Riccar. ſupp. Gabriel, Celaia, Borlong. *d.* 34. *in* 4. cum Hoſt. *ſum. tit. de frig. & male.* §. *qualiter & quando nu.* 10 Io: And. *C. laudabilem n.* 3. *eo. tit.* vbi Ant: Alex. Neu. *nu.* 4, Præp. *nu.* 2. Aſtenſ. 2. *p. ſum. lib.* 8. *t.* 36. *a.* 1. Gaeta, *repe. c. ad limina* 30. *qu.* 1. §. 3. *q.* 229. *n.* 532. Sylu. *q.* 18. *nu.* 21. *v. diuortium*.

2 Quare ſtatim ac vir iſte tranſit ad ſecũdas nuptias debet ſeparari abſque alia probatione; quia ſi verè eſt frigidus nullum eſt matrimonium; ſi vero non eſt frigidus debet ad primã redire, ſi viuit, & ſi eſt mortua debet priꝰ probare ſe eſſe potentem, quia preſumptio ſtat contra ipſum; ſic Io: And: *l c. nu.* 8. Ant *nu.* 14. Præp. *nu. vlt.* Alex. Neuo *num.* 15.

3 Contra verò ſi mulier, quæ fuit ſeparata a viro ob ipſius viri frigiditatem, alteri nupſit; non eſt ab eo matrimonio ſeparanda, & poteſt petere, & reddere debitum, donec conſtet de potentia viri; quia ipſa iam eſt in poſſeſſione, nec habet iuſtam rationem dubitandi de potentia viri donec ipſa probetur.

4 Si verò ad hucnon eſt alteri nupta, non poteſt nec in foro conſcientię nubere, donec decernatur, an vir, à quo fuit ſeparata ob frigiditatem, ſit vere talis: quia exponit periculo virum poſteriorẽ, vt illuſus maneat; ſi vero orta iam lite de potentia prioris viri, matrimonium contraxit, debet ſeparari ab hoc ſecundo viro, donec lis decidatur, & ſi petit debitum peccabit, quia poſſeſſio ipſi non fauet; nam contraxit matrimonium, quando lis erat pendens. poteſt tamen reddere viro in bona fide conſtituto, ſi ille petat. vide *lib.* 2. *dif.* 42. de hac re.

QVAERES II.

An fœmina, quæ ob arctitudinem fuit a primo viro ſeparata, ſi alteri nubat, & ab eo cognoſcatur, debeat ab hoc ſeparari, & priori viro reſtitui?

5 REſpondeo ſi fœmina fuit ſeparata a viro ob arctitudinem, quæ non potuit tolli ſine periculo vitæ; ſi deinde ab alio viro corrumpatur, non eſt ſtatim reſtituenda priori viro; niſi conſtet nullam eſſe diſſimilitudinem inter priorem virum, à quo fuit ſeparata, & poſteriorem, à quo fuit corrupta; quod poteſt conſtare ex inſpectatione, & medicorum Iudicio. ratio eſt quia poteſt eſſe, vt poſterior vir ſit longe potentior primo, vel non ſit adeo improportionatus iuxta noſtrã ſenten-

ſententiam, quam *diſ.* 93. defendimus. At ſi fœmina fuit ſeparata à primo viro, ex eo quia abſolute fuit æſtimata arcta, tunc omnino eſt ſeparanda a poſteriori viro; quia contra ipſam ſtat præſumptio arctitudinis, & ſi non eſt abſolutè arcta debet ad prius matrimonium redire. vt diximus quando fit ſeparatio ob frigiditatem *n.* 2.

6 Si vero fœmina fuit à viro ſeparata ex eo quia fuit arcta reſpectu illius, tunc non ſtatim ſeparanda eſt a ſecũdo viro; & ſi prior vir, à quo fuit ſeparata, vxorem duxit, non eſt ab ea ſeparandus, ſed poteſt petere, & reddere omnino iuxta ea, quæ dixi *num.* 3. & ſi non adhuc duxit vxorem, non poteſt ducere donec lis decidatur iuxta dicta *num.* 4.

QVAERES III.

An matrimonium diſſolutum ob maleficium in vno, vel in vtroque coniuge ſit iterum reſtaurandum, ſi poſt diſſolutionem tranſeant coniuges ad alias nuptias, & illas conſumment.

7 REſpõdeo poſtquam facta eſt diſſolutio per legitimam ſententiã ab Ecclesia prolatam, ex eo quia maleficium fuit ſolum reſpectiuum. nempe reſpectu illius coniugis: tunc ſi maleficiatus aliud cõsũmet matrimoniũ, vel ſi aliquam aliam fœminam fornicarie cognoſcat, non eſt inſtaurandum prius matrimonium; ſed in ſecundo poteſt remanere ita deciditur *cap. fin.* 33. *qu.* 1. quod vſu Eccleſiæ, & approbatione, vt legitimus Canon habitus eſt. ibi (*quod ſi forte ſanari non potuerit, ſeparari valebunt: ſed poſtquam alias nuptias expetierit, illis in carne viuentibus ſi diſiuncti fuerant, prioribus, quos reliquerant, etiam ſi poſſibilitas coeundi eis reddita fuerit, reconciliari nequibunt*) ratio eſt quia maleficiatus eſt regulariter impotens reſpectu vnius; ergo etiã ſi ſit potens reſpectu aliarum, poteſt illas ducere; non tamen tenetur ad priorem coniugem redire, a qua fuit ſeparatus, ex eo quia matrimonium fuit nullum ob impotentiam perpetuam ortam ex maleficio. ita ex theologis D. Thomas, D. Bonauentura, Riccardus, Albertus Magnus, Scotus, Duran. ſupp. Gabr. Ouand. Palac. Borillõ. 4. *d.* 35 Manuel. 2. *t. ſum.* 2. *edit. cap.* 235. Henri. *l.* 12. *de mat. c.* 8 *n.* 2. Vega. 2. *t ſu. c.* 34. *caſu.* 108. Viguer. *lib.* 1 *inſt. c.* 16. §. 7. ex Iurisper. Rainer. 2. *p. tra. de matr. c.* 27. Tur. *c fin.* 34. *q.* 1. *a.* 2. Fran. Marc. *deciſ. parla. delfin.* 677. Ant. Abbas Alex. de Neuo, Præp. *c.* 1. *de frig. et male.*

8 Vnde ſi matrimonium fuit diſſolutum, ex eo quia maleficium æſtimatũ fuit perpetuum reſpectu omnium, & maleficiatus aliud matrimonium conſummet, aut fœminam aliquam corrũpat; tunc inſtaurandũ eſt prius matrimoniũ; quia iam apparet Eccleſiam fuiſſe deceptam, & putaſſe perpetuũ impedimẽtũ, quod reuera tale nõ erat

9 Immo ſi maleficiatus fuit ſeparatus ob impotentiam reſpectu ſolius coniugis; & poſtea diſſoluto matrimonio illam fornicarie cognoſceret, deberet reſtitui illi, & cogendus eſſet permanere in illo matrimonio ob eãdem rationem; quia nimirum Eccleſia fuit decepta. ita docent Durandus, Bart. a Ledeſma, Lud. Lop. Ouandus, & alij theologi apud Sanch. *n.* 25. cum Greg. Lopez *l. fin. v. tornar. t.* 8. *par.* 4. Sylu. *matrim.* 8. *q.* 16. Aſtenſ. 2. *p. ſum. lib.* 8. *t.* 29. *ar.* 1. *q.* 6. Gloſſ. *ca. fin. v. conumbendi* 33. *qu.* 1. Ant. *num.* 20. *d. c. fraternitatis* vbi Præp. *nu.* 12.

QVAERES IV.

An ſi fœmina allegauerit virum eſſe impotentem, non expreſſa quænam eſſet impotentia; ſi vir poſt factam ſeparationem ab ea, aliam cognoſcat, ſit prius matrimonium reſtaurandum?

10 REſpondeo non ſtatim ac vir trãſit ad aliud matrimonium, vel copulam habet, reſtituendus eſt priori coniugi: ſed prius a Iudice videndũ eſt ob quam impotentiam fuit ſeparatus, & cognita impotentia, iudicare debet iuxta huc vſque dicta prout eſt impotentia.

Vnde

11 Vnde Iudex tenetur cauſſam impotentiæ indagare, vel ex proceſſu, vel ex data ſententia, nam licet Iudex non teneatur petere cauſſam ſententiæ communiter; tamen quando ex diuerſitate cauſſæ, varij conſurgunt effectus tenetur, vt probat Soncinos Senior *l. ſi à te ff. de excep. & rei uendi.* vel denique ſi nullum ex his conſtat, debet ipſe denuo inquirere.

12 Interim vero ſi mulier, quæ fuit ſeparata, aliud matrimonium inijt, poteſt in eo perſeuerare, & petere, & reddere; quia eſt in poſſeſſione, donec lis decidatur, & ſi fortè per ſententiam Iudicis prius matrimonium eſſet inſtaurandum, poſſet fieri etiam antequã coniuges impleant pœnitentiam iniunctam ob periurium commiſſum, quando iurarunt in ſeparatione de impotentia. nam *c. laud. de frig.* ſolum videtur petere, vt Iudex in ſententia, danda, illam imponat. vide Turrecr. *c. requiſiſti* 33. *q.* 1.

QVAERES V.

Quoties debet reſtaurari prius matrimonium diſſolutum ob impotentiam ſi coniuges ſeparati aliud conſumment.

13 CAſus propoſitus eſt; Titius, & Berta contraxerunt matrimonium & ob impotentiam Titij fuit ſeparatum, poſtea Titius conſummauit matrimonium cum alia. v. g. cum Antonia, & ſic fuit reſtitutus Bertæ, iterum cum Berta eſt impotens; & ſeparatur, ſed poſt ſeparationem inuenitur potens, quærimus an iterum reſtituendus ſit Bertæ, & ſic in infinitum.

Reſpondeo ſemel tantum reſtituendum eſſe Bertæ, & ſi poſt triennium experientiæ non poſſit Bertam cognoſcere, ſeparandum eſſe ab ea in perpetuum, & reddendum alteri fœminæ, cum qua inijt matrimonium ex quouis capite concurrerit impedimentũ; ratio eſt, quia *c. laud. de frig.* datur triennium ad experiendam impotentiã, & eo elapſo ſtatim iudicatur impotẽtia perpetua. ita Hoſt. *c. fraternitatis de frig. & mal. n.* 21. Ancha. *n.* 16. Abb. *n.* 20. Io. And. *n.* 28. Præp. *nu.* 18. Io. de Fibur. *ſum. con. li.* 4. *t.* 16. *q.* 5. Albe. *lit. I. imped.* 15. Ant. Cucus *l.* 5. *inſt. maio. t.* 12. *n.* 262. contra Tancredum, qui putauit tertia vice eſſe reſtituendum virum coniugi priori. prout refert, & ſequitur Gloſſ. *d. c. fraternitatis ver. fornicario fine.*

14 Vnde ſi vxor, quæ primo viro fuit ſeparata, & poſtea reſtituitur, alium virum accepit, tunc iſte, durante triennio, non poteſt aliam vxorem accipere; ſed debet expectare: an duret impotentia, ſi. n. durat cogitur vxor ad illum redire, & ſi hic vxorem duxit caſu, quo impotentia durat, debet hanc dimittere, & illam ad ſe redeuntem accipere. ita Hoſt. Anchar. Io. Andr. Præp. & alij cit.

QVAERES VI.

An ſi diſſoluto matrimonio ob impotentiam, vir profeſſus eſt, aut ordinem ſacrum ſuſcepit, ſi poſtea detegatur Eccleſiam fuiſſe deceptam, & illum fuiſſe potentem, ſit vxori reſtituendus.

15 REſpondeo vir profeſſus tunc non eſt reſtituendus vxori, detecta potentia, quia ſi fuit ab ea ſeparatus ob impotentiam, iam non conſummauit matrimonium: ergo per profeſſionem diſſolutum eſt *cap. ex publico de conuerſ. coniugum.* Si verò vir ſacros ordines ſuſcepit, reſtituendus eſt vxori, ſi illa velit virum repetere, modò non commiſerit fornicationem; & vir fuerit innocens, quo caſu non tenetur ad illam redire: & ſi vxor nolit virum repetere, nõ tenetur vouere caſtitatem; quia hoc nullo iure probatur. Reſtitutus autem vir in ſacris conſtitutus poteſt reddere debitum; quia vxor habet ius petendi, non tamen petere ob voti emiſſionem in ſuſceptione ordinis. ita Alber. *li. D v. diuortium.* Supp. Piſan. ibi *n.* 7. Roſſella *n.* 6. Sylu. *q.* 21. *n.* 24. loquentes de ordine ſacro.

16 Et idem dicas de viro, qui profeſſionem emiſit, ſed ante fœminam per ſemi-

ſeminis immiſſionẽ corrupit, quia tũc verè fuit matrimonium conſummatũ, nec per profeſſionem diſſolui poteſt, vnde detecta potentia eſt reſtituendus vxori. vbi aduerte, quod si fœmina arcta eſſet reſpectu omnium,&hoc impedimentum iudicaretur immedicabile, & perpetuum;etiam si receperit ſemen aliqua arte abſque vaſis penetratione, matrimonium remanebit irritum per profeſſionem; quia vere non poteſt dici conſummari per eam ſeminis immiſſionem, nec valor matrimonij poteſt dici pendere ex caſu raro,& fortuito,cum de cętero verum sit,quod vir sit impotens.

DISPVTATIO C.

An ſententia in cauſa matrimonij tranſeat in rem iudicatam, ita vt ab ea appellari non poſſit, & quo pacto?

1 REs iudicata dicitur ſentẽtia,à qua non eſt appellatum intra tempus conſtitutum,nempe 10.dies communiter ad appellandum.si enim ſunt tranſacti decem dies poſt latam ſenten tentiam,appellari non poteſt amplius hoc posito.

2 Ad quæſitum in titulo. Reſpondeo ſentcntia data in cauſa coniugali nunquam tranſit in rem iudicatam, ſiue reſpectu coniugum, ſiuè reſpectu alterius tertij, qui impedimentum allegauit, & ſuccubuit; ſed ſemper poteſt retractari detecto errore, ita *ex c.lator de ſent. & re iudicata. & c. conſanguinei &c. tenor eodem tit.* Ratio eſt quia in alijs ſententijs conſenſus tacitus eius, qui non appellat, potens appellare;iure ſic diſponente, poteſt facere ne amplius de iuſtitia talis ſententiæ examinari, ex rigore iuris poſſit; at in cauſa matrimoniali, non poteſt conſenſus omittentis appellationem efficere, vt matrimonium,quod fuit irritum,poſſit eſſe validum; quare nec ſententia poteſt tranſire in rem iudicatam ne foueat peccatum ſinendo eos,qui non ſunt verè coniuges.ita Couarr.*4.dec.2. p. ar.c.8. §.12.* Abbas, Præp. Alex. de Neuo *d.c. fraterni.* Decius *c.ſuà amplia. 4.n.16.* Quod verum eſt etiam ſi ſuccumbens allegauerit impotentiam in altero coniuge,nec ſpeciem impotentiæ expreſſerit, poteſt enim poſt ſententiam, à qua non appellaui, iterum reclamare,& probare aliquam ſpeciẽ, quia aliter datur occaſio peccati,quid quid in contrarium dicant Abbas, & Alex. de Neuo. *c. fin. de frig. & mal. num.4. & 7.*

3 Verum hæc doctrina duas habet limitationes. prima eſt ſententiam in cauſa matrimonij non tranſire in rem iudicatam quoad ipſum matrimoniũ; non autem quoad expenſas.quar equi poſt datam ſententiam non appellauit tempore determinato; si poſtea reclamet,non habebit expenſas factas in prima ſentcntia; quia hic ceſſat ratio, quare matrimonij ſententia non transit in rem iudicatam, nimirum ne foueatur peccatum. ita Ioannes Andr. *c.venerabilibus v. querimoniam de ſent. excom.* vbi Anch.*notab.3.* Dominicus §. *porro n.5.* Francus *eod.§.n.2.not.5.* & in proprijs terminis de impotentia *c.lator n.10.declar.9.de ſent. & re iud.*

4 Secunda limitatio eſt, quod tranſit in rem iudicatam ſententia matrimonij, quando conſenſu vtriuſque partis poteſt ceſſare culpa, & matrimonium eſſe validum, vt si duo litigent de matrimonio inualido,& vnus alleget fuiſſe metu initum, si hic ſuccumbat, & habeat ſententiam contrariam,& non appellat tempore debito; iam ſententia lata transit in rem iudicatam;quia ex obſeruatione illius ſententiæ nulla conſurgit culpa, nam partes poſſunt de nouo conuenire,vt docet Ant. *c.lator de ſent.& re iud.n.8.* Bald.*n.3.* Abbas *con.60.n.2.vol.2.* Couarr.*4.decr.2 p.c.8. §.12.nu.19.*

5 Similiter ſi agatur de valore ſponſalium, & detur ſententia contra valorem tranſit in rem iudicatam,& ſit detur in fauorem ſponſalium, & ſit aliquod impedimentum dirimens tunc non tranſit; quia dat anſam peccato, vt docet Felinus *d.c.lator.n.3.* Abb.*c.iurauit num.5. de probat.num.6.* Ant. Decius

cius *edit. nou. numero* 18.

6 Parit tamen duos effectus ſententia in re matrimonij, à qua intra præfinitum tempus non eſt appellatum.

Primus eſt, vt non poſſit corrigi prætextu appellationis; ſed per viam querelæ poteſt contra eam allegari, afferendo nouum libellum, quo petat talem cauſam coniugalem iam definitam, iterum ad iudicium deduci, & ſententiam reuocari ratione erroris detecti, ita *ex cap. ex literis de in integrum reſt.* quare talis querela non poteſt proponi à ſubditis ſuffraganei coram Archiepiſcopo; ſed coram eo, qui primam ſententiam tulit, quia is eſt ſolum Iudex in cauſa appellationis *cap.* 1. *de officio legati*. quod verum eſt etiam ſi hæc cauſa principaliter deducatur in forum contentioſum; quia adhuc non eſt appellatio; ſed querela, quæ non poteſt fieri coram Archiepiſcopo, niſi eſſet legatus. ita docent Felin. *cap. in literis de off. delegat.* vbi Decius *ad finem*. Franc. *cap. dilecto quæſt.* 27. *de appell.* Couar. 4. *de.* 2. *p. cap.* 8. §. 12. *num.* 12.

7 Secundus effectus eſt, vt non quomodocumque appellare volens ſit audiendus, ſed debet prius apponere aliquam veriſimilem cauſam iniuſtæ ſententiæ latæ, quam Iudex ſummariè deberet cognoſcere antequam partem citet; ſi iniuſtitiæ veriſimilis cauſa apparet, aut dubia audiendus eſt volens appellare; quia verſatur periculum animæ, nec in hoc poteſt regula præſcribi, quando appellans audiendus ſit, quando vero repellendus, verum tamen eſt quod præſumitur iuſtitia ſententiæ, ac proceſſus, quando ab ea non eſt appellatum intra tempus legitimum, donec conſtet oppoſitum. ſic Innoc. C. *tener. num.* 1. *de ſent. & re iud.* Hoſt. Ioan. And. *num.* 1. Ant. *num.* 11. Anchara. *num.* 4 Bald. *num.* 1. Card. *num. vn. ver. quæro circa* Couarr. alios allegans. 4. *decr. cit.* Imola *nu.* 3. *d. c. lator. v. item tranſit* Alex. de Neuo *num.* 3. & 11. Abbas Alex. de Neuo Couar. & alij.

DISPVTATIO CI.

An coniux qui tempore, quo erat ſeparatus ob impotentiam ab altero, fornicatus eſt, vel alias nuptias conſummauit; deinde detecto errore quando reſtauratur prius matrimonium, poſſit repelli per diuortiũ à coniuge innocẽte.

1 REſpon. coniux, qui vt impotens abſolutè fuit ſeparatus, ſi tempore quo fuit ſeparatus commiſit fornicationem, vel conſummauit cum alia poſterius matrimonium; ſi prius detecto errore inſtaurãdũ ſit quoad vinculũ, poteſt ab altero innocente repelli quoad thorum, & habitationem ob illam fornicationem cõmiſſam. vnde ſi Titius qui ob frigiditatem, vel impotẽtiã fuit ſeparatus à Berta, deinde poſt ſeparationem, cũ Frãciſca fornicetur, vel cum illa ineat aliud matrimonium, & conſummet; poterit à Berta repelli quando inſtaurarunt matrimoniũ, & ſimiliter Berta, quæ ob arctitudinem omnimodam fuit ſeparata, ſi cum alio fornicetur, poterit etiam repelli à Titio viro quoad thorũ, & habitationẽ celebrato diuortio. ita habetur *c. fratern. de frig. & maleficiatis* & ratio eſt, quia coniux impotẽs declaratus, eo ipſo quod copulã tentauit, conſenſit neceſſario ad inferendam iniuriã matrimonio, nã ex copula verificabatur prioris matrimonij valor; & per conſequẽs fornicatio illa ſtãte priori matrimonio erat adulteriũ, eſt cõmunis ſententia, quã docent Alex. de Neuo *c.* 1. *de fr. & mal. n.* 9 Prep. *n. vl.* Io. Aud. *n.* 7. Alb. *li. D v. diuortium* Greg. Lop. *l. fin. v. e fazer. tit.* 8 *p.* 4. Sylu. *diuortium q.* 18. *n.* 21. vbi Roſſella *n.* 1 Ant. Cuc. *lib.* 5. *inſt. maior. t.* 12. *num.* 264.

2 At ſi matrimoniũ fuit diſſolutũ ob impotentiã reſpectiuã, detecto errore nõ poteſt neuter ex coniugibus ab altero repelli per diuortiũ, ſiuè fornicatus fuerit, ſiuè alias nuptias conſũmarit; quia vterque iuſta ratione ſe ſolutum putauit à priori vinculo ob ſententiam latam ab Eccleſia.

3 Solum hic nota quod tunc poteſt forni-

fornicans repelli iure diuortij ab altero, quando alter eſt innocens; nam ſi ille conſcius fuit fraudis, vt ſi vir cum muliere faſſus eſt, & iurauit arctitudinem fœminę, quam tamen ſciebat nõ eſſe arctam, vel contra ſi fœmina faſſa eſt impotentiam viri, quem tamen ſciebat non eſſe impotentem, tunc nõ poteſt inſtaurato matrimonio cũ eo celebrare diuortium, ob fornicationem; vel alias nuptias conſummatas; quia per eam cõfeſſionem factam dolo conſenſit diſſolutioni, & per conſequens quodcumque adulterium remiſit. ſic Gloſſ. *d.cap.1.ver.reparare.* vbi Hoſt. *ſum.de fri.& malef. §. qualiter. & quando n.*10. cum alijs Doct. *n* 1 citatis.

4 Contra verò ſi coniux potens, non dũ factus certior de potentia alterius, à quo fuit ſeparatus ob impotentiam putatam ab Eccleſia; fornicatur, vel alias nuptias conſummat, non poteſt alter impotens putatus poſt inſtauratum matrimonium cum eo celebrare diuortium; quia illa copula non fuit adulterium; nam fuit per ſententiam declaratum nullum matrimonium, nec per ſuam copulã debebat reſtaurari, quia ſeparatio fuit facta ob alterius impotentiam, non ob propriam.

5 Vnde nec delicta compenſantur inter coniugem potentem, & illum, qui ob impotentiam æſtimatam fuit ſeparatus; quare etiam ſi potens fornicatus ſit, poterit tamen repellere iure diuortij coniugem, qui poſtquam eſtimatus eſt impotens, & ob id ſeparatus fornicatus eſt, vel conſummauit aliud matrimoniũ, vt latè dicetur *lib.*10 numeris ferè Theologis *in* 4.*d.*34. quos habes apud Sanch. *n.* 3. vbi etiam Ledeſ. 2.*p.*4.*q.*60.*a.*1. Henriq. *l.*11.*de ma. c.*16.*nu.*7. Toled. *lib.*7.*ſu.c.*12.*n.*4. Viual. *cand.*1.*p.de matr.nu.*236. ex iurisperitis Lancel. *inſt. lib.*2.*ti.de diuortris §.item ſi quis* Gaet. *c.ad.limin* 30.*q.*1.§.4.*q.*118. *n.*329 Lex. Reg. 4.*fin.t.*8 *p.*4. vbi Greg. Lop. *v. non ſe desfare* Abbas *c. ex literis de frig.& mal.nu.*3. vbi Alex. Neuo *nu.* 2. Brunel. *de ſponſ.con.*28.*lim* 5.*num.*21. Angelus *matrim.* 3.*imp.* 16.*num.*2. qui optime dicunt eſſe iuſtam cauſam, vt Papa diſpenſet.

2 At vſus matrimonij poteſt impediri, vt ſi vir in eam incidat ęgritudinem vt non poſſit coire, vel fœmina ita efficiatur arcta, vt non poſſit ſemen retinere, & non ſit probabilis ſpes ſeminandi intra vas, tunc non licet copula, ſed ſolum tactus, vt fusè dicemus *lib.* 9. *diſp.* 17.

3 Si verò impotentia conſurgens ſit ex eo, quia vir non emittat verum ſemen; vel quia fœmina non poteſt parere filios viuos; vel quia non poteſt ſine periculo propriæ vitæ parere. tũc dico licitam eſſe copulam, quia id eſt per accidens in ordine ad matrimonium, & ipſi vtuntur iure ſuo iam acquiſito; quare fœmina poteſt petere, & reddere, etiam in duobus vltimis caſibus, ne ſe exponat periculo incontinentiæ, at non tenetur reddere cum periculo, & tanto detrimento. licet Petrus de Ledeſma *de matr. q.*58. *a.*1. *dub.*4. & Manuel. 1.*t.ſum.*2.*edit. c.*235. *num.*6. negent poſſe petere, & reddere, quia non habet dominium ſuæ vitæ, quod eſt probabile. noſtrã ſententiam tenent Tol. Gaet. Led 2.*p.qu.*60.

4 Denique aduerte quod quoties coniuges ſunt certi de impotentia alterius antecedenter ad matrimonium, nec illam probare poſſunt; tunc non poſſunt petere, nec reddere, quia non eſt verum matrimonium inter ipſos. ita D. Thom. & Albertus Magnus. 4. *d.*34. *in expoſit. litera.*

DISPVTATIO CII.

An impotentia conſurgens poſt matrimonium contractum illud dirimat, vel impediat quoad vſum.

1 REſp. nullo modo dirimi matrimonium etiam ſi ſit ſolum ratũ per quamcumque impotentiam ſuperuenientem: patet *ex cap. hi qui* 22.*q.*7. ex D. Auguſt. *l.*1.*de ſerm. Domini in monte c.*32. & ex D. Bonau. Soto, Ricc. & in.

DISPVTATIO CIII.

An quando eſt dubium vtrum impotentia præceſſerit matrimonium; an poſtea ſuperuenerit, vel an ſit vera impotentia, & perpetua: an ſolum apparens & temporalis, matrimonium ſit diſſoluendum.

1 REſp. quando ſumus certi de impotentia, & impotentia eſt naturalis, ſi dubium ſit an impotentia præceſſit matrimonium, præſumitur præceſſiſſe, ratio eſt, quia naturalia ſunt perpetua, & ſemper præſumuntur ineſſe, vt probat Menoch. *de præſump. lib. 1. præ. 14.* & ſauent Doc. infra. cit.

2 At ſi impotentia eſt accidentalis ex maleficio, v.g. vel ex abſciſſione teſticulorum; tunc præſumitur fuiſſe poſt matrimonium; vnde illud non debet diſſolui: nam cum natura hominem illum potentem produxit, ſtat pro eo præſumptio de iure, quod impotentia non præceſſerit; vnde ille, qui aſſerit eum ante matrimonium fuiſſe impotentem, debet hoc probare. ita Goffredus *ſum. ti. de frig. & malef. num. 8.* Alex. de Neuo *c. laudabilem. in fin. eo. t.* Anchar. *c. 1. & c. ex literis eo t.* Romanus *rubr. ff. ſol. matrim. num. 12.* modo non tranſierit breue tempus à die quo matrimonium eſt initum vſq; in diem, in quo reperta eſt impotentia, tunc enim non poteſt præſumi tam breui tempore impotẽtiam illã accidiſſe, & ſic preſumitur fuiſſe ante matrimoniũ

3 Contraria tamen ſententia aſſerens ſemper in dubio præſumi impotentiam fuiſſe ante matrimonium, & per cõſequens diſſoluendum eſſe, eſt valdè probabilis tum ex auctoritate Doctorum, nam illam ſequũtur ex The. Riccar. *4. d. 34. ar. 3. qu. 1.* Abulens. *cap. 19. Matt. qu. 90.* Pet. Sotus *l. 5. de matr. pag. 2.* Veracr. *1. p. ar. 40. conc. 3. in ſpec.* Hen. *lib. 12. c. 8. num. 3* ex iurisper. Hoſt *ſum. tit. de frig. §. quæ impotentia C. fraternitatis d. n. 4.* vbi Io. Andr. *n. 29.* Abbas *n. 16.* & alij Brunell. *de ſpo. con. 28. lim. 5. n. 21. deciſ. capellæ Tolos. 381.* & alij: tum etiam rationibus, præſertim quia iudicando impotentiam præceſſiſſe fauetur proli, & matrimonio: ergo ita eſt iudicandum in dubio.

4 Vbi nota quod ſi dubium ſit an impotentia ſit naturalis, vel accidentalis debet putari eſſe accidentalis, quia naturalis eſt homini potentia ad copulam; ergo vbi non conſtat de contrario, debet illa præſumi.

5 Quod ſi dubitetur de impotentia, an ſit perpetua, vel temporalis, nec facta diligentia certitudo haberi poteſt, ſtandum eſt pro matrimonio, nec illud debet diſſolui: ratio eſt, quia naturaliter quilibet præſumitur potens: ergo ille qui aſſerit perpetuam impotentiam debet probare, & donec non probat, non præſumitur niſi temporalis. adde quod poſſeſſio eſt pro matrimonio, conſtat enim initum eſſe, & ſolum dubitatur, an ſit validum ob impotentiam, ita Sotus *4. d. 34. q. vnic. a. 2.* Lud. Lopez. *3. p. inſt. de matr. ca. 52. col. 3.*

6 Quod intellige, quãdo dubitatur an matrimoniũ fuerit conſummatũ, ſi.n. certum eſt non fuiſſe conſummatum, tunc poſito dubio de impotentia prędicta datur triennium, intra quod experiri poſſent an ſit perpetua, an verò temporalis *ex cap. frig. & maleſi.*

QVAERES.

An qui non eſt certus de ſua impotentia, & contrahit matrimonium, peccet.

7 REſp. peccare, quia exponitur periculo reddendi nullũ matrimonium: ſi verò contrahat etiam cũ mala fide alterius coniugis, poſſunt vtrique petere, & reddere; quia debent certificari de valore matrimonij, quod non poteſt fieri niſi conſtando de potentia per copulam, quidquid dicat Palacius in contrarium. *4. diſ. 34. diſp. 1. col. 14.* vbi ait non peccare. quæ autem circa hęc quęri poſſent, habes in *diſp. 93.*

DISPVTATIO CV.

An & quo iure impotentia temporalis defectu ætatis dirimat matrimonium.

CAſus propoſitus multa inuoluit quæſita, vnde. QVAE-

QVAERES I.

Quænam ætas requiritur ad contrahendum validum matrimonium.

1 REſpondeo ætatem requiſitam ad hoc vt aliqui poſſint matrimonium validè contrahere, eſſe pubertatem, nempe annum 12. in fœmina, & in viro annum 14. ita *cap. continebatur & c. ex literis de ſponſ. impub.*

Quæ ætas debet eſſe in vtriſq; completa, vt ponderat *tex. cap. ex literis* (*do nec puer compleat annum* 14.) ita tamen vt ſufficiat ſi vltima dies ſit incepta, quia hoc ſufficit adhoc vt poſſint teſtari *l. qua ætate ff. de teſte*, ergo multo magis in fauore matrimonij, & tenent Card. *c. fin. n. 2. de ſponſ. imp.* vbi Io: Andr. *n. 3.* Ab. *c. atteſtationes n. 7. eod. t. vbi n.* 20 Alex. Neuo. & *n.* 19. Celſus *conſ.* 105. *n.* 3. Brunel. *de ſponſ. con. 4. nu. 6.*

2 Vnde ſi ſit dubium, an ſint generationi apti, ſi prædictam ætatẽ non habuerint, non præſumuntur apti, & ipſi debent probare aptitudinem; quia habent præſumptionem contra ſe. ſi vero habuerint eam ætatem, præſumuntur apti, quia habent præſumptionẽ pro ſe ſic Innoc. Ant. *d. c. continebatur* Nau. *ſum. c. 22. n. 29.* Cou. *4. decr. 2. p. c. 5. nu. 3.*

3 Contra verò ſi conſtat de potentia ad generandum, & ſit ſufficiens diſcretio ad ſe obligãdum, validum erit matrimoniũ contractũ ante ætatẽ præfinitam, quia debet cedere præſumptio, quam habet Eccleſia, quod ante illam ætatem non ſint potentes, veritati, & experientiæ. ita *cap. de illis cap. puberes de ſponſ. impub.*

QVAERES II.

Quo iure dirimatur matrimoniũ contractũ ante 12. an in fœmina, et 14. in mare

4 REſpondeo ſolo iure Eccleſiaſtico quare ante eam ætatem ſi contrahunt, modo ſint doli capaces, validum erit matrimonium. ratio eſt, quia impotentia temporalis non dirimit matrimonium, vt probaui *diſ.* 92. ſed impotentia impuberum eſt temporalis; ergo nõ dirimit matrimonium. ita D. Th. *4. d. 36. q. vn. Vict. ſum. vbi de ma. n. 784.* Viguer. *l. inſt. c. 16. §. 7. ver. 9.* Verac. *1. p. ſp. a. 49. cõ. 1.* Bar. a Led. *dub. 5. fi.*

5 Vnde infideles quacumque ætate (modò habeant vsũ rationis, nec à ſuis principibus ſit hoc impedimentũ impoſitum) poſſunt matrimoniũ cõtrahere, quia nõ ſubdũtur legi Eccleſiæ.

6 Et Pontifex poteſt diſpenſare etiam vt in quacumq; ætate cõtrahant modò habeant vſum rationis; nam poteſt in omni alio iure humano diſpenſare. Epiſcopus verò non poteſt niſi in caſu vrgentiſſimæ neceſſitatis, quod tenet Henr. *lib 11. c. 13. n. 12.* & videntur etiam aliqui vt Nauar. Alex. de Neuo, & alij ſuſtinere. quos refert San. *n. 12.*

QVAERES III.

An quando quis pubes contrahit, ſed nõ eſt potens ad habendam copulam coniugalem, nec conſtat eam impotentiam eſſe perpetuam ex frigiditate, an potius tẽporalis ob debilitatem ætatis, valeat matrimonium ab eo contractum.

7 REſp. valere. nam *tex. c. de illis 2. de ſpon. imp.* tunc põderat potentiã coeundi adhoc vt ſit validũ matrimoniũ, quando cõtrahitur in impubertate, non attendi debet potentia modò non conſtet eam impotentiã eſſe perpetuam, tũc n. patet ex dictis nullum eſſe matrimonium. ita Hoſt. *c. puberes n. 5. deſp. imp.* vbi Inn. Io. And. Ant. Alex de Ne. Fran. Ab. Coſt. *de ſpon. t. de his qui nup. con. poſ. n. 34. in t. 9. tr.* Maſc. *de prob. concl. 889. n. 10.* Nau. *l. 4. conſ. t. de ſpon. c. 39. nu. 14. in 1. edit.* alij multi Iurisperiti cum Pet. Led. *de matrim. qu. 58. a. 5.* Henr. *loc. cit. nu. 10.* Theologis.

8 Contraria tamẽ ſententia putans eſſe irritũ eſt ſatis probabilis. ratio pro ea eſt, quia *cap. puberes tit. cit.* dicitur puberes eſſe, qui generare poſſunt &c. *et c. de illis eod. tit.* decernitur impuberes potentes generare validè poſſe matrimoniũ inire: ergo a cõtrario ſenſu puberes nõ potentes, inualidè ineunt. ita Gloſſ. cũ Anch. *c. continebatur v. proxime de ſpon. imp.* Veracr. *1. pa. ſpec. a. 39. conc. 2.*

9 Quare in prædicto caſu ad cognoſcendum, an illa impotentia ſit perpetua, vt ſi puer ſit impotens, aut puella arcta debet expectari vſque ad pubertatem completam, quæ in fœmina eſt in 14. anno *ex l. mala ff. de alim. & cib. legatis*, in viro in 18. anno *l. mala ff. de adoptionibus*. niſi tamen impotentia apertè conſtaret eſſe perpetua, vt ſi puer habeat virilia amputata, tunc.n. non eſt hoc tempus expectandum, quia æquitas ſuadet, vt quando impotentia poteſt præſumi ex imbecillitate ætatis, expectetur donec grandior fiat. ita Hoſt. *c. laudabilem de fr. & mal.* vbi Io. And. *n.* 2. Anch. *n.* 4. Brune. *de ſponſ. c.* 28. *decl.* 3. *n.* 8. Ant. Cucus *lib.* 5. *inſt. maio. t.* 12. *n.* 255. Franc. Marc. *deciſ. Parla. Delphin.* 680. *num.* 4. *p.* 2. Fran. *c. vnico* §. *idem quoque n.* 3. *de deſp. impu. in* 6. aduenientе autem plena pubertate, & durante impotentia, vtrum ſtatim ſeparandi ſint dicam infra à *diſp.* 107.

QVAERES IV.

Quomodo probandum ſit eſſe potentiam generandi ante pubertatem.

10 REſpondeo ſi impubes cum alio copulam habuerit ex ea probatur potentia, nam apta vni, præſumitur omnibus apta, & potens ad vnam præſumitur ad omnes.

Immo quamuis copula nondum habita ſit, poteſt potentia ex ſignis cognoſci, quæ arbitrio Iudicis ſunt penſanda, vt docent Præp. Abbas *c. de illis el.* 2. *de ſponſ. imp. n.* 4. & 1. Henric. *c. puberes n.* 3. *co. ti.* Brunel. *de ſpon. co.* 28. *n.* 9. Couar. 4. *decr.* 2. *p. c.* 5 *n* 3. Maſcar. *de prob. concl.* 889. *n.* 10. vt ſi puer ſit proximus pubertati, (quod quando ſit infra dicemus) & valitudinem habeat bonam, & membrorum diſpoſitionem, vel ſi mulier multò maior ſeptennio, & clauſtrum apertum habeat, vt eſt textus *c. fin. de eo, qui cognouit conſang.* vide Tiraq. *l.* 6. *connub. n.* 37. vbi multos affert pueros 9. & 10. ann. generaſſe.

11 Similiter menſtruum in fœmina eſt ſignum ſufficiens ad probandum potentiam, ſicuti etiam ſi puer aptus eſt ad effundendum ſemen; quia nec menſtruum eſt ſine aptitudine ad generandum, nec ſeminis effuſio. ita Sylu. *matrimo.* 5. *q.* 3. *vbi.* 2. Roſſell. *n.* 3. Henriq. *l.* 11. *de matr. c.* 13. *num.* 11. Roſſella, & Henriquez.

12 Contra vero conatus ad copulam eſt ſignum ſufficiens ad potentiam, *ex ca. atteſtationes de ſpon. impub.* vt tradit Menoch. *præ.* 2. *n.* 53. *lib.* 3. Couarr. 4. *decr.* 1. *p.* §. 1. *c.* 1. *n.* 20. non tamen eſt ſignum ad diſcretionem dignoſcendam, immò nec ipſa copula eſt ſignum diſcretionis requiſitæ ad matrimoniũ; quia poſſunt ſtare conatus ad copulam, & ipſa potentia ad copulam ſine ſufficienti diſcretione; ita etiam Couarr. 4. *decr.* 2. *p. c.* 5. *num.* 3. ſicuti nec lanugo in pueri pudendis, quia non omnes pilosi ſunt potentes, & contra, vt docent Hoſt. *c. puberes nu.* 2. *de ſponſ. imp.* Domin. *conſ.* 24. *nu.* 6. quamuis alij oppoſitum doceant.

13 Denique hic duo aduerte. primum eſt, quod regulariter loquendo ad dignoſcenda ſigna impotentiæ non ſunt aſpicienda verenda impuberis; nam licet iura aliqua antiqua id permittant, tamen Iuſtinianus *inſt. quibus modis tut. finit.* id tanquam indecens improbauit: ergo multò magis ab Eccleſia debet improbari. Dixi regulariter, quia ſi dubitetur de virginitate fœminæ; vel an vir habeat membrum aptum generationi ſunt videnda; vt docent Hoſt. Anchar. Io. Andr. Anton. & Henr. *d. c. puberes*: aut ſi matrimonium fuerit initum, & dubitetur de valore ob copulam habitam, tunc debent inſpici à matronis peritis pudenda fœminæ ob valdè vrgentem neceſſitatem. ſic Hoſt. & Alex. de Neuo *c. continebatur de ſpon. imp. num.* 31.

14 Secundum eſt, quod non ſtandum eſt iuramento viri iurantis ſe habuiſſe copulam cum tali puella impuberi, ad hoc vt præſumatur potens; ſed debet ab eo probari ſiuè puella ſit proxima pubertati, ſiuè non. ita *ex cap. continebatur de ſponſ. impub.* & docet Alex. de

Ne-

Neuo *d.c. n.*32. contra Ant.Abbat. tauet etiam Couar. 4.*d.2.p.cap.*5.*num.*3. Præp. *d.c.continebatur*.

QVAERES V.

Quid intelligunt canones nomine malitiæ, dum dicunt in matrimonio malitiam ſupplere ætatem.

15 REſpondeo non intelligi ſolam generandi potentiam', vt probabiliter ſentiunt Card. Hoſt. Io: Andr. & alij apud Sanch. *n.*20. *ex cap.de illis. & cap.puberes de ſponſ.pub.* ſed etiam intelligi prudentiam, & diſcretionem ad intelligendam vim conſenſus coniugalis. probatur *ex cap.fin.de ſponſ.impub.*vbi malitia hæc vocatur prudentia. ita D. Thom. 4. *d.* 36.*qu. vni. a.*5. Abbas,Alex.de Neuo *c.de illis il.*2.Brunel *de ſpon.con.*4.*nu.*6. Couar.*l.c.*Coſtanus *de ſpon.tit.de his qui con.poſ. nu* 50. Sotus 4.*d* 35.*q.vni.ar.*5. Henriq. *l.*11. *de matr.c.*13.*nu.* 10.

16 Quare nec ſola potentia generandi erit ſufficiens ad contrahendum matrimonium ; niſi etiam ſi ſit ſufficiens diſcretio, quæ non poteſt eſſe in puero ſeptennario, in re tam graui, quale eſt matrimonium, & multo minus in minori ſeptennio · quidquid dicant Præp.Card.Henr· *d.c.puberes*,& Perez; *l.*5.*ordinam.ti.*1.*f.*3. nec ſola prudentia erit ſufficiens ſine potentia generandi. ita colligo ex Doct. *nu. præc.*allegatis. & docent Bart. Led *dub.* 51. *de matr.* & Petrus de Ledeſ. *de mat. q.*58. *ar.*5.

QVAERES VI.

Qua ætate dicantur pubertati proximi.

17 REſpondeo ſecundum veriorem ſententiam remitti arbitrio Iudicis ; quia de hac re in iure nil eſt deciſum, qui attentis aliquibus ſignis, (*de quibus quæſt.* 4.) id iudicare debet; & ſi puer non exceſſit decimum annũ cum dimidio,& fœmina nonum cum dimidio ; tunc validiores coniecturæ ad iudicandum eos eſſe pubertati proximos,deſiderantur. Contra verò non tam validæ, ſi iam eam ætatem exceſſerunt.Ita Menochius *de arbitr.l.*2.*cẽt.* 1. *caſu* 57. *a.nu.*20. vbi multos.refert. Couar. *Clem.ſi furioſus de homic.*3.*p. nu.* 5.Dueñas *reg.*2 59. *limit.*3. vbi multos adducit Gutier. *auth.ſacram.tmp. nu.*4. *C.ſi aduerſus venditionem* quamuis alij putent pubertati proximos eſſe quando ſex mẽſes requiruntur ad pubertatem : alij contra putant quando puer 10.annum cum dimidio, fœmina nonum cum dimidio exceſſit, quos vide apud Menoch. *l. cit.*

DISPVTATIO CV.

An matrimonium contractum abijs, qui ſunt in articulo mortis, ſit validum ; ita vt etiam prolem antea ſuſceptam legitimare valeat.

1 REſpondeo matrimonium in eo ſtatu contractum eſt validum, etiam ſi contrahatur à decrepito, qui ob ætatem non ſit priuatus potentia coeundi. ita oſtendit vſus Eccleſiæ.& ratio eſt, quia potentia generandi in illo adhuc eſt, licet impedita propter infirmitatem ; ergo &c. Eſt communis ſententia. Immò tale matrimonium reddit legitimos filios antea habitos, vt ſi quis rem habuerit fornicarie cum Berta, & in articulo mortis illam ducat in vxorem,tunc filij verè legitimantur, quia *c. tanta qui filij ſint legitimi, generaliter loquitur per ſub ſequens matrimonium prolem legitimari.* ita docent 30. ferè Iuriſtæ Ioa: Andr. Card. Præp. Ant.Henricus *cap.tanta qui filij ſint legitimi* vbi Alex. de Neuo Cynum *l.nuper.n.*1.*C.de nat.lib.*vbi Sal. *fin.*Baldus *C.innotuit n.*11.*de elec.*Alber *cum quis n.*5.*C.de mat.liber.*Aret.*l.ſed eſt quæſtum fin.ff.de lib.& poſth.* Lud. Sardis.*de natal.libe.* 2.*p.de legit.q.*1. *num.*3. Mart.Lauden.*tract.de legitimat.n.*159. Tiraq.*l.ſi vnquam v.ſuſceperit nu.*37.*C. de reu. don.*

QVAE-

QVAERES

An talis legitimatio excludat ſubſtitutũ.

Caſus eſt iſte. Titius inſtitutus eſt hæres cum hac conditione, vt ſi ſine legitima prole deceſſerit, Caius ei ſubſtituatur, & ſit heres: quærimus an ſi Titius prolem in articulo mortis, vel in decrepita ætate legitimat, ſuccedat Caius ipſi titio, an verò filij legitimati.

2 Reſpondeo filios legitimatos in hoc caſu excludere Caium ſubſtitutum; ita vt ipſi parenti mortuo ſuccedant; non Caius. ratio eſt, quia iam deficit conditio, Titius enim moritur relinquẽs filios legitimos, ac naturales; nec poteſt dici id factum eſſe in fraudem; quia talis actus in articulo mortis eſt morienti vtilis; ſed potius præſumitur patrem voluiſſe ſuis liberis conſulere. ita Baldus *conſ.* 319. *nu.*1. *vol.*4. Barth. Sonc. *l. ſed eſt quæſitum nu.*2. *ff. de lib. & poſth.* vbi Iaſon. *nu.* 11. Ripa *l. ex facto nu.*48. *ff. ad ſen. conſ. Treb.* Suar. *li.*1. *leg. fori t.*11. *de los plettos l.*9. *nu.*10. Menoc. *de præſ. l.*5. *pr.*81. *nu.*29. Mantica *de conjectur. vl. li.* 11. *tit.*13. & alij communiter contra Ruinum, Alciatum, Burgos de Paz. & alios paucos oppoſitum ſentientes, quia tunc præſumitur id fieri in fraudem ſubſtituti. vide apud Sanch. *num.* 7.

3 Immò quamuis moriens apertè legitimaret filios in fraudem ſubſtituti eo ſolum animo, vt illum ab hæreditatis ſucceſſione excluderet; tamen filij legitimati ſuccedunt, quia vere non dicitur ſubſtitutum fraudare, qui actum iure permiſſum facit; ſed potius vti iure ſuo, quia verè per illud matrimonium filij fiunt legitimi; ergo verè deficit conditio, ſub qua Caius ſubſtitutus debebat ſuccedere. ita Mincha-cha *in controu. vſu frequentibus l.*3. *cap.* 4. *num.*5. Bald. *rubr. C. de priu dotis n.*2. Sarmien. *l.*1. *ſelec c.*6. *nu.*5. Io. Garſia *de nobili gl.*21. *nu.*58. Spino ſpecul. *teſt. gl.* 15. *princ. num.*106. Molina. *t.*1. *de inſt. tr.*2. *diſ.*172. *ad finem*.

4 Contraria tamen ſententia aſſerens in hoc caſu, quando conſtat de fraude legitimantis ſuccedere ſubſtitutum eſt communior, & probabilis valdè, ratio potiſſima eſt, quia ſi quis ſubſtituitur Titio, quando is abſque liberis deceſſerit; ſi Titius profeſſionem emittat ſubſtitutus excluditur; quia ſuccedit monaſterium, *cap. in præſ. de prob.* at ſi Titius faciat profeſſionem in articulo mortis in fraudem ſubſtituti, hic non excluditur, ſed ſuccedit, ergo ſimiliter ſi quis legitimet prolem in fraudem ſubſtituti, ſubſtitutus ſuccedit. probatur *ex l. filia mea ff. ſol. matrim.* & alijs iuribus. ita Decius *conſ.* 399. *vol.* 3. Ruin. *conſ.*78. *num.*8. *vol.*3. Bart. Sanc. *l. c.* Suar. *l. c.* Molina *lib.*2. *de prim. c.*5. *n.*27. Cueñas *reg* 350 *lim.* 1. Menoc. *l.*5. *præſ.*81. & 83 *nu.*78 Franc. Mar. *dec. Parl. delfinat.*684 *num.*3. *pa.*2. & alij.

DISPVTATIO CVI.

An hermaphroditus poſſit inire validum matrimonium.

1 REſpõdeo hermaphroditum ſi eſt talis, vt alter ſexus præualeat, tunc poteſt inire matrimonium iuxta eum ſexum; v.g. ſi præualet ſexus virilis, poteſt accipere vxorem, ſi fœmineus, virum, & ſi aliter fecerit erit nullum matrimonium; quia ipſe iudicatur fœmina, vel mas iuxta ſexum, qui in ipſo prevalet. *l. quæritur ff. de ſtatu hominum.* ita Gloſſ. *c. ſi teſtes v. ad teſtimonium* 4. *q.* 3. Angel. *hermaphroditus nu. vlt.* vbi Sylu. Tab. Armill. Albericus *l. quæritur d. n.*5. vbi ait ſtandum eſſe ipſius dicto, & medicorum peritorum.

2 At ſi vterq; ſexus æqualis eſt, quod etiam præſumitur in dubio, ita vt medici neſciant quis ſexus præualet, tũc poteſt talis hermaphroditus eligere quem velit, & in ipſo permanere; vt ſi ſemel elegit ſexum virilem, & vxorẽ duxit, non poſſit amplius ea mortua virum accipere ſine peccato mortali, licet matrimonium non eſſet inualidum, quia nec iure naturæ, nec iure Pontificio irritatur.

3 Vnde Parochus non debet intereſſe ma-

ſe matrimonio ab Hermaphrodito contracto; niſi ille prius coram iudice Eccleſiaſtico proteſtatus ſit, quem ſexum elegerit; nam debet iurare ſe velle talem ſexum eligere, & præter electum ſe non vſurum alio ſexu. ita Maiolus *lib. 3. de irreg. cap. 2.*

DISPVTATIO CVII.

An ſi conſtet de impotentia, poſſit ſtatim declarari irritum matrimonium cum ea initum abſque alia probatione.

1 REſpondeo licet Iudex in diſſoluendo matrimonio debeat omnes vias indagare ad cognoſcendum impotentiam, quia agitur de re grauiſſima, vt aduertunt communiter Doctores; tamen quando ſunt ſigna impotentiæ, quæ neceſſariò, & euidenter illam oſtendunt, nulla alia probatio, nec experientia requiritur, ſed ſtatim debent coniuges taliter impotentes ſeparari. nec tunc iuramentũ ſeptimæ manus propinquorum (de quo diſp. ſeq. dicemus) deſideratur, ſed ſufficit iuramentum matronarum vel medicorum atteſtantium ea ſigna eſt communis ſententia teſte Sanch. *n. 3. hic*

2 Sunt autem hæc ſigna euidentia impotentiæ, quando virilia omnia ſunt amputata, vel quando vir teſtes non habet, vel membrum habeat omnino ſiccum, aut fœmina ita eſſet arcta, vt quilibet eam inſpiciens, iudicaret non poſſe vllo modo vllum membrum virile vas eius penetrare, vt docet Specul. *tit. de frig. & malef.* vel denique ſi vir ratione frigiditatis, per ſententiam eſt ſeparatus ab alio matrimonio; vide Ant. *c. laudabilem nu. 14. de frig. & malef.* Io. And. *n. 8. & 9.* Innoc. *n. vnic.* Abb. *n. 2.* Maſcard. *de prob. concl. 889. n. 4.* Alex. de Neuo *d. c. laudabilem. n. 45. & 15.*

3 At ſi ſigna non ſunt euidenter concludentia; ſed veriſimiliter euidentia; tunc non requiritur experientia triũ annorum; ſed iuramentum ipſorum coniugum aſſerentium ſe non poſſe coire, & præterea ſeptima manus conſanguineorum iurantium ſe credere eos verum fateri. Alex. de Neuo *d. c. laudabilem n. 17. caſu 2.*

4 Sunt autem hæc ſigna veriſimiliter euidentia, vt ſi membrum virile ſit quidem aridum; ſed non omninò, ita vt medici putent non eſſe euidentem impotentiam; ſed veriſimiliter euidentem, vel ſi mulier ſit arcta, quia hæc arctitudo debet inſpici à matronis, quæ poſſunt ſæpè falli. ita Ant. *c. fin. n. 8. de frig. & male.* & Alex. Neuo *l. cit.* contra quosdam abſolutè putantes hæc ſigna eſſe euidentia. vide DD. *n. 2. cit.*

5 Solum hic nota, quod quando impedimẽtũ oritur ex maleficio requiritur experiẽtia triũ ãnorũ, quia hęc impotẽtia eſt per accidẽs, & põt adhibitis remedijs diſſolui. ita Abbas Io: Andr. Præp. & alij per multi. *c. fin. de frig. & mal.* Conſta *de ſponſ. ti. de his, qui nupcon. poſſ. n. 78.* Greg. Lop. *li. 5. v. faſta eſſe plazo tit. 8. p. 4.* Matien. *lib. 5. rec. ti. 1. rub. gl. 1. n. 203.*

6 Immo ſi coniuges per triennium ſimul habitauerint ad experiendum, ante quam Iudex illud aſſignaſſet; tunc tranſacto triennio poterit Iudex aliud tempus aſſignare, vt interim orationi vacent, & Deum placent. ita colligitur *ex cap. fin. de frig. & malefic.* & docent Roſel. & ſupplem. Piſanæ *ver. diuortium n. 4.* Sylueſ. *q. 20. n. 23.*

* Vbi obiter notare volui non rectè Ioannem Sancium *in ſelectis diſ. 56. n. 1.* aſſeruiſſe Thomam Sancium non explicaſſe *in hac diſp. 107.* quænam ſint ſigna veriſimiliter euidentia, & quænam dubia, ac præſumptiue probantia huius Doctoris verba ſunt (*quod tracta ſſe Thomam Sanchez vellem; cum enim lib. 7 diſ. 107. n. 2. quædam dari ſignaeuidentia impotentiæ aſſeruiſſet, videlicet virile omnino amputatum eſſe vt nu. 5. aut vtrumq; teſticulum vt n. 9. vel aridũ penitus eſſe vt n. 6. aut quod fœmina omnino arcta ſit vt n. 7. vel ſi vir ab alio matrimonio ſit ratione frigiditatis ſeparatus vt n. 8. non explicuit, quænam ſint veriſimiliter euidentia, & quænam dubia, ac præſump-*

ſumptiue probantia. Imo inter hæc dub ſignorum genera inaniter præmittitur diſtinctio, quod enim euidens ſignum impotentiæ non reperitur dubiam impotentiam declarat, namque eſſe minus, vel plus dubiam, dubiæ impotentiæ metas non tranſcendit) hæc dictus Io. Sancius, qui certe ſi attentius eadem loca, quæ ex noſtro Tho. Sancio citat, legiſſet, vidiſſet profecto illum ſuo officio non defuiſſe, omniaque explicaſſe, non vt pueros docturus; ſed cum iuris doctis loquuturus; qui materiam hanc, vt plurimum atractare ſolent. Et quidem *n. 6.* vnum explicat ſignum veriſimiliter euidens nimirum quando membrum virile non eſt omnino aridum his verbis (*At hoc non caret difficultate* (ſcilicet quando virilia arida ſunt) *quod alij exiſtiment membri virilis ſiccitatem non eſſe ſignum omnino euidens impotentiæ, ac illam neceſſario concludens, ſed veriſimiliter euidens ſicuti enim per id membrum vrina expelli poteſt, ita videtur poſſe etiam ſemen emitti, quare non erit neceſſarium expectare triennium &c.*) & volens ſuam ſententiam aperire, ſubdit (*ſed in hac Doctorum controuerſia exiſtimo ſic eſſe dicendum: ſi membrum virile ſit omnino ſic cum. eſt ſignum omninò euidens, & neceſſario concludens, & in hoc euentu eſt verum, quod dicunt priores Doctores, quia tunc hic vir aut ſeminis veri emittendi incapax eſſet &c. ſi autem non ſit omnino aridum, ſed taliter, vt medici iudicent non eſſe certam, & euidentem impotentiam, ſed veriſimiliter euidentem, tunc habet verum quod dicunt poſteriores Doctores, quod ſi non ſit ita aridum, quin poſſit ſufficienter erigi, & de hac potentia conſtet non conſendus eſt vir ille impotens*) vbi aperte aſſignatum vides ſignum veriſimiliter euidens impotentiæ: nempe quando membrum non eſt omnino aridum ita, vt medici non poſſint iudicare eſſe certam, & euidentem impotentiam. Aliud præterea *n. 7.* aſſignat impotentiæ ſignum veriſimiliter euidens ibi (*ſed nec hoc eſt ita certum* (nimirum quando mulier eſt arcta) *nam alijs placet arctitudinem mulieris non eſſe ſignum omnino certum, & euidens: ſed euidens veriſimiliter, & ideo cenſent non exigi triennium bene tamen dicta iuramenta*) & poſt rationem aſſignatam quod arctitudo illa ſit per matronas inſpicienda; quarum oculus ſæpe fallitur, & doctores citatos concludit (*& hæc ſententia poſterior mihi magis placet*) qua igitur ratione potuit Ioannes Sancius tam facile aſſerere Sancium noſtrum non aſſignaſſe quæ fuerint ſigna veriſimiliter euidentia impotentiæ. cum is duo expreſſiſſime tradiderit? dubia porro ſigna non poterant alio meliori modo dignoſci; quam aſſignatis ſignis euidentibus, ac veriſimiliter euidentibus; quæ enim talia non ſunt, dubia ſigna impotentiæ ſint neceſſe eſt. præſertim poſitis his, quę in præcedentibus diſp. dixerat.

Neque ſane video cur inanem diſtinctionem appellet hic auctor, quæ ponitur inter ſigna veriſimiliter euidentia, & dubia; cum eam & Doctorum fere omnium conſenſus, & ratio ipſa ſuadeat, videte Butrium *c. laudabilem de frigidis* Præp. Alex. de Neuo, & alios ibi Baſi. Pontium *cap. 66. n. 2.* Hurtad. *de matr. diſ. 22. cap. diff. 11. nu. 36. & 38.* Filiucc. *trac. 10. de matr. c. 4. num. 105.* & alios paſſim. ratione etiam oſtenditur nam vel certo conſtat adeſſe impotentiam; ita vt intellectus euidẽter iudicet illum eſſe impotentem; quia v. g. non habet virilia. & tunc habetur ſignum euidens vel non ita euidẽter conſtat eſſe impotentiam; ſed intellectus ita putat probabile eſſe impotentiam perpetuam; vt nullam habeat probabilitatem oppoſiti; ſed ſolum leuem quandam formidinem, vt cum mulier arcta aſpicitur, & tunc habetur ſignum euidens veriſimiliter; id eſt fere euidens. denique poſſunt eſſe aliqua ſigna; ex quibus intellectus ita reddatur anceps, vt nec poſſit ferre iudicium certum. neque fere certum; immo neque cum aliqua probabilitate impotentiæ vel potentiæ; ſed habet rationes dubitandi pro vtraque parte, vt ſi vir non habeat pilos; nã nec omnes

nes piloſi ſunt potentes, nec omnes carentes pilis ſunt impotentes: vt *diſ.* 104. dixi & trādunt. Hoſt. *C. puberes n.* 2. *de deſp. imp.* Domi. *conſ.* 24. *nu.* 6. & in hoc caſu dubia eſt impotentia, ac indicia illā taliter oſtendētia, quare manifeſte, ni fallor, falſa eſt Ioannis Sancij propoſitio illa, quam ſupra retulimus nimirum: (*quod euidens ſignum impotentiæ non reperitur, dubiam impotentiam declarat, namque eſſe minus, vel plus dubiam dubiæ impotentiæ metas non tranſcendit*) nā prēterdicta; ſi hęc propoſitio eſſet vera, corrueret omniū Theologorū, & canoniſtarū celebris quæſtio de opinione probabili vel minus probabili, de cōſcientia dubia ſcrupuloſa, opināte, quod dētur aliqua indicia leuia, & probabilia; probabiliora; grauia, & legitima: probatio ſemiplena, & grauiſſima, ac de indubitata: & prima duo ſufficere ad capturā, nō autē ad torturā: grauia, & ſemiplena pbatio ad torturam, vt docet cōmunis opinio teſte Iul. Claro *q.* 21. *n.* 2. corruerēt inquam hæc; nā poſito quod nō ſint euidētia; eſt dubium per Io. Sanc. & parū refert quod ſit minus, vel maius dubiū quod eſt aperte alienū a mēte Doctorū. nā ſequeretur quod vel in omnibus indiciis nō euidētibus deberet reus torqueri, vel nunquam cum ea dubia ſint quæ non ſunt euidentia; nec inter dubia detur notabilis differentia.

Deniq; ſine cauſa *n.* 8. Idē auctor reprehendit Sanciū noſtrū, quod nō limitauerit dictū illud, ſeparādū eſſe matrimoniū; quādo per ſententiā coniux frigidus declaratus eſt, nō inquā limitauerit: *& ſigna aduenientis potentiæ nō sūt oſtenſa*: vt ipſe limitat, & ait (*ſic limitare opus erat Sancio*) potius ego dicerē: non opus erat Sancio hic limitare, cū. n. de hac materia integrā habuiſſet diſputationē, nēpe. 98. ſuperfluū fuiſſet idem repetere; ſed ſatis fuit dicere (*vt prohaus diſput.* 99. *num.* 6.)

Hæc dicta volui, prēter morem (neminem quippe niſi ſolum Pontiū moratus ſum.) ne dū lector apud Io: San. legeret, quod Tho. Sanch. nō explicauit ſigna impotentię veriſimiliter euidētia; me falſum putaret, qui illa in *hac diſ. nu.* 2. ex eodē Th. San. retuli; & hac occaſione breuiter alia notaui ne viderer huius Doctoris cenſuras contra noſtrum Sancium approbare.

DISPVTATIO CVIII.

An quando ſigna impotētiæ ſunt dubia: ſed coniuges ipſi fatentur cumiuramento talem impotentiam poſſit diſſolui matrimonium ſtatim.

1 REſp. nō poſſe, ſed prēter aſſertionē, & iuramentū coniugū requiri duas conditiones prima eſt; vt per trienniū ſimul habitēt ad experiendā impotentiā. ita *c. laud. de frig. & malef.* ratio eſt, quia tūc in *d. c.* requiritur experiētia trienni; quādo nō conſtat de impontētia; ſed quādo ipſi cōiuges eā fatentur, nō cōſtat de eorū impotētia, nā ſæpè poteſt euenire, vt nō ſit naturalis, vel perpetua, & quod decurſu tēporis, poſſit amoueri; ergo etiā ſi coniuges fateantur, & iurent ſe eſſe impotētes, requiritur triēniū experiētię. adde quod melius eſt in hac re maiorem ponere diligētiam: ita S. Th. 4. *d.* 34. *in exp lit.* Magis *ſi.* vbi Pal. *q.* 2. ſupp. Gab. *q. vn. a* 3. Celaia *q* 1. Ab. *c.* 1. *n* 5. *c. laudabilē de frig. & mal.* Præp. *n.* 4. Brunel. *deſpon. concl.* 28. *n.* 16. Gaet. *c. ad limina* 39. *q.* 1. *§.* 4. *q.* 221. *n.* 522. Vgoli. *de matr. c.* 19. *n.* 1. Greg. Lop. *l.* 6. *t.* 8. *par.* 4. modò cōiuges fatentes impotentiā non ſint ſenes; nā ſi ſūt ſenes ſufficit dare aliquod tempus arbitrio iudicis, quia in his quotidie natura redditur debilior.

2 Quam ſententiam multi Iuriſtæ. vt Anch. Io. And. Alex. de Neu. & alij *d. c. laudabilem.* Alb. *li. D. v. diuortium* Maſc. *de prob. n.* 7. *cōc.* 889. Ant. Cuc. *lib.* 5. *inſt. mat. t.* 12. *n.* 264. docēt eſſe in omnibus vt ſcilicet nō requiratur trienniū, quādo coniuges fatentur impotentiā; ſed ſolū tēpus arbitrio Iudicis determinādum, vt vnius menſis quia *c.* 1. *de frig. & mal.* non determinatur hoc triennium, ſed dicitur; vt poſt dimidium annum habitationis ſeparentur.

3 Circa iuramentum coniugum: nota primo iuramentum non eſſe neceſ-

furio præſtandum tactis Euangelijs;nã licet de rigore iuris id requiratur ; tamen per conſuetudinẽ ſufficit ſi ſuper crucem præſtetur,vt docet Couarr. *c. quamuis pactum.1.p.§.1.num.2.*

4 Notaſecundò quod hoc iuramentũ debet eſſe de certa ſcientia,vt vir iuret ſe ſine dolo,& data opera ad copulam conatũ eſſe;nec potuiſſe cõſummare. ſimiliter etiã,& mulier ſe nulla fraude, & dolo vſam eſſe ad copulã impediẽdam ;immò non ſolum debet eſſe iuramentum,quod non potuerit cũ hac ſola copulam habere; ſed abſolutè nõ non poſſe;nam licet vir alias mulieres non tentauerit; tamẽ poteſt ea allegare,quæ probent ipsũ omninò eſſe impotentem,ita *ex cap 1.de frig. & malef.* ibi (*ex tunc primum dixiſti te eſſe frigidę naturæ, ita vt non potuiſſes coire cum illa, neque cum aliqua alia*) ita Hoſt. Io:And. *d.c.1.n.1.&* 3.Præp.*C.fi.eod ti.*vbi Ant. *nu.2.*Alberic.*lit.D. v. diuortium circa principium.*Aſten. *2.p.ſum.l.8.t 37.ar.1.*

5 Vnde ſi coniux,qui iurauit hanc impotentiam,copulam habeat carnalem cum alia fœmina , reputabitur ipſe cum altero coniuge periurus *ex c.laud. de frig.& malef.*quia coniuges, vt diximus, non ſolum iurant ſe illud matrimonium non potuiſſe conſummare ; ſed abſolutè virum non poſſe coire, nec ad coitum moueri: ergo cognita potentia arguuntur rei periurij ; ſtat enim contra ipſos præſumptio iuris, & de iure. contra quam nulla admittitur probatio.ſic Ant.*c.laudabilem ad fin.*vbi Præp.*n.2.*Alex.Ne.*n.4.de frigid.*

6 Secunda conditio præter triennũ requiſita adhoc vt diſſoluatur tale matrimonium,eſt,vt ſeptima manus propinquorum adhibeatur , & ſi hi deficiant , vicini , vel his deficientibus alij omni exceptione maiores , qui iurent ſibi eſſe veriſimile coniuges verum dicere; nam non poteſt illis impotentia conſtare . ita habetur *d.c.laud. in fine*,& ratio eſt ne coniuges inter ſe colludant , & iurent ſe eſſe impotentes , cum ſit falſum. ita D. Th. Scotus Palud.*4.d.*34.vbi alij Theol.& ex iuris peritis Monal.*ſum.tit.de impoſſib.coeundi* Turrec.33.*q.1.ſum.a.1.n.9.*Nauar.*l. 4.conſ.ti.de frig.conſ.1.n.3.*Maſcar. *de prob.con.*819.*n.*8.Fulu.Pac.*l.2. de prob. c.2 n* 24.Vgol *de matr.c.*19.*n.1.*Gloſ.*c. fin.in fin.de frig. & mal.* vnde ſi coniuges poſtea potentes inueniantur , ipſi non erunt periuri , quia non iurarunt de certa ſcientia.

7 Circa quas conditiones nota primò quod iuramẽtum ſeptem propinquorum requiritur , etiamſi mulier per aſpectum virgo reperiatur , quia poteſt etiam inter eos eſſe colluſio, & falli poſſunt matronæ;vel etiam ſi ſit fama de impotẽtia,quia hæc ad diſſolutionem matrimonij ratione impotentiæ nullius eſt ponderis. Præp. Hoſt. Io:Andreas. *d.c.fin.& c.1.eo.tit.* & ſupponunt Doct. cit.

8 Secũdo nota quod ſi vterque coniux fateatur impotentiam,debent eſſe quatuordecim propinqui , aut vicini , aut alij nimirum ſeptem pro vno, & ſeptem pro alio, ob fauorem matrimonij ; caſu tamen , quo tot non poſſunt inueniri , ſufficiunt tres, aut duo Iudicis arbitrio. ita Albericus *lit.D.v. diuortium paulo poſt princ.*Inn. *c.laudabilem.*vbi Alex.de Ne. *n.6.*Gloſs.*c. requiſiſti v.ſeptima manu.33.q.1.*vbi Arch.*n.* 6 Bell.*n.*3.Call.*add.ad* Ful.Pacia. *lib.2. de prob.cap. 2.lit.H.*

DISPVTATIO CIX.

An ſi alter coniugum fateatur impotentiã, alter verò neget,poſſit diſſolui matrimonium,& cui potius habenda ſit fides.

1 REſp. cum hac diſtinctione ſi fœmina non reclamat,allegans impotentiam ſtatim initio, nempè intra duos menſes à copula intentata *ex gl. c.ſi quis acceperit* 33.*quæſt.*1.vel vt vult Inno.*c.1.nu.fin.de frig.*intra ſex menſes non eſt audienda , antequam tranſactũ ſit triennium à die copulæ intentatę;&potius debet viro fides haberi,qui affirmat ſe conſummaſſe matrimoniũ ita *c.1.de frig.*quia cõtra ipſam eſt prę ſumptio ex eo,quia non proclamarit ; & quia vir,qui eſt caput,aſſerit potentiam.ita Abbas Alex.de neuo *d. cap.1.* Brunellus *deſpon.conc.*28.*lim.*1.*n.*16.

Dixi

2 Dixi non audiendam esse ante triẽnium, nam eo transacto debet audiri, quia *c. laudabilem de frig.* indistinctè cõcessum est, vt post triennij experientiam liceat matrimonium dissoluere, vt docent Abbas Anch. Alex. de Neuo *d. cap. fin. cap. laudabilem*. atque adeò *cap. d. primum* non est contrarium *cap. fin. & cap. fraternitatis eod. tit.* nam caput primum negat audiendam esse mulierem ante triennium; hęc verò concedunt audiendam post triennium.

3 Excipe tamen primo, nisi fœmina, vel per certa signa, quæ sint saltem verisimiliter euidentia, velit probare impotentiam viri; quia tunc & si per multũ tẽpus tacuerit debet audiri etiã nõ expectato triẽnio, & statim ac impotentia per ea signa probata fuerit iuxta dicta *disp.* 107. matrimonium est dissoluendum; vel per signa vrgentia, sed non verisimiliter concludentia, tunc etiam debet audiri quidem, sed matrimonium non est separandum, nisi post triennium experientiæ. ita Abbas *d. c. 1. n. 5. vbi fin.* Alex. de Neuo & Brunellus *de sponsa. conct. 28. lim. 1. nu. 16.* Greg. Lopez *l. 6. t. ni deue ti. 8. pa. 4.* at si velit probare per alia signa post triennium, est audienda ex Abb. Alex. de Neuo cit.

4 Excipe secundo nisi fœmina appareat virgo ex aspectu, ad quem non requiruntur matronæ peritissimę, vt putat Marc. infra cit. aut septem, sed sufficiunt duę, aut tres matronę expertę, & bonę famę *ex c. fraternitatis eod. tit.* nec alibi id requiritur) tunc. n. potius ipsi neganti fuisse copulam, quam viro affirmanti credendum est, vt docent S. Th. Durandus, Palud. Riccar. & alij multi. Theol. quos cit. Sanch. *n. 6.* cum Fran. Mar. *decis. parl. delph. 677. n. 1.* Ful. Pac. *2. de prob. c. 2. nu. 15.* Astens *2. p. sum. lib. 8. t. 37. a. 1. qu. 2.* Alex. de Neuo *d. c. fin. nu. 9.* verum si in hoc casu non sunt alia signa vrgentiora, quę probent viri frigiditatem, nec initio reclamauit non debet audiri, nisi post triennium experientiæ à copula intentata; & tunc si accedat iuramentum septimę manus propinquorum asserentium se putare verisimiliter illam verum dicere, matrimonium est dissoluendum. ita Abbas Alex. de Neuo, & alij. *d. c. 1.*

5 Quod, vt scilicet potius viro, quam fœminę proclamanti credendum sit; adeò est verum, vt si mulier fuerit corrupta, quando contraxit matrimonium, nec impotentia viri probari possit; si hic asserat copulam, matrimonium non sit dissoluendum à Iudice Ecclesiastico; nec debet ferre, vt tẽpore coitus sint testes oculati, quia est turpissimum, & occasio peccati. Intellige non esse dissoluendum matrimonium si proclamat mulier ad hoc vt matrimonium dissoluatur; nam si id faciat ad hoc vt possit ingredi religionem, debet statim audiri, & satis est si virgo appareat *cap. ex pub. de cont. coniug.* vt tradit. Alex. de Neuo *d. c. 1. num. 13.* ita Sotus 4. *d. 34. quæst. vni. a. 2. col. 4.* contra Zephalum *cons. 384. à. n. n. 30.* & alios volentes permittendum aspectum. vide Montal. *l. 6. ver. frio. t. 8. par. 4.* Henriq. *c. 1. nu. 4.*

6 Excipe tertio nisi fœmina asserat se cognitam fuisse à viro, tunc enim ipsi potius, quam viro credendum est, quia stat pro matrimonij fauore, & docent Doctores D. Th. Duran. D. Bon. & alij. 4. *d. 34.* Host *sum. t. de frig. & mal. §. qualiter n. 10.* Mascar. *de prob. concl. 312. nu. 24.* Io: de Fibur *sum. confes. l. 4. t. 19. q. 16* supp. pisa. *v. diuortium n. 2.* vbi Rossella. nisi vir per aspectum conuincat illam esse virginem.

7 At si mulier statim post cõtractum matrimonium, ante scilicet bimestre elapsũ à copula intentata; reclamet asserens impotẽtiam in viro, si ea virgo est, debet audiri, & potius ipsi, quã viro credendum est, & probata impotẽtia per rectũ iudiciũ, vt scilicet appareant signa frigiditatis in viro per aspectum, quæ illam præsumant, & vxor reperiatur virgo etiam per aspectũ. & preterea sit iuramentum septem propinquorũ statim, non expectato triennio debet separari à viro. ita habetur *ex c. 1. & ver. si autem*, & videtur tueri

Abbas *d.c.1.nu.5. & 8.* & expreſſe docet Innoc.*c.2.nu.1.de frig.* Alex.de Neuo *c.laudabilem nu.17.caſu.3.*

8 Si verò mulier ſtatim reclamans erat corrupta tempore initi matrimonij (quod ipſa debet probare, cum alleget ſuam turpitudinem *cap.cum ſuper de conc.præb.*) tunc debet ſtatim audiri; at matrimonium non eſt diſſoluendum, niſi poſt triennium experientiæ, quando non ſunt ſigna frigiditatis euidentia, vel veriſimiliter euidentia, quia aliter non eſt rectum iudicium, quale petit *tex. d. cap.1.* ita Abb. Ant. *c.laudabilem n.2. de fri.* vbi Ioa. Andr. *n.5.* Greg. Lop. *v.ed ir.le placo.l.6.ti.p.3.* Hoſt. *ſum.tit.de frig.& mal. §.qualiter & quando n.10. & 11.*

9 Hic nota quod ea, quæ diximus de fœmina proclamante, intelligenda ſunt de viro, & eædē probationes, quæ requiruntur ad diſſoluendū tunc matrimonium, requiruntur etiam quando vir reclamat, nam correlatiua, vt ſunt vir, & vxor easdem habent regulas; & ſolum aliquando plus creditur viro, quam mulieri in caſibus poſitis.

* Diſputationem hanc qua potui diſtinctione, & breuitate expeditam tradidi, vt & obſcuritas, & confuſio vitaretur; quippe qui ſciam rem eſſe valde neceſſariam: ac Iudicibus multum conducere (paſſim enim petuntur matrimonia diſſolui allegata viri impotentia) quid in ea quæſtione ſenſerit Thomas Sancius cognoſcere, namque is rem totam non perfunctorie, vt aiunt; ſed accuratiſſime, & copioſè ex inſignioribus iuriſperitis, & canonum decretis, exagitauit, & quod rationi, ac iuri conformius tradidit: vt merito eius auctoritas in cauſa matrimonij, ac præſertim in ea quæſtione, quam tractamus magis Iudices permouere debeat in ferenda ſententia, quam cuiusuis alterius Doctoris placitum, qui de hac re ſcripſerit, vt late probat Menoch. tractans in terminis vniuerſalibus *lib.2.præſ.71. per totam* quamuis vt ingenue fatear omnes ferè recentiores, quantum videre potui circa hanc materiam Sancium ſequantur, in his, quæ ſunt alicuius momenti. At acrem ſentio meę induſtriæ oppugnatorem. Ioannes Sancius doctus quidem recentior, is eſt, qui cum *diſp.49. in ſelectis* referat Thomam Sanch. pro longe diuerſa ſententia, ab ea, quam ego hic, & à centeſima ſeptima diſput. ſequutus ſum: anſam lectoribus præbet ſuſpicandi me aut Thom. Sancium non aſſequi; aut, quod moleſtius eſſet, inconſtantem eſſe; quippe illius doctrinam in omnibus non ſequar, vt in ipſo operis ingreſſu pollicitus ſum. præterea cum *num.15.* non vereatur dicere Thomam Sancium fuiſſe deceptū, eius auctoritatem funditus euertit, cum minimè credendū ſit Doctori quantacumque doctrina polleat; dum veritatis fundamento caret, vt tradit Ioan. Lupus *c. per veſtras de don.int.vir.& vxo.*

Quare neceſſarium duxi iterum a Pontio calamum auertere, & huius auctoris dicta perpendere: vt prudens lector quid ſibi potius amplectendum ſit, iudicet.

Dico igitur minus rectè à Ioanne Sancio citari Thomam Sancium, Innoc & Alex.de Neuo pro ſua ſententia *nu.12.* ibi *(hanc noſtram ſententiam docent expreſsè Innoc.de frig.n.1. ver. tertia pars Alex.de Neuo c.laudabilem nu.17.caſu.3.ad fin. eod ti & c.1. num.13.de frig.vbi etiam id videtur docere Abbas nu.5. docet.Sanchez l.7. de matr. diſ.109. nam.Batilius Leon lib.7.de mat. c.66. nu.2. & ſeq.Reginal.2.t.prax lib.31. nu.106.Ochagauia de ſacr.trac.3.q.74. Henriq.lib.12.c.7.nu.1 fine &c.)* minus inquam recte citantur: nam hi doctores omnino oppoſitum dicunt, Ioannis Sancij ſententia eſt ab ipſo *n.8.* vnica concluſione tradita his verbis *(exiſtentibus ſolum dubijs ſignis impotentiæ, & melius iuridice probatis, poteſt diſſolui matrimonium non expectata triennij experientia)* vbi concluſio eſt vniuerſalis, & abſoluta, ſoquens de omni impotentia, quæ per dubia ſigna probari poſſit, vt de ſe patet, & ex titulo diſputationis ab ipſo propoſitæ in hunc modum, *(an exiſtentibus ſolum*

ſignis

ſignis dubijs impotentiæ poſſit declarari matrimonium eſſe nullum &c. complectitur etiam omnes caſus, nempe ſiue mulier ſit Virgo, ſiue corrupta; ſiue proclamet ſero; ſiue ſtatim, vt idem contra Sancium ſubiungit *n.* 15. cuius loci dicta mox perpendemus, quare ni valde fallor facit hunc ſenſum *quoties iuridice probatur adeſſe dubiam impotentiam, debet matrimonium diſſolui nõ expectato triennio*) nam idem eſt exiſtere ſigna dubia impotentiæ, ac melius iuridice probata; quam dicere adeſſe impotentiam dubiam; at melius probatam; quam fuerit probata potentia: nam certitudo, vel dubietas impotentiæ, reſpectu Iudicantis, qui illam non cognoſcit intuitiue ex certitudine, vel dubietate ſignorum deducitur vt tunc dicatur eſſe impotẽtia certa, & euidens, quando ſigna ſunt euidentia; dubia vero quando ſigna dubia exiſtunt; ſicuti ea dicetur concluſio euidens, quæ infertur ex præmiſſis neceſſarijs, ex quibus ipſa cognoſcitur. At Thomas Sanchez. (vt interim alios omittam) abſolute, & vniuerſaliter docet; quoties ſigna non ſunt certa, & euidentia, aut veriſimiliter, id eſt fere certo euidentia, vt ſupra *diſ.* 107. dixi, toties requiri triennium experientiæ, & tantum *in hac diſ. nu.* 16. a Ioanne Sancio citato loquitur in caſu ſpeciali a iure diſpoſito; cum his probationum adminiculis, vt præſumptiue concludatur impotentia vt infra dicemus. relatis Thomæ verbis. quare non poſſum non mirari hunc auctorem, qui Thomam Sancium referat pro ſua ſententia, quæ abſoluta, & negatiua eſt: cum ille abſolute affirmet in ſignis dubijs impotentiæ eſſe neceſſariam triennij experientiam ante matrimonij diſſolutionem, quod an verũ ſit ex his, quæ habet in hac, & alijs diſputationibus diſpiciamus, ait igitur Thomas Sanchez. *diſ.* 108. *n.* 5. loquens in caſu, qui fortior videtur; quando ſcilicet vterque coniux fatetur impotentiam (*multo verius eſt quamuis vterque coniux fateatur impotentiam, vbi ea non eſt certa deſiderari ſemper triennium experientiæ conceſſum cap. laudabilem de frig. & malef. ad experiendum an impotentia ſit vera, & perpetua. ducor quod eo cap. laudabilem petatur hoc triennium experientiæ quando non conſtat de viri frigiditate; at ex eo quod vterque coniux fateatur impotentiam non vere conſtat de impotentia; ſæpe enim dubitatur an ſit naturalis, et perpetua; an accidentalis, & temporanea, ergo expectari debet triennũ vt ex temporis curſu appareat veritas*) quam concluſionem doctiſſimus vir, & ſemper ſibi ſimilis fuſe probat ponderando textum *d. cap. laudabilem*, & aliorum Doctorum contra ſentientiũ in hoc caſu, quando ſigna ſunt dubia; ſed vterque coniux fatetur impotentiam, eorum rationibus reſpondet, multos pro ſua ſentẽtia allegans doctores, qui in *diſ. præc.* videri poſſunt. & poſt ponderationem textus concludit (*quare diuiſio caſuum non cadit ſupra triennium expectandum; ſed illud abſolutè, & indefinite deciſum eſt ſemper expectandum, vbi prius impotentia conſtar non poteſt*) ecce quomodo Thomas Sancius doceat abſolute, & vniuerſaliter expectandum eſſe triennium quando ſigna non ſunt euidentia, vel fere euidentia; ſed dubia, & ſic contradictoria eſt noſtri Sancij opinio Ioannis Sancij ſententiæ, quæ abſoluta eſt vniuerſalis, & negatiua vt ſupra oſtendi. quomodo ergo potuit hic auctor noſtrum Sancium pro ſua ſententia citare.

Satisfit tacitæ obiectioni

Neque poteſt reſpondere (quæ ſola eſſet ratio excuſationis) Thomam Sancium loqui, quando non ſunt aliæ probationes iuridicæ: ipſum verò Ioannem negare eſſe expectandum triennium, quando probationes impotentiæ dubiæ, ſunt iuridice prolatę. non inquam hoc dicere poteſt, primo quia Sanchez noſter eodem *nu.* 5. ait etiam in caſu poſito quando vterque fatetur impotentiam requiri iuramentum ipſorum, & ſeptimas propinquorum manus, & *n.* 6. ait ſanum eſſe conſi-

consilium facere coniuges inspici; n. 7. ait requiri vt septimæ manus propinquorum iurent, vel si propinqui desunt vicinorum, probatque iuramenti huius omissionem nullam reddere sententiam diuortij n. 9. etiam si sit fama impotentiæ n. 10. additque nu. 11. requiri quattuordecim testes ob rei gravitatem, quando haberi possunt; denique n. 16. ait coniugum iuramentū, non solum debere esse, quod iurent se non potuisse per illud triennium commisceri; sed quod iurent impotentiam coeundi cum quacumque alia *& hac dis. n.* 10. loquens quando fœmina nō statim reclamauit, ait præter triennium requiri, vt per aspectū mulier ostendat se esse virginem, quando non sunt signa euidentia; vel fere euidentia impotentiæ viri: ergo non potest dici requiri à Sancio trienniū quando non sunt aliæ probationes impotentiæ dubiæ: nam hæ sunt iuridicę probationes impotentiæ ex Gloss. *c. laudabilem vbi verb. iustum*, ait (*id est per testes, vel per aspectum corporis, & cap.* 1. 33. *q.* 1. *ver. iudicium*) ait *id est per aspectum corporis, & verb. per iustum*, ait, *id est per legitimos testes*, & Innoc. ibi num. vnico cum Præp. ver. *per iustum iudicium* explicant per aspectum corporis, & septimæ manus propinquorum iuramentum. immo Ipsemet Ioan. Sanc. *n.* 16. ait (*probari autem impotentiam dubiam medicorum declarationibus nec alia via melius, nullus sanæ mentis in dubium reuocabit, iudicium namque cuiuscumque rei ad in ea peritos oportebit remittere*) & tamen Tho. Sanch. præter matronarum ac peritorum aspectum, præter propinquorum, & coniugum iuramentum requirit triennium experiētiæ, quando signa non sunt euidentia sed dubia, quod probo secundo ex eius verbis supra relatis ibi (*vbi prius impotentia constare non potest*) per ly enim constare intelligit per signa euidētia, vel verisimiliter euidētia, vt liquet ex dictis, & ex titulo disputationis; quærit enim (*An impotentia non constante per signa certa; sed ea dubia sint, sed eam vterq: coniux fateatur desideretur triennij experientia*) & respondet requiri triennium, vt patet ex dictis *dis.* 108. sed hæc sufficiant ad ostendendum in sententia Sancij nostri requisiti triennium etiam quando ambo coniuges fatentur impotentiam.

Quid sentiat Thom. Sanchez in quæstione proposita a Ioan. Sancio, examinatur.

Iam vero videamus; quid sentiat in proprijs terminis quæstionis propositæ a Ioanne Sancio, nimirum quando alter coniux fatetur impotentiam: alter vero negat, nec ea constat euidenter in quo casu citatur ab ipso pro sua sententia. dicit igitur Thomas Snchez *in præs. disp. nu.* 5. limitans primam conclusionem à se positam: scilicet non esse audiendam mulierem; quæ non reclamat allegans viri impotentiam intra bimestre (*& ita docet Alex. de Neuo cap. laudabilem nu.* 17. *casu* 3. *fin. existentibus his signis verisimiliter euidentibus dissoluendum esse matrimonium statim non expectato triennio, quamuis mulier sero proclamet & ibi etiam bene docet non satis esse ne expectetur triennium adesse signa frigiditatis vrgentia, & præsumptiue probantia nisi sint verisimiliter euidentia*) vult ergo Sancius noster triennium experientiæ etiam si altera pars probet frigiditatem per signa vrgentia, & sic melius, quam alter coniux probet potentiam: nam si hic, qui stat pro potentia, haberet meliores probationes, signis vrgentibus, & præsumptiue probantibus; haberet signa fere euidentia potentiæ; nec esset vlla dubitatio, quod tūc matrimonium non esset dissoluendum. idem etiam repetit *n.* 10. etiam si mulier per aspectum se præbeat Virginem; si initio non reclamauit, & alia vrgentia signa nō habet impotentię viri. Deinde *num.* 16. a Ioanne Sancio citato ponit hanc secundam conclusionem (*si mulier quæ tempore matrimonij virgo erat, statim proclamat allegans viri impotentiam nempe post mensem, aut bimestre audienda est, quamuis vir neget, & si ea*

pro-

probatur per rectum iudicium diſſoluitur matrimonium)& ſubdit(*hoc autem rectũ iudicium, vt ſeparari poſſit non expectato triennio quando mulier proclamat initio, viro neganti , eſt quando apparent ſigna dubia frigiditatis viri , quæ præſumptiue cõcludant,& vxor reperiatur virgo,accedatque iuramentum ſeptimæ manus propinquorum eius*)iudicet igitur ex dictis oculatus lector, quam valde differat ſententia Sancij noſtri a ſententia Io. Sancij .hic enim abſolute, & vniuerſaliter docet non eſſe expectandum triennium, quando ſunt dubia ſigna melius probata, etiam altero coniuge negante impotentiam,vt liquet ex eius dictis, etiam ſi mulier ſero proclamet, etiam ſi virgo non appareat ſed corrupta :At Thomas noſter vniuerſaliter, & abſolute ſtatuit expectãdum triennium,etiam quando vterque fateturimpotentiam,etiam ſi per aſpectum virgo appareat,& aliæ probationes ſint quando ſero reclamat, & ſigna ſunt dubia;quamuis vrgentia, impotentiæ, & quando alter negat impotẽtiam,ſtatuit vniuerſaliter mulierem ſero reclamantem nõ eſſe audiendam niſi euidentia, vel fære euidentia ſigna impotentiæ habeat.& ſolum vult eſſe ſeparandum ante triennium experientiæ, matrimonium; quãdo mulier reperitur virgo,& ſtatĩ proclamat viri impotentiam;& affert ſigna preſumptiue concludentia cum iuramento ſeptem propinquorum quare non debebat Ioãnes Sancius ad ſuam opinionem, quæ multas patitur difficultates, confirmandam ; noſtri Sancij auctoritate vti.nec etiam Alex. de Neuo,Innoc.Abbatem,quos Thomas Sancius allegat eo *nu.* 19. pro ſe citare,idem enim dicunt in hac quæſtione quãdo ſigna ſunt dubia,& vnus coniugum negat impotentiam; quod ex Sancio noſtro docuimus tota hac diſp. vt eos legenti locis citatis apparebit, neque puto terendum tempus in referendis omnium verbis.Innocẽtij tantum dicta ſufficiant;is eod.loco, quem Ioannes Sanch. refert hæc habet)*tertia pars dicit quod ſi per duos mẽſes vel per minus ſpatium ſex menſium fuerit cum viro , & tunc reclamauit de frigiditate viri,& nihilominus per alia indicia viri,vel per aſpectum ſui corporis, ſeparabitur matrimonium,& in hoc caſu non eſt neceſſe triennium experientiæ*)nota ly *per aſpectum ſui corporis* nempe ſi oſtendat ſe virginem iuxta Sancij ſententiam;ad quid enim neceſſarius aſpectus mulieris aſſerẽtis frigiditatem viri niſi ad oſtendendum ſe non fuiſſe ab eo cognitam? immo,vt & hoc obiter dicam)nã mihi ſatis eſt fuſe oſtendiſſe Tho.San.ac cæteros , quos pro mea ſententia laudaui hac *diſp. nu.* 7. non docere Ioannis Sanc.placitum) nec Pontius,nec Reginaldus ſunt in eius ſententia,vt conſideranti loca ab ipſo citata patebit,neque Henriquez multum fauet; ſolum enim docet dandum eſſe tempus arbitrio Iudicis ad experiendum , ipſe vero dicit illico eſſe ſeparandum matrimonium. Hæc ſatis ſint dixiſſe ad cognoſcendum minus rectè citari noſtrum Auctorem pro ſententia iſtius Doctoris.

Sententia Ioannis Sancij directè perpenditur.

Quoniam autem vt dixi quęſtio eſt grauiſſima, multumq; expedit veram ſententiam,ac æquiorem ſcire, placet perpendere Ioannis Sancij dicta , vt inde appareat;an rectè aſſeruerit Thomam Sancium deceptum eſſe . quod vt facilius fiat , non grauabor integrè hic illa tranſcribere:ait itaque *num.* 8. *(exiſtentibus ſolum dubijs ſignis, & melius iuridice probatis poteſt diſſolui matrimonium non expectata triennij experientia , nam cap. laudabilem de frig. & malef.expectandum eſſe triennium ſtabilit, ſi frigiditas prius probari non poſſit . ſi ergo coniux illam adeſſe melius probet fit diſſoluendum eſſe matrimonium contractum ante triennium,nec enim tunc ſolum probari impotentiam erit cogitandum , dum ſigna euidentia illius adducuntur videlicet quod membrum virile ſit omnino siccum,vel abſciſſum,aut vterque teſticulus, aut quod fœmina prorſus arcta ſit &c. ſi-*

cut

cut enim cum duo in iudicio contendunt ali quam rem ſibi deberi iudex melius proban ti, licet non euidenter mathematice, illam tenetur adiudicare, vt docet Sanchez. &c. pariter coniuge melius probanti impotentiam cõſtrictus erit iudex illico matrimonium nullum fuiſſe declarare. nec matrimonij naturam vltra probationem meliorem oblatam a coniuge, poſtulare triennij experientiam erit iudicandum, niſi voluntarie, aut aſſignent quæſo aduerſarij diſcrimen. caſu namque quo non probetur impotentia expectandum fore triẽnij lapſum per ius eſt decretum. fit ergo probata ea expectandum non eſſe) hæc eſt tota vis, & efficacia argumentorum, quibus hic auctor ſuam probat ſententiam, quæ in formam lectorum gratia, ſic reduci poſſet breuiter: tunc expectandum triennium experientiæ: cum frigiditas prius probari non poteſt: ſed poſitis dubijs ſignis tantum, & melius probatis frigiditas prius probatur: ergo poſitis his non expectandum eſt triennium experientiæ: ad probationem maioris propoſitionis poſſent adduci, quæ *n.* 14. habet, vbi ait melius probanti impotentiam ſtatim dandum eſſe ius diſſoluendi matrimonium: at melius probanti potentiam non tribuitur facultas ſemper permanendi in matrimonio, ſed per triennium expectandum ſolum: & aſſignat diſparitatem (*nam ſicuti cum diſſolutio fit matrimonij, non ſic abſolute diſſoluitur, quin diſſolutio corrigatur ſi conſtet deinceps ſiue intra triennium ſiue vltra, potentiam adfuiſſe naturaliter vt decernitur cap. fraternitatis, & c. accepiſti de frig. & mal. &c. aquum quoque eſt probanti melius in hærere ſibi potentiam non abſolute facultatem permanendi in matrimonio tradi, ſed ad tempus, triennij videlicet. Imo hic potioris conditionis inuenitur cum ipſi ſit fas cum dubia potentia in matrimonio perſiſtere: at qui ſeparatus eſt ob impotentiam, ſtatim redire cogitur ad matrimonium ſiue intra vnum menſem aut infra ſe conſecutum fuiſſe potentiam agnoſcat*) ad probationem minoris fortè poſſent referri, quæ hic auctor habet n. 9. & ſeq. vbi ait frigiditatem non poſſe probari ſignis euidẽtibus; ſed tantum dubijs, vnde cum textus dicat *ſi frigiditas* & non ſi *impotentia* intelligit de probationibus dubijs, & non de euidentibus: hæc ſunt Ioannis Sancij dicta, quæ ego ſub hac forma retuli, vt aliquam haberent vnitatem iam ſingula examinemus quam ſolida, ac ſecum cohærentia ſint. & primo circa ipſam concluſionem videtur hic auctor aſſumere: quod eſt in quæſtione: nã quæſtio inter Doctores eſt, an requiratur triennij experientia ad conſtituendam iuridicam probationem, ſecundum præſcriptum canonum, quando impotentia eſt dubia; ſeu quando ſigna ſunt dubia (idem enim eſſe ſupra oſtendi) Ioannes autem Sancius ait *poſitis dubijs ſignis, & melius iuridice probatis non eſt expectandum triennium.* Ecce quo modo ſuppouit in cõclusione, quod quærimus, hoc enim ipſum eſt an poſſint melius probari ſecundum iuris diſpositionem signa dubia impotentię; nisi prẽter iuramentum &c. ſuperius dicta habeatur triennij experientia: ex qua ponderatione omnia videntur corruere: quæ habet cod. *nu.* 8. à me relata, dico enim non poſſe coniugem melius probare viri frigiditatem: ſeu impotentiam perpetuam eſſe quando non ſunt ſigna ſaltem fere euidentia; aut in caſu ſpeciali ſupradicto quando ſtatim reclamat, & reperitur virgo; nisi accedat cęteris probationibus triennium experientię: quod sic probo: ille dicitur melius iuridice probare impotentiam, qui illã probat iuxta iuris diſpositionem: ſed iuris diſpositio eſt vt positis dubijs ſignis impotentiæ detur triennium experientię: ergo ille dicitur melius probare impotentiam, qui adhibet experientiam triennij, & per conſequens qui eam non adhibet, non poteſt dici melius probaſſe impotentiam, etiam ſi ſexcentas alias adhibeat probationes: nam ea diſpositio inducit formã ſolẽnitatis probatorię, quare omnino eſt ſeruanda, vt ſupponunt omnes Doctores, & expreſse docet Pontius *lib. 7. cap. 66. nu. 2. deciſione rotæ in p. 1.* apud

apud Farinaceum *decis.659. num.4.* & ita ſi omittatur aliquod ex præſcriptis ſententia eſt nulla, vt idem Pontius tradit *n.5.* loquens de iuramento præſtando,& eadem eſt ratio de alijs probationibus requiſitis *in d.c.laudabilem, & alijs eo. tit.de frig. & malef.* & docebunt a fortiori Doctores, qui dicunt deſiderari ad validitatem ſententiæ ſeparationis matrimonij; vt iuramentũ præſtetur tactis euangeliis.ex eo quod *d.c.laudabilem* dicitur *tactis ſacroſanctis euangelijs* hi ſunt Abbas *d.c. laudabilem nu* 3.Alex.de Neuo *n.*4.Ant. *num.*7.& communiter Doctores ſolum excuſant ob conſuetudinem in contrariũ, vt videre eſt præter dicta in diſputat. in Pontio *l.c.n.*5. reſtat probanda minor propoſiti argumenti, nam maior ex ipſis terminis patet: ſed nulla difficultas eſt in ea probanda;eſt enim cõmunis Doctorum ſenſus teſte Hurtado *diſ.*22.*diff.*11.*n.*38. & fiet infra manifeſta ex textus ponderatione. at dicet aliquis fruſtra me laboraſſe cum Ioannes Sanchez dicat *melius probatis iuridice ſignis impotentiæ*:poſſunt autem ſigna probari abſque triennij experiẽtia, quia ius requirit triennium ad probandam impotentiam:non autem ad probanda ſigna impotentiæ. ſed hæc reſponſio,quamuis ingenioſa vim poſiti argumenti non eneruat: ſigna enim hæc dubia debent probari ad oſtendẽdam impotentiam.Nec dictus auctor loquitur niſi in ſubiecta materia: vnde vt patet ex verbis ſupra relatis promiſcue vtitur his vocibus: nã volens probare ſuam aſſertionem ſic concludit (*ſi ergo contux illam adeſſe melius probet ſit diſſoluendum eſſe matrimonij contractum ante trienniũ. nec enim tunc ſolum probari impotentiam erit cogitandum &c.* vbi vides conſequẽtiam argumenti, (quæ vt bona ſit, infert poſitam concluſionem) loqui de impotentiæ probatione. & infra tandem concludit (*caſu namq. quo non probetur impotentia expectandum fore trienrij lapſum: ſit ergo probata ea expectandum non eſſe.*) contra hæc ergo recte dictum eſt non poſſe dari veram, & iuridicam probationem ſufficientem ad diſſoluendum matrimonium; niſi trienniũ experientiæ præceſſerit; neque poſſe dici probatam impotentiam poſitis ſignis dubijs, triennio non elapſo.

Secundum argumentum proponitur contra Ioan. Sancium.

Secundo inquiro ab hoc auctore quando dicit quod melius probantur ſigna dubia impotentiæ: vel intelligit quod adhuc remaneat dubitatio impotentiæ, num ea ſit perpetua nec ne; vel putat Iudicem iam eſſe moraliter certum per eas probationes melius oblatas. ſi hoc ſecundum, quod videtur ſentire *num.*11. ibi (*eſt enim familiare iurium Doctoribus id conſtans appellare quod potioribus probationibus fulcitur*; *hoc eſt quod moraliter ſolum certum eſt*) iam recedit a propoſita ſententia; quod ſcilicet quando ſunt ſigna dubia impotentiæ matrimonium poteſt diſſolui non expecta-ta experientia triennij: quod moraliter certum eſt, dubium non eſt in re morali quam tractamus: ſed erit veriſimiliter ſeu fere certum. & ſic quæſtio ſolum erit de nomine, ſi vero dicat primum nempe adhuc impotentiam eſſe dubiam, vt clare conſtat ex dictis *nu.*1. *nu.* 8. & 14. *circa finem* vbi loquens de viro,qui ſuccumbit in probatione ſuæ potentiæ altero melius probante impotentiam, ait(*imo hic potioris inuenitur conditionis, cum ipſi ſit fas cum dubia potentia in matrimonio perſiſtere*) ergo ſi poſt oblatas meliores probationes impotentiæ, & ſic poſt diſſolutum matrimonium,adhuc vir remanet cum potentia dubia: ſequitur manifeſte; quod illæ probationes meliores allegatæ pro impotentia non extrahunt illam a ſtatu dubij: vt conſideranti patet.

Si ergo hic auctor intelligit primũ. ſequitur quod in dubio quis ſpoliaretur poſſeſſione,quam habet, ait enim ſtatim diſſoluendum eſſe matrimoniũ quod eſt contra omnes fere Doctores etiam in alijs materijs nedum in re tã

graui; quanta eſt matrimonij diſſolutio, in qua nulla diligentia Iudicis debet prætermitti in veritate indaganda, nec vlla ſuperflua debet putari vt tradunt Io. Andr. *d. c. fraternitatis de Frig. & mal. n.* 3 Ant. *n.* 18. Ancha. *n.* 3. Præp. *n.* 1. *notab.* 1. Alex. de Neuo *cap. fin. eod. tit. n.* 15. Innoc. *c.* 1. *eod. tit. ver.* 2. Maſcard. *de probat. conc.* 816. *n.* 18. Neque poteſt reſpondere, quod ideo ſeparatur matrimonium fauore illius, qui melius probauit impotentiam; quia potiores partes habuit in probatione; nam poſito quod adhuc res remaneat in ſtatu dubietatis, eſſe minus vel plus dubiam parum refert in ſententia ipſius Ioannis Sancij; debet enim meminiſſe eorum, quæ *num.* 1. dixit ibi (*immo inter hæc duo ſignorum genera inaniter præmittitur diſtinctio, quod enim euidens ſignum impotentiæ non reperitur dubiam impotentiam declarat namque eſſe minus, vel plus dubiam impotentiam dubiæ impotentiæ metas non traſcendit*) non ergo quod ſit plus, vel minus dubia, poteſt efficere, vt Iudex det ſentẽtiã contra matrimoniũ illud q; diſſoluat. Similiter neq; meo multũ iudicio vrget diſtinctio huius Doctoris quam adhibet circa textus intelligentiam; ſcilicet eum concedere triennium experientiæ, niſi prius frigiditas probari poſſit; ergo ea probata, non exigitur triennium; ſed frigiditas non poteſt niſi ſignis dubijs probari: ergo intelligit textus de probatione per ſigna dubia: nam leuis eſt hæc coniectura, quæ non debet cogere vt recedamus à communi intelligentia Doctorum, qui intelligunt de manifeſta probatione per ſigna euidentia, vel fœre euidentia, ſi & quamuis ibi de frigiditate textus loquatur intelligit de omni impotentia perpetua, quæ vt plurimum ratione frigiditatis oritur vt initio *diſ.* 92. dixi, & clarè docet Hurtadus *diſ.* 22. *de matr. diff.* 11. *n.* 40. vbi explicans cap. laudabilem ait (*requiritur triennij experientia quando non conſtat de frigiditate, id eſt de perpetuitate impotentiæ*) & idem repetit infra explicans *cap.* 1. & quamuis pauca ſint ſigna euidentia impotentiæ perpetuæ; multa tamen poſſunt eſſe veriſimiliter euidentia, ex quibus medici iudicent eſſe fære certam impotentiam, nihilominus ius ſtatuit regulam vniuerſalem, quod, niſi prius conſtet de impotentia non eſt ſeparandum matrimonium non elapſo triennio, quod ſi hoc raro contingat; rariſſime etiam debet dicta experientia prætermitti, vnde optimè aduertit Hurtad. *t. cit. n.* 43. requiri triennium quamuis ſit probabilis opinio pro perpetuitate impotentiæ, ſit pro non perpetuitate ſit opinio probabilis; quia in tanta contingentia phyſica vt ipſe ait, non perpetuitatis impotentiæ æquum eſt vt experientia inquiratur veritas. quod autem Dictus Ioannes addit *n.* 14. vt detur triennium experientiæ quando melius probatur potentia vix percipere poſſum in ſententia ipſius, poſito enim quod melius probanti impotentiam Iudex contrictus eſt illico matrimonium nullum declarare, vt *n.* 8. dicit. cur non etiam erit conſtrictus probata melius potentia illico matrimonium validum declarare? ita vt ſit coniux quietus in ſua profeſſione; ſed debet dari triennium ad experiendum. & cur ſicuti declaratur ſtatim nullum matrimonium donec potentia conſtet non aſſignato triennio experientiæ; non debeat etiam declarari ſtatim validum matrimonium donec de impotentia conſtet non aſſignato triennio? cum iura, & DD. clament in dubijs fauendum eſſe validitati matrimonij.

Thomam Sanchium deceptum non eſſe in ſua ſententia comprobatur.

Denique videndum reſtat, qua ratione probet Ioannes Sancius, noſtrum Thomam fuiſſe deceptum. ait enim *num.* 15. (*non ſolum noſtram ſententiam veram eſſe erit arbitrandum, cum fœmina in matrimonium ducta virgo perſeuerat, & ſtatim poſt vnum, aut duos menſes proclamat ſed etiam reſpectu corruptæ quocumque tempore proclamantis in quo deceptus eſt Thomas Sanchez. l.* 7. *d.* 109. *nu.* 16. *nam & ſi c. accepiſti diſtinguat inter fœminam illico proclamantem & hanc inquiat*

quiat audiendam fore, & ſtatim diſſoluẽdum matrimonium probata impotentia & fæminam poſt annum, & dimidium reclamantem, & impotentiam allegantem oppoſitum probante marito, cui fidem non iri habendam ſtatuit, non inquam ideo diſtinxit quod fœmina poſt annum, & dimidium reclamans audienda non ſit, ſi probare poſſit viri impotentiam probationibus eiſdem ac illa quæ poſt vnum aut duos menſes reclamauit; non enim in pœnam non reclamantis cogi oportebat fœminam matrimonij inualidi partes fouere, cum naturali iuri obſit illos coniunctos perſeuerare; qui ad coniungendum ſe carnaliter inepti ſunt redditi; non enim temporis tractu matrimonium firmatur ſic Hoſtienſis &c. ſolum ergo diſcrimen verſari putandum quod fœminæ poſt annum, & dimidium proclamanti, & affirmanti impotentiam fides non adhibetur oppoſitum teſtante marito, audietur tamen ſi virum ſuum impotentem eſſe probare obtulerit vnde probandi onus fœminæ tunc adſcribitur: at ſi ipſa poſt vnum vel duos menſes clamores tulerit onus probandi potentiam marito erit adiungendum. vnde Sãcio diſ. 109. *n.* 14. *non conſentio inquienti fœminam non clamantem ſtatim non audiendam eſſe donec triennij ſpatium fluxerit, idque decerni in cap.* 1. *de frig. at audiendam eſſe tranſacto triennio quamuis proclamantem poſt multos annos idq; ſanciri in cap. fin. de frigidis æqualibus namq; probationibus interuenientibus in vtroque caſu aut vtræq; diſſoluendi matrimonij anſam præſtabunt, aut nec vna nec alia*)hæc Ioannes Sancius. qui ſi legiſſet omnia, quæ habet Thom. Sancius *in diſ.* 109. citata hæc argumenta non attuliſſet. nam ratio, ob quam non eſt audienda fœmina reclamans ſero contra matrimonium allegando viri impotentiam, non eſt illa, quam is videtur ſupponere nempe quod ſit in pœnam non reclamantis. ſed quia ex vna parte non affert certa ſigna, vel veriſimiliter certa impotentia viri, ſed tantum dubia, vel præſumptiue probantia, vt ex dictis hic, & in diſputatione ſupponimus: ex altera parte duæ ſunt contra ipsã præſumptiones nempe quod tarde proclamarit, & quod vir quod caput eius eſt aſſerat ſe eam cognouiſſe vt præter Doctores citandi. tradunt Abbas *d.c.* 1. *n.* 5. Alex. de Ne. *n.* 7. Brunellus *de ſponſ. conc.* 28. *limit.* 1. *num.* 16. quare non debent ſufficere eędẽ probationes ad hoc vt fœmina ſero reclamans audiatur ante trienniũ, quæ ſufficiunt, vt audiatur quando ſtatim reclamat, quia in hoc ſecundo caſu non ſunt eligendæ illæ duæ præſumptiones in primo caſu militantes & ſic merito auditur ſtatim reclamans etiam non elapſo triennio, quamuis nõ habeat ſigna euidentia, vel veriſimiliter talia: contra vero non auditur reclamans ſero, ſi non habet ſaltem fœue euidentia ſigna impotentiæ coniugis, antequam triennium ſit elapſum, neq; in hoc caſu matrimonij inualidi partes fouẽtur vt ipſe dicit, ſed poſſeſſio matrimonij cuius maximus eſt fauor in iure retinetur, donec de impotentia cõſtet per lapsum triennij. quod autẽ addit, onus probandi potentiã viro eſſe adiungẽdũ: quãdo mulier ſtatim reclamat valde improbabile videtur, & alienũ omnino à mente Doctorũ. primo quia vir eſt in poſſeſſione: & ſic mulier quæ illũ vult tali poſſeſſione priuare debet ſuã intentionem probare vt tradunt in alijs cauſis agentes Gutier. 1. *pract. q.* 40. *n.* 3. Azebedo *lib.* 5. *recop. tit.* 2. *l.* 2. *n.* 19. Merez *de maior.* 1 *p. qu.* 52. *n.* 13. & 17 & paſſim Doctores in materia iuſtitiæ: neq; in hac cauſa matrimonij deciſum reperitur contrariũ. Imo ſi vxor ꝓpria auctoritate recedere a uiro lalegata eius impotẽtia debet; ante omnia reſtitui, & poſtea audietur vt dicemus *diſ.* 112. & *lib.* 10. *diſ.* 12. ſecundo quia mulier quę proclamat viri impotentiã petens ſeparationẽ eſt actrix vt conſtat *ex cap. cõtinebatur de diſpon. impub.* actoris autẽ eſt probare ſuam intentionem *l. auctor.* 23. *c. de prob. & l.* 2. *ff. de probat.* ita vt eo non probãte; reus definitiue ſit abſoluendus *l. qui accuſare* 4. *co. de edend.* & ſolum in cauſa matrimonij ob periculũ animæ defertur iuramentũ reo, ſeu alteri coniugi; quãdo allegãs impotẽtiã nil ꝓbauit ex Abb.

*d.c.continebatur n.*8.Alex.de Ne.*nu.*21. quod intelligit Abbas *c.*2.*de Cland.diſ.* quando aliqua præſumptio eſt pro actore,eſtq; textus expreſſus *c. fin. §. fin. verſ.præſumptione vero* vide Gaylum 2. *obſeruatio.*94.ergo non incumbit onus probandi potentiam marito, ſed vxor debet impotẽtiam probare,quę impugnat potentiã.3.potentia coeundi eſt qualitas,quæ naturaliter ineſt atq;adeo sẽper præſumitur, dũ frigiditas nõ conſtat.ex Innoc.*c.p.n.fin.de frig.*Corſeto *in ſingularibus ſing. duo teſtes deponũt* Pet.Greg.*ſyntag.iuris l.*9.*ca.* 12.*n.* 11. uir ergo qui eſt in poſſeſſione matrimonij,& perconſequens potẽtiæ ex *c. conſultationi de frig.& mal.*non debet illam probare.quare poterit meo iudicio Ioan:San. noſtro Auctori libenter conſentire, nec illum deceptum in ea ſentẽtia appellare:cum iam viderit nõ adeo efficacia eſſe propoſita à ſe argumenta,quin facile ſolui potuerint præſertim cum Thomæ Sãcij doctrinam, non ſolum doceant Inſignes canoniſtę, quos ipſe citat,& nos etiam ſupra retulimus,ſed etiam fære ad vnum recentiores veluti Anteſignanum ſequãtur.Bon.*de mat.q.*3.*pun.*13.*n.*21 vbi ſe remittit ad Sancium noſtrum,Riccius *deciſ.*239.Hurt.*diſ.*22.*de mat.diff.*11.*n.* 38. dicens conuenire doctores quod quando iudici non conſtat certo vel fære certo de impotentia ; quia ſigna ſunt dubia dari triennium,& pro reliquis requiſitis &c. remittit ad Sanciũ *hac diſ.*109.Rebellius *de Iuſt.lib.*3.*quæſ.* 16.*a.n.*6.Filiuc.*tr.*10.*par.*2.*c.*4.*a.n.*105. *ad* 111.Pau.Laym.*tr.*10.*par.*4.*c.*11.*nu.* 5.Coninch.*diſ.*31.*dub.*7.*vbi n.*1.dicit de hac re videndum Tho. Sanc. fuſiſſime tractantem . Ieſuald.a Bononia *par.*1. *Theol.mor.tr.*24.*c.*7.*a num.*33.citantem Auerſ. *de mat.q.*13.*ſec.*2.*& ſec.*5.Baſil. Pon.*l.*7.*de ma.c.*66.*n.*2.4.7.et alij paſsĩ

Thomæ Sancij ſententiam iuri valde conformem eſſe oſtenditur.

Quam autem conſonent omnia ſacris canonibus manifeſtum erit textũ conſideranti, & vt ab hoc quod vltimo loco exagitatum eſt incipiam tam clare habetur poſita diſtĩctio a noſtro Sancio,vt mirer Ioannem Sancium eã in dubium vocaſſe.Nam *cap.* 1.*de frig. & malef.* conſtituitur duplex caſus.primus eſt quando vir vxorem accepit, & reclamat ſe eſſe impotentem, & tunc ſi vxor affirmat, ſeparandi ſunt ſeruata ſolemnitate Canonica, vt ait Hoſtien.ibi,de qua infra.Secundus caſus eſt quando mulier allegat impotentiam viri ipſo negante & tunc textus ait ſub diſtinctione *Illa autem ſi prior poſt annum aut dimidium ad Epiſcopum aut eiut miſſum proclamauerit, dicens quod non cognouiſſes eam, tu autem contrarium affirmas,tibi credendum eſt eo quod caput es mulieris: quia ſi proclamare voluit,cur tam diu tacuit, ſi autem ſtatim in ipſa nouitate poſt menſem,aut duos ad epiſcopum aut eius miſſum proclamauerit &c.ſi probari poteſt per rectum iudicium ſeparari poteſtis.*) vbi vides in priori parte negatam eſſe audientiam vxori;nam dicitur viro credẽdum; nõ quidem iniudicio probanti ſuam potentiam,cum ipſi vt pote reo non incumbat onus probandi vt ſupra diximus : ergo ſi creditur eius aſſertioni ante iudicium inceptum,& matrimonium non diſſoluitur;ſequitur aperte mulierem non eſſe admittendam ad probandum.quod etiam ex ſecunda parte conſtat, vbi dũ ſtatim reclamat dicitur:quod *ſi probari poſſit per rectum iudicium*: cõcedit ergo ius probationẽ fieri ab vxore cito reclamãte;ea enim vt toties dixi, pbare debet,negat vero quãdo ſero reclamat;cũ ly *ſi autẽ* quę eſt particula aduerſatiua ſe extendat ad totã diſpoſitionẽ, & clare oſtendit cõcedi quod in alia parte negatur iuxta Bartoli doctrinam *l.Patris,&filij n.* 1 *ff.de vlgar.ſub.*vbi Iaſ. *nu.*6. dicit eſſe omnium.

Dicimus tamen textum loqui quãdo mulier non affert ſigna euidentia vel veriſimiliter euidentia , tum quia videtur loqui quando ſigna impotentiæ ſunt dubia,vt docet Baſ.Pont. *l.* 7. *c.*66.*n.* 11. tum quia innititur malitiæ præſumptæ, quæ per aliam fortiorem præſumptionem poteſt elidi.Dicimus etiam non eſſe audiendam ante tranſactum

ſactum triennium. nam ſi abſolute intelligeretur textus contineret errorẽ intolerabilem : cum matrimonium, ſi vera eſt impotentia, eſſet nullũ, & coniuges in eo permanere cogerentur: at quod non audiatur ante triennij lapsũ nulla eſt inconuenientia: nam interim experiuntur num impotentia ſit perpetua: poſtquam experientiam adhibitis alijs requiſitis ſtatim vel diſſolue tur matrimonium non expectato alio triennio, vel tempore vt *diſ. ſeq.* dicetur, ſi frigiditas probatur, vel ſtatim da bitur ſententia pro matrimonio ea non probata vt dictum eſt; ſi vero ſtatim proclamat non debet expectari triennium iuxta dicenda infra.

Deinde quod de ſignis euidentibus vel veriſimiliter euidentibus à Sancio noſtro *diſput.* 107. dictum eſt *ex cap. laudabilem de frig. & malefic.* aperte conſtat. nam dicitur *ſi frigiditas prius probari non poſſit* quare non poteſt eſſe melior probatio : niſi per inſpectionem medicorum cum iuramento atteſtantium eſſe euidentem impotentiam : quando vero non eſt euidens impotentia ; ſed færé euidens requiritur vltra medicorum aſſertionem, iuramentum coniugum, ac ſeptimæ manus propinquorum. quod eſt definitum *cap. literæ* vbi Honorius III. ait (*quo circa mandamus, quatenus ſi ita eſt, & conſtiterit vobis præfatum virum, & mulierem infra prædictos octo annos per continuum triennium inſimul habitaſſe ipſis cum ſeptima propinquorum manu firmantibus iuramento*) & *d. c. laudabilem* : requiruntur autem dicta præter triennium; quia triennium in ſolis ſignis dubijs requiritur, vt mox dicemus ; ergo vbi ſignа non ſunt dubia merito illud non expectatur, & cum ſigna non ſint euidentia maiorem exigunt probationem : ac per conſequẽs præter medicorum teſtimonium requiſitum in ſignis euidentibus ; non poteſt melior aſſignari, quam iuramẽtum coniugum, & ſeptimæ manus propinquorum ; quod præſcribunt canones in dubijs, & Doctores vt ipſis magis conformentur, docent. Denique quod in ſignis dubijs triennium ſit expectandum iuxta *cap. laudabilem* nemo negare poteſt; nam cum fuerit abſolute à Pontifice quæſitum, *quantum temporis indulgendum ſit naturaliter frigidis ad experientiam copulæ nuptialis*, & ſic vt patet in dubio impotentiæ, quãdo non ſunt ſigna, quæ ſaltem færé euidenter illam oſtendunt. ſi enim hęc eſſent experientia non deſideraretur. reſpondet Pontifex (*vt à tempore celebrati coniugij ſi frigiditas prius probari non poſſit cohabitent per triennium*, ex qua propoſitione vniuerſaliter concludunt Doctores, quos ſupra vidimus requiri triennium quoties de frigiditate non conſtat. eſt. n, vt diximus, in tradita forma quomodo ſit procedendum in hac re, & quoniam Pontifex in ea non diſtinguit quando ambo fatentur impotentiam, aut alter negat, nec nos debemus diſtinguere; cum nullum ex vna parte ſit abſurdũ, immo potius valde conueniens aſſignare in hoc caſu triennium propter periculum colluſionis, quæ poſſet eſſe inter ipſos coniuges, & quia vt bene aduertit Pontius *l. 7. cap. 66. num. 4.* quando alter coniux negat maior adhibetur diligentia in probationibus ab ipſis partibus, quando vero ambo fatentur, non tantam adhibent diligentiam, vnde eam Iudex debet ſupplere triennio experieutiæ, neque obſtat, quod textus ſubiungat (*quo elapſo ſi nec tunc cohabitare voluerint, & iuxta decretum Gregorij mulier per iuſtum iudicium probare potuerit, quod cum eo coire non poſſit accipiat alium*) & infra addat *ſi autem quod nunquam ſe inuicem cognouerint ambo fatentur cum ſeptima manu propinquorum, vel vicinorum bonæ famæ* (*ſi propinqui defuerint tactis ſacroſanctis euangelijs &c.* vbi non fit mentio de triennio in ſecunda parte, quando coniuges fatentur : non inquam hoc obſtat ; quia textus poſtquam definiuit triennium expectandum in impotentia dubia. tradit etiam alias probationes, & duos caſus diſtinguit. primus eſt quando vnus tantum fatetur impotentiam, & ait requiri rectum iudi-

iudicium; ſecundus eſt quando ambo fatentur, & ait requiri iuramentum &c. ſemper tamen intelligitur poſt triennium experientiæ; nam ſi in ſecunda parte non intelligitur triennũ, nec etiam in prima debet intelligi, cũ textus triennij mentionem non faciat ibi, quod tamen omnes admittunt, vide Sancium *diſ.*108.*n.*5. hanc rem fuſius explicantem; nolo enim longior eſſe in re fære communi inter theologos,& canoniſtas teſte Pontio *loc. cit.* illud tamen non eſt prætereundum, quod reprehendit Ioannes Sancius: nimirum rectè etiam colligi ex iure diſtinctionem, quam Sancius hic facit ſi mulier cito reclamet,& per aſpectũ virgo reperiatur non eſſe expectandũ triennium: contra vero ſi fuerit corrupta: & quidem quod non desideretur triennium, quando eſt virgo, optima eſt ratio Sancij, nec à Ioanne tacta, sic enim diſcurrit *n.*16 *hac.diſ.*9.*cap.*1. intendit facere differentiam quando mulier ſtatim reclamat ac quando ſero reclamat, & in primo caſu vult fauere mulieri, in qua ceſſant præſumptiones illæ, quæ ſunt in ea quæ ſero reclamat. hic autem fauor non poteſt eſſe vt quando iam tranſactum eſt triennium ſeparentur, aut quando ſunt ſigna ſaltem fære euidentia: nam hoc competit etiam in caſu, quo ſero reclamat, ergo nõ requiritur triennium ſi mulier eſt virgo: quia ſatis eſt ad rectum iudicium; quod textus requirit, vt cæteris probationibus dubijs vxor reperiatur virgo; eſt enim probatio valde veriſimiliter, & præſumptiue concludens impotentiam; at quando mulier eſt cortupta niſi tranſeat triennium valde diminuta erit probatio, ſi tantum ſit iuramentum propinquorũ ſeptimæ manus, & vxoris cum aliquibus dubijs ſignis frigiditatis, niſi etiam per aſpectum reperiatur virgo. Vides quam bene Sancij noſtri ſententia iuri cohæreat; quam longe a Ioannis ſententia ac dictis diſtet, quam ſolide ſubſiſtat, quæ fuſius explicaui ob rei neceſſitatem vt dixi.

Quę autem hucuſque ex Sancij ſententia diximus, & Doctorũ auctoritate confirmauimus; quam ſint a Iudicibus valde conſideranda in ferenda ſententia diuortij ratione allegatę impotentiæ iudicabit is, qui noüit opinionem etiam vnius Doctoris ſtantis pro matrimonio præferendam eſſe pluriũ ſententiæ illud impugnantium, niſi textui aperto innitantur. nam vt habetur *C. licet ex quadam ſine de teſtib. & attes.* (*tolerabilius eſt aliquos contra ſtatuta hominum dimittere copulatos, quam coniunctos legitime contra ſtatuta Dei ſeparare*) atq. ita docent Hoſt.*c. ſi vir de cognat. ſpir. ver. aliter* Io. Andr.*n.*3. Ant. *fin.* Ancha *n.*3 Abb.*n.*3. Præp.*n.*2. Ant. Gabri.*t.*2. *com. lib.*11.*fol.*95.*col.*1. Menochius multis relatis *lib.*3.*de prę. præ.* 71.*nu.* 30. *& ſeq.* Ant. Cucus *lib.*5.*inſt. maior.t.*11. *num.* 157 Barbatius *conſ.*6. *num.*2. *voel.*1.

DISPVTATIO CX.

A quo tempore numerandum ſit triennium quod iure præſcriptum eſt ad experiendam impotentiæ veritatem.

1 REſpondeo computandum eſſe à die, quo coniuges copulæ vacare coeperunt, ſiuè poſt matrimonium de nouo initum, ſiuè poſt reſtauratum, vt etiam *diſp.* 99. dictum eſt. nec eſt neceſſe, vt id triennium aſſignetur à Iudice, vel vt incipiat computari poſt peractam pœnitentiam, ſiue impedimentum ſit frigiditatis, ſiuè maleficij. prior pars quando impedimentum eſt frigiditatis patet *ex cap. laud. de frig.* ibi (*à tempore celebrati coniugij habitarint per triennium*) & ſupplet (vt verba cum effectu intelligantur *c. relatum de cler. non resi.*) *& caeperunt coniuges copulam habere*. Secunda pars quando eſt impedimentum frigiditatis probatur *ex c. fin. eod. tit.* ibi: (*ſi conſtiterit vobis præfatum virum, & vxorem cohabitaſſe intra prædictos annos per continuum*) vbi eſt ſermo de muliere, quæ per multos annos fuerat ſimul cum viro ſcilicet 8. annos ante litem motam, & Pontifex decer-

decernit, vt ſi conſtet habitaſſe triennium continuum matrimonium diſſoluatur : ergo non requiritur vt Iudex aſſignet triennium.

2 Tertia pars quod poteſt currere ante pœnitentiam : probatur, quia nullus textus id decidit, ſed *d. c. fin.* vbi dicitur fuiſſe iniunctam pœnitentiam peccatorum, factum ſolum narrat; non ius conſtituit, nec hæc impedimenta ex peccato conſurgunt vt plurimum. ita Abb. Card. *cap. fin. de frig. fin.* Decis. *cap. Tolo.* 381. *num.* 6. Greg. Lopez *l.* 5. *v. dar. plazo tit.* 8. *p.* 4. Matien. *lib.* 5. *rec. tit.* 1. *rubr. gl.* 1. *numero* 203.

3 Immo caſu quo pubes non eſt potens ad copulam, & per hoc expectanda eſt plena pubertas, vt *diſput.* 104. dictum eſt, adhuc triennium probationis : an verè ſit impotens abſolutè, nec ne, debet computari à die, quo adepta plena pubertate copulæ vacauit; quia vſque ad eam plenam pubertatem preſumitur prouenire impotentia ex ætatis fragilitate: poſt vero plenam pubertatem ceſſat hæc præſumptio, & ſolum remanet dubium; an ex natura ſit impotens, ad quod dubium remouendum debet dari triennium; ita etiam Card. *cap. puberes num. vni. de ſpon. impub.* quamuis Hoſt. *d. c. puberes num.* 5. Io; Andr. *num.* 8. Alex. de Neuo *num.* 9. Ancha. *num.* 6. Henric. *num.* 8. putent ſolum poſt pubertatem expectandum eſſe per mẽſem, aut duos arbitrio Iudicis.

DISPVTATIO CXI.

An hoc triennium debeat eſſe continuum.

CAſus eſt iſte. coniuges inceperunt cohabitare ſimul, & per vnum annum habitarunt; poſtea per duos menſes interrupta eſt cohabitatio, quærimus an debeant deindè cohabitare duobus ſolis annis, ita vt ex anno præterito conficiatur triẽnium, an potius de nouo triennium ſit incipiendum, ac ſi per annum non habitaſſet.

1 Reſpondeo requiri tempus continuum; ſed triennium poſſe computari ex illo anno, & duobus ſequentibus etiam ſi cohabitatio fuerit interrupta, nam licet *cap. fin. de frig.* dicatur (*per continuum triennium ſimul habitaſſe*) tamen debent hæc verba intelligi ciuili modo. *l. ſi cui ſimplici ff. de ſeruit.* vnde *cap. fin. de verb. ſignif. in* 6. deciditur aliquem dici commenſalem, & domeſticum alicuius, licet aliquando abſit pro negotijs gerendis, immò in hac re nec requiritur, vt triennium ſit moraliter continuũ, quia finis cur aſſignetur, eſt vt coniuges experiantur, an decurſu temporis impotentia poſſit auferri, ad quod non requiritur aliqua continuitas; immò quo magis copulæ continuò vacant, eo magis debiles ſe reddunt. & ita nõ deſiderari tempus continuum docẽt Alex. de Neuo *C. fin. v. continuum nu.* 18. Ioan. Andr. *nu.* 9. Abb. *fin.* Anch. *n.* 9. *nota.* 13. Præp. *nu.* 4. Brunel. *de ſponſ. concl.* 28. *decl.* 4. *n.* 15. Maſcar. *de prob. concl.* 889. *u.* 9. Greg. Lop *l.* 5. *v. facta eſte placo tit.* 8. *p.* 4. & alij.

2 Debet tamen tempus, quo coniuges ſimul non habitarunt, vel ob infirmitatem, vel ob negotia gerenda ſuppleri, ita vt computatis temporibus quibus cohabitarunt reſultet trienniũ quando arbitrio prudentis viri eſt interruptio alicuius momenti; nam non debet accipi metaphyſicè, ſed morali modo, vt docent Archid. 33. *q.* 1. *ſum. u.* 3. vbi Bellam. *n.* 2. Brunel Maſcar. *num.* 8. *loc. cit.* Abbas Alex. de Neuo Præpoſ. *loc. cit.*

DISPVTATIO CXII.

An ſi nondum conſummato matrimonio coniux propria autoritate recedat ab altero, ſit ſpalium, & quomodo procedendum.

1 AD caſus intelligentiam ſuppono primo ſpolium eſſe, quãdo quis eijcitur de ſua poſſeſſione, vel illi rẽ, quam poſſidet aufertur, & in hoc ita proceditur; antequam cauſa diſcutiatur

tur, & ſpolians audiatur, prius ſpoliatus reſtituendus eſt in ſua poſſeſſione

Suppono ſecundo ad hoc vt fiat reſtitutio ſpolij teneri ſpoliatum probare ſpolium, & poſſeſſionem, à qua ſpoliatus eſt C. *olim de reſtit. ſpol.* vt in matrimonio requiritur etiam, vt probetur aliquis titulus ſaltem apparens de matrimonio contracto. ex *cap. trãſmiſſa de reſtit. ſpol.* vbi Gloſſ. *v. & ab eo* Innoc. Host. *nu.* 2. Ioan. Andr. *num.* 5. His poſitis quærimus.

An ſi Titius qui Bertam in vxorem duxit, & cum ea matrimonium non conſummauit ab ipſa recedat, dicatur illa ſpoliata poſſeſſione, quam habebat; ita vt non poſſit Titius audiri, niſi prius redeat ad ipſam Bertam.

3 Reſpondeo ſi facta eſt traductio, & coniuges habitare ſimul coeperunt matrimonio nondum conſummato non eſt coniux recedens v. g. Titius reſtituendus quoad copulam; ſed ſolum quoad habitationem, & alia miniſteria debita inter coniuges; niſi ſit adeò iuuenis, vt timeatur ne copulam extorqueat. Ratio eſt, quia poſſeſſio habitationis, & aliorum miniſteriorum acquiritur per traductionem vnius coniugis in domum alterius: ergo ſi ſpoliatus eſt hac poſſeſſione debet reſtitui. ſi verò non facta eſt traductio nulla debet fieri reſtitutio, cum non adhuc poſſeſſio vlla ſit habita. & ſic conciliantur facilè *cap. ex tranſmiſſa de reſtit. ſpol. & cap. ex parte.* quæ videntur inter ſe pugnare. nam *cap. ex parte* dum decidit tunc faciendam eſſe reſtitutionem, quando fuit copula, debet intelligi etiam quoad thorum. *cap. verò ex tranſmiſſa* dum dicit reſtituendum eſſe quando fuit traductio, intelligit quoad cohabitationẽ, & cætera officia præter copulam. ita Io: de lignau. *d. c. ex parte* vbi Abbas *n.* 24. Brunellus *de ſponſ. con.* 12. *num.* 5. Alex. Carr. *l.* 1. *de ſponſ. c.* 3.

4 Sunt tamen in hac re duæ ſententiæ, ambæ probabiles, quarum prior docet, ante conſummationem ſi coniux recedat, non eſſe verum ſpolium, & ſic non debere fieri reſtitutionem antequam recedens audiatur. quia *cap. pen. de prob.* denegatur viro reſtitutio vxoris nondũ cognitæ. ita Hoſt. Anchar. Alex. de Neuo, & alij. *d. cap. ex tranſmiſſa* Ripa *l. naturaliter* §. *nihil commune num.* 84. *fol.* 12 *ff. de ac. poſſ.* Barbat. *cap. penul. de probat. num.* 18. Paul. Caſtr. *conſ.* 272. *nu.* 4. *vol.* 1.

5 Poſterior verò ſententia ſic diſtinguit; ſi facta eſt traductio debet reſtitui etiam quoad copulam, niſi mulier velit virginitatem ſeruare; tunc enim prius eſt audienda, ne amittat illam irreparabiliter. ſi vero non fuit facta traductio; tunc ſponſa cogenda eſt redire ad ſponſum, & ad copulam, niſi habeat aliquam exceptionem. ita Bellamera. *d. c. ex parte num.* 11. quare hæc ſententia ſupponit optimam doctrinam, quam docet Io: Andr. Ant. Card. Innoc. *d. c. ex parte*, & eſt communis, nimirum dato quod non ſit locus reſtitutioni in matrimonio, poſſe tamen Iudicem officio ſuo cogere ſponſam recedentem, vt ea præſtet, ad quæ tenentur ſponſi de præſenti; ſicuti poteſt cogere, vt ſponſus de futuro ſponſalia impleat, in caſu quando fit ex officio Iudicis, & non per reſtitutionem ſpolij, poteſt ſpolians obijcere exceptionem, & tũc prius hæc eſt examinanda. contra verò quando agitur per viam reſtitutionis prius facienda eſt reſtitutio, & poſtea exceptio examinanda.

QVAERES

An ſi coniux alium deſeruit ſolum allegãs eius impotentiam, quæ non conſtat; ſed ſolùm conſtat matrimonium non fuiſſe conſummatum, ſit reſtitutio facienda quoad habitationem, & copulam ſaltem ex officio Iudicis.

6 REſpondeo ſi coniux diſcedit allegans impotentiam nondum elapſo triennio, cogendus eſt excommunicatione redire ad coniugem ſpoliatum, & copulam cum eo habere.

ratio

ratio eſt, quia nullam habet excuſationem legitimam, quia impotentia dubia debet probari per triennium. ita Hoſt. *c. fin. num. 10. de frig. & malef.* vbi Io. Andr. Anto. Anchar. Prep. *nu.* 4. Alber. *lit. D. ver. diuortium col.* 2. Aſtenſ. *ſum. confeſ. l.* 4. *ti.* 16. *qu.* 18. Roſel. *v. diuortium nu.* 5. vbi ſupp. Piſa *n.* 6. Sylu. *qu.* 20. *num.* 23. Albericus Alex. de Neuo & alij multi.

7 Hæc autem coactio in noſtra ſententia quoad habitationem, quando fuit facta traductio fit beneficio reſtitutionis; vnde priùs debet fieri reſtitutio, & deinde lis diſcutienda, quoad copulam fit Iudicis officio, & ſic ſi coniux fugiens alleget aliquam exceptionem prius ea eſt diſcutienda iuxta dicta *num.* 5. *fine*.

8 At ſi triennium experientię ſit elapſum, coniux recedens reſtituendus eſt quoad habitationem ſolam, ante quam admittatur exceptio; quia non potuit propria authoritate recedere; ſed poſt Eccleſiæ ſententiam, & quia matrimonium non eſt conſummatũ, non eſt poſſeſſio copulę, vnde non debet quoad copulam fieri reſtitutio.

9 Quod ſi vir, à quo vxor receſſit ob impotentiam, velit ſe tueri, & probare quod ſit potens: ex eo, quia copulam habuit cum alia fœmina, non poterit vxor ea confeſſione vti ad celebrandum diuortium; nam licet verum ſit quod reus poſſit contrarijs exceptionibus ſub conditione ſe defendere; vt ille qui eſt damnatus poteſt ſe defendere allegando ſentẽtiam fuiſſe nullam, & dato quod fuerit valida, ſe appellare: *l. nemo ex his ff. de reg. iuris*, at nullus textus aſſerit, quod poſſit reus vti actoris confeſſione, quam ipſe impugnat: imo eſt contra regulam Iuris in 6. ibi *ex eo non debet fructum conſequi, quod niſus eſt impugnare)* ergo ſi vxor niſa eſt impugnare potentiam viri, ſi ipſe fateatur potentiam non debet ex ea confeſſione vti ad ſuum commodum celebrando diuortium, ita Oldradus *conſ.* 1. *num.* 8. Bald. *l. cum precum num.* 1. *ver. tu dic. C. de liber. cauſ.* Salyc. *l. generaliter num.* 9. *qu.* 6. *C. de non nu. pec.* Mandoſ. Albens. *conſ.* 9. *num.* 29.

10 Immò ſi confitens ſit minor poteſt reſtitui in integrum, vt ſcilicet ad eum ſtatum res reducatur, ac ſi confeſſio facta non eſſet, nam circa iudicialia datur etiam reſtitutio minoribus, etiã in cauſis matrimonij, vt dixi *diſp.* 38. *ſupra.* ita Baldus *l. vnic. num.* 28. *c. de confeſ.* Rebuff. *de conſt. reg. a.* 1. *gl.* 1. *n.* 32. Domin. *c.* 2. *num.* 8. *de in integr. reſt. in* 6. Alex. *conſ.* 8. *nu.* 3. *lib.* 3.

Excipe tamen niſi impotentia, quã vxor allegat in viro, oriatur ex maleficio; nam tunc ipſa non impugnat abſolutè potentiam in viro; ſed reſpectiuè erga ſeipſam, vnde poterit vti ea confeſſione ad ſuum commodum, nempè ad celebrandum diuortium, vel in foro conſcientiæ, ceſſante ſcandalo, ex ea confeſſione viri, poteſt celebrare diuortium; quando ex circumſtantijs aduertit virum id ſerio dicere, & non per mendacium; ſed hoc raro poteſt contingere, atque adeò raro poteſt celebrari diuortium per hanc confeſſionem.

DISPVTATIO CXIII.

Quas conditiones debeant habere matronæ, quæ deponere debent de virginitate ſponſæ, & quo modo in hac re procedere debeat Iudex.

1 AD huius caſus deciſionem Dico primò. debent eſſe artis peritę, honeſtæ, ac bonæ famæ, ne modico pretio ſubornentur, non tamen eſt neceſſe vt ſint nobiles; quia munus hoc dignoſcendi virginitatem eſt obſtreticum, quæ nobiles eſſe non ſolẽt: ſolum ſi multæ eſſent, & diſcreparent in iudicio, potius eſt fides habenda nobilioribus, ſi cætera ſint paria. vt docet Alex. de Neuo *c. fin. n.* 9. *de frig.*

2 Vnde nec debent eſſe nimis iuuenes, neque nimis ſenes, ne aut experientia deſit, aut viſus deficiat, & ſi cætera ſint paria debent eſſe de paro-

chia fœminæ inſpiciendæ, vt habet tex. *cap. fratern. de frig.* & docent Abbas Ant. Alex. de Neuo, & alij. ibi.

3 Dico ſecundo hæ matronæ debent eligi à Iudice, quia ipſæ potius exercent munus Iudicis, quam teſtium, vt docent Baldus *l. 2. num. 4. ff. de ferijs* Bartolus *in tractatu teſtimonior. nu.* 13. Decius *c. propoſuiſti noua edit. num.* 53. *de prob.* Fulu. Pacian. *de prob. l. 1. c. 47. nu. 15. & 94.* & alij *ex cap. quia iudicante de præſcrip.* ibi (*agri menſoris definitionem*)

4 Vnde poſſunt ſicuti & alij artis periti à Iudice electi recuſari, ſolo præſtito iuramento ſuſpicionis, ſicuti hoc ſolo iuramento Iudex ſæcularis tam in foro ſæculari, quam canonico poteſt recuſari. nam diſpoſitio *ca. ſuſpicionis de officio deleg.* ſolum habet locum in ipſo iudice Eccleſiaſtico, qui non recuſatur niſi probata cauſa. at ſi partes matronas illas elegerint communi conſenſu, non poſſunt illas recuſare; niſi noua ſubſit cauſa, quia Iudex electus à partibus non poteſt recuſari, niſi ex noua cauſa, quam debet recuſans probare. ita ex Abbat. *c. quintauallis num. 12. de iure.* vbi Imola *num. 27.* Alex. de Neuo. *num. 102.* Franc. *cap. cum ſpeciali qu. 15. nu. 36. de appell.* Gloſſ. *cap. ſtatutum §. cum autem ver. recuſet de reſc. in 6.*

5 At ſi vnaquæque pars ſuam matronam eligat, non poteſt neutra recuſari, quia ſi ſuſpecta eſt vna, iam altera ſtat pro parte alia. quare ſi partes diſcordant, Iudex tertiam adhibebit, quæ vt ſuſpecta recuſari poteſt, vt diximus de electo à Iudice.

6 Dico tertiò vt matronæ legitimè deponant præter aſpectum, requiritur etiam vt manibus tangant ſolertè verenda, & ſi opus eſt fœminam aliquantisper in aqua calida retineant, vt ſi fortè glutinum ſit appoſitum ad contrahendum collum matricis, ad hoc vt appareat virgo, quę talis verè non eſt, diſſoluatur: ſic colligitur *ex ca. pen. de prob.* & quia in re grauiſſima non ſunt ſuperfluæ diligẽtię. ita Hoſt. Io: Andr. Abbas. & alij *d. cap. penul.* Greg. Lopez *l. 5. v. mugeres t. 8. par. 4.* Fran. Aret. *con. 132. dub. 4. num 20.* Fulu. Pacian. *de prob. lib. 2. cap. 2. nu. 17. & l. 1. cap. 47. num. 129.* Abbas C. *fraternitatis num. 4. de frig.*

7 Quare non erit ſufficiens earum depoſitio, niſi appareat fuiſſe à Iudice diligenter examinatas, & niſi deponant ſe ſufficienter partes verendas mulieris inſpexiſſe, & tetigiſſe; quia viſus abſque tactu non ſufficit. & hęc depoſitio debet eſſe cum iuramento siuè à partibus, siuè a Iudice eligantur; quia agitur de re grauiſſima. ita Gloſſ. *d. c. fraternitatis 2. diſtincte* vbi Innoc. Hoſt. *num. 2.* Ioan: Andr. *n. 5.* Bart. *l. 1. nu. 2. ff. de ventr. inſpic.*

8 In reliquis verò artis peritis, non requiritur iuramentum, quando partes illos elegerunt; quia iam eorum fidem probarunt; debent tamen eligi à Iudice partibus præſentibus, & legitimè citatis *ex cap. 1. de conſang.* & docent Bart. *l. Theopompus num. 11. ff. de dot. præf.* Maſcard. *de prob. con. 1038. num. 19.* Ful. Paci. *d. l. 1. nu. 120.* Alex. de Neuo *c. fraternitatis num. 6.* Ioan: Andr. *num. 5.* niſi electio peritorum horum facta fuerit communi partium conſenſu, vel niſi Iudex eos vocet ad ſuam informationem. ita Couar. *l. 2. var. c. 13. num. 5.* Fulu. Paci. *nu. 142.* cum alijs Maſcard. *in proemio quæſ. 5. numero 39.*

9 Nec matronæ, aut ſimiles debent teſtari cum iuramento de omnimoda certitudine; ſed tantum veriſimiliter, quia impoſſibile eſt in his rebus, quę non conſtant certis, & indubitatis regulis de certa ſcientia atteſtari. ita Maſcard. cum multis alijs apud ipſum *conc. 1274. num. 48.*

10 Dico quartò ad dandum iudicium, an mulier ſit virgo, duæ ſolum matronæ ſunt neceſſariæ, ex Monald. *ſum. t. qualiter, & quando col. vlt.* Io: de Fiburg. *ſum. confeſ. l. 4. tit. 16. qu. 16.* quę regulariter debent ad hoc adhiberi; licet aliquando poſſint eſſe medici periti, ad id diſcutiendum vocati

cati ob rei grauitatem: ſic Franc. Aret. *conſ.* 142. *dub.* 4. *num.* 55. Decius C. *propoſuiſti de probat.* quia in ore duorum, aut trium ſtat omne verbum. *cap. in omni negotio de teſtibus*, adeò vt vna quamuis peritiſſima non ſufficiat, quamuis in illo oppido ea ſola reperiretur, quia hæc cauſa matrimonij eſt valde ardua, & agitur de periculo animarum. immò in alijs causis grauibus probabilius eſt non ſufficere teſtimonium vnius artis periti, etiam ſi alius in ea ciuitate non ſit; nam regula generalis eſt, vt vnius teſtimonium fidem integram non faciat *cap. licet vniuerſis de teſtibus*. ita Abbas C. *propoſuiſti num.* 5. *de probat.* & Ioan' Garcia *de expens. cap.* 24. *num.* 10. licet oppoſitum multi, & graues Doctores affirment, quorum auctoritate tutò amplecti ea ſententia poteſt. Hi ſunt Bart. *l.* 1. *nu.* 4. *c. de ponder.* Ant. *cap. propoſuiſti num.* 18. *noua edit.* Felin. *num.* 7. Bald. *cap. pen. num.* 3. *eod. tit.* Maſcard. *conc.* 1174. *num.* 25. vbi loquitur etiam ſi cauſa ſit ardua cum Decio Fuluio. Pac. *l.* 1. *cap.* 47. *nu.* 36.

11 Dico quinto plus habenda eſt fides peritioribus matronis, & alijs artis peritis, etiamſi pauciores ſint; quam minus peritis, etiamſi plures, quia radix teſtificandi eſt artis peritia: ergo vbi maior eſt peritia artis, maior fides eſt habenda. quare illis tam eſt credendum ſi affirment v. g. hanc virginem eſſe, quam ſi negent, quia peritia artis æquè ſe habet ad affirmationem, quam ad negationem, licet in alijs rebus negatio difficilè probetur, niſi ſit coarctata ad locum, tempus, & circumſtantias, vt dixi *diſp.* 27. *lib.* 4. ita Fuluius Pacia *d. cap.* 4. *nu.* 165. & *cap.* 50. *num.* 58. Aretin. *l.* 1. *§. fin. num.* 41. & 40. *ff. de verb. oblig.* vbi Alcia. *num.* 48. Fel. *cit. d. cap. propoſuiſti*, & *in noſtra nu.* 8. *de teſtibus*.

12 Dico ſexto ceteris paribus; & vbi non ſunt alię verisimiles coniecturæ, potius credendum eſt matronis atteſtantibus viri potentiam, vel fœminę virginitatem, quam negantibus, quia habent naturæ, ac iuris præſumptionem pro ſe; cum hæ ſint qualitates nuturales. ita Fulu. Paci *de prob. l.* 2. *cap* 2. *a. num.* 12. alijs alleg. & *l.* 1. *ca.* 50. *num.* 62. Corſet. *in ſuis ſingul. ſing. incipienti duo teſtes deponunt*.

13 Dico ſeptimo non ſolum poſt publicationem atteſtationis factæ à matronis, vel ab alijs artis peritis, poſſunt alij teſtes adhiberi ad partis inſtantiam; quando nil ei imputari poteſt, cur prius eos non produxit; ex eo quia vt habet *cap. penul. de probat.* ſæpè manus fallitur, & oculus obſtreticum; quæ ratio militat in omnibus artis peritis; ſed etiam poſt latam ſententiam poſſunt alij teſtes adhiberi in cauſa coniugali, in ea enim ſententia non tranſit in rem iudicatam, vt docent Inn. Hoſt. Ioan. Andreas C. *penul. de prob.* ita Nauar. *l.* 4. *conſ. tit. de frig. in priori edit. conſ.* 3. Fulu. Paci. *de prob. cap.* 47. *num.* 77. Bald. *cap. penul. cit. num.* 1. vbi Felin. *num.* 2. Fran. Aret. *num.* 4. *notab.* 4.

14 Denique hic nota quod in cauſis coniugalibus poteſt Iudex interponere ſuum officium; non ſolum in ijs, quæ pars intentare non poteſt; ſed etiam in alijs, teſtes corrigendo, vel faciendo, vt vir pro impotente allegatus, vel mulier pro arcta inſpiciatur; etiam ſi pars, quæ ſuccubuit, non petat. & quamuis actor nil probauerit: tamen debet iuramentum reo deferri ad purgandam omnem ſuſpicionem; vt ſi quis velit contrahere matrimonium, & contra ipſum opponatur impedimentum, quamuis deindè non probetur; debet tamen iurare hoc impedimentum non eſſe, quia agitur de peccato vitando *ex cap. continebatur de diſp. impub.* vide Hoſt. Io. Andr. Abb. Card. *di. cap. penul.* Fulu. Pacian. *de prob. l.* 1. *cap.* 47. *n.* 71. & 72. Aſten. *2. p. ſum. l.* 7. *t.* 37. *a.* 2.

(†)

DIS-

DISPVTATIO CXIV.

An ſolus coniux, qui eſt potens poſſit contra alterum impotentem proclamare, vt matrimonium reſcindatur.

1 RESP. nõ ſolum potens poteſt adueríus matrimonium proclamare; ſed etiam impotens quando tempore matrimonij illam ignorabant: ſiuè is ſit vir, ſiuè fœmina. Ratio de viro eſt, quia ſua intereſt matrimonium diſſolui, ne compellatur onera ferre matrimonij, & hoc eſt certum. De fœmina verò probatur, nam etiam ſua intereſt, ne compellatur habitare cum eo, qui non eſt ſuus vir, & illi ſubeſſe. Ita Sylu. *matrimon.* 8. *quæſt.* 16. *diſ.* 5. Palud. 4. *d.* 34. *quæſt.* 2. *art.* 1. & Diuus Antoninus. 3. *par. tit.* 1. *cap.* 12. §. 1.

2 At ſi tempore contracti matrimonij impotentiam ſciebãt, aut ſi vir impotens abſolutè petat diſſolui matrimonium, vt ad aliud tranſeat, non debent à Iudice audiri, quia dolus nemini patrocinari debet. & qui abſolutè eſt impotens non poteſt aliud matrimonium inire. ita D. Anton. Sylu. & alij cit. tenetur tamen Iudex ex officio eos ſeparare, vt *diſp.* 97. dictum eſt.

FINIS LIBRI SEPTIMI.

LIBER OCTAVVS

DE DISPENSATIONIBVS

Valde vtilis est hic tractatus, nam in eo, quæ spar sim hinc inde de Dispensationibus à Doctoribus traduntur, in vnum habes congesta in sequentibus disputationibus.

DISPVTATIO I.

Quid sit Dispensatio, & an latè, vel strictè sit interpretanda.

1 REspondeo. *Dispensatio est iuris relaxatio facta ab habente potestatem relaxandi* (dicitur (*ab habente potestatem*) vt explicetur causa efficiens dispensationis, dicitur (*iuris relaxatio*) ad differentiam irritationis, per quam lex impeditur, & cassatur ne robur obtineat, vt si Princeps casset legem conditam à ciuibus, casu quo eius confirmatione indigeret. Secundo ad differentiam interpretationis, nam interpretari est declarare legem hic, & nunc non habere vim obligandi. Tertio ad differentiam abrogationis, per quam legislator omninò tollit legem, quæ prius obligabat, & derogationis, per quam ex parte tollitur legis obligatio, vt habetur *l. derogatur* 102. *ff. de verb. signif.* Quarto ad differentiam priuilegij largè accepti: nempe pro concessione præter ius, quia hoc priuilegium sine causa concedi potest; at ad dispensationem semper requiritur causa, vt notat Syluestr. *v. priuilegium*. dixi ad differentiam priuilegij largè accepti, nam priuilegium si proprie sumatur est idem ac dispensatio, est enim concessio cõtra ius. Et multi tam Theologi, quam canonistæ addunt præter verba à nobis tradita in definitione hac (*cum cognitione causæ*) sed hæc verba non sunt necessaria ad explicandam materiam dispensationis, sed solum requisita ad hoc vt legitimè fiat.

2 Dico secundo Dispensatio est adeo strictè interpretanda, vt si aliquid operetur posita tali interpretatione amplius extendi non possit; vt expresse *cap.* 1. §. *ille verò de filijs præsbyt. in 6.* & ratio est quia exorbitat à iure communi, siuè fiat ab inferiori, siuè ab ipso legislatore, cum nulla possit differentia assignari, vtraque enim exorbitat à iure communi, vt benè notat Felinus *cap. Postulasti nu. 9. de rescriptis.* siue in causa matrimoniali, siue in alijs nam quòd dicunt Felinus *d. c. postulasti num.* 13. Gambara *de auct. legati l.* 10. *nu.* 262. Soarez *de matr. Regis Angliæ*, & alij, in causa matrimonij late esse interpretandam nullo iure probatur, vt ostendit Guttierrez *lib.* 2. *qu. can. cap.* 15. & multi Canonistæ, vt Host. Dominicus, Card. *cap. quia circa de consang.* Corneus *cons.* 201. *num.* 8. *vol.* 2. Rota *in nouis. ti.* 3. *l.* 1. *decis.* 117. *nu.* 3. & alij dispensationem in causa coniugij odiosam appellant.

3 Vnde verba dispensationis non debent extendi in quantum eorum significatio extenditur, quia lex multoties restringit terminos, demendo aliquid de latitudine proprij significati, vt docet Gambara *loc. cit.* latè probans contra Calderinum *cons.* 1. *de consanguineis* Decium *cap. at. si clerici* 8. *de adulterijs nu.* 169. *in noua edit. de iudic.* Cagnol. *regu. semper in obscuris. nu.* 21. *ff de reg. iuris.* Rebuff. *prax. benef. tit. de differentijs inter priuil. & resc. num.* 8. & alios (quorum sententia est etiam probabilis, nam verba latè sunt intel-

ligenda, quando eorum natura petit) niſi tamen conſtet de concedentis intentione, tunc enim debet extendi ad id, quod concedens intendit *ex cap. 1. de conceſſ. præb. in 6.* & docent Anchar. *c. quanto de priu. nu.* 4. Sonc. *c. ex ore eod. t. num.* 2. Tiraq. *l. ſi vnquam v. libertis num.* 55. *Cod. de reuoc. donat.* Capitius *deciſ.* 4. *num.* 2. Pariſius *conſ.* 4. *num.* 22. *lib.* 2. Mandoſius *reg.* 17. *cancel. quæſt.* 8. *num.* 3.

4 Neque obſtant huic doctrinæ *cap. olim de verb. ſignif. & l. beneficium ff. de conſtit. Principum*, vbi dicitur beneficium Principis late eſſe interpretandum. nam nomine beneficij Principis intelligunt priuilegium conceſſum à Principe præter ius, vt ſi Princeps cõcedat Titio aliquid de ijs, quæ ſibi cõpetunt v.g. poteſtatem legitimandi, nam hoc debet latiſſimè interpretari in quantum eſt in Principis præiudicium; at in quantum eſt in graue præiudicium aliorum ſtrictè eſt interpretandum, ſiuè de cætero concedatur ad partis inſtantiam, ſiue proprio motu, ita explicant hos textus Gloſſ. *cap. ordinarij. v. diſpenſationes de officio ord. in 6.* Innoc. *c. quod dilecto de conſangu. fine* vbi Ant. *num.* 9. Abb. *nu.* 7. Alex. Neuo *num.* 5. Præp. *fine* Mandoſi. *reg.* 23. *qu.* 4. *nu.* 6. Archid. *c. quoniam nu.* 2. *d.* 69. Valaſc. *conſ.* 60. *num.* 3. *vol.* 1. Iaſon. *d. l. beneficium nu.* 32. cum alijs. Adde etiam quod ſi intelligas dictos textus de beneficio Principis contra ius, tunc poteſt etiam prædicta diſtinctio applicari, vt ſcilicet late interpretetur in quantum eſt in Principis præiudicium, ſtrictè verò in quantum derogat iuri communi, vt docent Abbas *cap. olim de verb. ſign. fin.* Milis *reperor. li. D. v. diſpenſatio. num.* 23. limitatur tamen noſtra concluſio quatenus dicit diſpenſationem eſſe ſtrictè interpretandam multis modis.

5 Primo niſi diſpenſatio ſit conceſſa motu proprio, tunc enim eſt latè interpretanda, & extendenda ſolum quantum propria ſignificatio verborum patitur, & non vltra verborum naturam, vt explicat Alex. de Neuo, *cap. quia circa num.* 10. *de conſangu.* & ratio eſt quia tunc dicitur beneficium Principis omni ambitione vacans *cap. ſi motu proprio de præb. in 6.* ita Anton. Hoſt. Ioan. Andreas, & alij *cap. cum in cunctis de elect.* Rebuff. *in concordatis in for. man. apoſ. clauſ. mot. prop. in 4. effectu* Staphilæus *de lit. gratia ti. de uit & eff. clauſ. §. quarto motus proprius numero* 2.

6 Dicitur autem gratia motu proprio conceſſa, quando Princeps concedens illam expreſſè explicat ſe motu proprio concedere, quamuis ad partis inſtantiam conceſſerit, vt docent Baldus *cap. niſi num.* 4. *de off. de leg.* Decius *cap.* 2. *nou. edit. num.* 23. *de reſcr. & conſ.* 51. *num.* 3. *volum.* 1. Card. *conſ.* 96. Rebuff. *loco cit. ver. notandum eſt quod ex d. cap. ſi motu proprio.* quod adeò verum eſt vt ſi quis vellet probare gratiam illam non fuiſſe conceſſam motu proprio, non admittendus eſſet; quia eſſet redarguere Pontificem mendacij. bene verum eſt quod ſi gratia conceſſa motu proprio non ſit in ſcriptis, aut ibi non eſt expreſſum, eam motu proprio fuiſſe conceſſam. non poſſe per teſtes probari, nam dicto *cap. ſi motu proprio* petitur vt ipſe Pontifex in litteris id explicet. ſi vero fuit facta ſcriptura, & eſt amiſſa, tunc poteſt probari per teſtes in ea ſcriptura fuiſſe clauſulam motu proprio. ita *loc. cit. in* 11. *effectu* Francus. *cap. ſi motu proprio num.* 9.

7 Secundo limitatur quando diſpenſatio eſt inſerta in corpore iuris, tunc enim eſt lex, atque adeo non ſtrictè interpretanda, ſed debet ad omnes caſus extendi, in quibus eadem vel maior ratio militat, ſimiliter quando otiti communitati concederetur, tunc enim habetur ac ſi eſſet in corpore iuris inſerta, vt ſi diſpenſatur Epiſcopo, vt percipiat fructus abſens cauſa ſtudij: nam hæc non conceditur perſonæ, ſed cauſæ, in qua vtilitas publica verſatur, ſic Oldradus *conſ.* 300. *num.* 4. *v. conſiderandum, & conſ.* 117. *fine*, & 9. Henriq. *l.* 7. *de indulg.*

*dulg.c.*22.*n.*3.*&c.*24.*fine.* alios referẽs Caliaula *l.*2.*in princ.n.*13.*limit.*5. *de rescript.* Manuel.*q.reg.t.*2.*q.*46.*ar.*11. Gambara *de auctor.lega. lib.*10. *n.*277. Sicuti etiam nec ſtrictè eſt interpretanda. quando verſatur circa materiã iuris communis,nã debet iuxta illud intelligi,vt ſi cõcedatur licẽtia Epiſcopo teſtandi, teſtamentum factum anteceſſionem conualeſcit,quia ſecundum terminos iuris comunis ad valorem teſtamenti requiritur facultas teſtandi tempore mortis teſtatoris, à quo robur ſumit teſtamentum prius factũ *l.ſiquis filio exhærtando* [illegible] *iniuſ.rup.teſt.* ita Barth. Imola, Paulus *d.l.ſiquis filio* Ant.Gomez. *l.*41. *Tauri. n.*2.& Matienzo *lib.*5.*recop.t.*4. *l.*3.*glo.* 3. *n.*4. multos referens.

8 Tertio limitatur niſi diſpenſatio ſit in priuato ſtatuto, vel conſuetudine cõtra ius comune inductis, tunc enim cum reducat ad ius commune, quod eſt fauorabile, late eſt interpretanda, vt docent Ant.*ca.olim n.*6. *de ver ſig.* vbi Abb.*n.*5. Mandelus *conſ.*724.*n.* 16. *vol.*3. Henriq.*l.c. ca.*30.*n.*3. Et idem dicas ſi diſpenſatio ſit debita eo,quod princeps teneatur, nam tunc potius eſt fauor debitus cauſæ,vt docet Gambara *loc. cit.*

9 Quarto limitatur,vt non ita ſtrictè interpretetur, vt captioſa, & illuſoria reddatur, & contra naturam rei, in qua diſpenſatur;quia priuilegium debet intelligi iuxta naturam materiæ, in qua verſatur; vnde ſi Pontifex monachis, vel Epiſcopis concedat licentiam teſtandi, ſi illi faciant primum teſtamentum, & illud reuocent, poſſunt conficere ſecundum, tertium, & alia vſque ad mortem;quia natura teſtamenti eſt, vt vſque ad mortem reuocari prius factum poſſit, & aliud fieri *l.ſiquis ff.de leg.*3. ita Nauarr.*trad. de red.eccl.q.*3. *n.*23. Albanus *de cardin.q.* 48. Couarr. *c.cum. in off. nu.* 8. *in poſter. edit.de teſtam.* Peralta.*l ſiquis num.* 94.*ff.de leg.*3. Tello *l.*35 *Tauri num.*1. Ferretus *conſ.*13.*vol.*1. Molin.*lib.*2.*de primo.c.*11. *n.*45. P.Molina *t.*1.*de iuſt.* *d.*141. Ceruantes *l.*4.*Tauri n.* 80. Sarmient.*de redd. par.* 4. *nu.* 3. *c.* 4. & alij cõtra Decium, Soncinam, Iun. & alios apud Sanch. *nu.*17. hic volentes per primum teſtamentum extingui, quia eſt odioſa bonis Eccleſiaſticis, & per conſequens reſtringenda, & eſt probabilis ſententia.

10 Quinto limitatur ne ita ſtrictè intelligatur,quin ad neceſſario, & inſeparabiliter connexa extendatur, vt omnes fatentur. v. g. ſi diſpenſet Pontifex in pluralitate beneficiorum extenditur et iam ad licentiam non reſidendi in vtroque, vel ſi Epiſcopus cõcedat licentiam [illegible] vltra tres menſes præſcriptos conſecrationem differat, extendi debet ad hoc vt poſſit retinere beneficia, quę vacare debuerant à die quo debebat conſecrari, & non eſt conſecratus *cap. cum in cunctis §. cum vero de election.* ratio eſt, quia vacatio beneficij eſt inſeparabiliter conIuncta à culpa differendi conſecrationem, ergo cum dilatio non habeat culpam ob diſpenſationem conceſſam nec debeat reuocare beneficio.ita Anton. *C. cum in cunctis §. vero de electio. nume.* 14. vbi Deci. *nume.* 14. *in noua edit.* Abbas *nume.*9. Gambara *de auct. leg. l.*10. *à numero* 249. Euerard. *l. à ratione legis numero* 36. *fallen. vndecima.*

11 Dixi diſpenſationem eſſe extendendam ad acceſſoria neceſſario, & inſeparabiliter connexa, quia ſi non ſunt neceſſario, ſed ſeparabiliter connexa non eſt ad ea extendenda diſpenſatio, quamuis facilius ſi intelligeretur diſpenſatum in his acceſſorijs, poſſit fieri principale, in quo fuit diſpenſatum, quia diſpenſatio ſtrictè intelligenda eſt, vt ſupra *numero ſecundo dixi*, niſi forte is cum quo diſpenſatur in principali, eſſet inhabilis non per ſe, ſed per accidens ad acceſſoria ſeparabilia, vt ſi quis non poſſet habere vocem in capitulo, ex eo quia non ſit ſubdiaconus,ſi Pontifex diſpenſet adhoc vt accipiat ſubdiaconatum

ante ætatem debitam; ſtatim ſit etiam habilis ad dandam vocem; quia hic non erat per ſe incapax ad vocem dãdam, ſed ſolum ex eo, quia non erat ſubdiaconus *ex clem. 2. de ætat.* vnde ſi diſpenſetur cum Epiſcopo ad non reſidendum, non intelligitur facta diſpenſatio ad hoc vt fructus percipiat, ſed ad hoc ne priuetur beneficio defectu reſidentiæ. ſic Ant. *c. at ſi clerici num. 14. de iudic.* §. *de adulterijs* Milis *lit. D. ver. diſpenſatio num. 23.* Gambar. *nu. 242. & 232. l. cit.* Felin. *d.* §. *de adulte. num. 16.* vbi Aret. *n. 36.* Couar. *4. decret. 2. p. c. 8.* §. *10. fine* vbi alias citat: vel ſi ſuperior, aut Epiſcopus mittant ſubditum alieno Epiſcopo, vt ab eo ordines accipiat, non cenſetur cõmittere ſuas vices tali Epiſcopo, vt cum illo diſpenſet, caſu quo eſſet irregularis, vel aliud haberet impedimentum; quia poteſt exiſtere poteſtas ordines ſacros conferendi, ſine poteſtate reddendi habilem eum, qui ordinandus eſt; ergo diſpenſatio in vna re non debet ad aliam extendi, ita ex Nauarr. *lib. 1. conſ. tit. de temp. ordin. 1. edit. con. 26. & 27.* Petr. Ledeſ. *ſum. ſacr. de ſacr. ord. cap. 8.* Manuel. *2. tom. ſum. cap. 14. num. 10.* vbi dicunt non poſſe Epiſcopum diſpenſare interſtitijs, nec in defectu natalium ad minores ordines cum ſuo familiari triẽnali contra Angelum *irregularitas num. 34.* Armill. *nu. 81.* Enriq. *lib. 14. de excom. c. 16. num. 4.*

QVAERES I.

An diſpenſatio facta illegitime ad ordines ſuſcipiendos ſit intelligenda de ordinibus ſacris, vel ſolum de minoribus.

12 REſpondeo ſi illegitimus non habet ordines minores, tunc diſpenſatio ad ordines ſuſcipiendos, vel vt clericus fiat, ſolum extendenda eſt ad omnes ordines: non ad ſacros. ratio eſt quia ſufficit vt habeat ſuum effectum in ordinibus minoribus, in omnibus tamen: quia beneficium in genere mediocritatem reſpicit. *l. fin.* §. *1. co. de legibus*; ergo cum hæc diſpenſatio ſit beneficium debet habere aliquam mediocritatem, ita vt non ad primam ſolam tonſuram coarctetur, nec ad ordines ſacros extendatur, ita Gloſſa *fin. c. literas de fil. præſ.* Hoſt. *nu. 8.* Vincent. Tancredi, Laurent. apud Io: Andr. ibi fine Bellam. *nu. vlt.* Villadiego *de irreg. c. 16.* Ant. Cuc. *l. 4. inſt. maior. tit. 12. num. 32.* & alij infra citandi.

13 At ſi illegitimus eſt ordinibus ſuſtentatus, & Pontifex id ſciat, tunc diſpenſatio ad ordines intelligitur ad omnes ordines ſacros. ratio eſt, quia poſito quod ille habeat ordines minores, & Papa id ſciat, ſi diſpenſatio ad ordines non intelligi deberet de ordinibus ſacris, eſſet fruſtatoria; contra *cap. ſi Papa de priuil. in 6.* & ſi non intelligeretur de omnibus ordinibus ſacris ille remaneret incapax mutandi ſtatum per ſubdiaconatum; nec vlterius poteſt aſcendere, quod non præſumi debet voluiſſe Pontificem. & idem dicas ſi Pontifex diſpenſet ad omnes ordines, debent enim intelligi etiam ordines ſacri, nam alias illa particula, omnes, redundaret, quod in decretis Pontificis dici non poteſt, cum ſine illa intelligatur diſpenſatio de omnibus ordinibus minoribus, vt dictum eſt, ita ſupponit Domini. *cap. fin. de fil. præſ. num. 8.* Archid. paulo poſt princip. Immo addo quod in prædictis caſibus, in quibus diſpenſatio cum illegitimo intelligitur ad ordines etiam ſacros, tunc etiam extendi debet ad hoc vt poſſit talis illegitimus recipere beneficium ſimplex; ratio eſt quia ordines ſacri & beneficium ſimplex ſunt quaſi inſeparabiliter annexa, nã in Conc. Trid. *ſeſſ. 21. can. 2. de reform.* prohibitum eſt quempiam ordinibus ſacris initiari abſque titulo beneficij; quod cum non ſit cum ordinibus minoribus non ſequitur vt diſpenſatus ad ordines minores ſit etiam ad beneficium ſimplex. ita videntur tenere

Emm. Sà *dispensatio num.* 14. Anchar. *d. c. fin. num. vnic.* Milis. *v. dispensatio. numero 23.*

14 Denique cum absolutè dispensatur cum illegitimo in irregularitate sine alio addito, tunc talis dispensatio extenditur ad omnes casus, quos dispensans potest concedere; quia non est maior ratio cur ad vnum, & non ad alium extendatur. ita Suar. *de cens. disp.* 41. *sect.* 3. *nu.* 3.

QVAERES II.

An in dispensationibus possit fieri extensio de vno casu, in quo dispensatur ad aliũ similem, in quo eadem, vel maior militet ratio dispensationis.

15 REspondeo non posse fieri talem extensionem, atque adeò in dispensationibus odiosis non valet argumentum de maiori ad minus, vt Pontifex concedit, vt hic recipiat Prębendam hanc maioris valoris, ergo etiam illam minoris, non valet, inquam, hic argumentandi modus. Probatur ex regula *quæ à iure, de regu. iuris in 6.* ibi (*quæ à iure communi exorbitant minimè sunt ad consequentiam retrahenda*) sed dispensatio, vt dictum est, exorbitat à iure communi; ergo non valet in ea argumentum à maiori &c. est communis sententia, quam sustinent Couarr. 4. *decr.* 2. *p. c.* 8. §. *nu.* 11. Villalobos *in comm. l. D. nu.* 90. Molin. *l.* 2. *de primog. c.* 4. *nu.* Menoc. *cons.* 72. *n.* 11. *vol.* 1. Matien. *l.* 5. *recop. t.* 8. *l.* 10 *gl.* 1. *num.* 1. Stunica *de voto. qu.* 6. *nu.* 56. Oldrad. *cons.* 215. *num.* 7. Feder. *cons.* 4. *spec. tit. de disp.* §. *dicendum restat. nu.* 16. Io: Andr. *add. ad eundem & c. postulasti num.* 11. *de rescript.* vbi Host. *num.* 12. Anto. *nu.* 8. Bellamera *num.* 3. Barbat. *nu.* 7. Felin. *nu.* 8. Abb. *c. ad aures nu.* 7. *de rescrip.* & alij contra Decium *cap. quia in tantum noua edit. an.* 5 *de prob. & cons.* 76. *fine vol.* 1. Hippolitum *rep. C. at si clerici* §. *de aduloerijs nu.* 86. putantes satis probabiliter, posse fieri extensionem à casu, in quo militat maior, vel par ratio, ad alium casum. ducuntur præcipuè quia in re pœnali, & per consequens odiosa valet hic modus argumentandi *ex l. neque in ea* 22. *ff. ad legem Iuliam*; ergo etiam in dispẽsatione, quę est odiosa debet valere

16 Sunt tamen aliqui casus, in quibus potest dispensatio extendi, & valet argumentum à maiori ad minus. Primus est quando dispensatio est fauorabilis, vt in illegitimatione, potest .n. dispensatio esse fauorabilis, vbi agitur de publico religionis fauore, vel animæ, quidquid dicat Felinus *c. postulasti nu.* 9. *de rescriptis*, asserens semper dispensationem esse odiosam. ita Abbas *d. c. at si cleri.* vbi Decius *in noua edit. nu* 91. Corneus *cons.* 201. *nu.* 15. *vol.* 2. Imola *l.* 2. *in princ. nu.* 2. *ff. de verb. oblig.* vbi Roman. *num.* 62.

17 Secundus quando casus in quo dispensatur, continet rationem expressam concessionis, quia tunc non est proprie extensio, vel si minus est inclusum vt pars, vel vt quid inseparabile in maiori, vt si dispensetur ad sacerdotium, intelligitur etiam ad alios ordines. ita Io: Andr. Host. Abbas. & alij. *d. c. postulasti & c. literas de fili. præs.*

18 Tertius est quando dispensatio est inserta in corpore iuris, tunc enim late est interpretanda, & per consequẽs ad casus similes extenditur. ita Couar *loc. cit.* & Lud. Lopez. 2. *p. instr. vbi de claui cap.* 9.

19 Quartus denique est quando maius concedit minus, vt si Episcopo concedatur facultas testandi, etiam concedi censetur facultas condendi codicillos, & donandi causa mortis, quia hæc sunt partes vltimæ voluntatis. ita Oldrad. *cons.* 215. Borgas. *de irreg. p.* 2. *de interpret. dispen. num.* 17. Mandos. *de signat. gratiæ. v. licẽtia testandi* Enriq. *de indulg. cap.* 21. *nu.* 6. Molin. *t.* 1. *de iust. tr.* 2. *dis.* 141. *fine* Similiter si concedatur esus ouorum, conceditur etiam esus casei, lactis &c. quia sunt in eodem gènere nempè sementinam originem à carnibus trahunt, vel cui conceditur esus alicuius auis v.g. perdicis potest ftesci quibuscumque carnibus.

Hic

* Hic nota Pontium dum verbis ludit;Sancium illudere, ait enim cauſã efficiẽtẽ ſine cauſa poni à noſtro Auctore in definitione diſpẽſationis dũ dixit (*ab eo poteſtatẽ relaxãdi habẽte factã*) ſed immeritò inter ludendũ tãtum virum carpit;nam iuris relaxatio,vt vult Pontius,non ſufficit,& manca eſt definitio,non enim in ea explicatur à quo talis relaxatio debet fieri; nec valet Pontij argumentum, quod id includitur in ipſa ratione diſpenſationis, quæ ſi non ſit ab eo, qui poteſtatem habet diſpenſatio non eſt. nam etiam iuris relaxatio imbibitur in ipſa diſpenſatione, ſi enim relaxatio iuris non eſſet, nec diſpenſatio eſſet. præterea vulgatum eſt omnibus dialecticis definitionem nihil aliud eſſe niſi ipſam rei naturam expreſſius explicatam,vt ſi dicam, homo eſt animal rationale, totum hoc implicitè imbibitur in ipſo homine; bona tamen eſt definitio, quia id quod implicitè continetur,explicat terminis clarioribus, & explicitis. Sed Pontius nodum, vt aiunt, in ſcirpo quærit, dummodo Sancium carpat, immo, quod indignius videtur, *in* vno Sancio irridet Theologos, ac canoniſtas eximios; nam præter Graffium,Manuelem,Gloſſ.Abbatem Ant. Ananiam, Imolam,Cardinalem Io: Andream Archid. Bellameram, quos Sancius citat definientes diſpenſationem, & addentes (*ab eo, qui habet poteſtatem relaxandi*) quotquot ex recentioribus videre potui,perpaucis exceptis, omnes qui diſpenſationem definiunt,dicunt: ab habente poteſtatem;neque in vulgata definitione diſpenſationis, nempe *iuris relaxatio facta cum cognitione cauſæ ab eo, qui habet poteſtatem relaxandi.* Diſcrepant niſi in illis verbis *facta cum cognitione cauſæ* & aliqui communiter illa admittunt. Alij vero cum Sancio noſtro excludunt; itaque hanc particulam (*ab eo, qui habet poteſtatem relaxandi*) quam Pontius ſine cauſa poſitam eſſe dicit, ponunt etiam Barboſa *de poteſtate Epiſcopi alleg.* 33. & dicit eſſe communem Nauarr. *in cap. quem pœnitet et num. 7 de pœnitentia diſt.* 1. & *in Manual. præl. nu.* 9. Couarr. *de ſponſalibus p. 2. cap. 6. §. de adult. de iudic.* Rebuff. *in praxi tit. de diſpenſat. nu. 1. pag.* 179. Monet: *de diſtributionibus quotidianis p. 2. q.* 14. *nu.* 2. Riccius *in praxi fori Eccleſiaſtici dec.* 260. *in* 1. *editione*, & *reſolut.* 227. *n.* 1. Sayrus *in claui regia lib. 6. cap.* 11. Alphonſus, Aluarez *in ſpeculo iuris Pontificij cap.* 11. *de diſpenſ. Epiſc.* Cardin. Tuſcus *pract. conſil. litt. D. con.* 357. Filiucc. *tract.* 10. *par.* 2. *fol.* 379. Cardos *in praxi iud. & aduoc. v. diſpenſ.* — 1. Ludou. Miranda *in manual. præl. 2. q.* 30. *ar.* 1. Vgolinus *de poteſtate Epiſc. cap.* 7. *à nu.* 1. Homobonus *de caſibus reſeruatis fol.* 130. Aegidius Koninch. *diſp.* 33. *dubio* 1. *num.* 1.

DISPVTATIO II.

An poteſtas diſpenſandi, ſit latè interpretanda.

1 REſpondeo poteſtas diſpenſandi alicui conceſſa; eſt latè interpretanda, & extendenda ad eos caſus,qui aliquo modo poſſunt adaptari caſibus expreſſis in conceſſione poteſtatis ad diſpenſandum, & ad omnia conſequẽtia, & acceſſoria etiam ſeparabilia;ratio eſt,quia conceſſa poteſtate diſpenſandi nulli præiudicium infertur, niſi ipſi concedenti (ſi enim in præiudicium magnum tertij vergeret, tunc non eſſet latè, ſed ſtrictè interpretanda, nam Princeps cenſetur velle inferre quam minimum poſſit damnum tertio, vt docent multi ex Doctorib⁹ citandis) qui ſuam poteſtatem alteri concedit: ergo eſt beneficium Principis,& per conſequens latè interpretandum, vt *diſput. præcedenti* dixi.

Secundo, quia principale intentũ Principis eam facultatem concedentis eſt fauere illi, cui concedit talem facultatem, & non lędere ius commune: ergo conceſſio poteſtatis ad diſpenſandum eſt fauorabilis ex dictis *libro* 1. *diſput.* 1. & per conſequens latè ita Oldradus *conſ.* 152. *nu.* 1. Bartholo. *l.* 2. *n.* 2. *ff. de verb. oblig.* vbi Bald. *num.*

vnico

vnico. Imola *n.* 2. Barth. Soncin. *nu.* 14. Alciat. *nu.* 48. Paul. *nu.* 4. Roman. *n.* 62. Galiaula *n.* 8. Couarr. 4. *decr.* 2. *par. c.* 8. §. 8. *n.* 6. Stunica *q.* 6. *de voto num.* 57. Gratian. *reg.* 140. *nu.* 15. Abbas C. *at Clerici* §. *de adulterijs n.* 11. *de iudic.* vbi Imola, Alex. de Neuo. & alij scribentes cum Enriq. *l.* 7. *de ind. c.* 3. *fine* Molina *t.* 1. *de iust. tr.* 2 *dis.* 173. *theol* Bart. Alciatus, Decius, Alex. de Neuo, & alij permulti.

2 Excipe tamen tres casus, in quibus facultas dispensandi non est latè interpretanda. Primus est, quando concessio dispensandi esset in aliqua materia, in qua ex consuetudine inducta esset interpretatio in ea materia, vt docent Felin. C. *postulasti nu.* 11. *de rescri.* Gambara *de auct. leg. l.* 10. *n* 194.

3 Secundus est, vt non extendatur potestas dispensandi absolutè concessa ad dispensandum etiam in ijs, quæ sunt de iure diuino naturali, in quib⁹ Pontifex, non nisi cum magna causa dispensare potest v. g. si Pontifex concedit facultatem Titio dispensandi, poterit hic ex vi talis concessionis dispensare in votis, quæ de iure diuino naturali obligant, sed solet facile Pontifex in his dispensare, non autem in matrimonio rato, quia in hoc difficillimè Pontifex dispensare solet, vel in voto absoluto castitatis perpetuæ. vide Felin. C. *postulasti n.* 12. Gambara *loc. cit. nu.* 205.

4 Tertius est, quando facultas dispensandi concessa est cum determinata persona v. g. concedo tibi facultatem dispensandi cum Titio; quia non tam est facultas dispensandi, quam dispensatio expectans solam executionem. Vnde non est latè interpretanda, vt docent Alciatus *l.* 2. *nu.* 50. *ff. de verb. oblig.* Nauarr. *cap. fin. de simon. num.* 3. vbi Io. Andr. Anton. *nu.* 5. Gambara *n.* 200. *loc. cit.* Iacob. de puteo *lib.* 3. *deci.* 39. *nu.* 2. Couarr. 4. *decr.* 2. *p. c.* 8. §. 8. *fine.* Nauarr. Gambara, Iacobus de puteo, & alij, etiam si ad petitionem dispensaturi concessa sit talis facultas; quia nisi appareat in fauorem ipsius fuisse concessam, quo casu latè interpretatur ex Iac. Puteo *l. c.* & Rota *lib.* 2. *in nou. de.* 700. *fine* semper præsumitur fuisse datam illis, cum quibus est dispensandum, & exprimuntur in cõcessione, vnde est potius dispensatio.

5 Ex dictis deducitur resolutio variorum casuum ad praxim spectantium. Et primo, quod priuilegia bullæ Cruciatæ, & Iubilæi sint strictè interpretanda, quia est beneficium personę, quę recipit bullam, seu Iubilæum iuxta dicta *num. præced.* ita Nauarr. *l.* 2. *cõs. tit. de iur. iur. in* 1. *edit. con.* 3. *in* 2. *cons.* 1. Enriqu. *l.* 7. *de indul. c.* 30. *n.* 1. cõtra Ludou. Lopez. 2. *p. instruc.* vbi *de clauibus cap.* 9.

Contra verò potestas Episcopo cõcessa dispensandi in beneficijs, debet etiam extendi ad alia non simplicia, & curata, quia non est dispensatio, sed facultas dispensandi. Tertio, quando est dubium an potestas dispensandi extendatur ad aliquem casum præsumitur extendi, latè enim est interpretanda. & non strictè vt dispensatio. ita Decius C. *at si clerici* §. *de adult. nou. edit. limit.* 2. *n.* 96. *de iudic.* vbi Hyppo. *n.* 91. Stunica *de voto q.* 6. *n.* 57.

QVAERES I.

An potestas concessa Episcopis d Trident. sess. 24. *cap.* 6 *de refor. vt possint absoluere, & dispensare circa omnes casus occultos, non deductos ad forum contentiosum excepta irregularitate ex homicidio voluntario, sit extendenda, vt competat capitulo sede vacante, & alijs prælatis habentibus iurisdictionẽ, quasi Episcopalem, & superioribus Religionum.*

6 REspondeo affirmatiuè, & quidẽ quod talis facultas concessa Episcopis intelligatur etiam concessa Episcopis electis, & confirmatis, est certũ nam ipsis competunt ea, quæ sunt iurisdictionis ex Cenedo Suar. Manuel. infra cit. similiter de superioribus Religionum etiam localibus erga religiosos suos subditos, patet ex cõcessione Pij V. quam refert Emm. *qu. reg. t.* 1. q. 61.

q.61. ar.9. de Abbatibus verò, & alijs habentibus iurisdictionem quasi Episcopalem, & de capitulo sede vacante probatur, quia hæc potestas concessa à Tridentino Episcopis competit de iure speciali ordinario, ergo non solũ debet latè interpretari, ita vt competat etiam alijs Prælatis habentibus iurisdictionem quasi Episcopalem, sed etiam capitulo sede vacante. consequẽtia quoad primam partem, nempe q̃ competat Prælatis habentibus iurisdictionem quasi Episcopalem, est clara, nam si facultas dispensandi delegata, est latè interpretanda; multo magis facultas dispensandi competens de iure ordinario, præsertim cum sit inserta in corpore iuris, nempe in Tridentino quod ius facit, ergo debet talis facultas extendi etiam ad hos prælatos, cũ ipsi in sua dioecesi plenam iurisdictionem Episcoporum habeant: Quoad secundam verò partem, nempe quod etiam competat capitulo, probatur, quia capitulum succedit in ijs, quæ cõpetunt Episcopo iure ordinario, vt docent Abbas *C. verum n.9. de foro competen.* Felin. *cap. eam te n.17. de rescriptis*; ergo cum talis facultas absoluendi, & dispensandi in casibus occultis &c. cõpetat Episcopis de iure ordinario cõpetet etiam capitulo sede vacante, antecedens autem quod competat talis facultas Episcopo de iure ordinario, probatur, quia potestas competens non personæ, sed dignitati perpetuò, est ordinaria vt *lib.2. disput.40.* dictum est: sed facultas prædicta est huiusmodi, ergo &c. Adde etiam quod in dicto Tridentino decreto non dicitur vt Episcopi dispensẽt auctoritate apostolica, quæ verba ostendunt potestatem delegatam ex Marant. *in pract. 4. p. dis. 5. n.4.* sed absolutè illam concedit Episcopis. ita docent de alijs prælatis Enriqu. *l.6. de pœnit. c.16. n.1.* Manuel 2. *t. su c.a. 10. n.6.* Et de capitulo sede vacante etiam Cenedo *collec.4. ad decr. n.3.* Aragon. 22. *q.88. ar.12. col.7. conclus. quinta.*

7 Contra verò Suar. *de cens. dis. 41. sect. 2.* putat non competere eam facultatem capitulo sede vacante, quia talis facultas est delegata: at ea, quæ sunt delegata Episcopo, non competunt capitulo, vt Doctores communiter docent. similiter etiam cum Cenedo negat competere alijs prælatis ex eo, quia hæc concessio est odiosa, vt pote exorbitans à iure communi, ergo est restringenda, & eorum sententia est probabilis.

QVAERES II.

An potestas concessa ad dispensandum in votis Deo factis, sit etiam extendenda ad vota commutanda.

8 REspondeo negatiue, quia commutatio nullatenus includitur in dispensatione; nam hæc est obligationis dissolutio, commutatio verò est translatio eiusdem vinculi voti in aliã materiam; vnde non valet regula *cui licet, de reg. iuris*: nam tunc est vera; vt scilicet illi cui licet plus, liceat minus, quando minus continetur in maiori, tanquam pars illius, vel quid necessario connexum. ita etiam Nauar. *sum.c.12.n.19.* Azor *l.11. inst.c.19. q.4.* Metin. *lib.2. sum.c.1.* Palac. 4. *dec.38. disp.3. col.37.* licet hic, qui potest dispẽsare ex priuilegio, possit partim relaxare obligationem, & partim commutare, quia hoc continetur in illa facultate dispensandi. ita Azor *l.c.* dixi potestas concessa, nam si sit ordinaria, nõ est dubium, quod qui potest vnum, potest aliud. Contraria tamen sententia putans posse etiam commutare illum qui habet facultatem delegatam dispensandi, est probabilis, ducitur, quia cui plus conceditur, vt est dispensare intelligitur esse concessum, & minus, quod est commutare. ita Philiar. *de offic. Sac t.1. par.2. l.3. c.22.* Enriqu. *l.7. de ind. c.30. n.5.* Arag. 22. *qu.88. ar.12. col.6.* Manuel *expos. bull. §.9. n.115.*

QVAE-

QVAERES III.

An ſi Pontifex alicui concedat facultatem. vt diſpenſet, vel commutet vota, poſſit hic diſpenſare, & commutare iuramenta ſoli Deo facta. & contra: vel etiam poſſit diſpenſare vota, & iuramenta facta de eadem re.

9 REſpondeo ad primam partem quæſiti affirmatiuè, nimirum eum, qui habet conceſſam poteſtatem diſpenſandi, vel commutandi in votis; habere etiam talem poteſtatem in iuramentis ſoli Deo factis, & contra, qui poteſt talia iuramenta, poteſt etiam vota relaxare, vel commutare. Ratio eſt quia diſpoſitum in vno æquiparatorum cenſetur diſpoſitum in alio. *l. vt tantum ff. de ſeruo corr. c. de furt.* at votum, & iuramentum æquiparantur in hac re, nam tam in voto quam in iuramento ſoli Deo præſtito (non enim hic agitur de iuramentis homini præſtitis) obligatio ipſi ſoli Deo acquiritur; ergo qui poteſt ſoluere obligationem, vel commutare in votis, poteſt etiam iuramẽtis & contra. ita expreſsè docent poſſe in iuramentis diſpenſare eum, qui poteſt in votis. Emm. Sà *ver. iuramen. n.* 22. Enriq. *Manuel. nu.* 111. Aragon. 22. *q.* 86. *ar.* 9. Viuald. Candel. 3. *p. c.* 14 *n.* 8. contra Azor. *l.* 11. *c.* 109. 2. Nauar. *c.* 27. *num.* 275. ducũtur. quia hæ ſunt obligationes diuerſę, & duo vincula fortius ligant. quamuis aliqui apud Azor putent nobiſcum, ſi emiſſo voto emittitur de eadem re iuramentum, quia tunc eſt voto acceſſorium, eoque ceſſante ceſſat, & ſunt probabiles ſententię.

10 Ad ſecundam verò partem quæſiti nimirum quando concurrunt ſimul votum, & iuramentum de eadem re, vt ſi quis voueat ſe non luſurum, & idem Deo iuret expreſsè. Reſpondeo cum hac diſtinctione, ſi iuramentum fuit emiſſum ad confirmandum votum (quod ſemper in dubio præſumitur) tunc qui poteſt in voto diſpenſare, aut commutare, poteſt etiam in hoc iuramento; quia in hoc caſu iuramentum eſt acceſſorium voto, ergo qui habet facultatem tollendi votum, poteſt etiam indirectè iuramentum tollere: at ſi iuramentum fiat independenter à voto, tunc non poteſt facultas ad vota commutanda ſeu relaxanda ad ipſum extendi: quia ſunt duo vincula expreſſa, quæ ſunt maiora vno tantum, quamuis Henriquez, Azor, & Manuel l. c. abſolutè negent. contra vero Em. Sà abſolutè affirmet. *ver. votum vbi de irrit. & diſp. nu.* 16.

11 Et iuxta ea, quæ diximus caſu quo poteſtas ad diſpenſandum, vel commutandum vota poteſt extendi ad iuramenta non erit ſubreptitia diſpenſatio ſi petens ſolum votum proponat, & taceat iuramentum, ſicuti neque quando, cum votum emiſerit, petat diſpenſationem in iuramento, vel contra; quia iuramentum, & votum æquiparantur quoad obligationem Deo factam, vt ſupra dixi, quod etiam verum eſt quando quis pluries circa eandem rem vouit, & non facit mentionem de pluralitate voti ſæpius multiplicati, quia nullam nouam obligationem inducit votum ſæpius repetitum, vt etiam docet Azor. *l.* 11. *c.* 14. *q.* 1.

QVAERES IV.

An ille, cui conceditur facultas legitimandi adulterinum, & inceſtuoſum, poſſit etiam aliquem legitimare, qui vtrumque vitium habeat.

12 REſpondeo cum diſtinctione, ſi per legitimationem non eſt præiudicium tertij, & facultas conceditur in gratiam legitimaturi, tunc qui habet conceſſam facultatem legitimandi adulterinum, & inceſtuoſum; poteſt legitimare etiam eum, qui vtroque vitio laborat, ſicuti etiam is, qui habet conceſſam poteſtatem legitimandi ſpurios, poteſt etiam eos legitimare, qui ex duplici capite ſunt illegitimi, vt ſi ſint adulterini, & inceſtuoſi

ſtuoſi. ratio eſt, quia poteſtas legitimandi conceſſa in gratiam legitimaturi, eſt principale beneficium principis, & latiſſimè eſt interpretandum, vt *diſp. præced.* dixi

13 Contra verò ſi eſt præiudicium tertij, vt quia eſſet legitimandus filius, qui habet alios fratres legitimos, & naturales patre adhuc viuente, aut ſi conceditur in gratiam legitimandi, non poteſt ille, qui habet facultatem prædictam legitimare eum, in quo duo vitia nempè inceſtus, & adulterium concurrunt. ratio eſt, quia tunc eſt odioſa talis conceſſio, vt ex dictis patet, ergo eſt reſtringenda. ita docēt Alex. de Neuo *c. per venerab. n.* 52. vbi Ant. *n.* 13. Præp. *§ quod autem n.* 4. Fel. *ta. at ſi cler. §. de adult. n.* 8. *de iud.* Ant. Roſell. *de legitimat. l.* 2. *tit. de cauſa matrim. n.* 2. Milis. *reper. lit. F. n.* 12. Gamba. *de aut. ligat li.* 10. *n.* 202. Couarruu. 4. *decr.* 2. *p. c.* 8. *§.* 8. *n.* 9. & docent abſolute Alciat. *l.* 2. *n.* 44. *ff. de verb. obligat.* vbi Bart. *n.* 2. Raſius *n.* 16. Raman. *nu.* 62. Bart. Lonci. *conſ.* 3. *nu.* 24. *vol.* 3. Decius *c. at ſi clerici §. de adult. noua edit. nu.* 120. Curtius Fun. *conſ.* 75. & alij.

14 Contraria tamen ſententia negat illum, qui habet facultatem ex priuilegio legitimandi adulterinum, & inceſtuoſum poſſe legitimare eū, in quo duo vitia concurrunt, probatur præſertim ex eo, quod poteſtas legitimādi eſt odioſa *ex c. fin. Auth. quibus med. nat. efficiantur ſui.* & ex *l. cum paſſam.* 39. *ff. ad l. Iuliam de adult.* ita tenent Dominicus C. *ſuſceptum n.* 5. *de reſcrip.* Molineus *l.* 2. *ff. de verb. oblig. nu.* 59. vbi Ius. *n.* 4. Aret. *n.* 1. Gutierez. *alleg.* 3. *n.* 20. Borgaſi. *de irreg.* 2. *p. de interp. diſpenſ. n.* 11. Fortunius *l. Gallus §. & quid ſi tantum à num.* 152. *ff. de lib. & port.*

* Quæ dixi *n.* 4. in reſponſione ad titulum diſputationis notanda ſunt quid quid in contrarium dicat nouiſſimè Pontius *lib.* 8. *cap.* 14. *n.* 17. vbi ait non rectè id à noſtro auctore doceri ibi (*quia eadem eſt gratia, quare non videtur cur in fauorem illius, nempè diſpenſaturi, ſit latè interpretanda, & non in fauorem alterius. deinde quouis modo concedatur, continet virtualem diſpenſationem ex parte Pontificis*) Sed Pontius non aduertit eſſe eandem gratiā materialiter, non autem formaliter, vt ſic loquar, ſi enim Pontifex v.g. concedat Epiſcopo ad petitionem eius, vt diſpenſet cum Franciſco illegitimo gratia diſpenſandi eadem eſt materialiter, nam eſt legitimatio ad ordines &c. verum differt formaliter, nam ſi conceditur à Pontifice in fauorem Epiſcopi, & vt ipſi gratia fiat, tunc eſt poteſtas diſpenſandi, & priuilegiū actiuum, & ſic latè eſt interpretanda talis conceſſio. ſi verò conceditur ipſi Epiſcopo ad hoc vt Franciſcus legitimetur &c. tunc eſt priuilegium paſſiuum, & propriè diſpenſatio ſtrictè interpretanda, vt potè exorbitās à iure communi. ex quo etiam diluitur ſecundum Pontij fundamentum, quod ſcilicet quouis modo concedatur, continet virtualem diſpenſationem ex parte Pontificis, atque adeò ſemper eſt ſtrictè interpretanda, diluitur inquam, quia in primo caſu eſt potius facultas diſpenſandi, quæ vt cō munis Doctorum ſententia eſt latè interpretanda, & in ſecundo caſu continet diſpenſationem veluti in fieri, vt loquitur Sanchez, & ſic ſtrictè eſt interpretanda, quæ omnia patent ex dictis *hac diſp. & præc.*

Adde etiam hoc argumentum eſſe contra Pontium, nam quouis modo concedatur ſiue perſonæ nominētur ſiue non ſemper continet virtualem diſpenſationem ex parte Pontificis; nam ſi Pontifex concedat Epiſcopo facultatem diſpenſandi caſtitatis abſolutæ, iam virtute diſpenſatio includitur ex parte Pontificis cum ijs, cum quibus eſt diſpenſandum: vnde deberet ſtrictè interpretari, quod eſt contra ipſum Pontium. quare præter Sācium, quem Pontius de more ſolum notat hanc limitationem docet Rota Romana *tomo* 3. *lib.* 1. *deciſ.* 117. Iac. de puteo *in ſuis deciſ. lib.* 3. *dec if.* 39. *n.* 2. quos citat Sanch. & ex recentioribus

ribus docet Bonac. *de legibus diſputat. 1. quæſt. 3. punc. 7. §. 2. n. 18. verſ. quanta eſt.* Salàs *de legibus nu.* 100. & videtur expreſſe tenere Filiuccius *tract.* 10. *c.* 10 *n.* 2. *q.* 4. *verſ. Notandum*, nam licit diſpenſationẽ conceſſã expreſſis perſonis eſſe ſtrictè interpretãdã, latè vero nõ expreſſis & citat Sãciũ *hac diſp. à n.* 2. ad quem ſe remittit, vnde etiã intelligit cum omnibus limitationibus, quas Sancius apponit, Hurtad. *diſp.* 26. *de matr. in præambulo n.* 2. nam ait hæc (*ſupponimus poteſtatem diſpenſandi eſſe latè interpretandam, diſpenſationem verò ſtrictè. vtraque pars varie ab alijs limitatur de quo legendi ſunt Sãchez lib.* 8. *diſp.* 1. *&* 2. *& Aegidius diſp.* 33. *dub.* 2.

DISPVTATIO III.

An Prælati poſſint ſecum ipſis diſpenſare in ijs, in quibus poſſunt diſpenſare cum ſubditis.

1 VT certa à minus certis ſecernamus ad caſum propoſitum reſpõdeo per ſequentes concluſiones.

Dico primo in diſpenſatione largè dicta, quę ſcilicet non eſt propriè iuris relaxatio; ſed potius quædam licẽtia ſuperioris, nec eſt actus iuriſdictionis, vt ſi in conſtitutionibus Religionum præcipiatur ne quis in cubiculum alienum ingrediatur, qui põt cum alijs diſpenſare concedendo illã licentiam poteſt etiam ſibi concedere; nam non debet eſſe peioris condi tionis, quam ſubditi, & ita vſus ab om nibus religionibus approbatus docet & tenent D. Thom. 2. 2. *q.* 185. *art.* 8. Cordub. *addit ad coll. comp mend. v. accedere ad monaſteria mendicant.* Manu. *q. reg. t.* 1. *q.* 45. *a.* 5. *fin.* Sylu. *v. relig.* 6. *q.* 10. & alij.

2 Dico ſecũdo in diſpenſatione propriè dicta, quæ eſt verus actus iurisdictionis poteſt ſuperior indirectè ſibi diſpenſare in ijs, in quibus poteſt cum ſubditis, vt ſi Epiſcopus diſpenſet cũ Ciuitate in ieiunio, ipſe etiam poteſt, vt pars talis Ciuitatis vti tali diſpenſatione. ita Sotus 4. *diſ.* 21. *q.* 1. *ar.* 4. eſtque communis.

3 Similiter poteſt Epiſcopus, ſiue Prælatus committere confeſſario, vt ſecum diſpenſet in ijs omnibus, in quibus poteſt cum ſuis ſubditis, ratio eſt ne ſit peioris conditionis, quam ſubditi. ita docent Enriq. *l.* 6. *c.* 4. *n.* 3. *lit.* I. Emm. Sà. *v. confeſſor n.* 16. & loquentes de Epiſcopis D. Ant. 3. *p. tit.* 17. *cap.* 2. §. 2. Palud. 4. *d.* 38. *q.* 4. *ar.* 4. Maiol. *l.* 2. *de irreg. ca.* 2. *n.* 12. Henri. Emm. *lo. ci.* & alij. imò ſi incidat Epiſcopus in caſus occultos, quos *Trid. ſeſſ.* 24. *cap.* 6. *de refor.* ipſi conceſſit, poteſt confeſſarium eligere, & dare licẽtiam, vt ipſum ab illis abſoluat, & ſi à ſolis cenſuris velit abſolui non eſt neceſſe vt illi Sacerdoti à ſe electo cõfiteatur; ſed ſatis eſt ſi illum eligat ad hanc ſolam diſpenſationem faciendã quia talis iurisdictio ab ipſo Prælato emanat. vide Suar. *de cens. diſ.* 41. *ſe.* 2 *numero nono.*

4 Dico tertio non ſolum Pontifex aut Princeps ſæcularis ſupremus, ſed etiam Epiſcopi, & alij Prelati habentes iuriſdictionem quaſi epiſcopalem, vt ſunt Abbates Epiſcopis non ſubiecti, & Prælati Religionum poſſunt directè in ſe ipſos verè & propriè diſpenſare in ijs omnibus, in quibus poſſunt cum ſuis ſubditis v. g. ſi poteſt Prælatus diſpenſare cum ſubdito in voto, ſi ipſe emiſit illud votum poteſt ſecum diſpenſare abſque eo, quod facultatem concedat alteri, qui ſecum diſpenſet. Ratio eſt, quia hoc non repugnat iuri naturali, neq; aliquod ius poſitiuum reperitur in contrariũ id vetans in alijs Prælatis Papa inferioribus; ergo. Antecedens, quod non ſit ius ſcriptum patet, nam nullum afferri poteſt. Quod verò non repugnet iuri naturali probatur; quia iuriſdictio in diſpenſando non eſt contentioſa, nec pertinet ad abſolutionẽ ſacramentalem, vt exigat diſtinctionem perſonarum: ergo poteſt ergà ſeipſum exerceri. Secundo patet ex ſecunda concluſione, nam poteſt Prælatus ſecum diſpenſare, quando diſpenſat cum aliqua Ciuitate cuius eſt

pars ipſe Prælatus; ergo diſpenſatio non requirit diſtinctam eſſe perſonam diſpenſantis,& eius cui fit diſpenſatio. adde quod non debent eſſe peioris conditionis Prælati, quàm ſubditi. ita docent loquentes de Papa Felin. *c.2.n.20.de ſponſ.* Decius *c.1. de conſt.in 2.lec. n.24.* Corradus *in templo om.iud.l.1.c.1.§.3.*Ant.Gom.*in expoſi. cruc.clauſ.10. n.87.* Iacobuti. *de conſil. lib.7. a. 5.* Henriquez *lib.6.c.4.n.3.lit.* I. Azor *l.5.in mor.c.15.q.6.*Sylu.*v.lex q.14.* Decius Sylu.Tab. Corduba Couarr. & alij cùm multis Theologis. De Epiſcopo verò & alijsPrælatis docet Armilla Molina Em. Sà Azor Man. & alij. quos refert Sanch. *num.* 8. & 9.

5 Dico quarto etiam is qui habet poteſtatem delegatam diſpenſandi cum aliqua communitate, cuius ipſe eſt pars;poteſt ſecum directè diſpenſare, ne ſit peioris conditionis, quam alij: at ſi illi concedatur vt diſpenſet cum certa perſona, vel cum numero determinato non poteſt, quia cum ſit ad perſonas determinatas,vel ad certum numerum limitata ea licentia, non eſt vltra extendenda; nec mens concedentis videtur eſſe, vt in eo numero ipſe includatur, qui diſpenſaturus eſt.

6 Sunt etiam in hac re aliæ duæ ſententiæ probabiles. vna negat poſſe quempiam etiam ſi ſummus ſit Pontifex ſecum directè diſpenſare, ducitur præſertim quia nemo poteſt in proprio facto auctoritatem præſtare *l.1. ff. de auth. tutorum*, & iurisdictio neceſſario exerceri debet in perſonam diſtinctam. ita Decius *conſ.151. n.10.vol.1.*Ant.*c.1.n.10.de conſt.*Imo. *n.7.* Alex.de Neuo *n. 66.* Altera verò negat de alijs omnibus prælatis ob dictas rationes,concedit tamen ſummum Pontificem poſſe, nam in Pontifice inuenitur pleniſſima poteſtas,& caret ſuperiore, quem poſſit adire ad hoc vt obtineat diſpenſationem. ſic Abb. *c.magnæ n.2.not.1.de voto* Hypp. *n.101.* Henri.Bottæus *de ſyn.ep.2.p.a. 4.n.13.*Borg.*de irreg.p.6.de voto n.161.* Henriquez. Azor. *loc. cit.*

DISPVTATIO IV.

An diſpenſatio cenſeatur fieri facto ipſo, vt ſi Prælatus admittat ad ſacrum faciendum eum,quem ſcit eſſe irregularem: cenſeatur cum illo diſpenſare.

1 REſpondeo ſi ſit Princeps ſupremus & ſciat, & aduertat aliquem habere impedimentum iuris humani, v.g. irregularitatem, nec ab ea fuiſſe liberatum per aliquam diſpenſationem, vel etiam Principe ſupremo inferior vt Epiſcopus in impedimentis a ſe inductis,etiam ſi non præmittat cognitionem cauſæ, facto ipſo cenſetur diſpenſare, vt ſi Pontifex eum,quem ſcit eſſe irregularem ad ordines promoueat verè cum illo diſpenſat. ratio eſt quia cum certum ſit in diſpenſatione non requiri verba iure præſcripta; nec ad hoc vt ſupremus Princeps in lege humana diſpenſet,aut inferior in propria requiratur cauſæ cognitio: ſatis eſt vt cenſeatur diſpenſare; ſi ſciens aliquem eſſe indignum ob impedimentum, illum promoueat. eſt communis omnium ſententia.

Vbi tria nota primum eſt, quod non præſumitur in dubio Principem ſciuiſſe impedimentum,vnde tenetur ille inhabilis eam ſcientiam probare, ad quam probationem licet multi requirant vt in literis promotionis ſit clauſula ex certa ſcientia, aut ſaltem ex litterarum tenore id conſtet; vt Ant.Gabr.*t.3.com.lib.1.de præſ.conc.8.* Abb.*Imola clem.2. fin. de reſer.* tamen verius eſt nil aliud requiri,niſi vt conſtet Principem ſciuiſſe illud impedimentum, nam nullus eſt textus, qui in hac re inducat ſpecialem modum probationis, & multo minus quod Ant.Gabr. *l. c.* & Felin. *c. ſi quando de reſcript. n.6.* putant vt exprimatur vitium, in quo fit diſpenſatio v.g. volo vt illegitimus promoueatur; nec valet paritas quod ad probandum motum proprium requiratur clauſula ex-

expreſſa, ergo etiam ad probandam ſcientiam: quia in motu proprio debet probari negatiua non coarctata loco, tempore & perſona, nempè à nullo rogatum eſſe Pontificem, quæ impoſſibilis eſt probatu, niſi ipſemet concedens afferat: at certa ſcientia affirmatiuam ſolum continet, ſic Menochius alios referens *lib. 2. præſ. 20. n. 7.* & Staphil. *de literis gratiæ tit. de eff. clauſulæ* quæ doctrina veriſſima eſt in foro conſcientiæ. vt benè docet Sylu. *diſpenſatio fin.*

2 Secundo nota quod facto Principis cenſetur facta diſpenſatio ad eum ſolum actum, ad quem Princeps ſcienter promouet indignum, & non ad alios, vt ſi admittat ad ordines minores, non cenſetur ad alios ordines diſpenſare; cum hoc neque inducatur ex diſpenſatione expreſſa immo ſi Principis factum in aliqua re prodeſſet, non cenſeretur ex eo facto diſpenſatio, vt docet Rebuff. *prax. benef. ti. de diſpenſa. n. 8.* Oldrad: *conſ. 332. n. 8.* ſicuti neque præſumeretur cum inhabili diſpenſare, ſi neceſſitate coactus illum promoueat; ſolum enim ad tempus tollit illud impedimentum, vt docet Ant. Gabr. *l. c.* Menoch. *præſ. 20. n. 36. & 37.*

3 Tertio nota quod ſi Princeps ignorans impedimentum, admittat inhabilem; non per hoc cenſetur diſpenſare: quia error tollit voluntatem, quæ eſt neceſſaria in diſpenſatione etiam ſi veriſimile eſſet, quod ſi ſciret impedimentum diſpenſaret, eſt communis ſententia, quam tradunt Doct. inf. cit. contra Menoch. Ant. Gabr. l. c. & ſolum quando error eſſet communis cenſetur facto illo diſpenſare quoad valorem geſtorum ab illo promoto. ita Ant. & Abbas. *c. veniens n. 7. de filijs præſ.*

4 Dixi in reſponſione quando princeps admittit inhabilem in lege humana, vel inferior in lege propria, nã ſi Princeps etiam ſupremus admittat inhabilem iure diuino v.g. ſciens aliquem habere votum caſtitatis illum coniũgat matrimonio; vel inferior in impedimento iure communi, vt ſi Epiſcopus ſciens aliquem eſſe irregularem in ea irregularitate, in qua poteſt diſpenſare promoueat illum ad ordines, non eſt adeò certum tunc præſumi diſpenſationem.

5 Dico tamen etiam in his caſibus, in quibus non poteſt ſuperior diſpenſare ſine cognitione cauſæ, vt Princeps in iure diuino, & Epiſcopus in iure communi, ſi ſciant aliquem habere impedimentum, & nulla facta cauſę cognitione illum promoueant, cenſeri cum illo diſpenſare tum pro foro externo, quando probatur adfuiſſe legitimam cauſam; tum pro foro conſcientiæ, quando legitima cauſa vere conſtat. ratio eſt quia ex eo actu voluntas præſumitur diſpenſandi, nam non eſt præſumendum Prælatum, vel Principem velle inhabilem v.g. irregularem illaqueare, ordines illi conferendo, & irregularitatem relinquendo. & quamuis peccent diſpenſando non præmiſſa cognitione cauſæ, tamen maius peccatum eſt admittendo inhabilem, & cum eo non diſpenſare. ita Bellamera *d. c. veniens nu. 18.* Lambert. *de vir. patr. l. 2. p. 1. q. 7. a. 30. nou. edi. n. 28.* Miol. *lib. 3. de irregul. c. 24. n. 14.* Polan. *direc. conf. de irr.* Salzedo *add. ad. prac.* Ber. Diaz. *c. 25.* D. Ant. *2. p. t. 11. c. 2. §. 9. not. 2.* Henri. *l. 14. c. 17. n. 4.* Suar. *de cenſ. diſ. 41. ſec. 3. fine.*

6 Sunt tamen permulti, qui putent tunc cenſeri Prælatos diſpenſare facto, quando præmittunt cauſæ cognitionem, an expediat diſpenſare, nec ne; ratio eorum eſt, quia hi in prædictis caſibus non poſſunt diſpenſare, non præmiſſa cauſæ cognitione; ergo non ſunt cenſendi tunc diſpenſare. ita Io. Andreas Ant. Henricus *cap. de ſchiſ. & c. vnic. de æta. & qual. in 6.* vbi Domin. Franc. Abbas Imol. Bartol. *l. Barbarius n. 12. ff. de off: præt.* vbi Horoſc. *nnm. 26.* Aeneas Falco. *add. ad Abb. nu. 3. v. cauſæ cognitio* Ant. Gabr. *t. 3. com. l. 1. t. de præſum. concl. 8. n. 13.* Menoch. multos citans *l. 2. præ. 20. u. 24.* cum Gaet. *22. q. 104. ar. 5.* Enriq. *de excom. c. 13. n. 3:* Manuel. *q. reg. t. 2. q. 46. a. 1.*

q. 46. a. 1. Theol. Immo Hoſt. *cap. ſi quando nou. edit, nu. 23. de reſer.* Bald. *d. l. Barbarius n. 7. & alij* volunt etiam vt in hoc caſu præter cognitionem cauſæ exprimant ſe diſpenſare.

QVAERES.

An ſi Prælatus videat aliquem impeditũ iure, in quo poteſt diſpenſare, exercentem ea, quæ ſunt interdicta, vt ſi Epiſcopus videat irregularem celebrare, & taceat cenſeatur cum eo diſpenſare.

7 REſpondeo ſi talis prælatus vidēs impeditum v. g. irregularem celebrare poſſit facile contradicere, & tamen non contradicit, ſed tacet, cenſetur cum eo diſpenſare etiam ſi impedimentum ſit iure diuino, vt votum, vel iure communi in quo non poteſt diſpenſari abſque cauſæ cognitione. Ratio eſt, quia taciturnitas illa eſt rathabitio de præſenti, quæ ſufficit ad dandam iuriſdictionem, vt *lib. 3. diſp. 35.* probaui, & graue peccatũ eſſet Prælati, ſi poſſet ſine ſcandalo contradicere, & non contradiceret. ita Probus *ad Mona. c. vnico num. 6. de ætat. & qual.* Palud. *4. d. 38. qu. 4.* Veracruz *1. p. ſpec. a. 23. poſt prim. concl.* Azor. *l. 5. inſt. c. 15. q. fin.*

8 Contraria tamen ſententia eſt cõmunis ferè omnium iuriſperitorum, quia per illam taciturnitatem potius patitur Prælatus, quam diſpenſet. vide Menoch. *l. 2. præ. 20. num. 32.* Ant. Gabr. *loc. cit. nu. 18.*

DISPVTATIO V.

An poſſit Epiſcopus diſpenſare in lege Pontificia, vel Concilij quando in ea conceditur poſſe diſpenſari, nec explicatur, cui conceditur.

9 REſpondeo quoties in canone Pontificio, aut in Concilio cõceditur poſſe diſpenſari imperſonaliter, non explicando a quo poſſit, toties poteſt in tali canone, vel Concilij lege diſpenſare Epiſcopus. Ratio eſt, quia aliter verba illa eſſent fruſtra contra *cap. ſi Papa de priu. in 6.* nã non eſt dubium poſſe Pontificem diſpenſare, aut poſita eius diſpenſatione nullum fieri peccatum tali legi contraueniendo. ita Gloſſ. *cap. ex quibusdam de pœnis* Abbas Card. Goffr. Hoſt. Io. Andreas *ibi & ca. ſi quis de elect.* vbi Inn. Bald. *nu. 3.* Imola *num. 4.* Selu. Benef. *4. p. qu. 5.* Milis *repertorio. lit. D. n. 23. v. diſpenſare non poteſt* Epiſcopus *circa can.* Iacoba. *de concil. l. ſa. 20.* Couarr. *cap. alma mater. 1. p. §. 7. nu. 8.* Villadiego *de irreg. d. 16.* vbi *de irreg. ex crimin. notorio.* Dueñas *reg. 248. nu. 2. ver.* contra quam Vgol. *de cenſ. tab. 2. c. 13. §. 1. nu. 4.* & alij.

10 Quæ ſententia ſcilicet vt poſſit in tali caſu Epiſcopus diſpenſare, vera eſt ſi canon ſit latæ ſententię, vel etiã ſi canon imponat pœnam aliquam contrauenientibus. quam ſolus Pontifex imponere poteſt, nihilominus ſi addatur, niſi diſpenſetur, vel concedatur abſolutè facultas diſpenſandi; poterit Epiſcopus diſpensare ob dictam rationem. & licet regulariter ille, qui non poteſt condemnare, non poſſit absoluere, tamen fallit quãdo conceditur facultas abſoluendi ab eo qui poteſt condemnare, vt eſt in caſu noſtro. niſi tamen in canone, aut Concilio lex ipſi Epiſcopo imponatur, vt eſt *cap. 2. de bigamis*, vbi dicitur poſſe diſpenſari cum Epiſcopo, qui promouit bigamum ad ordines, ne priuetur officio, & poteſtate ordinandi, in quo caſu ſolus Pontifex poteſt diſpenſare, etiam ſi canon abſolutè dicat poſſe diſpenſari; quia hic lex ne bigamos promoueat ſub pœna priuationis poteſtatis ordinandi, & officij, Epiſcopo imponitur; & ſi ipſe poſſet diſpenſare, id faceret in proprium factum, & in propriam vtilitatem, quod non eſt rationi conſonum. ita aduertit Hoſt. Ioan. Andreas *cap. 1.* Gloſſ. *pen. num. 3. de ſupp. negl. præl.* Milis *loc. cit.* Henric. *c. at ſi clerici §. de adulterijs nu. 19. de iudicijs.*

QVAE-

QVAERES

Quomodo dignoſcendum ſit quando conſtitutio eſt Pontificis, quando Concilij in dubio,

REſpondeo quoties trahit originem à Concilio, quia ſcilicet concilium id propoſuit, & à Papa approbatur, vel quando in ſubſcriptione dicitur ex tali concilio, tunc dicitur conſtitutio Concilij. Similiter eſt conſtitutio concilij, quando Pontifex attribuit illã ipſi Concilio, quod poteſt facere expreſsè vt *cap. nimis de iure iurando* ibi (*ſacri autoritate concilij prohibemus*) vel implicitè, vt ſi dicat de conſenſu Concilij hoc prohibemus, quia conſenſus neceſſitatem inducit, vnde ſi diceret de conſilio concilij, conſtitutio eſſet Pontificia; quia conſilium non inducit neceſſitatem. Si vero à Papa originem trahit, & ipſe fuit primus author licet voluerit eam in Concilio ſtatui, dicitur conſtitutio Pontificia, etiam ſi dicatur ibi *ſacro approbante concilio &c.* vel in ſubſcriptione dicatur ex tali concilio. vide Felin. *c.* 1. *n.* 1. *de pactis* Alciat. *c.* 1. *n.* 1. *de iudicijs* Deci. *c. & ſi clerici* §. *de adult. noua edit. de iudic.*

DISPVTATIO VI.

An Pontifex poſſit diſpenſare in impedimentis iure diuino, & naturali matrimonium dirimentibus.

1 REſpondeo in nullo impedimento iure diuino naturali dirimente matrimonium poſſe Pontificem diſpenſare (excepto voto ſolemni religioſorum, de quo infra) neque in aliquo caſu ſpeciali, aut valde vrgenti. dixi iure diuino naturali, vt annuerem quod in multis gradibus conſanguinitatis, & affinitatis *leuit.* 18. poſitis, Pontifex poſſit diſpenſare; quia hodie non ſunt iure diuino prohibiti niſi etiam iure naturali ſint irritantes quod aſſerit Conc. Trid. *ſeſſ.* 24. *de matr. can.* 3.

2 Vt autem intelligatur caſus reſolutio, & ratio afferatur. Sciendum eſt duplex eſſe ius diuinum naturale, vnum ex humana voluntate, & ex eius ſuppoſitione obligat iure diuino, vt votum, & iuramentum, & in hoc poteſt Pontifex diſpenſare tollendo fundamentum obligationis, quam homo ſua voluntate impoſuit, vt docent communiter Doctores cum S. Thoma *in* 4. *d.* 38. *q.* 1.

3 Alterum vero eſt ius diuinum abſolutum ortum ſcilicet ex diuina voluntate, quod poteſt eſſe duplex, vel enim eſt tale, vt aliqua prohibeat, quę ſunt talis conditionis, vt numquam poſſit excogitari caſus, in quo poſſit cadere diſpenſatio, vt prohibitio fornicationis; vel præceptum, vt honor parentibus exhibeatur; vel ſi aliquando poſſit euenire caſus, vt aliquando ſit expediens diſpenſatio v. g. vt quis ſororem accipiat in vxorem, aut ducat plures vxores, tamẽ adhoc vt ſeruarentur hæ leges inuiolabiliter ob bonum commune noluit Deus Eccleſię relinquere diſpenſationem, vt docent victoria *de poteſt. Papæ prop.* 9. *n.* 9. Corduba *l.* 4. *q.* 8.

4 Rurſus ius diuinum abſolutum aliqua præcipit, vel prohibet, quæ licet in vniuerſum expediant, & ſic debent ſeruari, poſſunt tamen in aliquo caſu expedire; ita vt magna neceſſitas occurrens præponderet aliquali indecentiæ, quæ poteſt eſſe ex non obſeruatione talis iuris diuini, vt eſt in conſecratione ſub vtraque ſpecie panis, & vini; quæ eſt de iure diuino poſitiuo, & in reſidentia Epiſcopi, quæ eſt de iure naturali, & diuino, his poſitis.

5 Diximus non poſſe Pontificem diſpenſare in impedimentis iure naturali, & diuino matrimonium dirimentibus, quia ſunt eius iuris, in quo Deus non reliquit diſpenſationem, vt n. 3. dixi, quod colligimus ex vſu Eccleſiæ, quæ nunquam diſpenſauit ad hoc, vt quis poſſet plures vxores ducere, & ſi quis pontifex diſpenſauit vt frater ſororem acciperet, id fecit quia ſequutus eſt ſententiam aſſerentium

non

non eſſe impedimentum naturale, ſunt enim hæc correlatiua, vt docet Sotus 4.*d.* 40.*q.vnic.ar.*3. hoc impedimentum dirimit iure naturali, ergo non poteſt Pontifex diſpenſare: & contra dirimit iure poſitiuo, ergo poteſt. hanc ſententiam quod non poſſit diſpenſare tenent alij plures Canoniſtæ cum Palud. *D.*Ant. Maior, Abulenſis, Victoria, Viguer. Veracruz, Vega apud Sanch.*num.*10. Cather.*l.*6. in Gaet. *q. an Papa poſſit diſpen. in vo. rel.* Manuel. 1.*t.ſum.*2.*edit. c.*236. Nauar. *c.*22.*ſum.n.*84. Couar. 4.*decr.*2. *p.c.*6. §.1.*n.*10. Molina *l.*3. *de primog.*

6 Quamuis Sylu. *v. Papa q.*17. putet poſſe Pontificem declarare validum eſſe matrimonium inter Patrem, & filiam, quando cauſa prohibitionis ceſſet, quod eſt diſpenſare improprie, ſed id non eſt verum ob rationem numero præc. aſſignatam. At ſi loquamur de iure diuino in ſenſu n. 4. explicato, quando nimirum continet ea, quæ aliquando poſſunt ex neceſſitate expedire, poteſt Pontifex diſpenſare non abrogando totaliter illud ius, ſed tollendo eius obligationē per veram diſpenſationem. ratio eſt, quia Deus non deficit in neceſſarijs Eccleſiæ; ergo talem poteſtatem commiſit Pontifici, vt in caſu aliquo ſpeciali in his diſpenſaret, & ita videmus de facto Pontificem diſpenſare in reſidentia Epiſcopi, & vti ijsdem verbis, quibus vtitur ad diſpenſandum in votis, quod ſignum eſt poſſe vere, & proprie in tali iure diuino diſpenſare: ita ex Theologis Canus *relec. de pœnit. p.*5. *cum Abbat. c. à nobis de decim. n.*4 Hieron. Paul. *prac. cancell. ti. notabilia ſuper diſpen. matr.* Soarez *de matr. Regis Angl. dub.*2. *in ſec. fund. partis affirmantis n.*22. Minchac. *l.*1. *qq. illuſtr. c.*25.*nu.*18. Borgaſ. *de irreg.*6. *p. tit. de ſponſ. n.*5.

7 Contraria tamen ſententia probabilis docet nullatenus poſſe Pontificem in iure diuino diſpenſare; ſed ſolum poſſe ex authoritate declarare illud ius in hoc, vel illo caſu non obligare. ratio præcipua eſt, quia inferior non poteſt in lege ſuperioris diſpenſare Clem. *ne Romani de elect.* ita D Tho. *quodl.*4.*a.*3. Duran.4. *d.*33.*q.*1.*nu.*15. Almai. *de pot. Eccl. c.*13. Driedo *l.*2. *de liber. Chri. c.*4. *pag.* Suarez *de Euchar. q.*74. *ar.*2. *diſ.*43. *ſec.*4. Couarr.4 *decr.*2. *c.*6. §.9. *n.*4. Barb. *ff. ſol. matr.* 2. *p. n.*104. Magdalenus *de numero teſti.*3.*p.c.*3 *nu.*223.

QVAERES

An in impedimentis dirimentibus iure Pontificio ſolus Pontifex diſpenſare poſſit.

8 REſpondeo affirmatiuè. ita vt nec Epiſcopus nec legatus à latere poſſit diſpenſare in ijs. ratio eſt, quia non poteſt inferior in lege ſuperioris diſpenſare ordinarie. *cap. inferior d.*21. ergo cum hæc impedimenta ſint poſita à Pontifice non poſſunt cæteri inferiores Prælati diſpenſare in his impedimentis dirimentibus, ſiue cum omnibus, ſiuè cum aliquibus ſiue ſit impedimentum cognationis ortæ ex baptiſmo non ſolemniter collato, ſiue aliud; militat enim eadem ratio: quidquid dicat in contrarium Sotus 4. *d.* 42. *q.* 1. *ar.* 1. qui etiam addit poſſe Epiſcopum diſpenſare, quando cognati legales contraxerunt, & non eſt facillimus aditus ad Pontificem; imò quamuis *Trid. ſeſſ.*24. *de matr. c.*5. dicat poſſe diſpenſari quando impedimentum eſt occultum, & matrimonium fuit bona fide contractum; tamen non debet intelligi, quod poſſit Epiſcopus diſpenſare, quia ex ipſius verbis colligitur loqui de ſolo Pontifice. ita docent Gloſſa *cap. quia & cap. quod dilectio de conſang.* vbi lo: Andr. Abb. Imola, Inn. & alij Couar. *l. c.* §.10. Enriq. *lib.*12. *c.*3. *n.*1. Lud. Lop. 2. *p. inſtr. cc. vlt. ti. de diſ. pet.*

9 Excipe tamen primo in caſu magnæ neceſſitatis, in quibus Epiſcopus & legatus in ſua prouincia poſſunt diſpenſare, vt probatum eſt *lib.*2 *diſ.*40.

10 Excipe ſecundo commiſſarium Bullæ Cruciatæ, qui poteſt diſpenſa-

re

re pro ſolo conſcientiæ foro, etiam ſi Pontifex ſit præſens in affinitate conſurgente ex copula fornicaria in primo, & ſecundo gradu; tam lineæ rectę, quam tranſuerſę,& prolem ſuſcep tam, vel ſuſcipiendam legitimam declarare, quoad res ſpirituales,nempè ad omnes ordines,& beneficia quæuis (licet per accidens etiam ex eo, quia ẽ declarata legitima poſſit proles ſuccedere in temporalibus) & quoad ſolum forum etiam conſcientiæ. Vnde non eſt talis diſpenſatio litteris,vel notario facienda; ſed confeſſario,vel parti intimanda erit.

11 Requiruntur tamen ad hanc diſpẽſationem quatuor conditiones prima vt matrimonium ſit iam contractum iuxta formã Trid. *ſeſſ.24.de matr.* vnde ſi matrimonium non ſequatur ex eo, quia alter coniux nolit denuo cõtrahere,vel moriatur; nec poterit prolẽ legitimã declarare, quia Pontifex eã poteſtatem non conceſſit commiſſario; niſi acceſſorie poſita diſpenſatione, & ſequuto matrimonio. Secunda conditio eſt vt impedimentum ſit occultum iuxta dicenda *diſp.* 34. Tertia vt fuerit bona fides ſaltem ex parte vnius contrahentis. Quarta vt coniux, qui ignorauit impedimentum certior de eo fiat. vide quæ dixi *lib.*2. *diſp.* 40.

12 Denique hic nota nullatenus eſſe in vſu, quod aliqui aſſerunt, ſcilicet, mendicantes poſſe diſpenſare ex Leone Decimo in matrimonio contracto cum affinitate occulta, vt bene docẽt Enriquez *lib.*12. *de matr.cap.*3. & Manuel *c.*39. *reg. q.*2. *ar.*2. beneuerum eſt, quod religioſi Societatis Ieſu habent ex Paulo 3.vt poſſint diſpenſare cum infidelibus in partibus remotis, iam conuerſis, qui tempore infidelitatis contraxerunt matrimonium cum impedimento iure eccleſiaſtico dirimenti. ſed hæc diſpenſatio non eſt neceſſaria, quia hi non tenebantur his impedimentis, ſicuti neque opus eſt diſpenſatione, quando eſt dubium an vere ſit impedimentum, aut ſi ſit opinionum varietas, & probabilior eſſet, quod ſit impedimentum, quia ſtandum eſt pro libertate matrimonij & bene operatur moraliter quis ſequendo probabilem opinionem; niſi tamen aliqua eſſet præſumptio pro impedimento, vt quia fuit copula, & dubitatur ã ſemen inciderit intra vas, tunc enim nec poteſt Epiſcopus diſpẽſare, ſed ſolus Pontifex ordinarie.

DISPVTATIO VII.

An Pontifex diſpenſare poſſit in radice matrimonij irritè cõtracti, itaut proles ante diſpenſationem ſuſcepta fiat legitima quoad ſpiritualia,& temporalia.

1 CAſus propoſitus eſt talis,quidam contraxerunt matrimonium inter ſe irritum ob aliquod impedimẽtum iure Pontificio, & ex eo filios generarunt. deinde petunt diſpenſationem, quam Pontifex concedit legitimando etiam prolem. quærimus ergo an talis diſpenſatio ita poſſit concedi, vt retrahatur, ſeu præſumatur fuiſſe antequam filij nati ſint, ita vt ij non dicantur nati ex matrimonio irrito, ſed ex valido, & per conſequens non legitimati,ſed verè legitimi,& poſſint habere non ſolum beneficia ſpiritualia, ſed etiam ad omnia temporalia, vt verè legitimi ſuccedere. Nam cum Pontifex illegitimos,qui non ſunt ſub ſua temporali iurisdictione, non poſſit directè reddere habiles ad temporalia; ſed ſolum ad ſpiritualia per legitimationem, vt eſt communis ſententia, videndum eſt an ſaltem indirectè eos habiles reddere poſſit diſpensãdo in radice matrimonij modo explicato

2 Reſpondeo affirmatiuè,poſſe nimirum Pontificem diſpenſare in radice matrimonij, & quando habet iuſtam cauſam non ſolum validè, ſed etiam licitè, quando verò non eſt iuſta cauſa peccabit quidem ob damnum, quod ex ea legitimatione prouenit aljis ſuccedentibus; at diſpenſatio erit valida.

Probatur autem poſſe Pontificem, quia ſi non fuiſſet lex Eccleſiaſtica irritans, tale matrimonium fuiſſet

validum, & proles ex eo legitima, nullamque pœnam incurriſſent. Sed Pōtifex poteſt ſuam legem irritare non tantum quoad effectus in futurū prouenientes; ſed etiam in præteritum productos, ac ſi ea lex nunquam fuiſſet lata ex *Clem. vnica de imm. Eccl.* vbi Clemens *v. reuocat præcedētium quaſdam conſtitutiones, etiam quoad effectus productos.* ibi(*quidquid ex eis ſequutum eſt, vel ob eas penitus reuocamus, & eas haberi volumus pro infectis*) ergo poterit Pontifex ſuam legem irritantē matrimonium per diſpenſationem ita reuocare vt effectus ex ea ſequuti, nempe illegitimatio, & inhabilitas ad res ſpirituales, & temporales penitus aboleantur ac ſi nunquam ſequuti fuiſſēt. ita docent Abb. Anchar. Alex. de Neuo Card. C. *per venerabilem qui fil. ſint leg.* Caſſane. *conſ.* 43. *n.* 17. *Gail. ben. c.* Rainutius *in princ. n.* 212. *de teſtamen.* Royas *epit. ſucceſ. c.* 23. *n.* 113. Peregr. *de fideic. ar.* 23. *n.* 7. Iacob. Puteo dicens ſic decidiſſe Rotam *deciſ.* 483. *l.* 2. Nicolaus de Vbald. *de ſucc. ab inteſt.* 1. *p. n.* 106. Martinus Lauder. *de legit. ar.* 2. *n.* 85. Capra *conſ.* 1. *nu.* &. Zephal. *conſ.* 307. *n.* 54. *vol.* 3. Goſad. *conſ.* 56. *nu.* 63. Bened. de Barzijs *de fil. non leg. nat. n.* 44. & alij.

3 Immo etiam ſi matrimonium inualidè contractum de nouo nō iniretur validè; quia parentes prolis illegitimę mortui ſunt, aut vnus tantum eſt ſuperſtes, poterit Pontifex filios illegitimos ex illo matrimonio legitimare, etiam quoad temporalia modo prædicto non ſolum quando parens petijt, aut reliquit in teſtamento, vt legitimatio petatur, ſed etiam quando defunctus eſt ea legitimatione non petita: ratio eſt, quia hæc legitimatio habet vim ex reuocatione legis Eccleſiaſticę, per quam obliti ſunt effectus producti à matrimonio irritè contracto, vt dictum eſt *num. præced.* ergo poteſt Pontifex eam legem reuocare, & per conſequens ius alteri acquiſitum ob ſuam legem auferre. in quo ſufficit ſi ſaltem in figura, & affectu præceſſerit matrimonium ex *cap. nuper de biga-mis*; nam ſi proles habita fuit ex concubitu fornicario nullo præcedente matrimonio nec irrito, tunc non poteſt Pontifex eo modo legitimare prolē, quia nulla ē radix matrimonij, in qua poſſit directè diſpenſare, & indirectè prolem legitimare, vt *nu.* 1. *fine dixi.* ita Anchar. *conſ.* 409. *n.* 4. Abb. C. *lit. n.* 27. *de reſt. ſpol.* Celſus. *conſ.* 31. *n.* 8. Peregr. *l. cit. ar.* 24. Sylu. *v. legit. q.* 7. *d.* 5. Verum tamen eſt, quod niſi Pontifex id faciat ex certa ſcientia non cenſendus eſt in dubio voluiſſe derogare iuri aliorum ſuccedentium acquiſito ex *l.* 1 *ſi quis à principe ff. ne quid in loco publ.*

4 Limitatur tamen concluſio primo; quando matrimonium fuit irritum ob impedimentum iuris diuini naturalis, aut defectu conſenſus, quia non poteſt Pontifex per diſpenſationem ſuam auferre radicem illius matrimonij inualidi, cum non poſſit in iure naturali diſpenſare, aut non ita omnimoda potēſtate, nec defectus cōſenſum ſupplere, vt poteſt in iure Eccleſiaſtico. ita Alex. de Neuo, Anto. Abbas, Anchar. *d. c. per venerabilem nu.* 22. Celſus. Peregr. *l. c. n.* 77. Caſſaneus *conſ.* 43. *n.* 17. Brunel. *de ſponſ. cōcluſ.* 24. *num.* 2. licet in dubio horum impedimentorum, poſſet Pontifex diſpēſare, ne ſpolietur poſſeſſione poteſtatis. ita Moli. *l. de prim. c.* 2. *n.* 12. Anto. *d. c. per venerabilem n.* 10.

5 Limitatur ſecundo, vt non poſſit in radice prolem legitimare, quando ea ſuſcepta eſſet ex matrimonio inito cum profeſſo; quia nequit in hoc impedimento, ita plenè diſpenſare, vt in mere Eccleſiaſtico: contra vero poterit legitimare prolem ſuſceptam ex matrimonio inito cū Sacerdote, quia hoc impedimentū eſt ſolo iure eccleſiaſtico; quod etiā tenent DD. aliqui de matrimonio cū profeſſo, qui putant probabiliter votū profeſſi iure ſolo eccleſiaſtico dirimere matrimoniū ſic Alex. de Neuo *n.* 18. *l. c.* Maiolus *l.* 1. *de irreg. c. vlt. num.* 21.

6 Limitatur 3. In principe ſæculari, q nō pōt eo modo prolē legitimare, qa ſi poſſet id poſſet indirectè tollēdo impedi-

pedimẽtũ matrimonij;(nã directè red dẽdo habilẽ prolẽ ad res ſpirituales nõ poſſunt defectu iurisdictionis)ſed hodie ſolum Eccleſia habet hanc poteſtatem ponendi, & tollendi impedimenta matrimonij, ergo. &c. ita Io. And.Anto.l.c.& alij.

QVAERES I.

An prædictus effectus tribui poſſit diſpenſationi ſuperuenienti, vt ſcilicet confirmet actus irritos. v.g. collatio beneficij aut præſentatio irrita fuerunt ob aliquod vitium. an ſi poſtea habeatur diſpenſatio illius vitij, valeat collatio, vel præſentatio prius facta, abſque nouo conſenſu conferẽtis, præſentãtis &c.

8 IN hac re Abbas *ca. innotuit n.* 11. *de elect.* ſic diſtinguit. ſi vitium electi reddebat nullam electionem ipſo iure, tunc non ſufficit diſpenſatio obtenta poſt collationem; ſed requiritur, vt de nouo præſentantes,& conferentes conſentiant, niſi prius ſciuerint vitium illud occultum, & poſt diſpenſationem permanſerint in eadem voluntate: ſi verò vitium non reddebat nullam ipſo facto electionem, tunc diſpenſatio ſuperueniens ſufficit abſque nouo conferentis, vel præſentantis conſenſu. & hæc ſententia eſt ſatis probabilis.

9 Alij verò abſolutè concedunt obtenta diſpenſatione pro vitio occulto poſſe beneficiatum retinere beneficium, collationem, præſentationem &c. abſque nouo conſenſu conferentis. ita Speculator. Io. Andreas, Ant. Anchar. Sebaſt. Sapia *d. c. innotuit.* Borgaſ. *de irreg. 2. p. tit. de different. termin. n.* 9. Milis *repertor. lic. D. n.* 23. *ver. diſpenſatio.* quæ ſententia ob horum doctorum authoritatem eſt probabilis, ſi non eſt in præiudicium tertij v.g. alterius coelecti, qui habet ius in rem. & ſi beneficiarius ſciens vitium ſuum non acceptauit collationem, alias eſſet intruſus, & indegeret ex duplici capite diſpenſatione, quam tamen obtenta poſſet ſequendo opinionem hanc retinere beneficium abſq; alia collatione.

QVAERES. II.

Quando Pontifex cenſeatur diſpenſare in radice matrimonij.

10 REſpondeo ſi Pontifex explicat ſe diſpenſare in matrimonio irritè contracto, vt ex tunc nempè ab initio contractus legitimum habeatur, cenſetur diſpenſare in radice; nam diſpenſare in radice nihil aliud eſt, quam diſpenſare vt matrimonium ex tunc valeat, ex quo fuit contractum, vt n. 1, dixi. ita omnes Doctores. Similiter cenſetur diſpenſare in radice ſi Pontifex in diſpenſatione vtatur his verbis, *legitimamus matrimonium, & prolem*, vel *legitimamus matrimonium vt ex tunc*; ratio eſt quia per hæc verba apertè oſtendit Pontifex ſe reddere legitimum matrimonium,& illud approbare retrotracta diſpenſatione ad radicem ipſius. ita Io. Andr. *c. per venerabilem n.* 30. *qui fil. ſint legit.* Anch. *n.* 21. Card. *n.* 9. Celſus *conſ.* 31. *n.* 6. Peregrinus *de fideicom. a.* 24. *n.* 77. Couar. 3. *decr.* 2. *p. c.* 8. §. 8. *n.* 13. Contra Abbat. Alex. de Neuo *d. c. per venerabilem* Henriquez *l.* 11. *c.* 20 *n.* 2. volentes non ſufficere illa verba, *legitimamus matrimonium, & prolem* ſed debere etiam addi *ex tunc* quia ſine hac particula ſunt verba dubia.

11 Denique videtur Pontifex in radice matrimonij diſpenſare, quando prius diſpenſat in matrimonio irrite contracto, & deinde ait ſe velle vt proles ſuccedat in hæreditate, ac ſi ex legitimo matrimonio orta eſſet; nam id non poteſt Pontifex facere in oppidis ſuæ iurisdictioni temporali non ſubiectis, niſi in radice matrimonij diſpenſet; ergo dum vult prolem ſuccedere in hæreditate, declarat ſe diſpenſare in radice matrimonij. Explicatis clauſulis quibus Pontifex cenſetur in radice diſpenſare, nunc.

Explicantur variæ clauſulæ, quæ non habent vim legitimandi matrimonium in radice.

12 Dico primo.quando aliquis v.g.duo consanguinei nullum inter se iniere matrimonium; sed solum ex copula fornicaria filios procrearunt; si deinde petant dispensationem à Pontifice vt matrimonium ineant copula explicata,si Pontifex dispenset hac clausula ordinaria *(vt non obstante impedimento,matrimonium inter se liberè,& licitè valeant contrahere,authoritate nostra dispenses, prolem suscepiam si qua sit, & suscipiendam legitimam decernendo)* & si solum dispenset in solo foro conscientiæ, dicat (*legitimam decernendo in foro conscientiæ tantum*) quibus verbis vel ordinario, vel confessario committit dispensationem; tunc nõ dispensatur in radice matrimonij; sed legitimantur filij quoad spiritualia tantum, etiam si ij sint sub iurisdictione temporali Pontificis.ratio est quia cum nullum præcesserit matrimonium,non potest dispensare in eius radice, nec verbis tam generalibus credendum est dispensare in re tam graui.

13 Imò nec proles erit vllo modo legitima si facta dispensatione ab ordinario, vel confessario, matrimonium non ineatur, quia ea legitimatio pendet à matrimonio ineundo, ob id.n. solum concessit Pontifex legitimationem.

14 Vel si ordinarius, aut confessarius dispensat in matrimonio, at non declarat se legitimare prolem, tunc filij suscepti ante dispensationem remanebunt omnino illegitimi, non autem filij nati post dispensationem.ratio est quia filij nati post dispensationem nascuntur ex vero matrimonio, at filij ante dispensationem nati sunt spurij, nati enim sunt ex illis, qui non poterant contrahere matrimonium ob aliquod impedimentum. *ex cap. tanta qui filij sint legitimi.* & deberent legitimari per peculiarem legitimationẽ, & non per subsequens matrimonium; ergo si ordinarius non dispensat in legitimatione, remanent illegitimi. Contra verò si filij nati essent post dispensationem obtentam circa matrimonium, etiam si adhuc ab ordinario non esset expedita, nec matrimoniũ contractum, legitimarentur per subsequens matrimonium quoad omnia, quia sunt tantum naturales,nati scilicet, ex his, inter quos iam nullum erat impedimentum matrimonij, vt docet Abbas *c.tanta qui filij sint legitimi.* Couarr. alios citans *d.4.p.2. c.8.§. 2.n.2.* Greg.Lopez. *l.2.tit.15.v. sino el fijo q.9.* Cerua.*l.11.* Tau.*n.153.* Molina *t.1.de iust. dis. 172. col.2. ver. filius naturalis.*

15 Poterit tamen ordinarius, vel confessarius, qui dispensauit in matrimonio; sed non declarauit prolem esse legitimam, postea id declarare. cum hac differẽtia quod si ordinarius mortuus sit poterit eius successor in officio declarare; si verò sit viuus non poterit alius id declarare; quia est iudex in foro externo,& sic ipso viuente alius adiri nequit. si verò confessarius non declarauit prolem esse legitimã, poterit siue ipse viuat siue non, alius confessarius adiri; quia est iudex in foro conscientiæ, immo quamuis ceperit iudicium,alius adiri potest,sicuti virtute bullæ, aut iubilæi data opera potest pœnitens abvno confessario petere,vt à reseruatis absoluat,ab alio vt vota commutet.

16 Dico secundo si Pontifex dispenset in matrimonio inualido, vt iterum ineatur nulla facta mentione de prole. nullatenus proles erit legitima, quia cum dispensatio sit stricti iuris solum debet extendi ad id, quod fuit expressum. Si verò dispenset vt matrimonium irritum de nouo celebretur,& proles habita legitimetur, censetur solum quoad spiritualia illam legitimare, & per consequens non in radice matrimonij, quia dispensatio est stricti iuris, ergo solum debet intelligi de ea, quæ competit Papæ iure proprio, qualis est dispensatio quoad spiritualia.

17 Immò quamuis dicat se prolem legitimare adhuc non censetur illam in radice matrimonij legitimam reddere,sed solum quoad spiritualia,quia non explicauit Pontifex se matrimo-

nium legitimare. ita Gamm. *declſ.* 453. *n.* 2. 1. *p.* Mol. *l.* 3. *de prim. cap.* 2. *n.* 10. Peregr. *de fideic. ar.* 24. *n.* 80. Lud. Lop. 2. *p. inſtr. de matr. c. vlt. col.* 2. *con.* 8. & ob eamdem rationem idem dicas etiã ſi addat hanc clauſulam *prolem ſuſceptã vel ſuſcipiendam ex inde legitimam decernendo*, quia non cenſetur diſpenſare in radice clauſula adeò generali, quæ in omnibus diſpenſationibus, etiam quando non eſt matrimonium ſolet apponi.

18 Quæ vera ſunt, quamuis ij, cũ quibus eſt diſpenſatum in prædictis caſib⁹ ſint ſub iurisdictione temporali Pontificis; nam has diſpenſationes Papa nõ vt Dominus temporalis; ſed vt Pontifex concedit, ergo non cenſetur prolem quoad temporalia legitimare; niſi id exprimat.

19 Denique quamuis Pontifex diſpenſaret in matrimonio irrito concedendo licentiam, vt in illo permaneant, etiam ſi aliqua mentio fiat de prole, adhuc nullo modo ea legitimatur, nec quoad ſpiritualia; ſed ſolum concedit licentia vt in poſterum coniuges in illo matrimonio, quod prius fuit inualidum defectu conſenſus, & antea illicitè coniuncti erant, permanere licitè poſſint renouato cõſenſu expreſsè, vel tacitè. ratio eſt, quia in hac clauſula, ſcilicet *vt in matrimonio inito perſeuerent* etiam ſi fiat aliqua mentio de prole, nullum verbum nec directè ponitur, quod oſtendat prolis legitimationem. Immò quamuis addat Pontifex, vt proles legitima efficiatur ẽt ſi ſub temporali eius iurisdictione ſit, fit ſolum legitima quoad ſpiritualia, nulla enim ſunt verba, quæ aliud oſtẽdant, vt ex dictis *n.* 12. patet. ita etiam Couarr. 4. *dec.* 2. *p. c.* 8. §. 8. *nu.* 13. Ludou. Lop. *l. c. conc.* 3.

DISPVTATIO VIII.

An Pontifex poſſit diſpenſare in voto caſtitatis, ordinis ſacri, vel religionis ad hoc vt Sacerdos, vel religioſus valeat matrimonium inire.

1 REſpondeo affirmatiuè cum hac tamen differentia quod ſi loquamur de voto ordini ſacro annexo, poteſt in eo Pontifex in omnium fere sẽtentia diſpenſare; quia eſt de ſolo iure Eccleſiaſtico; immo multi putant ſatis probabiliter, neque emitti votum in aſſumptione ordinis ſacri. Et quamuis ad hoc vt Pontifex ſinẽ graui peccato non poſſit diſpenſare, vt aut omnes ſacris initiati vxorem ducant, ante vel poſt ſuſceptionem ordinis, aut aliquis ſolus ſine cauſa, quę reſpiciat publicam vtilitatem, & non bonũ vnius particularis: cum hoc ſit Eccleſię preceptum generaliſſimum ob decentiã ex ſcriptura, & Sanctis Patribus deductum, vt optime docet Azor *l.* 3. *inſt. mor. c.* 13. *q.* 5. Cather. *lib.* 6. *in Gaet. in ea quæſt. an papa poſſ. diſ. in voto ord. ſacr.* Contra Abb. *c. cum olim n.* 5. *de cler. cõiug.* adhuc tamen ſi diſpenſaret ſine cauſa teneret diſpenſatio, & matrimonium eſſet validum, quia poteſt Pontifex validè diſpenſare in impedimento iure Eccleſiaſtico poſito, quale eſt hoc etiam ſine cauſa, vt docent Caiet. *opuſc. t.* 1 *tr.* 16. *de diſ. matr. in occid. eccl. q.* 1. Sotus 4. *d.* 38. *q.* 1. *ar.* 1. Stunica *de voto q.* 6. *n.* 116. Lud. Lop. 2. *p. inſtr. c.* 49. hic. Pet. Ledeſ. *de matr. q.* 53. *ar.* 3. *dub.* 1. *de matrimon.*

2 In quo caſu, nimirum quando Põtifex ſine cauſa diſpenſaret, aduerte quodſi diſpenſatio facta ſit ante quam ordo ſacer aſſumptus fuit, poteſt ille qui deinde ordinem aſſumit ſine peccato inire matrimonium, & petere debitum, quia nullo iure fuit aſtrictus ad non ducendam vxorem. ſi verò diſpẽſatio ſit poſt ſuſceptum ordinem, tũc Clericus peccabit iniens matrimoniũ & petens debitum, non autem reddẽs quia licet ſublatum ſit impedimentũ dirimens inductum iure Eccleſiaſtico remanet tamen votum caſtitatis obligans iure naturali, & diuino ad non ducendam vxorem, nec ad petendum debitum, vt docent Caiet. & Petrus de Ledeſma. Si verò ſuſtineas ſententiam eorum, qui putant non eſſe votum annexum ordini ſacro, tunc poterit

terit talis Clericus ſine peccato matri monium inire, & petere debitū, quia per diſpenſationem etiã ſine cauſa tol litur illa obligatio mere Eccleſiaſtica. Vide etiam *diſp.* 18. infra, non tenetur tamen Sacerdos poſtquam habitum reliquit, vt vxorem duceret, horas recitare, quia iam ad ſtatum ſęcularem translatus eſt, nec gaudet priuilegijs clericalibus, neque debet eſſe, vt degradatus qui priuegilijs eſt priuatus, & tenetur ad horas, nã hoc illi fit in pœnam delicti, ob quod eſt degradatus.

At ſi loquamur de voto ſolemni ca ſtitatis religioſorum poteſt in eo Pontifex diſpenſare quãdo iuſta eſſe t cau ſa (eſt autem iuſta non quando reſpicit bonum vnius particularis, ſed quã do ita exigit bonum commune alicuius regni &c. vt ſupra dixi) non quidẽ vt aliqui putant ad tempus v. g. vt duret in matrimonio donec filios generet, quia hoc eſt contra ſubſtantiam matrimonij, ſed debet diſpenſare abſolutè, vel ſaltem cum hac conditione vt vxore conſentiente, vel fornicante poſt prolem ſuſceptam teneatur ad religionem redire. Ratio quare poſſit Pontifex diſpenſare eſt, quia non debemus negare Pontifici, quod poſſumus concedere abſque vllo abſurdo & quod ſit valde expediens gubernationi Eccleſiæ, ſed poſſe diſpenſare in his votis nullum eſt abſurdum, & valde eſt expediens regimini Eccleſiaſtico; ergo.

Minor, quod ſit valde expediens probatur; nam poteſt euenire caſus, vt regnum integrum deperdatur, vel maxime perturbetur; niſi religioſus aliquis ducat vxorem. Quod autem non ſit abſurdum; probatur, quia ſicuti poteſt in voto ſimplici, ita etiã põt in ſolemni, cum eadem ſit materia, & eadem obligatio iuris diuini naturalis & quamuis religioſus fiat per benedictionem res ſacra, tamen vrgente neceſſitate poſſumus vti re ſacra ad vſus etiam profanos, & rem alteri traditã ob bonum publicum auferre. Adde quod vt refert Caiet. & alij multi inf. citan. Pontifex varijs vicibus in his votis diſpenſauit. ita ex Theologis D. Th. in 4. *diſt.* 28. *q.* 1. *ar.* 4. *quęſtiun.* 1. *ad* 3. Dur. *q.* 2. *n.* 8. Ricc. *ar.* 9. Rubion. *ar.* 1. *q.* 1. Gandauo *quodl.* 5. *q.* 28. Pelagius *de plan. Eccl. l.* 1. *ar.* 46. *lit.* C. Gaet. 2. 2. *q.* 88. *ar.* 11. *& in opuſc. t.* 1. *tit.* 27. *de diſ. matr. in on. eccl.* Enriq. *l.* 12. *c.* 5. *n.* 7. & alij multi cum Barth. Sonc. *conſ.* 92. *n.* 2. *vol.* 1. Nata *conſ.* 33. *n.* 4. Tiraquel *de pœnis temp. in præf. n.* 46. Pariſi. *conſ.* 68. *n.* 148. Menoch. *de præſ. l.* 2. *pr.* 10. *n.* 35. Magdalenus *de num. teſt.* 3. *p. c.* 3. *n.* 213. & alij permulti apud Sanc. *num.* 6. hic.

4 Si vero cauſa iuſta non exiſtente Pontifex cum religioſo diſpenſaret ad ineundum matrimonium talis diſpenſatio nulla eſſet, ac proinde talis religioſus non poſſet validè inire matrimonium; ſiue fœmina bona fide cũ eo contrahat, ſiue nõ: at ſi quis teneret votum religionis ſolo iure Eccleſiaſtico dirimere matrimonium; quæ ſententia eſt valde probabilis; tunc validum erit matrimonium, & poterit ſolus Pontifex diſpenſare, vt petat debitum ob incontinentiæ periculum, & in caſu magnæ neceſſitatis etiam Epiſcopus, vt *diſp. ſeq.* dicemus.

5 Vnum denique nota, quod religioſus, cum quo Pontifex ex cauſa iuſta diſpenſauit poſtquam habitum depoſuit vt matrimonium iniret, non tenetur ad officium nec ad alia onera religionis.

6 Contraria tamen ſententia ſuſtinẽs non poſſe Pontificem cum religioſo diſpenſare, vt matrimonium ineat, eſt probabilis. Probatur præſertim ex *cap. monaſterium ſine de ſtatu monacorum vbi dicitur non poſſe Pontificem dare licẽtiam in caſtitate religioſorum.* ita tenent ex Theologis D. Th. 2. 2. *q.* 58. *ar.* 11. Albertus Magnus 4 *d.* 38. *ar.* 16. Altiſidor *l.* 3 *ſum: tr.* 28. *c.* 1. *q.* 2 Almainus *de poteſ. Papæ c.* 15. Audoma. *l.* 2. *mona. conſt. c. pen.* Turrianus *l.* 2. *de votis monaſt. fol.* 37. Arag. 2. 2. *q.* 88. *ar.* 11. *col.* 9. & alij.

DIS-

DISPVTATIO IX.

An Epiſcopus poſſit diſpenſare in votis abſolutis caſtitatis, & religionis, quæ matrimonium impediunt.

1 REſpondeo quoties votum caſtitatis, & religionis eſt abſolutum, factum ſcilicet ſine vlla conditione, aut pœna, vt ſi quis dicat, voueo caſtitatem, aut ingredi religionem, non poteſt in illo Epiſcopus diſpenſare ſiue ſit emiſſum ab eo, qui eſt in aliena poteſtate, vt à ſeruo, vxore, & filiof. ſiuè non. ratio eſt quia licet Epiſcopus poſſit in omnibus votis diſpenſare in ſua diœceſi, ſicuti Papa in toto orbe, vt *lib. 1. diſp. 61.* dixi; tamen ex conſuetudine ab ipſo naſcentis Eccleſiæ initio, hæc vota ſunt reſeruata ſoli Pontifici, vt patet ex bulla, & iubileis, in quibus ſemper hæc vota reſeruantur; adeo vt nunquam cenſeatur eorum diſpenſatio conceſſa, niſi exprimantur. ita Henriq. *l. 7. c. 30. nu. 6. lit. A.* Manuel. *2. t. ſum. c. 97. n. 1.*

2 Quare duo ex hac concluſione deducuntur. primum eſt hanc reſeruationem diſpenſationis eſſe reſtringendam vt pote odioſam. Secundum eſt quod quando votum non eſt perfectæ caſtitatis, vel religionis ſimpliciter, poteſt Epiſcopus diſpenſare.

3 Vnde poterit diſpenſare primo in voto caſtitatis emiſſo ad tempus v.g. ad annum, vt docent D. Thomas 22. *q. 88. ar. 11.* vbi id iudicat. Sotus *l. 7. de iuſ. q. 4. a. 3.* Tolet. *l. 4. ſum. c. 18. n. 11.* Vega *2. t. ſum. c. 129. caſu 34.* Enriq. *l. c. n. 6.* Azor. *l. 11. inſt. c. 19. q. 6.* Manuel. *2. t. ſum. c. 96. n. 5.* vel in voto caſtitatis coniugalis ex Henriq. *l. c.* vel in voto caſtitatis coniugalis. Secundo in voto emiſſo ab altero coniuge cum licentia, vel ſine licentia alterius non petendi debitum, vt docent Manuel. Azor l. c. & alij, vel ſi vterque coniux de communi conſenſu vouerent nec petere, nec reddere, nec fornicari; quia deficiunt hæc vota à perfecta, & abſoluta caſtitate, quæ excludit omnem actum venereum ſiue in matrimonio, ſiue extra illud. Tertio in voto non ineundi matrimonium, vt docent D. Ant. Ang. Sylu. Arag. Palacius & alij multi contra Caiet. & Angles quos citat Sanc. *hic n. 10. & 11.* quod intellige quando votum ſoli Deo eſt factum; nam ſi eſt ius alteri acquiſitũ tunc non poteſt Epiſcopus diſpenſare ob iniuriam tertij niſi hic remitteret obligationem, quod poteſt facere ſi votum illud emiſſum ſit præcisè in ſui fauorem, & non etiam intuitu virtutis religionis, quod in dubio præſumitur, niſi tertij nihil intereſſet illud votum; tunc enim cenſetur factum in honorem Dei, vt benè notat *l. 8. de iuſ. 91. ar. 9. ad 2.* Quarto in voto aſſumẽdi ordines ſacros, quia non eſt votum directæ caſtitatis, ſed aſſumendi ſtatum, cui caſtitas eſt adnexa, vt docent Henr. *l. c.* Azor. *q. 9.* Beia *in reſponſ. caſu 28.* Em. Sà *v. votum. n. 30.* Manuel. *l. c.* Viuald. *cand. 3. p. c. 14. n. 43.*

4 Quinto in voto diſiunctiuo, cuius vna pars eſt reſeruata, altera non. vt voueo caſtitatem, vel aſſumendi ordines ſacros, in hoc enim caſu dum vouens non ſtatuit apud ſe ſeruare caſtitatem, poteſt Epiſcopus diſpenſare, quia vouens poteſt eligere alteram partem non reſeruatam. vt docet Azor q. 10. Sexto in voto virginitatis ſeruandæ, quando vouens expreſsè noluit ad caſtitatem ſeruandam ſe obligare; ſed ad ſolam integritatem virginalem, quæ vnico actu luxuriæ amittitur; ſi enim vouens id expreſsè non intendit, non poteſt Epiſcopus diſpenſare, nam cenſetur votum caſtitatis abſolutæ. vt dicam *lib. ſeq. diſp. 33.* & docet Azor. *q. 14.*

5 Similiter poteſt Epiſcopus diſpenſare primo in voto facto à muliere aſſumendi habitum fœminarum, quas beatas vocant, vel à viro aſſumendi habitus ceterarum religionum militarium præter ordinem D. Ioannis, quia non ſunt vere religiones, excepto ordine D. Ioannis. Secundo in voto ſtrictioris religionis adhoc vt vouens ingrediatur laxiorem ſecundum probabiliorem opinionem, quam tenent

Palud.

Palud. *q.*4. *d.*38. *ar.* 4. *in* 4. D. Anto. 2.*p. ti.* 11. *c.*12. §. 9. Sotus *l.* 7. *iuſt. q.* 4. *ar.*3. Menoch. *de arb. l.*2. *cen.* 5. *caſu* 4. 21. *num.*16. Contra Nauarr.*com.* 4. *de regul. num.*10. vel ſi quis vouit ingreſſum, & perſeuerantiã poteſt Epiſcopus diſpenſare circa perſeuerantiã, quando ingreſſus habet iuſtas cauſas non perſeuerandi; (nam ſi ſine cauſa exiret, non poſſet, quia eſſet diſpenſare in voto ingrediendi religionem) vel etiam ad hoc vt quis differat ingreſſũ religionis, v.g. vouit ingredi hoc menſe, vt ingrediatur poſt annum, quia in his caſibus non diſpenſatur in ſubſtantia voti religionis.

Tertio ſiquis vouit religionem, & deinde à Pontifice impetrauit diſpenſationem, ſeu commutationem voti in aliam materiam, v.g. in confeſſiones menſtruas, poteſt in hac materia Epiſcopus diſpenſare, vel eam in aliam commutare v.g. loco confeſſionis imponere, vt det eleemoſinam. ratio ẽ, quia votum religionis erat ſolum reſeruatum ratione materiæ circa quã erat emiſſum; ergo mutata materia non manet amplius reſeruatum. ita Lud. Rom. *ſing.*464. Mincha. alios referens *q. illuſtri. l.* 1. *c.* 25. *num.* 25. Henriq. *l.*7. *c.*30. *nu.* 5. Arag. 2. 2. *qu.* 88. *ar.* 12, *ante ſol. ad* 1. Contra Arch. Bellameram. C. *latorem* 33. *qu.* 2. *fine.*

6 Vbi nota, quod in tali caſu, quando prius votum caſtitatis (& idem dico de alijs) fuit commutatum in aliud opus v.g. in confeſſiones menſtruas ſiue ab homine, vt à Pontifice, ſiue à iure. ſi vouens deinde etiam culpa ſua non adimplet confeſſiones per multos menſes, non tenetur redire ad prius votum religionis, quod fuit cõmutatum, quia per commutationem votum circa priorem materiam eſt prorſus extinctum. & obligatio eſt trãſlata in aliam materiam; & quamuis poſſit ſi velit ad prius votum redire, tamen non tenetur, quia quando fuit facta commutatio, intelligitur tacitè niſi velit ad prius votum redire, cum commutatio fiat in fauorem vouentis. contra vero non intelligitur tacita cõditio, vt ſi nõ implet materiã ſubrogatã teneatur ad priorem redire. Immò quamuis tempore cõmutationis illam petens non habuerit animum acceptandi illã, & ſic nec votum fuerit commutatũ. poterit tamẽ deinde mutare animũ, & illã commutationẽ accepta re, quia ex parte cõmutantis fuit valida, ſicuti etiã ſi verè acceptauit nõ intendens tamen exequi materiam ſubrogatã tenetur animũ mutare, & materiã illam implere, licet Manuel.*add. ad bull.*§.9.*n.*117. Arag. 2.2. *q.*88. *ar.*3. Vega 2.*t.ſum.c.*129.*caſu* 79. putent teneri hunc ad prius votũ redire, ſicuti ille, qui prius votũ religionis emiſit, ſi deinde ingreſſus religionẽ ſua culpa, eſt eiectus, tenetur aliam ingredi ex vi voti religionis: ſed hæc doctrina nõ eſt vera, nã vota omnia ante profeſſionẽ emiſſa prorſus extinguuntur per profeſſionem.

7 Nota 2. quod in ſupradictis votis, quæ diximus non eſſe Pontifici reſeruata, non poteſt parochus diſpenſare; quamuis Epiſcopus non poſſit adiri; quia omnes Doctores fatentur nullũ poſſe in votis diſpenſare, niſi habeat iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem, aut ex conſuetudine, quæ conſuetudo, vt parochi in his diſpenſent non eſt, ſed ſolum in lege Ieiunij. aut eſu carniũ. ita Sotus *l.* 7. *de iuſ.q.*4. *ar.*3. cõtra Manuel. *q. reg.*2. *t. q.*46. *ar.*9.

8 Dico 2: Non ſolum poteſt Epiſcopus diſpenſare in votis caſtitatis, & religionis, quando non ſunt abſolutæ caſtitatis, nec circa ſubſtantiam religionis, vt in caſibus poſitis dictum eſt; ſed etiam in caſu magnæ neceſſitatis ſiue ſit ob periculum incontinentiæ, ſiue ob aliud, & Pontifex non poteſt adiri tunc poſſet Epiſcopus diſpenſare in voto abſoluto caſtitatis, & religionis, ſolum ad illũ vſum, ad quẽ neceſſitas coget v.g. ad vxorẽ ducendã; non aũt ad hoc vt ea mortua poſſit aliud inire aut ſi fornicetur, non ſit ſacrilegium; quia nõ eſt veriſimile Pontificẽ reſeruare ſibi hanc diſpenſationẽ in hoc caſu, in quo ageretur de periculo animę vouentis, ita loquentes in periculo in

con-

continentiæ;Sylu.*votum* 4.*q.*4.Nauar. *ſum.c.*12.*n.*76. Henriq. *lib.* 6. *de pœnit. c.*14.*n.*7.*lit.P.* Valen. 2. 2. *diſp.* 6. *q.*6. *pun.*7. Arag. *q.* 88. *ibi a.* 12. Graffis 1. *p. deciſ. lib.*2 *ca.* 31. *n.*29. Ant.Gom. *bulla cruc. clauſ.*10.*n.*108.& in hoc ſenſu intellige *cap. veniens qui clerici vel vouentes*, Doctores ibi Abbas. *fine.* Alex.de Neuo *n.*11.Card.*fin.*Præp.*nu.* 3.Gambara.*de auctor.legati n.* 480. *lib.* 10.& idem de alijs votis reſeruatis dicendum eſt. Et quamuis in illa prouincia ſit Nuncius, vel legatus à latere Papæ, adhuc poſſit Epiſcopus in prædictis caſibus diſpenſare; quia habent eandem auctoritatem, modo Nuncius, aut alius quilibet non haberet facultatem à Papa conceſſam: tunc enim ab eo peti debet diſpenſatio, ſi commode fieri poteſt, vt *lib.* 2. *diſ.*40. dixi.

Denique hic nota, quod qui habet facultatem diſpenſandi, & commutandi non peccat, quando adeſt iuſta cauſa, ſi ſolum diſpenſet non admixta commutatione; quia ita habet vſus eccleſiæ, quidquid dicant incontrarium Sotus *l.*7.*de iuſt q.*4.*ar.*3.*col.*8.Manuel. 2.*t.ſum.c.*100.*n.*4.

Probationem, qua vtitur Sanch.n. 3. & ego ſuppoſui *n.*1. *in hac diſ.* ſcilicet ſecluſa reſeruatione poſſe Epiſcopũ diſpẽſare in omnibus votis;quia in ſua diœceſi eſt ordinarius, & poteſt omnia facere,quæ Papa in toto orbe, exceptis ijs, quæ ad vniuerſæ eccleſiæ ſtatum pertinent,vt res fidei definire: hanc inquam probationem infirmam valde appellat Pontius *li* 8. *cap.* 8. *nu.* 1. his verbis(*Probat etiam Sanchez quia Epiſcopus poteſt in ſua diœceſi quod Romanus Pontifex in vniuerſali eccleſia; ſic docet lib.*1. *diſputa.*61.*nume.*3.*ſed infirmum valde eſſe argumentum quod ex eo deſumitur oſtendi ſupra cap.* 6.) a videamus ibi dicta; vt inde colligere valeamus iure ne, an iniuria valde infirmum aſſerat Sancij noſtri argumentum; ait igitur Pontius *c.* 6. *nu.*3. (*neque obſtat communis illa propoſitio, quod Epiſcopus poteſt in ſuo Epiſcopatu, quod Papa in tota Eccleſia niſi prohibeatur, quam regulam ſequuntur multi canoniſtæ vt videre eſt apud Fel. & alios. Reſpondemus namq; eam propoſitionem non eſſe vniuerſaliter veram; ſed intelligendã in his, quæ ad commune regimen, & gubernationem ſpectant: & antequam emanet lex Pontificia quæ aliud decernat*) ex his non video quo pacto hic auctor oſtendat valde infirmum Sancij argumentum eſſe, immo ni valde fallor: illud confirmat; idem fatetur, quod Sanchez docuit: dum illum impugnare conatur: vt mox oſtendam: argumentum Sancij eſt hoc: poteſt Epiſcopus in ſuo Epiſcopatu totum id quod poteſt Papa in vniuerſali eccleſia: in his quæ pertinent ad commune regimen, & gubernationem ſuæ eccleſiæ niſi à Papa prohibeatur: ſed diſpenſare in votis pertinet ad regimen,& gubernationem eccleſię ſuę:ergo poteſt Epiſcopus in votis diſpenſare;niſi à Papa aliqua reſeruentur:quæ nam ex poſitis propoſitionibus debilis videri poteſt Pontio: maior ne,an minor? maior certe eſt ab omnibus recepta;eam præter Abulenſẽ,Victoriam Sotum Gambaram,Theſ. Chriſ. relig. Nicol. Cuſa,Veracr. Perez. Enriquez. Arag. Maiol.Hugon. quos affert Sanch. *diſ.* 61.*cit.*docet etiam Leſſius *l.*2.*c.*40.*du.* 13.*n.*103 *de iuſ.*Bonacin.*diſ.*4 *q.*2.*p.*7. §.4.*n.*4. dicens ita cõmuniter Doctores ſentire Suar.*tom.*2.*de rel.lib.*6.*c.*10. *n.*4.vbi citat Sanch.*lib.*1.*diſ.*61.*n.*3 *cit.* cum auctoribus, quos ille refert. & quod caput eſt ipſe metPontius illam concedit *ca.*6.*n.*3.verbis ſupra relatis ibi (*ſed intelligendam in his, quæ ad commune regimen,& gubernationem ſpectãt & antequam emanet lex Pontificia, quæ aliquid ſua conſtitutione decernat*) concedit ergo Pontius maiorem propoſitionem Sancij.aitq;in eo ſenſu eſſe verum dictum illud, quod Epiſcopus in ſua eccleſia poteſt totum illud, quod põtPapa in vniuerſa eccleſia.& in hoc ſenſu loquutus eſt Sanchez.&Doct.citati vtvidimus,& patet ex probatione quã affert Sanchez.ad illam firmandã ibi & *ratio eſt manifeſta quia eſt paſtor ordinarius in ſua diœceſi,ſicut Pontifex in*

toto Orbe, licet ſit ipſi ſubiectus: ergo in ijs in quibus Pontifex non limitat eius iuriſdictionem habet poteſtatem ordinariam) maior igitur argumenti noſtri Sancij, ſatis eſt firma auctoritate tot DD. & ratione vallata; immo eſt ab ipſo Pontio admiſſa: & ſic non poteſt ab eo negari; videamus nunc, an forte minor claudicet, atque adeo iure potuerit infirmum appellari argumentum Sancij. ſed hæc præter quam quod ab omnibus admittitur, vt videre eſt in auctoribus ſupra citatis; & apud Caſtro palaum *diſ.* 11. *pun.* 2. *n.* 1. *t.* 3. eſt etiam ipſiuſmet Pontij; qui hoc *lib.* 8. *c.* 4. *n.* 2. hæc habet (*de poteſtate autem ad diſpenſandum in votis, & iuramentis; conſtat, quia datam eſſe Pontifici à Deo eiuſmodi poteſtatem, valde expediebat ad regimen ſpirituale animarum*) vbi quamuis loquatur de ſummo Pontifice; id non eſt; quia neget expedire ad regimen animarum in alijs prælatis: nam nu. 4. hanc conceſſionem extendit ad Epiſcopos, & alios, & hoc *cap.* 8. *n.* 1. ait (*ex dictis c.* 4. *n.* 2. *conſtat eſſe poteſtatem in Eccleſia ad diſpenſandum in votis relictam a Deo ob commune animarum commodum, cum prælati Dei nomine relaxent, ſeu remittant obligationem*) & n. 2. dicit (*certum eſt hanc poteſtatem diſpenſandi in quouis voto olim non ſolum fuiſſe in Rom. Pont. ſed etiam in Epiſcopis*) ſed quia ibi loquitur de poteſtate, quę eſt in eccleſia, & videtur ſupponere, doctrinam illam veriſſimam, quam docet Suar. *l. cit.* & Sanchez. *diſ.* 3. *n.* 5. & 8. & alij communiter, quos ipſe Pontius citat nimirum hanc poteſtatem immediate conceſſam fuiſſe à Chriſto ipſi Romano Pontifici, & eo mediante alijs prælatis, ideo loquitur de Romano Pontifice: non quia dubium ſit, quod non pertineat hæc poteſtas ad regimen eccleſiæ epiſcopalis: vt de ſe patet, & ipſis Pontij verbis *cap.* 4. *n.* 2. *iuxta c.* 8. *n.* 1. & 2. à me relatis. quo pacto igitur, amabo vos, lectores, potuit Pontius dicere tam aperte, valde infirmum eſſe argumentum; quod deſumitur ex eo principio: *quidquid poteſt Pontifex in toto orbe: poteſt Epiſcopus in ſua eccleſia; niſi prohibeatur.* cum eo conceſſo tam euidenter inferatur concluſio probanda; quod ſcilicet Epiſcopus poſſet in ſua diœceſi diſpenſare in omnibus votis; niſi facta fuiſſet reſeruatio aliquorum à Papa, præſertim cum ea, quæ Pontius affert, potius confirment noſtri Sancij rationem, quam debilem oſtendant: cum eaſdem Sancij propoſitiones, ex quibus euidenter concluſio probanda infertur, Pontius doceat: vt aperte oſtenſum eſt, & quamuis ipſe negaret, adhuc tamen, minus recte notaret Sancium; qui eo argumento vſus eſt, quo omnes fere Doctores vtuntur, vel id ſupponunt, vt potiſſimum in hac re.

DISPVTATIO X.

An Epiſcopus poſſit diſpenſare in votis caſtitatis, & religionis pœnalibus, & conditionalibus.

QVæſtio præſens ſupponit votum conditionale, & pœnale inter ſe differre: eſt autem hæc differentia; pœnale eſt quando emittitur non ob affectum rei promiſſæ; ſed illam vouens Deo promittit in pœnam alicuius delicti, quod ipſe cupit euitare, vt ſi quis pronus ad ludendum cupiens ſe à ludo abſtinere, promittat ſe non luſurum, & ſi ludat in pœnam ingredi religionem, vel ſeruare caſtitatem: vel ſi dicat, ſi luſero, voueo caſtitatem, quod votum quando fit ad vitandum malum poſitum in conditione, eſt, & dicitur conditionale pœnale; nam vouens eligit materiam illam in voto contentam v. g. caſtitatem in pœnam ſui delicti, & vt odioſam ſibi; ſi aũt materiam in voto contentam v. g. caſtitatem eligeret vouens vt rem ſibi gratam, eſſet votum merè conditionale, licet rariſſime hoc modo fiãt hæc vota vnde ſemper erunt pœnalia, niſi conſtet de voluntate vouentis. vide Doct. infra ct.

2 Votum verò merè conditionale eſt quoties in eo ſuſpenditur obligatio ad aduentum conditionis, vel quando vouens

uens directè non intendit rem illam quam vouet, ſed aliam, & vt illam obtineat, facit votum. v.g. ſi quis morbo oppreſſus cupiens ſalutem dicat, voueo caſtitatem ſi à morbo conualeſcam, hoc votum eſt merè conditionale, nam non ſtatim eſt obligans ad caſtitatem; ſed obligatio ſuſpenditur donec verificetur conditio, nempè habeatur ſanitas, nec ille vouit caſtitatem directè ob affectum ad illam virtutem; ſed ob affectum ad ſanitatem, non tamen elegit caſtitatem, vt pœnam, & vt ſibi odioſam, vt fit in voto pœnali. Quare ſi quis voueret religionem v.g. ob affectum ad ipſam, ſed ſolum non poſſet ob infirmitatem id exequi, & voueret hoc pacto, ſi ſanus fiam voueo religionem, hoc votũ erit abſolutum, quia particula, ſi, non ſuſpendit obligationem, ſed ponitur adhoc vt ſignificetur quod ſublato illo impedimento morbi, ingredietur religionem, verum hoc modo non ſolent communiter hæc vota fieri; ſed ſemper fiunt ſub conditione. vnde in dubio, emiſſa his verbis, conditionalia ſunt iudicanda. hoc poſito ad caſus propoſitos.

3 Reſpondeo poſſe Epiſcopum diſpenſare in votis caſtitatis, & religionis, & ſic in alijs Pontifici reſeruatis, quando ea ſunt pœnalia, aut conditionalia, vt n. 1. & 2. explicaui non ſolum ante impletam conditionem, vel pœnam incurſam, ſed etiam poſt, vt ſi ille qui vouit caſtitatem, ſi ſanus efficiatur, iam acquiſierit ſanitatem, vel ſi ille qui promiſit ſe non luſurum ſub pœna caſtitatis iam luſerit.

Ratio eſt, quia illa vota caſtitatis, & religionis ſunt Pontifici reſeruata, & epiſcopus in eis non poteſt diſpenſare, quæ ſunt perfecta, & ſimpliciter caſtitatis, & religionis; ſed vota hæc pœnalia, & conditionalia non ſunt ſimpliciter talia, etiam poſt incurſam pœnam, & conditionem impletam; ergo hæc vota pœnalia &c. non ſunt Pontifici reſeruata. Maior patet ex dictis *diſp. præc.* nam cum reſeruatio hæc ſit odioſa debet reſtringi; ita vt nomine voti caſtitatis, & religionis intelligatur id, quod eſt perfectè tale. Minor probatur quia hæc pœnalia, & conditionalia non fiunt directè ob affectum virtutis caſtitatis, & religionis (quod requiritur ad voti perfectionem) ſed pœnalia potius fiunt ex odio, & ob timorem, & conditionalia ob affectum alterius rei v.g. ſanitatis acquirendæ, vt *n.* 1. & 2. dictum eſt; ergo vota hæc pœnalia, & conditionalia religionis, aut caſtitatis etiam poſt impletam conditionem, & pœnam incurſam non ſunt perfectè, & ſimpliciter talia ita docent loquentes de voto pœnali Ouandus 4. *d.* 38. *q. vnic. prop.* 29. Perez. *li* 8. *ordinam. ti.* 9 l. 39. *ad. finem* Palacios *in ſum.* Gaeta. *ver. votum* Enriq. *l.* 7. *de indulgentijs c.* 30. *n.* 6. vbi citat Canum. Chaues. Mant. Gallum. Bannes Peraltam. & D Solis. & Moya. iuriſprimarios Arag. 2. 2. *q.* 88. *a.* 12. *col.* 8. Aui. Gomez *in cruci clau.* 10. *n.* 99 Manuel. *qq. reg.* 1. *t. q.* 63. *a.* 7. loquentes de voto conditionali tenent Ant. Gomez dicens ita eſſe in praxi virorum ſapientiſſimorum receptum, & alij recentiores cum Petr. Ledeſm. 2. *p. ſum. tract.* 10. *cap.* 8.

4 Nota tamen quod ſiquis voueat abſolutè caſtitatem aut religionem, etiamſi illa eligat in pœnam peccati, & ad euitandam infamiam, non poteſt in his Epiſcopus diſpenſare, quia hæc vota ſunt verè abſoluta, nec pendent ex futuro euentu. vt illa, quæ n. 1. explicauimus, & voluntas directè fertur in ipſa vota, ac licet ſit in hoc aliqua imperfectio: non eſt tamen intrinſeca in ipſo actu vouẽdi, vt eſt in pœnalib⁹.

5 Et idem dicendum quoties votum conditionale non eſt verè conditionale, ſed abſolutum, vt ſi conditio ſit de præterito, vel præſenti, vel quando conditio tacitè ineſt, & apponitur eo modo quo ineſt, in quo caſu diximus *l.* 5. *diſ.* 1. eã eſſe abſolutã, vt ſi quis dicat voueo caſtitatẽ, ſi Deo placet, & multo magis quando particula, ſi, non eſt appoſita pro conditione, ſed æquiualet particulę, quando, vt n. 2. dixi, in his enim omnibus caſibus non poteſt epi

ſcopus diſpenſare, nam vota ſunt verè abſoluta.

6 Sunt tamen in hac re duæ ſententiæ. prima docet non poſſe Epiſcopũ diſpenſare nec ante incurſam pœnam aut impletam conditionem, nec poſt impletam conditionem, & pœnam incurſam. Ratio eſt, quia ſi loquamur de voto pœnali ante incurſam pœnã, non eſt votum, v.g. ante quam ille luſerit, non tenetur voto caſtitatis; ergo Epiſcopus non poterit in eo diſpenſare, quod non eſt. ita aliqui Doctores antiqui. Si verò loquamur de voto conditionali, nec poteſt in eo ante impletam conditionem Epiſcopus diſpenſare, nam hæc vota non ſunt ſicuti pœnalia emiſſa propter odium, ſed emittuntur ob amorem caſtitatis, & religionis; ergo non poteſt in his Epiſcopus diſpenſare, cum in voto conditionali vouens caſtitatem non poterit matrimonium inire ante euentum conditionis. ita Sotus *l. 7. de iuſt. q. 2.* Corduba *ſum. q. 152.* Manuel. *bulla §. 9. n. & 125.* Azor. *l. 11. c. 10. q. 3. & c. 19. q. 13.* Nauar. *ſum. c. 12. n. 43.* Guttier. *l. 2. q. can. c. 22. n. vlt.* Arag. *22. q. 88. a. 12. col. 8.* & alij, quæ ſententia eſt ſatis probabilis. quod nec poſſit diſpenſare poſt impletam conditionem probabitur in ſeq. numero.

7 Poſterior ſententia docet ſolum poſt pœnam incurſam, vel impletam conditionem non poſſe in his votis Epiſcopum diſpenſare. contra vero ante. ratio eſt, quia poſt pœnam incurſam, vel conditionem impletam iam vota hæc ſunt abſoluta, ergo non poterit in his diſpenſare Epiſcopus; ante vero incurſam pœnam poteſt quia nullum emittitur votum, & non dum impleta conditione votum illud non habet perfectam rationem voti. ita loquentes de voto pœnali tenent Sotus *l. cit.* Alcocer *li. de ludo c. 13. con. 9.* Cordub. *l. c.* Couarr. *c. quamuis pactum 1. p. §. 3. n. 12. de pactis in 6.* Guttier *l. c.* de voto vero conditionali ita tenent Doctiſſimi neotherici. quos tacito nomine citat Sanch. n. 12.

DISPVTATIO II.

An Epiſcopus poſſit diſpenſare in voto caſtitatis abſolutæ emiſſo ab vno, vel ambobus coniugibus poſt matrimonium.

1 REſpondeo cum hac diſtinctione ſi votum caſtitatis fuit emiſſum ſine vllo animo ingrediendi religionem ſiuè ante, ſiuè poſt matrimonium conſummatum: ſiuè ab vno coniuge ſine licentia alterius, vel cum licentia; ſiuè ab ambobus, ſine licentia, vel cum licentia; non tamen per modum contractus poteſt in eo Epiſcopus diſpenſare; quia in his caſibus non eſt votum omnimodæ caſtitatis, nam alter tenetur alteri reddere, & poteſt etiam ſi alter adulterium commiſerit. quamuis quidam neotherici putent caſu quo alter ſolus vouit ſine licentia alterius non poſſe Epiſcopum diſpenſare, quia id votum includit obligationem integræ caſtitatis, & eſt probabilis ſententia.

2 At ſi votum caſtitatis fuit emiſſum cum animo ingrediendi religionem adhoc vt votum ſeruari poſſet ſiuè ab vno tantum coniuge ſine licentia, ſiuè cum licentia alterius; ſiuè ab vtroq; ſine licentia, vel cum licentia, non tamen per modum contractus; tunc ſi matrimonium non dum erat conſummatum, non poteſt Epiſcopus diſpenſare in voto, quia eſt vt votum omnimodæ caſtitatis, immò neque poteſt diſpenſare ad petendum debitum, quia vouens eo tempore caſtitatem, & ſciens ſe non poſſe aliter illam ſeruare, niſi ingrediendo religionem, & habet animum ingrediendi videtur vouiſſe ingreſſum religionis; ergo non poteſt Epiſcopus diſpenſare ad petendum debitum, ne impediatur ingreſſus religionis. ſi vero in prædicto caſu matrimonium ſemel conſummatum fuit poteſt Epiſcopus diſpenſare non abſolutè in voto caſtitatis, ſed ſolum ad petendum debitum, etiam ſi poſſit adiri Pontifex, quia cum vouens teneatur habitare cum vxore, erit in magno incontinentiæ periculo,

lo, vt diſputat. ſequenti probabitur.

3 Solum hic nota quod quando alter coniux vel vtrique cum licentia alterius vouerunt caſtitatem poſt matrimonium cum prædicto animo ingrediendi religionem, ſi is qui licentiam dedit, velit præſtare ea quæ requiruntur ad hoc vt vouens ingrediatur religionem; non poterit Epiſcopus diſpenſare, nec ad petendum debitum; at ſi ille, qui dedit licentiam, mutet animum poterit Epiſcopus diſpenſare tantum ad petendum debitum, & non omnino in voto caſtitatis, quia illud votum eſt abſolutæ caſtitatis.

4 Dico ſecundo ſi coniuges votum caſtitatis emiſerunt per modum contractus, nempè voueo, vt voueat, tunc non poteſt Epiſcopus diſpenſare, neque ad petendum debitum, neque ad reddendum, niſi in caſu neceſſitatis. ex eò ſcilicet quod eſt periculum incontinentiæ, nec poteſt commodè Pontifex adiri, aut alius habens priuilegium à Pontifice (in quo caſu tantum poteſt eſſe diſpenſatio ad petendum debitum non autem abſolutè in voto) Ratio eſt, quia hoc votum eſt integræ, & abſolutæ caſtitatis, vt *lib. ſeq. diſp.7.* probabitur, ergo ſolus Pontifex poteſt in eo diſpenſare, niſi eſſet caſus neceſſitatis, in quo poteſt Epiſcopus, vt ſupra diſp.9. dictum eſt. ita Sylu. *v. votum 2. & v. diſpenſatio. q.9. n.15.* Palac.4.*d.*32.*diſp.*2.*col.*8. Enriq. *l.*11.*c.*15.*n.*8. Manuel. 1.*t. ſnm.* 2. *edit. c.*243 *con.*14. *n.*14. Arag.2. 2. *q.*88. *ar.* 8. *dub. vlt.* Nauar. *ſum. c.*12. *n.*59. Stunic. *q*13. *de voto n.*64. & addunt Henr. Manuel & Nauar. idem eſſe dicendũ quando ex magno timore (licet non ſit talis vt votum irritet) votum emiſerunt, quia non eſt omninò voluntarium.

5 At ſi coniuges qui vouent de communi conſenſu per modum contractus caſtitatem vouent ſolum ad tempus, vel ponunt aliquam exceptionẽ, vt voueo caſtitatem hac lege vt ſi filij, quos nunc habemus, moriantur, iterum copula vacemus, poteſt in eo voto Epiſcopus diſpenſare; quia non eſt votum integræ caſtitatis. Similiter poterit Epiſcopus diſpenſare ſi voueant ſub conditione, quæ verè ſit talis, vt ſi Deus filios dederit vouemus caſtitatem, nam quando illa verba, ſi Deus filios dabit, non ſunt appoſita ſub conditione; ſed ſignificant, quando, non poteſt Epiſcopus, *vt diſp. præc. n.* 4. dixi, diſpenſare.

Vel ſi hi coniuges remittant ſibi ad inuicem obligationem poterit Epiſcopus diſpenſare cum his, ſolum ad petendum debitum, etiam ſi Pontifex poſſit commodè adiri, quia per illam renunciationem videtur de nouo contrahi matrimonium quoad liberã facultatem eo vtendi licite.

6 Sunt tamen aliqui neoterici doctiſſimi cum Em. Sà *v. debitum coniugale n.*2. & Manuel. *q.*63. *t.*1. *ar.*2. qui putent poſſe Epiſcopum diſpenſare quoad petitionem debiti quando coniuges de communi conſenſu vouerunt caſtitatem, quia hoc non eſt propriè diſpenſare in voto caſtitatis, ſed tantum ad petendum. & Maioris tenet abſolutè poſſe Epiſcopum diſpenſare 4.*d.*32.*q.*2.*col.*2.*in ſolu. ad.*2.

* Quis ex hac diſputatione tam diſtincte, ac dilucidè à Sancio pertractata, non miretur Pontium *lib.*8. *c.*9. *n.*2. aſſerentem ſine fructu varias ſpecies huius quæſtionis à Sancio recenſeri, quis maior ſane poterit fructus haberi, quam minutim ſcire quando poteſt Epiſcopus in voto caſtitatis emiſſo diſpenſare, extra caſum neceſſitatis, & etiam ſi Pontifex, aut alius auctoritatem habens adiri poſſit, quando verò ſolum ob neceſſitatem. & in hac re varias A A. ſententias præ oculis habere.

Ego verò potius miror Pontium dicto *cap.*9. *n.*3. circa medium audentem dicere Sancium ſine fundamento negare poſſe Epiſcopum diſpenſare ad petendum debitum ante matrimonij conſummationem; nec conſequenter ad ea, quæ habet *diſp. ſeq. nu.*6. & nos poſuimus n.2. quod dictum probat Pontius his verbis (*neque enim ex eo quod quis caſtitatem vouit, etiam ſi*

tunc

tunc occurrat non posse illud votũ implere niſi ingrediendo religionem cenſetur emiſiſſe votum ingrediendi, idque ex eo conſtat; quia ſi in eo euentu petat diſpenſationem, ſatis erit petere diſpenſationem voti caſtitatis) nam Sancij fundamentũ ſatis clarum eſt, vt vidimus dicto *nu.* 2. negat enim Epiſcopum diſpenſare poſſe, quando quis poſt matrimoniũ ratum emiſit votũ caſtitatis animo ingrediẽdi religionẽ, vt illud ꝯpleat ſciẽs ſe aliter illud ꝯplere nõ poſſe, quia vouẽs talib⁹ circũſtantijs videtur ad ingreſsũ religionis ſe obligare, & cũ ante bimeſtre poſſit illã obligationem implere, nequit Epiſcopus diſpenſare. Quod autem hic auctor addit, hoc nõ eſſe conſequenter dictum ad ea, quæ *diſp. ſeq. nu.* 6. Sanch. docuit non min⁹ falſum eſt. hic enim negat Sancius poſſe Epiſcopum diſpenſare ad petendũ debitum, quando poſt matrimonium contractum quis vouit caſtitatem, animo ingrediendi religionem, ſciens ſe aliter ſeruare votum illud non poſſe niſi ingrediendo religionem, in quo caſu cenſetur etiam vouere religionẽ. diſputatione vero ſequenti numero citato fine dicit poſſe *Epiſcopum* diſpenſare quando voto caſtitatis aſtrictus matrimonium inijt animo ingrediendi religionem, quod eſt valde diuerſum. nam in hoc ſecundo caſu, vt benè probat noſter Auctor *lib.* 1. *diſ.* 43. *n.* 9. hic non tenetur ingredi religionem, cum ad id, voto ſe non obligarit. ſed poteſt matrimonium inire, quo poſito verſabitur in magno periculo incontinentiæ; vnde poterit *Epiſcopus* diſpenſare: in priori caſu, is qui vouit cum prædictis circumſtantijs, tenetur religionem ingredi, nam videtur ad id eo voto caſtitatis ſe obligaſſe, & cum adhuc habeat tempus ante conſummationem matrimonij implẽ di tale votum. non poteſt *Epiſcopus* dispenſare, ſicuti neque poteſt diſpẽſare cum eo; qui poſt votum religionis matrimonium inijt, ad hoc vt conſummet, quia tali voto ligatus poteſt illud implere, vt docet Sotus *in* 4 *diſt.* 38 *q.* 2. Satis igitur conſequenter loquutus eſt noſter auctor, hic enim ait non poſſe *Epiſcopum* diſpenſare; quãdo ille ita vouet caſtitatem, vt etiam cenſeatur vouere religionem, vt eſt in caſu poſito. *diſq. vero ſep. nu.* 6. docet poſſe quando voues caſtitatem non cenſetur vouere religionem, licet habeat animum ingrediendi religionem quod ſanè diſcrimen Põtius aduertere debebat, nec tam facile contradictionem in noſtro auctore aſſerere, præſertim cum ipſe in ſuo argumento, vt vidimus non aduerterit noſtrũ Sancium vtrumque coniunxiſſe, nimirum votum emiſſum animo ingrediẽ di religionem, cum aduertentia non poſſe illud ſeruari: niſi religionem ingrediendo. quod autem tunc cenſeatur vouiſſe religionem docet etiam Koninch. *diſ.* 34. *dob.* 5. *nu.* 36. Facundez addens explicitè non poſſe *Epiſcopum* diſpenſare referens integrè Sanchez *lib.* 2. *cap* 42. *nu.* 15. *in ſec.* præceptum Decalogi Hurt. *diſ.* 10. *diff.* 8. *num.* 33. Filiucc. *tract.* 10. *par.* v. *cap.* 10. *nu.* 37. circa finem Rebellius *lib.* 3. *q.* 17. *ſect.* 2 *nu.* 6. & alij.

DISPVTATIO XII.

An poſſit Epiſcopus diſpenſare ad petendum debitum cum eo, qui habens votum caſtitatis matrimonium inijt, vel affinitatem, aut cognationem contraxit poſt matrimonium.

1 REſpondeo affirmatiuè nimirum poſſe Epiſcopum diſpenſare cũ eo, qui prius emiſit votum caſtitatis, & deindè contraxit matrimonium, & petat debitum; nõ autem ut omninò à uoto caſtitatis ſit liber, & cum eo, qui poſt matrimonium initum cõtraxit affinitatem cum altero coniuge, uel ſpiritualem cognationẽ, ſimiliter ad hoc ut petat debitum ſi facile adiri poſſet Pontifex, aut alius habens auctoritatem diſpẽſandi. Ratio eſt, quia licet attento iure huiuſmodi diſpenſationes reſeruentur Põtifici; tamen de conſuetudine; quæ uim habet tribuendi iurisdictionem *cap. cum contin-*

gat

gat de foro compet. poteſt Epiſcopus paſſim enim in his Epiſcopi diſpẽſant ẽt ſi facile poſſint adiri religioſi habẽtes priuilegia diſpensãdi. ita docẽt loquẽtes de uoto, & affinitate D. Ant. 3. p. t. 1. c. 11. Alex. *in Enchiridion præ. 6. in 5. ſpecie luxuriæ & 2. voto.* Palacios 4. d. 33. diſp. 2. col. 11. & d. 32. col. 17. Corduba *quæſt. li. 1. q. 12. ar. 2. dicto 4. & ſum. q. 146. pu. 2.* Enriquez. *l. 12. c. 2. nu. 9. & l. 11. c. 15. nu. 11.* Sorbus *in com. priuil. veri abſol. quoad ſæculares* 2. & alij Theologi cum multis Canoniſtis Sylu. Vgolin. Armillæ, Gallego. &c. apud Sanch. *num.* 13. 4. & loquentes *de cognat. ſpirit.* D. Ant. Veracrux 1. *p. ſp. ar.* 57. Emm. Sà. *v. matrim. nu.* 5. *de imped. dir.* Nauarr. *ſum. c.* 16. *nu.* 34. Manuel. *ad ad bull.* §. 13. *nu.* 17. & alij.

2 Quę uera ſunt ut ſcilicet poſſit Epiſcopus diſpenſare in prædictis caſibus ad petendum debitum, quamuis uotum fuerit emiſſum, aut affinitas contracta ante matrimonij conſummationem, ratio eſt, quia cum uouens caſtitatem, & poſtea ducens vxorem non teneatur religionem ingredi, vt probabimus *lib. ſeq. diſp.* 34. etiam ſi duxiſſet vxorem animo ingrediendi religionem, vel etiam ante bimeſtre quo reddere non tenetur, erit in magno periculo incontinentiæ, vnde poterit Epiſcopus diſpenſare ob conſuetudinem inductam ratione neceſſitatis. Vide Palud. 4. d. 42. q. 1. ar. 3. *nu.* 29. D. Ant. *lo. cit. cap.* 11. *col.* 3. Bart. à Ledeſ. *de mat. dub.* 41. *col.* 3. *par.* 2. *concl.* Alexan. *in Enchiridion.*.

3 Sunt tamẽ in hac re multi qui probabiliter putant nõ poſſe Epiſcopum diſpẽſare ad petẽdum debitum cum eo, qui emiſſo voto caſtitatis cõtraxit matrimonium, aut poſt cõtractum matrimonium affinitatem niſi in caſu neceſſitatis, quando nõ eſſet aditus ad Pontificem, vel ad alium habentem priuilegium diſpensãdi, vt eſt commiſſarius Bullæ Cruciatæ, qui poteſt diſpenſare ad petendum debitum impeditum ratione affinitatis: ratio ẽ, quia in voto caſtitatis ſolus Põtifex poteſt & non Epiſcopus niſi ratione neceſſitatis, vt ſupra dictum eſt, & in affinitate cõtracta prohibetur petitio debiti à Pontifice; ergo non poteſt Epiſcopus diſpenſare in lege ſuperioris, ita tenent Sylu. *v. debitum q.* 9. Gutier. *qq. can. l. 1. c. 23. n. 17.* Lud. Lop. *1. p. inſtr. c. 80. col. 3. ver. ſed connumerare* & loquentes de voto tradunt Sotus 4 *d* 38. *q. 2. ar.* 1. Pedrazza *ſum. in 6. præc.* §. 9. Petr. Ledeſ. *de matr. q. 53. ar.* 1. Gutier. & alij.

DISPVTATIO XIII.

An poſſit Epiſcopus diſpenſare in iuramentis caſtitatis, & Religionis.

1 REſpondeo ſi iuramenta hæc ſint pœnalia, vel ſub cõditione poterit Epiſcopus diſpensare in eis, ſicuti diximus *diſput.* 10. poſſe in votis pœnalibus & conditionalibus.

2 At ſi iuramẽta ſunt abſoluta ſic diſtinguendum eſt ſi ea fiunt ad promittendum Deo caſtitatem; vel religionẽ vt iuro me ingreſſurum religionem, iuro me ſeruaturum caſtitatem, tunc non poteſt Epiſcopus diſpenſare; quia hæc iuramẽta includunt votum, ergo ſicuti nõ poteſt Epiſcopus in votis abſolutis caſtitatis, & religionis diſpenſare, neque poterit in his iuramentis; quoties fit mẽtio, quod vota caſtitatis & religionis reſeruẽtur, intelligi etiam debet de his iuramentis, quia includũt etiam votum.

3 Si vero iuramenta hæe fiant ita vt nullam promiſſionem includãt (quod rarò euenit, ſemper enim fiũt modo ſupradicto) ſed meram atteſtationem diuini numinis, qua iurãs Deum vocat in teſtem, nõ autem illi promittit aliquid; tũc poteſt Epiſcopus diſpenſare, vt ſiquis ex eo, quia aliquod dedecus accepit vel quid iuret ſe velle ingredi religionem, vel ſeruare caſtitatem, ratio eſt, quia in hoc caſu non eſt perfecta promiſsio, ſed ſola aſſertio de futuro.

4 Et iuxta hanc diſtinctionem poſſũt conciliari Auctores, qui dicunt non poſſe Epiſcopum in his iuramenris diſ-

pen-

penſari; nempe Sotus *lib. 8. de iuſt. q. 1. ar. 9.* Alcocer *lib. de ludo c. 13. con. 9.* Stunic. *q. 5. de voto n. 42.* Azor. *l. 11. inſt. mor. c. 10. q. 3.* Arag. *22. q. 88. ar. 12.* cum Tabiena *verb. iuram. q. 20. nu. 21.* Nauarr. *l. 2. conſ. ti. de iur. iur. in 1. edit. con. 3. in 2. con.* & aliquibus doctiſſimis recentioribus, qui putant hęc iuramenta non eſſe Pontifici reſeruata; intelligendi enim ſunt iuxta dicta numero prędecedenti.

DISPVTATIO XIV.

An poſſit Epiſcopus imponere mulctam pecuniarum quando diſpenſat, & an poſſit diſpenſare caſu quo prius Pontifex aditus fuerit.

1 REſpondeo ad primum caſum propoſitum cum hac diſtinctione ſi Epiſcopus diſpenſet in voto, vel in lege à ſe cõdita tũc poteſt diſpẽſare partim relaxando obligationem, & partim illam commutãdo in aliquam eleemoſynam fabricæ eccleſiæ: vel pię operæ, imò ſanum conſilium eſt in votis ſemper admiſcere aliquam commutationem, & hoc eſt certum.

2 Si verò Epiſcopus diſpẽſat in lege ſuperioris in ijs caſibus, in quibus poteſt. vt in ieiunio, & obſeruatione feſtorum. tunc non poterit partim diſpenſare & partim commutare in eleemoſynam &c. vt probaui *lib. 3. diſp. 10. n. 9.* nam plus eſt commutare legem in aliam quam diſpẽſare; ergo conceſſa diſpẽſatione nõ conceditur commutatio.

3 Contraria tamen ſententia eſt probabilis, quia poteſt dici tacitè id concedi Epiſcopus eo ipſo, quod conceditur eis diſpẽſandi facultas, & ita tenent Henr. Hoſt. Inn. Abbas. *cap. 1. de obſeru. ieiun.* Vega *1. t. ſum caſu 36. c. 14.* Azor. *lib. 7. inſt. c. 29. q. 5.* Angl. florib. *1. p. t. de ieiun. q. 5. diff. 5.* Nauar. *ſum. c. 21. nu. 12.*

4 Vnum tamẽ in hac ſententia aduerte, quod ſi conſtaret non eſſe cauſam diſpenſandi, nullo modo poterit Epiſcopus partim commutare, & partim diſpenſare in prædicto caſu, quia inferior non poteſt ſine cauſa diſpẽſare in lege ſuperioris, quãdo autem Epiſcopus diſpenſaret commutando; tunc plenè diſpenſat, quia legem ſuperioris relaxat; nec poteſt dici, quod ea lex mutatur in aliam materiam, ſicut fit in voto, cuius obligatio per commutationem mutatur in aliam materiam, quia non poteſt inferior commutans imponere obligationem legis, nec ille cui fit commutatio. ſicuti poteſt ille cui commutatur votum acceptare materiam ſubrogatam, & ſub voto ad illam ſe obligare.

Ad ſecundum caſum propoſitum.

An ſcilicet poſſit diſpenſare Epiſcopus cum eo qui prius eamdem diſpenſationem perijt à Pontifice.

1 REſpondeo affirmatiuè & ſic ſi Titius v. g. petijt diſpenſationem à Pontifice, quam tamen poterat concedere iure ordinario Epiſcopus, vel ex commiſſione expreſſa adnexa dignitati, vt in caſibus Trid. *ſeſſ. 24. de refor. cap. 6.* & Pontifex conceſſit committens illam ordinario, vel confeſſario; poterit nihilominus ab Epiſcopo petere talem diſpenſationem abſque eo, quod faciat mentionem diſpenſationis obtentæ à Pontifice, vel ab alio potente diſpẽſare ex priuilegio, vt sũt religioſi, vel per bullam Cruciatæ in votis v. g. pœnalibus &c. quamuis ordinarius; vel confeſſarius ex præſcripto Pontificis cum eo iam diſpenſaſſet. Ratio eſt, quia per illam diſpenſationem non tollitur poteſtas quæ cõpetit Epiſcopo iure ordinario; & quamuis Titius adierit Pontificem, & acceptauerit commutationem factam; non tamẽ per hoc ſibi præiudicauit; vt non poſſit ab inferiore habente auctoritatem petere diſpenſationem, & rel inquere illam commutationem redeundo ad prius votum.

2 Immo etiam ſi Pontifex ſolitus eſſet eam diſpenſationem denegare, vel cauſas illas, iuſtas non putare; poſſet tamẽ

Epi-

Epiſcopus, vel alius habens facultatẽ ex priuilegio diſpenſare, ſi putet eſſe cauſas iuſtas, etiamſi ex commiſſione ſpeciali ſibi à Pontifice facta diſpenſaret; quia non aſtringitur ad diſpenſandum in ijs ſolum cauſis, in quibus Põtifex diſpenſat, niſi tamen diſpenſaret ex ſola interpretatione mentis Pontificis; vt eſt in caſu neceſſitatis, nam tunc nõ poteſt in ijs cauſis diſpenſare in quibus ſemper Pontifex ſolet diſpẽſationem denegare, vel niſi Pontifex conſultus de aliquo caſu particulari denegauerit diſpenſationem iudicans non eſſe cauſam ſufficientem; tunc enim videtur denegare facultatem inferioribus diſpenſandi in eo caſu particulari, niſi noua ſit cauſa.

3 Quæ omnia vera ſunt quamuis pri⁹ Epiſcopus vel religioſi noluerint diſpenſare cum pœnitente; ſed illum remiſerint ad Pontificem, poterunt enim ſi pœnitens iterum petat, cum eo diſpenſare; quia iuriſdictio diſpenſandi non eſt contentioſa, atque adeò non ceſſant eſſe iudices ex eo, quod pœnitentem remiſerint ad Pontificẽ; ſicut neque Epiſcopus amitteret poteſtatem diſpenſandi in caſibus occultis conceſſis in Trident. *ſeſſ.* 24. *de reform. cap.* 6. ex eo, quia noluit cum eos habente diſpenſare; ſed illum ad Pontificem remiſit, nam non ſunt deducti ad forum contentioſum ex eo, quia ille adijt Pontificem, vt peteret diſpenſationem.

Quod ſanè fundamentum puto nõ aduertiſſe Pontium *libr.* 8. *cap.* 17. *nu.* 4. vbi ait Auctorem id docere. ſine ſufficiẽti fundamẽto nam poſtquam ſuã ſententiam conatus eſt probare addit hæc verba (*huius contrarium docuit Thomas Sanchez li bro* 8. *diſputat.* 14. *num.* 5. *ſed ſine ſuffi-cienti fundamento*) nam ſi attendiſſet vidiſſet profectò vim argumenti in eo poſitam eſſe, quod quando Pontifex de aliquo caſu conſultus denegat diſpenſationem iudicans non eſſe cauſam, videtur auferre facultatem inferioribus cũ illo ſingulari diſpenſandi; vnde non poteſt inferior cum eodem ſine alia noua cauſa diſpenſare; quamuis enim aliqua competant Epiſcopis de poteſta te ordinaria. poteſt tamen à Pontifice talis facultas auferri, vt patet ex dictis *lib. diſ.* 61. *& lib.* 7. *dis.* 1. *& hoc lib. dis.* 9. Pontius igitur potius debebat hanc rationem Sancij infringere, nec ſupponere tanquam per ſe notũ, quod ea negatione Pontifex ſibi non reſeruat diſpenſationem. hoc enim Sancius negat, vult enim ea negatione circa talem perſonam in indiuiduo & tali cauſa, Pontificem facultatem inferiori denegare, & per conſequens ſibi reſeruare.

DISPVTATIO XV.

An per Bullam, vel iubilæum poſſint commutari vota caſtitatis, & religionis, diſpenſari ad petendum debitum in impedimento voti, affinitatis, vel cognationis.

1 REſpondeo ad primam partem quæſiti poſſe per bullam vel iubilæum commutari omnia vota in quibus poteſt Epiſcopus diſpenſare iure ordinario, & ex mera natura reſeruationis ex eo, quia non ſunt vota abſolutæ caſtitatis, aut religionis; vt ſunt vota ad tempus ſtrictioris religionis pœnalia, & conditionalia iuxta dicta *diſp.* 9. 10. *&* 11. non autem poſſunt commutari ea vota caſtitatis in quib⁹ non poteſt Epiſcopus iure ordinario. & ex natura reſeruationis diſpenſare, ſed vel ſola conſuetudine, vt eſt in voto caſtitatis abſolutæ emiſſo, poſt quod vouens matrimonium contraxit, vt *diſp.* 12. dixi, vel ex neceſſitate, vt quando magnum incontinentiæ periculum eſſet, nec poſſet facile Pontifex adiri, vt *diſp.* 9. dictum eſt. ratio eſt, quia tam bulla, quam iubilæum concedit poſſe commutari à confeſſario ab ordinario approbato, & à pœnitente electo vota omnia, exceptis votis caſtitatis, & religionis, & in bulla etiam excipitur votum vltra marinum; ergo ea vota caſtitatis, & religionis hic reſeruata, debent cenſeri

ſeri in ijs ſolum caſibus; in quibus Pontifici reſeruantur; ergo in ijs caſibus in quibus non reſeruantur Papæ, ſed Epiſcopo competunt de iure ordinario; non cenſentur in bulla reſeruata, vt etiam vſus obtinuit. vide Cordubam *ſum. qu.* 152. Metin. *libr.* 1. *ſum. c.* 14. §. 6. Arag. 22. *qu.* 88. Enriq. *l. infra cit.* Viuald. *can. c.* 14. 3. *p.* apud quos aliqua ex dictis votis exprimuntur.

2 Solum hic duo nota primum eſt, quod quando hæc vota caſtitatis virtute bullæ commutantur, debent tũc commutari in aliquam eleemoſynam ad belli ſubſidium. attenta qualitate & facultatibus perſonæ, cui fit commutatio, ita vt partim commutetur in opera pia, & partim in ſubſidium temporale belli. ita Viualdus *candel.* 3. *p. c.* 14. *num.* 39. Enriq. *l.* 7. *c.* 30. *num.* 6. Azor. *l.* 11. *inſt. c.* 18. *qu.* 9. *fine.* contra Nauarr. *ſum. c.* 12. *nume.* 80. Cordubam *ſum. qu.* 149. Mannel *in bulla* §. 9. *num.* 109. & alios putantes totam commutationem fieri debere in ſubſidium temporale belli, & Dezam virum è Societate Ieſu doctiſſimum, qui docuit teſte Viualdo, poſſe totam commutationem fieri in ſpirituale ſubſidium, quod ipſe Viuald? putat probabile. In iubilæis verò poteſt fieri commutatio in quælibet opera pia.

3 Secundum eſt, quod ſicuti poteſt Epiſcopus diſpenſare in iuramentis caſtitatis pœnalibus, & conditionib*, ita etiam poſſunt hæc iuramenta virtute bullæ, aut iubilæi commutari, & caſu quo poteſt Epiſcopus in iuramẽto, & voto circa caſtitatem, & religionem diſpenſare, vt *diſput* 13. dictum eſt. ita etiam poteſt fieri commutatio per bullam, & iubilæum. At iuramenta abſoluta caſtitatis, & regionis non poſſunt virtute bullæ vel iubilæi commutari, ea nil concedunt circa iuramentorum commutationem.

Ad ſecundum quęſitum.

An poſſit virtute bullæ diſpenſari ad petendum debitum cum eo, qui eſt impeditus ratione affinitatis, vel cognationis.

4 REſpondeo. Cõmiſſarius Bullæ poteſt diſpenſare cum eo, qui contraxit affinitatem cum coniuge poſt matrimonium ad hoc, vt petat debitum, non autem cum eo, qui non poteſt petere ob cognationem ſpiritualem. prior pars conſtat ex bulla latina; poſterior pars probatur, quia diuerſum eſt diſpenſare in affinitate ad petendum debitum, ac in cognatione ſpirituali: ergo dum Bulla concedit poſſe diſpenſari ad petendum debitum in affinitate non eſt extendenda ad cognationem ſpiritualem, quamuis Manuel 1. *t. ſum.* 2. *edi. c.* 243. *num.* 12 *& add. ad bullam* §. 13. *num.* 17. putet vtrumque poſſe concedi.

QVAERES. I.

An virtute Bullæ, vel Iubilæi poſſit commutari pœna, quam quis debet ex fractione voti v. g. ſi quis iurauit ſe non luſurum ſub pœna dandi decem aureos in eleemoſynam, poſſit commutari hæc pœna, ne det decem aureos.

5 REſpondeo affirmatiuè. nam pœna hæc debetur ex vi voti; ergo qui poteſt votum commutare poteſt etiam hanc pœnam, quamuis Nauarr. *libro tertio conſ. tit. de vot.* 1. *edit. con.* 35. oppoſitum teneat, ob quam rationem ſoluitur deciſio huius caſus: Pontifex commiſit confeſſario, vt Titio votum reale dandi decem aureos pauperibus ſingulis diebus ex parte remitteret, ita vt quinque aureos tantum teneretur dare, dico enim poſſe virtute Bullæ, aut iubilæi confeſſarium commutare illos quinque aureos, quos debet Titius, in alia opera pia; quia Pontifex dum conceſſit quinque aureos remitti

non

nõ denegauit poſſe etiam in reliquos quinque aureos fieri commutationẽ ab habente auctoritatem, vt eſt confeſſarius virtute bullæ, aut Iubilæi: qui etiam poteſt commutare vota hoc pacto, commuto tibi ex nunc hoc votũ in illud opus, quod doctus vir iudicabit, & tranſacto tempore bullæ, & Iubilæi poterit opus determinari: nam iam reuera commutat ipſe confeſſarius tunc tempore Iubilæi, vel bullæ, etiam ſi opus aſſignetur poſt iubilæi tempus; vnde ſi is; cui facta eſt talis commutatio contraueniat rei, quam ipſe antea vouerat, & confeſſarius cõmutauit, non peccabit contra votum ſic docent in ſimili Nauar. *ſum. c. 26. nu.* 13. & expreſsè Viuald. *Cand. ſacr. 3. p. c.* 14. *n.* 40. Graffi. 1. *p. deciſ. l.* 4. *c.* 15. *num.* 47.

QVAERES II.

An ille, qui habebat vota, & caſus reſeruatos, quorum abſolutionem non petijt tempore Iubilæi, poſſit eo tranſacto abſolui à caſibus reſeruatis, & vota commutare.

6 REſpondeo. Si habens vota, vel irregularitates, vel caſus reſeruatos facta confeſsione oblitus eſt eorũ poterit nihilominus tranſacto tempore iubilęi vota oblita commutare, & à reſeruatis &c. virtute tranſacti iubilęi abſolui, quamuis confeſſarius tempore iubilæi nullam votorum commutationem, aut generalem abſolutionem fecerit (tum enim ea precedente certum eſt, etiam tranſacto tempore poſſe abſolui, & cæt.) Ratio eſt, quia pœnitens ius acquiſiuit per iubilæum, vt poſsit à peccatis &cæt. oblitis abſolui, nam iubilęum non limitat tempus circa gratias connexas ibi (*concedimus, vt poſſint hac vice tantum idoneos præſbyteros approbatos eligere, qui eorum confeſſionibus auditis licitè valeant ipſos abſoluere & cæt. ac vota commutare & cæt.*) ita Enriquez *l.* 7. *c.* 11. *num.* 4. Emm. Sà *v. indulgentia num.* 14. Suar. *diſ.* 31. *ſec.* 4. *num.* 13. *de pœnit.*

7 Et idem dicendum eſt, quamuis tempore iubilæi pœnitens memor fuerit votorum; ſed ea voluit commutare, poterit nihilominus eo tranſacto illa noluit commutare. Immò ſi nullam premiſit confeſſionem, putans ſe non habere mortalia, ſed alia opera adimpleuit (quo caſu probabile eſt lucrari iubilæum, licèt alij probabilius negent) poterit nihilominus poſt tranſactum iubilęum à reſeruatis irregularitatibus & cæt. abſolui; quia iam lucratus eſt iubilęum, vt ſuppono, & per conſequens ad hęc omnia ius acquiſiuit, vt tradunt multi apud Enriqu. *l.* 7. *c.* 22. *num.* 6. *lit. H.*

8 Immò ſi quis tempore iubilæi intendens iubilæum lucrari, obtinuit votorum commutationem, & abſolutionem à reſeruatis; ſi poſtea animum mutet, & nolit recipere iubilæum (quod ſine peccato facere poteſt; vt *libr.* 1. *diſputat.* 43. probatum eſt) nihilominus remanet abſolutus à reſeruatis, & cum votis commutatis. Ratio eſt, quia iam fuit obtenta abſolutio à reſeruatis, & votorum commutatio facta; ergo etiam ſi deinde non lucretur iubilęum; remanet adhuc abſolutus; quia nec abſolutio poteſt à conditione pendere, nec votorum commutatio facta eſt ſub conditione. ita Enriqu. *lib.* 6. *c.* 16. *nu.* 6. Suar. *lo. ci. num.* 5. Vgol. *de cenſ. tab.* 1. *c.* 10. §. 4. *u.* 4. Graff. 1. *p. deciſ. lib.* 4. *c.* 15. *num.* 37. Cordùba *ſum. q.* 21. Viual. *cand.* 3. *p. c.* 14. *n.* 59. quod etiam verũ eſt, vt maneant vota cõmutata, quamuis confeſſarius non determinarit tũc materiã tẽpore iubilęi, ſed poſtea determinandã à ſe vel ab alio, reliqu erit

9 Contra vero ſi nulla confeſſio, aut cõmutatio voti tempore iubilæi facta eſt, non põt eo tranſacto, qui illũ non accepit à caſibus reſeruatis abſolui, & vota cõmutare, quia priuilegium vim non habet ex eo, quod iubilæum non fuit comparatũ. nec vlla confeſſio, aut cõmutatio præceſſit, ſi enim pœnitẽs aliquam confeſſionem feciſſet tẽpore

Iubilæi licet oblitus fuerit reſeruatorum manent tamen illa peccata non reſeruata, ita vt deinde à quolibet cõfeſſario poſſit eorum abſolutio fieri, quia per illam confeſſionem virtute Iubilæi fuit indirectè ab illis abſolutus ita Manuel *t.1.ſum.in 2.edit.ca.*184. *n.* 13. & Suar. *de pœn. diſ.*31. *ſec.*4 *nu.*24. putat eſſe probabile.

10 Denique hic nota; quod commutatio votorum virtute bullæ, & Iubilæi poteſt fieri à confeſſario electo extra confeſſionem. Et de bulla eſt certius, nam nõ dicitur, auditis confeſſionibus, ſed ſolum ut eligatur confeſſor approbatus ob doctrinam requiſitam in commutatione, & ita docent Hẽr. *l.*7. *c.*30. *n.*6 Sotus *l.*7. *de iuſt. q.* 4. *ar.* 3. vbi ait diſpenſationem voti nil ad forum pœnitentiæ pertinere de iubilæo probatur *dis. ſeq.*

DISPVTATIO XVI.

An religioſi poſſint commutare, & diſpenſare in votis caſtitatis, & religionis. ac in petitione debiti cum impeditis affinitate, vel cognatione ſpirituali.

1 REſpondeo. Religioſi poſſunt cõmutare vota caſtitatis, & religionis in quæcumque opera, & etiam in his diſpenſare quando deficiunt à perfectione votorum caſtitatis, & religionis, in omnibus ijs caſibus, in quibus poteſt Epiſcopus iure ordinario ex natura reſeruationis iuxta *diſput. præced.* non tamen in caſu, in quo Epiſcopus vel ratione conſuetudinis, vel ob neceſſitatem poteſt diſpenſare. Immo poſſunt ſolum commutare iuramenta pœnalia caſtitatis, & religionis, non autem abſoluta, & multò minus in eis diſpenſare, vt in ſimili dictum eſt de habente Iubilæum, aut bullam facultatem commutandi conceſſit Paulus 3. Religioſis Soc. Ieſu, quam Gregorius XIII. Anno 1575. extendit ad vota iurata ſaluo tertij præiudicio. & Innoc. 8. conceſſit mẽdicantibus poſſe diſpenſare in votis, in quibus poſsũt Epiſcopi exceptis votis peregrinationis vltra duas dictas, & Martinus V. conceſſit vt poſsint diſpenſare in votis omnibus etiam Epiſcopo reſeruatis, & licet in his facultatibus excipiantur vota caſtitatis, & religionis: tamẽ debent intelligi excepta, quando ſunt abſolutè talia iuxta dicta.

2 Præterea Prouinciales mendicantium poſſunt concedere ſuis ſubditis approbatis iuxta Trid. ad confeſſiones, vt poſſint diſpensare ad petendũ debitum cum his, qui ante matrimonium emiſerunt votũ caſtitatis, quod priuilegium valet, ſiue votum emiſsũ fuerit ante matrimonij conſummationem, ſiue non, & etiam intra bimeſtre, modo non fuerit votum ingrediẽdi religionem, caſu quò ad id teneretur vouens iuxta ſupradicta. tũc enim non poſſunt in hoc diſpenſare, quodſi votum fuit emiſſum poſt initum matrimonium poterunt etiam in eo abſolutè diſpenſare iuxta dicta *n.*1. & hoc priuilegium in Soc. Ieſu communicatur Prouincialibus, & ijs, quibus ipſi commiſerunt *verb diſp.* §. 9 *in priuil. Societ.*

3 Nec ſolum in caſu voti, ſed etiam poſſunt religioſi ex commiſſione prouincialis ſi ſint approbati ab ordinario iuxta Trid. diſpenſare ad petendũ debitum cum eo, qui contraxit affinitatem cum altero coniuge per declarationem à Iulio 11. factã concessioni Martini V. & per aliam Pij V. Anno 1569. viuę vocis orac. ex Collectore Priuil. mend. *v. diſpenſ. nu.*17. Enriqu. *l.*11. *c.*15. *nu.* 11. Non tamen poterunt ex vi iſtius concesſionis diſpenſare ad petendum debitum quando impedimentum eſt ob cognationem ſpiritualem, quamuis Manuel affirmet *add. ad bull.* §.13. *num.* 17.

4 Denique hic nota, quod prædicta priuilegia poſſunt exercere religioſi erga omnes ad ſe venientes, & non ſolum erga ſubditos Epiſcopi illius dioceſis, in qua ipſi ſunt, nam hæc priuilegia ſunt amplianda, cum ſint fauorabilia, conceſſa ſcilicet toti religioni, vt *diſp.*1. dixi. Nec ſolum poſſunt vota commutare, & in eis diſpenſare in Sacra-

cramento pœnitentię, ſed etiam extra; nam licet in conceſſione commutandi vota dicatur, (*auditis confeſſionibus ab omnibus peccatis &c. abſoluendi nec non & vota commutandi*) id ſolum debet intelligi quoad abſolutionem à peccatis, & caſibus reſeruatis, non ad vota commutanda, nam de facto cum conceditur facultas diſpenſandi nulla fit mentio de confeſſione; quia non agitur de peccatis. ita Enriquez. *l. 7. c. 30. num. 6.* cum multis recentioribus.

DISPVTATIO XVII.

An valida ſit diſpenſatio ſine causa iuſta facta in lege ſuperioris, vt ſi Pontifex diſpenſet in iure diuino Epiſcopus in lege Pontificis &c. vel facta in lege propria, vt ſi Pontifex diſpenſet in lege Eccleſiaſtica, vel in lege poſita ab inferiori, vt ab Epiſcopo.

1 REſpondeo ad primum caſum propoſitum, nimirum an validè inferior diſpenset in lege ſuperioris, Nulla eſt diſpenſatio quando inferior diſpenſat ſine cauſa legitima, vt ſi Pontifex diſpenſet in voto, & iuramento & Epiſcopus ex commiſſione Pontificis in obſeruatione feſtorum v. g. vel in alio ſimili, etiam ſi haberet plenitudinem poteſtatis conceſſam à Papa, quam ſolet habere Nuncius. Ratio ē quia tunc diſpenſatur in bonis alienis & in aliena voluntate; ergo ad hoc, vt ſit valida diſpenſatio debet eſſe iuſta cauſa, nec debet præſumi. ita eſt cō munis Theolog. & Canoniſtarum ſententia.

At ſi Pontifex, quando concedit poteſtatem diſpenſandi Epiſcopo v. g. exprimit nomina eorum, cum quib⁹ eſt diſpenſandum nulla facta mentione de cauſæ cognitione, valida erit diſpenſatio ſine vlla cauſa, quia præſumi debet Pontificem certiorem factum eſſe de cauſa. ita Fel. *C. poſtulaſti nu. 13. caſu 4. de reſcrip.* Gambara *de auth. legati, lib. 10. num. 209.* Specul. *tit. de diſp. §. dicendum reſtat. nu. 19.*

2 Similiter valida erit diſpenſatio quando cauſa non eſt legitima, ſed prudenter, & bona fide legitima putatur, quia id poſtulat recta Eccleſiæ gubernatio; & contra: quando cauſa verè adeſt legitima, ſed inferior diſpenſat non præmiſſa cognitione, valida erit diſpenſatio in foro interiori; donec reuocetur in foro exteriori; ſed taliter diſpenſans peccabit, quia nullibi habetur eam diſpenſationem eſſe nullam, nam valet lex temere indicta ſi reuera ſit cauſa boni communis. ita ex Hoſt. Innoc. Abb. Ioan. Andr. Card. & alijs multis *cap. ad Monaſterium de ſta. mon.* contra Imolam *quidam conſulebat num. 7. ff. de re iud.* Hyppolitū *c. at ſi cler. §. de adult. n. 106. de iud.* aſſerē tes non eſſe validam in precedenti caſu diſpenſationem.

3 Vbi vero cauſa eſt notoria, aut conſtat ipſi diſpenſanti poteſt etiam ſine peccatò diſpenſare non premiſſa examinatione cauſę, quia notorium non eget examinatione *cap. manifeſta 2. q. 1.* nec temere diſpenſare dicitur, qui ſcit cauſam adeſſe licet illam non examinet.

4 Vbi nota, quando non conſtat de cauſa in Principe, ſiue in principe ſupremo diſpenſante in iure diuino, aut in proprio ad inſtantiam alterius, ſiuè in inferiori diſpenſante in lege ſuperioris, ea non præſumitur. ſed debet probari; in foro externo, ſi vero diſpenſet Princeps in propria lege motu proprio præſumitur, quia tunc non fuiſſe factam diſpenſationem ad inſtantiam partium, & pro diſpenſatione eſt præſumptio iuris, & de iure, contra quam non admittitur probatio. ita Abb. *C. cum in Eccleſiarum nu. 10. de conſt.* vbi Feli. Decius Minchaca. *q illuſtr. l. 1. c. 25. num. 17.* Menoch. *lib. 2. præſ. 10.* Maſcar. *de prob. con. 275* apud quos vide varias ampliationes. Quare nec credi debet d[a]centi ſe habere poteſtatem delegatam ad diſpenſandum &c. etiāſi ſit Cardinalis ille, qui id aſſerat, niſi inſerantur literæ commiſſionis, eſt communis ſententia, quod ſi nullum tertij præiudicium ex ea diſpenſatione proueni-

ueniret: poſſet fides haberi aſſerenti ſe habere poteſtatem, ſit ſit perſona in excelſa dignitate conſtituta vt ſi ſummus Pœnitentiarius dicat ſe viuæ vocis oraculo à Pontifice obtinuiſſe poteſtatem diſpenſandi in aliquo caſu reſeruato Pontifici: vide Menoch. *l.cit.præ.*15. *& de arbitrarijs l.* 1.*q.*76. Maſcar. *conſ.*268. Iaſon *l.admonendi n.* 175. *ff. de iur iur.* & Doctores *c cum in iure de off. deleg. & l. vuica c. de mand. Princ.* vel ſi Epiſcopus promoueat nõ ſibi ſubditum, dicens ſe habere commiſſionem ab Epiſcopo proprio promouendi ex Rebuff. *prax.ben.de forma dimiſ.n.*36.

5 Pro foro autem conſcientię præſumitur ſemper pro ſuperiore diſpenſante quando non conſtat ſubdito illum non habere cauſam. ita Sotus 4. *d.*21.*q.*2.& Suarius *de cenſu diſ.*41. *ſec.* 3. *fine*, & cuicunque viro timorato aſſerenti ſe habere facultatem delegatam ad abſoluendum, fides eſt habenda. ad ſecundum caſum propoſitum nimirum.

An valida ſit diſpenſatio ſine cauſa in propria lege.

6 REſpondeo affirmatiuè ſiue ille qui diſpenſat ſit ſupremus princeps, vt Papa, Rex &c. ſiuè ſit inferior vt Epiſcopus in propria diœceſi, & proprijs conſtitutionibus, etiamſi Epiſcopus ſuas conſtitutiones iuramento firmaſſet. Ratio eſt quia tunc hi diſpenſant in propria voluntate, à qua ſola leges illæ ab ipſis conditæ vim habent; & licet diſpenſando ſine cauſa violentius naturale, quod dictat diſpẽſationem concedendam non eſſe ſine cauſa; tamen valet diſpenſatio, quia ipſi non diſpenſant in iure diuino naturali, ſed in proprijs legibus, nec iuramentum aufert poteſtatem diſpenſandi in Epiſcopo, adhoc vt validè fiat. ita docent Innoc. *cap. cum ad monaſterium n.* 4. *de ſta. monach. & c. dudum il* 2.*n.*16. *de elect.* Ant. *c.dilectus nu.*12. *de temp. ordin. & c.per venerabilem nu.* 6. *qui filij ſint legi.* vbi Abb. *num.*7. *& c. non eſt n.*8. *de voto* Felin. *c.poſtulaſti nu.* 13. *de reſer. & c. at ſi clerici §. de adult. n.*6. *de iudic* Nauar. *ſum.præl.*9 *n.*14. *& c. fin. nu.* 4. *de ſimon.* & alij multi Theologuentes de Principe Suar. *t.* 4. *diſ.* 56 *ſec.*2.*n.*11. Valenti. 4. *p.d.*6.*q.*2. *pu.* 10. Azor. *l.*7. *inſ. c.*29.*q.*6. Manu. *q.reg. t.*2.*q.*46.*a.*5. Vega 2.*t. ſum.c.*23 *caſu* 14. Enriq. *l.*5.*c.*22.*n.*5. Cano. Soto Veracr. Gaet. Lud. Lop. Metin. Cordub. Palacios &c. apud Sanch. *n.*24. cum alijs canoniſtis quos loquentes de Epiſcopo citat *n.*27. & idẽ dicas nẽpe valere diſpenſationem ſine cauſa factam à ſuperiore in lege inferioris, vel ab æquali in lege æqualis prædeceſſoris, nam in voluntate ſuperioris eminenter continetur voluntas inferioris, & ſucceſſor æqualis reputatur vna perſona cum alio prædeceſſore, ita etiam Nauarr. & Suar. *l.cit.*

7 Excipe tamen in Epiſcopo primo niſi Pontifex eius conſtitutiones confirmaſſet, tunc .n. cum ſe habeant vt leges Pontificiæ, non poterit in eis diſpenſare epiſcopus, aut niſi lex in contractum celebratum in commodum aliorum transierit, & ius iam illis eſt acquiſitum ex eo, quod adimpleuerint id, quod conſtitutiones imponebant; nam non poterit tales conſtitutiones regulariter reuocare, vt docent Alex. de Neuo Abbas Ant. & alij *d. c. at ſi clerici*; niſi noua cauſa adueniat, vt probat Aret. *cap. at ſi cler. §. de adulterijs n.*24. *de iud.*

8 Excipe ſecundo niſi conſtitutiones ſint ſynodi Prouincialis, tunc enim non poſſunt in ijs diſpenſare validè ſine cauſa epiſcopi ſuffraganei, nec Archiepiſcopus niſi neceſſitatis, quando non eſſet recurſus ad Pontificem, vel non eſt alia ſynodus Prouincialis, quæ diſpenſet. ratio eſt, quia Archiepiſcopus, & epiſcopus ſunt inferiores ſynodo prouinciali, vt probat Nauarr. *li.*1. *conſ.*1. *ed. de off. ord. con.* 7. nam ab Archiepiſcopo appellatur ad ſynodum prouincialem; & hi tenentur quoad vim coarctiuam ſeruare leges ſynodi ſed inferior non poteſt validè diſpenſare in lege ſuperioris ſine cauſa, vt ex dic-

dictis patet; ergo. Neque Archiepiſcopus, & epiſcopus poſſunt diſpenſare validè in lege Synodi prouincialis.

9 Niſi in caſu neceſſitatis, quando nõ poſſet Pontifex adiri, aut alia Synod⁹ non eſſet congregata, quæ validè ſine cauſa diſpenſare poteſt in legibus Synodi præcedentis. hanc ſententiam tenent. Anch. *clem.* 1. *nu.* 5. *de ſen. excomm.* Hoſt. *C. graue n.* 17. *de præb.*

10 Cõtra verò valida erit diſpenſatio facta ſine cauſa ab Archiepiſcopo, vel epiſcopo in cõſtitutionibus à Synodo dioeceſana editis. ratio eſt, quia cõſtitutiones editæ à Synodo dioeceſana ſunt editæ ab epiſcopo, nam ipſe ſol⁹ habet vocem deciſiuam; ergo poterit validè in ipſis diſpenſare, etiam ſine cauſa; quia diſpenſat in propria lege, nec ad eas ſeruandas tenebitur via coarctiua; ſed tantum directiua. ita Nauarr. *ſum. c.* 2. *nu.* 74. Botteus *de Synod. Epiſcopi p.* 2. *ar.* 4. *n.* 9. Quamuis Metina 1. 2. *p.* 96. *ar.* 5. *dub.* 2. *concluſ.* 1. & Gallego *de cogn. ſpir. c.* 21. *n.* 18. putent nõ poſſe validè epiſcopum diſpenſare, quia non ſunt ſuperiores capitulo; ſed tanquam decani.

DISPVTATIO XVIII.

An qui ſine cauſa concedunt, petunt, & acceptant diſpenſationem, vel ea vtũtur; peccent.

1 REſpondeo ſi diſpenſatio facta ſit in lege ſuperioris, vt à Pontifice iu iure diuino naturali, vel ab epiſcopo in iure Pontificio abſque cauſa, peccabũt mortaliter tam eam cõcedẽtes, quam petentes, acceptantes, & ea vtẽtes, niſi paruitas materiæ, in qua eſt diſpenſatum, excuſet, nam ea diſpenſatio eſt irrita, nec in hac re eſt dubiũ.

2 At ſi diſpenſatio fiat in lege propria, vel inferioris, aut æqualis ſolum peccabunt venialiter illam concedẽtes ſine cauſa acceptantes, petentes, & ea vtentes, quando non eſt ſcandalum, & notabile aliorum damnum, vt ſi cæteri nimis grauentur ex eo, quod alij tributi ſoluendi lege liberarentur;

Ratio eſt, quia cõcedens diſpenſationem abſque iuſta cauſa offẽdit ius naturale, quod dictat partem debere ſuo toti ſe conformare; nam per diſpẽſationem excipit illos, cum quibus diſpenſat, ne ſuo toti ſe cõforment. & ob eãdem rationem peccant diſpenſatione vtentes, quod etiam alij peccent patet, quia cooperãtur peccato alterius, quando eos ignorantia non excuſat; & cum nõ ſit tanti momenti excipere aliquem à cõformitate legis cõmunis ſine cauſa, quãdo aliud graue nõ oritur ſcãdalum, erit ſolum peccatum veniale.

3 Atque hãc ſentẽtiam dicentem eſſe peccatum in cõcedente ſuſtinẽt ex Theologis D. Thomas 1. 2. *q.* 97. *ar.* 4. Gaet. *ibi q.* 96. *ar.* 5. Victoria *de poteſ. Papæ prop.* 15. Sotus *lib.* 1. *de iuſ. q.* 7. *a.* 3. Canus *de pœn p.* 5. Cordub. *q. l.* 4. *q.* 8 Azor. *l.* 5. *inſt. mor. c.* 15. *q.* 2. Manuel. 1. *t. ſum.* 2. *edit. c.* 24. *concl.* 2. *n.* 4. Petr. Ledeſ. *de matr. q.* 54. *ar.* 3. *diff.* 4. cum Nauar. *ſum. t.* 12. *n.* 57. Couarr. *C. alma* 1. *p* §. 1. *n.* 7. *de ſent. excom. in* 6. Spin. *ſpecul. teſtam gl.* 12. *prin. n.* 2. Rebuff. *in concordatis vbi de forma man. apoſ.* & alijs iuriſperitis. Contra Palud. Auarum Pelagium, Stunicam, Borgaſium, & alios multos Canoniſtas putantes nullã eſſe culpam apud Sanch *n.* 2. hic.

4 Quamuis probabile ſit vtentem diſpenſatione conceſſa ſine cauſa nullam culpam committere ceſſante ſcandalo, ac aliorum damno; nam poſito, quod ea diſpenſatio ſit valida non extat amplius lex cui parendum ſit ita Anchar. *C. non eſt fin. de voto.* Nauarr. *l. c.* Stunica *de voto q.* 6. *n.* 730. Azor. *l.* 5. *q.* 3. *c.* 15. Arag. 22, *q.* 89, *ar.* 9. *ad fin.*

Nota tamen: ſententia probabilior ſentiens eſſe peccatum veniale, defenditur à Couar. 4. *dec.* 2. *p. c.* 6 §. 9 *num.* 7. Galleg. *de cogn. ſpir c.* 21. *n.* 9. Corduba *quæ. lib.* 4. *q.* 8. Manuel *q. reg.* 2. *t. q.* 46. *ar.* 5. Valent. 1. 2. *di.* 7. *q.* 5. *pun.* 9. *ad fin.* Phil. *de offi. Sacer. t.* 1. *p.* 2. *libr.* 3. *cap.* 4.

DIS-

DISPVTATIO XIX.

Quę ſint cauſę iuſtæ diſpenſandi in impedimentis matrimonium dirimentibus.

1 REſpondeo tres cauſas communiter ſolere aſſignari, & eas tantum admitti vt iuſtas in Curia Romana ad hoc vt diſpenſetur etiã in quarto gradu: teſte Nauarro *ſum. c. 22. num. vlt.* Prima eſt extinctio magnæ litis. Secunda quando non reperitur matrimonium æquale, niſi puella conſanguineos accipiat. Tertia eſt defectus dotis competentis. Verum antequam ſingulas explicemus.

2 Supponendum eſt primo. Poſſe fieri diſpenſationem non ſolum quando directè reſpicitur bonum commune; ſed etiam ſi indirectè reſpiciatur, vt ſi diſpenſetur cum Titio ob bonum ipſius particulare, iam redundabit indirectè in bonum commune, Titius enim eſt pars communitatis, vt patet ex vſu Eccleſiæ, quæ diſpenſat in voto ob periculum incontinentiæ in vouente.

3 Secundo ſupponendum eſt, quod quamuis iure optimo in Trid. *ſeſſ. 24. de matrim. c. 3.* ſtatuatur ne in ſecundo gradu cognationis diſpenſetur, niſi inter magnos Principes vel ob publicã cauſam, non quia concilium ſit exceptor perſonarum; ſed quia magis eſt neceſſarium ad bonum commune pax, & fœdus, quod per matrimonium cõtrahitur in diuitibus, & potẽtibus, quã in alijs; tamen ſolent Pontifices ex benignitate diſpenſare cum perſonis inferioris cõditionis, etiam ſi nõ ſit cauſa publici boni, ſed tãtum priuati, vt ſi matrimonium cõtractum ſit cum ignorãtia iuris; ſi proles ſit iam habita ſi lõgo tempore in matrimonio male cõtracto perſtiterũt; ſi ſcandalum ex ſeparatione oriatur, vel ſi puella ſit pauper, & velit Patruelis diues illam ducere, vel denique quãdo eſſet impedimẽtum publicæ honeſtatis etiam in primo gradu, vel in gradibus affinitatis per fornicationem cõtractæ, quia talis cognatio valde imperfecta ẽ, nec de ea loquitur cõcilium. ita Nauarr. *l. 4. tit. de conſ. in 1 edit. conſ. 6. in 2. con. 13.* Petr. de Ledeſ. *ſum. ſac. de matrim. c. 27.* Enriq. *l. 12. c. 3. n. 9. fin.*

4 Nomine autem magnorum principum, cum quibus ait Cõcilium diſpẽſandum eſſe in ſecũdo gradu cognationis nõ ſolum veniunt Reges, & eorũ filij, ſed etiam Domini titulares, qui tales ſint, vt merito magni Domini poſſint appellari, quamuis Enriq. *l. 12. c. 3. n. 6. lit. X.* putet venire perſonas prĩcipales, & viros valde opulẽtos, quod hi appellãtur principes, vt probat Tiraqu. *de nobil. ca. 3. n. 3.* & Molina *lib. 1. de primog. c. 2.* ſicuti quãdo in diſpẽſatione requiritur vt is cum quo diſpẽſatur ſit nobilis, debet neceſſario eſſe talis ſaltem ex parte patris, vt docet Zaballus *qu 688. n. 11.* ſi verò requiratur vt is ſit principalis, nõ debet eſſe nobilis, ſed ſatis eſt ſi ſit vir potens, & valde diues.

5 Tertio ſupponẽdum eſt, quod quo magis gradus eſt ſtrictior, eo magis vrgẽtior cauſa requiritur ad diſpẽſandũ; vnde vrgentior cauſa requiritur ad diſpẽſandum in cognatione ſpirituali, quam carnali, quia ea procedit à venerabiliori principio, adeo vt multi DD. dicãt nunquam ſe legiſſe diſpenſatum eſſe in prima ſpecie cognationis ſpiritualis, quæ eſt inter leuantem & leuatum, vt benè explicat Mãdoſ. *in praxi ſignaturæ tit. diſpenſ. matrimon. ver. in prima ſpecie.* his præmiſſis.

Circa primam cauſam diſpenſandi, quæ eſt extinctio magnæ litis.

6 Nota, quod ad hãc cauſam reducitur primo pax conſanguineorum, quę nullo modo niſi hoc matrimonio habebitur, vt docẽt Palud. Gabr. Supplem. *4. q. vnic. ar. 3.* D. Ant. *3. p. ti. 1 c. 14. §. vlt.* Enriq. *l. 12. c. 3 n. 9.* Petr. Ledeſ. *q. 56. ar. vlt.* Mãdoſ. *l. c. ver. iuſta cauſa diſpenſandi.* Ant Cuc. *l. 5. inſt. mat. t. 13. num. 14.* Callego *de cognat. ſpirit. c. 22. num. 7. & 16.*

7 Secũdo euitatio ſcãdalorum inter cognatos, vt ſi timeantur inimicitiæ, iurgia,

iurgia, vel fornicationis periculum; ſi matrimonium non ineatur, vel ſi initum diſſoluatur; nam aliquando impedimentum eſt tale, vt non poſſit probari, ita vt ſeparentur illi, qui inuerunt matrimonium: vnde compellẽtur ſimul habitare; nam omnia hæc valdè conferunt ad bonum commune. ita Couarr. 4. *decr.* 2. *p. c.* 6. §. 10. *nu.* 13. Petr. Ledeſ. *loc. cit. dub.* 4. Enriqu. *loc. cit.* Felin. *conſ.* 26. *nu.* 19. Menoch. *conſ.* 385. *nu.* 7. *vol.* 4. Quarto quando diſpenſatio eſſet remedium neceſſariũ ad obuiandum alicui magno malo, vt deducitur ex D. Thoma 2. 2. *q.* 97. *ar.* 4. & docet Gallego *loc. cit.*

Circa ſecundam cauſam diſpenſandi nimirum quando non reperitur in ea Ciuitate vir æqualis in cõditione mulieri.

8 NOta, quod ſufficit ad hoc vt ea verificetur ſi ĩ illo oppido, ĩ quo mulier habitat pares non inueniãtur, niſi conſanguinei, etiam si in locis vicinis eſſent extranei, nam eſt valdè durum fœminam cogere, vt extra patriã viuat. ita declararunt Cardinales die 18. Nou. Anno 1570.

Nec debet eſſe exactiſſima diligentia in indagando extraneo, ſed ſufficit ſi communiter non reperiantur viri æqualis cõditionis, qui nõ ſint conſanguinei cũ puella nuptura, ne illa ad vnum, aut alterum coniugem ſit aſtricta. æqualis autem nõ ſolum dicitur ille, qui eſt æqualis nobilitatis, vel diuitirum, ſed etiam habeat tales mores, vel ætatem competentem fœminæ, & ne habeat filios ex alio matrimonio &c. vide Nauarr. *ſum. c.* 22. *n. vlt.* Petr. Ledeſ. *ar. vlt. l. c.* Vegam 2. *t. ſum. c.* 34. *caſu* 167. hæc ſignificantes.

Circa tertiam cauſam, nempe defectum dotis competentis, qua fœmina non poſſit nubere extraneo ſibi æquali.

9 NOta primo, quod ſi fœmina habeat dotem competentem, vt æquali nubat, ſed incompetentem reſpectu illius, qui illam velit ducere, non erit cauſa ſufficiens; quia non eſt vlla cauſa pietatis, ſed ſolum merum augmentum patrimonij, quod non ſufficit ad hoc vt ſit iuſta cauſa diſpenſandi, quæ debet fieri in bonum ſpirituale animæ, vt docent Palud. D. Ant. *l. c. num.* 6. Quamuis Nauarr. *l. c.* Graffis 1. *p. deciſ. l.* 2. *c.* 81. Manuel *t. ſum.* 2. *edit. c.* 237. & Lud. Lop. 2. *p. inſtr. c. vl. col. pœn.* putent ſufficientem eſſe causã diſpenſandi ſi dos non erit competẽs reſpectu illius diuitis, qui fœminam ducere velit. ſed ob dictam rationem hæc ſententia non placet.

10 Niſi tamen fœmina haberet ius acquiſitum in aliqua bona magni momẽti, vt ſi duo hæredes in opulentam hæreditatem conſtituantur hac lege, vt matrimonium inter ſe ineant; tunc enim probabile eſt eſſe iuſtã cauſam diſpenſandi in tertio gradu, vt docet Gattier. *con.* 18. *n.* 11. quia pia cauſa videtur, vt Pontifex diſpenſet, ne ius acquiſitũ amittatur, ſicut & iuſta, & pia cauſa diſpenſandi eſſet ad hoc vt fœmina conſanguineum ducat, ſi is eſſet neceſſarius ad tuendam bonam partẽ patrimonij fœminæ iam acquiſiti, vel ad quod ius habet, nec alius idoneus eſt, q talia negotia, & lites mulieris geret.

11 Nota ſecũdo, quod ſi puella habeat parentes diuites, & ius ſuccedendi in eorum bonis, non poteſt dici pauper. vnde non erit iuſta cauſa ſi ipſa petat diſpenſationem, eo quia nõ habeat dotem competentem; quia licet pro preſenti non habet, poteſt tamen habere compellendo parentes, vt ſibi dotem congruam aſſignent. ita Mol. *tom.* 1. *de iuſtitia diſ.* 146. *col.* 4.

12 Contra vero poteſt dici pauper, & petere diſpenſationẽ titulo paupertatis primo, quãdo nõ habet ius ſuccedẽdi in bonis parentũ, licet ſit qnaſi certa; quod parentes ſibi õnia bona relinquant. Secundo quãdo non põt habere cõpetentem dotẽ, niſi parentes filiã præferant cæteris in legitima. Tertio quãdo frater, vel alius eã vellet dotare ſi nullũ fuit pactũ, vel ſi pactũ fuit modo cum tali conſanguineo nubat, quia ſpes ſucceſſionis, vel donationis

non ſunt bona illius, qui habet talem ſpem, quando pendent à libera alterius voluntate, vt docet Nauarr. *lib.1. conſ.in 2.edit.tit.de reſcript.cõſ.19.* Quarto quando parentes ſunt tales, vt licet ea bona, quæ habent, ſufficiant ad puellam dotandam, non tamen illis durãte eorum vita priuari poſſunt, tunc enim puella verè dicetur pauper ad dotem præſtandam, nõ enim inueniet virum æqualem ſuæ conditioni, ſi ſtatim dotem non tradat, vt docet Henriquez *l.12.c.3.n.9. lit.E.* niſi tamen ita vſus eſſet, vt omnes, quę nubunt poſt mortem parẽtum dotẽ traderẽt.

13 Nota tertiò, quod fœmina, quę renunciauit proprijs bonis ad hoc vt poſſit obtinere diſpẽſationem titulo pauperta tis peccat, & diſpenſatio erit inualida, quia renunciatio iſta fit animo ſe eximendi à lege, & ſi Pontifex id ſciret; non concederet, vt fraudibus obuiaret, ſi vero renunciauit ob alium finem etiam inhoneſtum, nec fuit vllũ pactum, vt ſibi reſtitueretur hæreditas; aut illam turpiter conſumpſit poteſt petere diſpenſationem titulo paupertatis, quia verè eſt talis, & non fuit facta renunciatio in fraudem diſpenſationis.

14 Si vero fœmina ſit pauper, nec habeat dotem competentem, at antequam mittat Romam ad petendam diſpenſationem, vt cauſa paupertatis nubat cum ſuo cõſanguineo, aut poſt quam obtẽta eſt diſpenſatio à Papa, ſed nõ dum expedita per ordinarium: repudiauit hæreditatẽ, vel legatũ pingue, quod fuit ſibi relictum ad hoc vt remaneret ſine dote, & poſſit diſpenſatione frui ob cauſã paupertatis: poterit tuta cõſciẽtia vti tali diſpẽſatione; nam reuera valida fuit tã pro foro externo, quã pro foro cõſcientiæ ea diſpenſatio, quia nulla fraus cõmittitur à fœmina, nõ enim repudiat proprium patrimonium, ſed ſolum vtitur iure ſuo, cũ non ſit aliqua lege obligata ad acceptandã talẽ hæreditatẽ; licet non poſſit conſenſũ ſuſpẽdere nec acceptando; nec repudiando, tũc.n.nõ erit pauper

15 Similiter ſi fœmina pauper petijt diſpenſationẽ, & antequã illã obtineret fuit inſtituta hæres, vel legataria, id ignorãs; ſi poſtquã obtinuit diſpẽſationẽ, & matrimoniũ inijt, ſciat talẽ hæreditatẽ ſibi fuiſſe relictã poteſt acceptare, & matrimoniũ erit validũ, quia iam cauſa ex parte mulieris vera erat, quãdo à Põtifice fuit cõceſſa diſpenſatio.

16 Nota deniq; circa hanc cauſã quod aliquando fœmina petit à Põtifice diſpenſationẽ allegãs ſe innuptã remanſuram ob dotis defectũ; niſi cõſanguineo nubat; verũ illa nõ remanſura erit ob dotis defectũ innupta; ſed ob alias cauſas v.g. quia eſt deformis. & alius extraneus nõ vult illã ducere; tamen valida erit diſpenſatio, quia mens Pontificis eſt diſpenſare ne illa innupta maneat.

Aſſignantur alię cauſæ ad diſpenſandum.

17 Præter has tres cauſas diſpenſationis, quas cõmuniter tradũt DD. dãtur etiã aliæ, primo cõſeruatio diuitiarũ in eadẽ familia, vel cõſeruatio illuſtris familiæ in eodẽ ſanguine. Secundo excellentia meritorũ petentis diſpenſationẽ, quia hæc õnia valdè conferunt ad bonũ cõmune. Vide Galleg. *de cog. ſpir.c.22.à n.11.* Manuel *1.t.ſum.2.edit. c.237.* Enriq. *l.12.c.3.n.9* Tertio proles habita cũ conſanguinea, quãdo fuit bona fides ſaltem ex parte vnius, quia tunc, cũ proles ſit legitimà *C. ex vxor. qui filij ſint leg.* debet matrimoniũ inſtaurari ob bonã eorũ educationẽ, vt docet Henr. *l.c.* ſi enim proles ſuſcepta eſt mala fide ex parte vtriuſq; tunc non erit cauſa conceſſionis; ſed potius vt Pontifex non concedat ex *cap. cum haberet de eo, qui duxit in matr.* vt docẽt Hoſt. Abb. Alex. de Neuo, & alij *eod. cap.* Mandoſ. *praxi ſignat.ti.diſpenſ.mat.*

18 Iuuabit etiam ad diſpenſationem iuſtè obtinendam multas cauſas ponere; nam ſi vna ſingillatim non ſufficit, collectio ſufficiens erit v.g. proponere etiam orbitatem fœminę ſaltem à Patre, quia tunc verè eſt orphana immò aliquando Pontifices in gradibus remotioribus ex nulla alia cauſa diſpenſant, ſed ſolum eleemoſynam copioſiorẽ iniungunt, quæ eſt ſufficiens

ficiens cauſa in his gradibus remotis; nam cõfert ad ſumptus publicos, ſicut etiam ad hunc finem indulgentiæ ob eleemoſynas conceduntur.

DISPVTATIO XX.

Quæ ſint cauſæ iuſtæ diſpenſandi in votis caſtitatis, & religionis, & in alijs matrimonium impedientibus.

1 CAuſæ requiſitæ ad diſpẽſandum in votis religionis, & caſtitatis nõ ſolent à Doctoribus ſpecialiter tradi præter vnam, aũt alteram, de quibus peculiaris eſt difficultas; ſed generaliter loquuntur de cauſis requiſitis ad diſpenſandum in votis, quæ etiam applicandæ ſunt ad diſpenſandum in votis caſtitatis. & religionis ſi habeãt debitam proportionem, & ſimiliter applicandæ ſunt ad diſpenſandum in iuramentis ſoli Deo factis circa eamdem materiam, vt docent Sotus *l.* 8. *de iuſt. q.*1.*ar.*9. & Arag. 2.2.*q.*89. *ar.* 9.*col.* 4. hoc poſito.

2 Dicendum eſt ad hoc, vt diſpenſetur in votis, vel vt vota commutentur in minus non ſufficere quamcumque cauſam, ſed requiri talem, quæ obſtet votorum executioni, vt mox dicam. ita Caiet. Arag. Val. *inf. cit.* & apertè colligitur ex *D.* Thoma 2. 2. *q.* 88. *ar.* 12. *ad* 2.

Ratio eſt, quia quando diſpenſatur ſine cauſa, quæ obſtat executioni voti non cedit ea diſpenſatio in honorem Chriſti, & Eccleſiæ vtilitatem, quod requiritur ad hoc vt diſpenſatio legitimè fiat. Et in hoc differt commutatio in æquale bonum, & diſpenſatio, nam ad hoc vt diſpenſatio fiat legitimè, debet eſſe cauſa obſtans executioni voti, at commutatio poteſt fieri ob quãcumque occaſionem, & ſemper eſt in vtilitatem Eccleſiæ, & Chriſti honorẽ; dum vouens experitur eius benignitatem, vt docent Sotus *l.* 7. *de iuſt. q.* 4. *ar.* 2. Arag. 22. *q.* 88. *ar.* 12. vbi Gaet. *dub.* 2. Valen. *du.* 6. *q.* 6. *pu.* 7. vnde ſi quis det ſummam magnam eleemoſynæ, ſi nõ ſit cauſa obſtãs executioni, non erit iuſta cauſa diſpenſandi in voto, at poterit eſſe iuſta cauſa cõmutãdi, quãdo ea eleemoſyna eſſet æqualis obſequij diuini, ac votum. Porrò cauſæ quæ obſtant voti executioni vel ſe tenent ex parte vouẽtis, vel ex parte materiæ ipſius voti.

Cauſæ quæ obſtant ex parte materiæ & ſufficiunt ad diſpenſationem, ſunt duæ.

3 PRima, quando dubium eſt an res, quæ fuit promiſſa ſit facta mala, aut inutilis, aut impediat maius bonũ. quod bonum debet comparari non præciſè cum materia voti (vt fit quãdo commutatur votum in æquale opus ex eo, quod remanet vinculum voti, & ſola materia eſt mutanda) ſed quatenus eſt actus religionis, vt ſi quis vouerit ieiunare, & ieiunium impediat eum à ſeruitio infirmi, tunc ad hoc vt videatur an maius bonũ ſit ſeruire infirmo, an ieiunare ex voto, nõ ẽ comparandum ſeruitium infirmi cũ ieiunio, quatenus eſt actus ſolius abſtinentiæ, ſed quatenus eſt opus religionis ratione voti, vt docent Caiet. Arago. Sotus & Val. *l. c.* Nõ tamen requiritur, vt conſtet rem promiſſam factã eſſe malam &c. quia tunc abſque diſpenſatione votum non obligat, vt docet Nauarr. *c.* 12. *Jum. n.* 76. nec debet eſſe certitudo de ſufficientia cauſæ, quia inutilis eſſet diſpenſatio, rarò. n. ea certitudo haberi põt. ita Sylu. *v. diſ pẽſ. q.* 14. *n.* 20. Palac. 4. *d.* 38. *diſp.* 3. *co.* 6.

4 Secunda cauſa item ex parte materiæ eſt, quando votum eſt certum; at dubium eſt de animo vouentis, vt ſi certus ſim me vouiſſe caſtitatem; dubius tamen ſum: an habuerim animũ me obligandi, vel quando eſt dubium an votum obliget ob aliquam circumſtantiam, quę in eius emiſſione adfuit iuxta dicta *lib.* 2. *diſp.* 41. vide Card. *ſum. q.* 147. Azor. *l.* 11. *q.* 17. *c.* 19.

Cauſæ obſtantes executioni votorũ ex parte vouentis, quibus legitimè diſpenſatur, ſunt.

5 PRima quando vouens verſatur in periculo tranſgrediendi votũ, vel ratione ſtatus, vt eſt ſi coniugatus

vouit caſtitatem, quo caſu eſt iuſta cauſa diſpenſandi, ſolum ad eos actus, à quibus non poteſt ſine periculo abſtineri v. g. ad petendum debitum, non autem in alijs, vel ſi quis vouit non ludere, & eſt conſtitutus in occaſione.

6 Vel ſi periculum ſæpè tranſgredien di conſurgat ex infirmitate vouentis, ſiuè ea iufirmitas prouenerit ex malitia, & prauo habitu vouentis, ſiue non quando eſt ſpes emendæ, tunc enim erit iuſta cauſa diſpenſandi, quia votum huic deſeruiret ad augenda peccata. ita Philiarcus *de off. ſacer. t. 1. 2 p. l. 3 c. 4.* Nauarr. *l. 3. conſ. 2. edit. t. de voto con. 36.* & loquentes de maxima probabilitate tranſgreſſionis Ricc. *4. d. 38 a. 9. q. 1.* Azor *l. c.* Em. Sà. *de vot irrit. n. 9.* Manuel. *2. t. ſum. c. 100. n. 2.* intellige ſi caſtitatis votum eſt ſimplex; nam ſi eſt ſolemne iuuat eius obſeruatio ad vtilitatem ſtatus religionis, nec poteſt ex priuata vtilitate in eo diſpenſari. vt diſp. 8. dictum eſt contra Caietanum. Sicuti neque erit iuſta cauſa diſpenſandi vehemens deſiderium voto contraueniendi, & variæ tentationes, quando non eſt aliud periculum, vt docet Nauarra. *ſum. c. 12. n. 11.*

7 Secunda cauſa ſufficiens ex parte vouentis ad diſpenſationem, eſt magna difficultas ſuperueniens poſt voti emiſſionem (quando non eſt talis, vt penitus voti obligationem extinguat, nam tunc non eſt neceſſaria diſpenſatio) vt ſi quis vouit religionem, & deinde fit debilis ſtomachi, vt dubitet an abſtinentias ferre poſſit, vel ſi ratione voti emiſſi nimium ſcrupulis agitetur; nam tunc votum potius nocet. vide Abbat. *c. non eſt n. 6. de voto.*

8 Vel denique ſi vouens caſtitatem ſimplicem, incidat in morbum continuum, qui facilius tolli poſſit iudicio medicorum coitu, quam alijs medicamentis, quæ nec ita preſentanea ſunt, nec tuta; eam licet tunc vouens iure optimo poſſet vitæ periculum ſubire ad caſtitatem ſeruandam; tamen cum res ſit ardua poterit cum eo diſpenſari addita aliqua commutatione; ſi vero votum ſit religionis, poterit abſolutè diſpenſari ratione morbi continui impedientis obſeruantias regulares; quamuis D. Thomas, Gaetanus 2. 2. *q. 88. a. 11.* videantur oppoſitum ſentire; ſed loquuntur de voto ſolemni.

9 Tertia cauſa eſt neceſſitas boni communis, vt ſi ex matrimonio illius, qui caſtitatem vouit, magna bella ſederentur, tunc poſſet diſpenſari in voto caſtitatis, & religionis, ſi vero ſolum ſit bonum particulare v. g. neceſſitas conſeruandæ progeniei debet addi aliqua commutatio, quia eſt cauſa merè temporalis, ita Nauarr. *con. 32. l. c.* & Henriquez *l. 12. c. 3. n. 9. D.*

10 Quarta denique cauſa eſt quando votum emiſſum eſt ex leuitate animi (ſiuè ſequatur poſt votum maxima implendi difficultas, ita vt dici poſſit cauſa obſtans executioni voti, quando votum eſt emiſſum prudenter, quando enim emiſſum eſt imprudenter affert ſecum diſpenſandi cauſam. ita colligitur ex cap. 2. de voto, & docent Abbas *ibi. n. 3.* Caet. *l. c.* Arag. *22. q. 88. a 1.* Graff. *dec. 1. p. l. 2. c. 31.* Lud. Lopez. *1. p. inſt. c. 49. ver. leuitas, vel facilitas* Em. Sà *votum vbi de vot. irrit. n. 9.*

11 Vnde primo in votis puerorum ante pubertatem emiſſis poteſt abſq; alia cauſa diſpenſari, nam ſunt facta ſine maturo conſilio; ſecundo diſpenſari poteſt in voto emiſſo ob timorem mortis v. g. ex naufragio &c. quando talis timor vel metus etiam leuis maturam deliberationem in vouendo impediant ob dictam rationem. Tertiò quando metus iniuſtè incutitur ad votum emittendum, tunc enim etiamſi deliberatio perfecta adſit; ita vt vouens obligetur; poterit tamen in eo diſpenſari ex hac cauſa; nam Deus non plenè acceptat quod illi non offertur ſponte. Quarto denique quando vouens errat circa cauſam impulſiuam, vel ea deficit, quia per talem errorem deficit plena voluntas in vouendo. ita *ex cap. magnæ de voto*, vbi Gloſſ. & Abbas *n. 14.*

Traduntur aliquot regulæ in hac materia.

12 PRima eſt, vt rarò totaliter diſpẽſetnr in voto, ſed ſemper admiſceatur aliqua commutatio, quod ſolet facere Põtifex ad maiorem ſecuritatem eorum, cum quibus diſpẽſatur nam cauſa, quæ nõ eſt ſufficiens ad diſpenſandum, eſt ſufficiens ad commutandum, & tunc quo cauſa diſpẽſandi maior eſt, minor commutatio eſt addenda. ita Caiet. 22. *q.* 88. *ar.* 12. Nau. *ſum. c.* 12. *n.* 63. Alcozer. *ſum. c.* 16.

13 Secunda eſt, quod minor cauſa requiritur ad diſpenſandum in voto pœnali caſtitatis, aut religionis, quam in abſoluto ob maiorem defectum voluntatis, ſicuti multo minor cauſa exigitur ad diſpẽſandum in tempote exequẽdi votum, quam abſolutè in voto & quo magis differtur impletio voti, eò maior causa exigitur.

14 Tertia eſt, quod quãdo eſt expreſsè iuramẽtum, & votum maior cauſa requiritur ad diſpenſandum in his quam ſi eſſet ſolum votum, aut ſolum iuramentum Deo factum (tunc enim eadem cauſa, quæ ſufficit ad diſpensãdum in voto ſufficit etiam in iuramẽto, vt ex dictis patet) quia fortius eſt vinculum; ſi verò faciẽda eſt commutatio nõ requiritur maior cauſa, quia iam obligatio voti, & iuramenti remanet in alia materia.

15 Quarta denique eſt, quod non sẽper cauſa, quæ eſt ſufficiens ad diſpẽſandum in voto, eſt ſufficiens ad diſpẽſandum in voto nõ petendi diſpenſationem circa tale votum; ſed ſufficit quãdo eadem cauſa eſt in vtroque; vt ſi voui caſtitatem coactus voui non petere diſpenſationem, in vtroque voto poteſt diſpenſari. Contra verò ſi coactus voui caſtitatem, & poſtea ſponte voui me nõ petere diſpẽſationem, nõ eſt iuſta cauſa diſpenſandi in hoc poſteriori voto.

DISPVTATIO XXI.

Explicabuntur caſus, in quibus diſpenſatio eſt irrita ex parte impetrantis.

ET PRIMO QVAERITVR.

An reſcripta gratiæ, in quibus petens diſpenſationem, vel aliquid aliud tacuit veritatem reddantur per hanc taciturnitatem irrita.

1 AD intelligentiam eorum, quę hic & quæſitis ſequẽtibus dicenda ſunt, ſciẽdum eſt primò reſcripta gratiæ eſſe illa, quæ impetrãtur ad obtinendam aliquam gratiam; iuſtitiæ verò illa, quæ impetrantur ad lites finiẽdas v.g. ad hoc vt hæc cauſa committatur Iudici &c. differunt autem in multis reſcripta gratiæ, & iuſtitiæ, præſertim verò in hoc, quod reſcripta gratiæ ſi ſunt ſubreptitia; ſunt ipſo iure nulla, & id, quod ex vi ipſorum fit invalidum eſt ex *cap. fin. de filijs præſbyt. in 6.* at reſcripta iuſtitiæ ſi ſint ſubreptitia ſunt valida, ſed poſſunt exceptione infirmari, vt ſi ille, cõtra quem impetrata ſunt, excipiat, & alleget ſubreptitiè fuiſſe impetrata. ita ex *cap. plerique de reſcript.* & docent Gloſſ. *d. c. fin. not.* 2. vbi Monachus *nu.* 4. Imola, Io. Andr. Archid. Dem. Franc. *fine*. Baldus *l. preſcriptio nu.* 11. *C. ſi con. iuſ.* Menoch. *de arbitr. l.* 2. *centu.* 3. *caſu* 201 *numero ſecundo.*

2 Similiter ſi in eiſdem literis ſit reſcriptum gratiæ, & iuſtitiæ, ſi principaliter conceditur gratia, tunc ſubreptione vitiatur reſcriptum gratię, & iuſtitiæ, quod eſt acceſſorium *Reg. acceſſorium de reg. iuris in 6.* Contra verò ſi principaliter ſit reſcriptum iuſtitiæ, vt ſi in eiſdem literis deputetur principaliter iudex ad decidendam litem in beneficio; minus verò principaliter contineatur gratia, tunc ſubreptione non vitiatur ipſo iure reſcriptum, ſed exceptione irritabitur; vt docent Abbas; & Felin. *C. ad audientiam il. v. n.* 18. *& ſeq.* de reſcriptis, vbi alios caſus proponit, ĩ quibus reſcripta iuſtititiæ sũt ipſo iure nulla.

Di-

Dicuntur autem reſcripta gratiæ, vel iuſtitiæ ſubreptitia, ſeu obreptitia (ſunt enim hæc verba ſynonyma) quoties malè impetrantur, ſiuè tacita veritate neceſſario explicanda, ſiuè falſum narrando in precibus, quod ſit cauſa conceſſionis, vt docet latè Menochius multos allegans *l.c.n.*10. contra Inno. Abb. Felin. *c. cum dilecta de reſcriptis*, qui putant ſubreptitia dici quando in eis tacita eſt veritas, vel falſum eſt explicatum. Obreptitia verò quando per ambages verborum Princeps non intellexit ſenſum precum.

3 Quæ omnia vera ſunt ſiue reſcripta ſint conceſſa à Pontifice, ſiuè ab ordinario inferiori, vt ab Epiſcopo, vtraque enim vel erunt irrita, vel irritanda iuxta dicta quando ſunt ſubreptitia; ſiuè ſint talia ex eo, quia concedens non intellexit plenè ſenſum precum ob verborum inuolutionem, ſiuè ob aliam cauſam, vt latè probat Menochius *lib.2.de arb.cent.3.caſ.*201. contra Emm. Sà *v.gratia.*22. qui vult gratias ab ordinario. conceſſas non reddi irritas ex ſubreptione, quæ tamen doctrina vera eſt ſolum quando impetratur reſcriptum ad beneficia, in quibus aut non taxatur à petente verus valor beneficij, aut falsò exprimitur, tunc enim ſi reſcriptum ſit ab Epiſcopo conceſſum, non vitiatur; contra verò ſi concedatur à Papa. & ratio eſt quia Epiſcopus præſumitur ſcire qualitates beneficiorum in ſua diœceſi melius, quam quilibet priuatus, vnde expreſſio talis valoris non eſt neceſſaria, & ſic falſitas in tali expreſſione vt pote non neceſſaria non reddit nullum reſcriptum. contra verò ſummus Pontifex id non præſumitur ſcire, vnde falſitas in expreſſione valoris vitiat eius reſcriptum. vt docent Felinus *c.ad aures num.*15. *conc.*14. *de reſ.* vbi alios refert.

4 Secundo ſciendum, cauſam, quę ſolet apponi in petendis diſpenſationibus vel alijs litteris, duplicem eſſe, finalem, & impulſiuam. finalis in hac materia eſt, quæ ſi non eſſet, Princeps aut non concederet gratiam, aut non eo pacto, quo illam conceſſit vt addit Barboſa *l.1.p.1.n.*85. *ff. ſol. matr.* ex Baldo, & Aymone. impulſiua vero eſt, qua poſita Princeps facilius gratiam concedit, & ea non poſita concederet difficilius, concederet tamen; vel contra, vt docet Couarr. *l.1.var.c.*20.*n.*5. ſic Abb. *c. poſtulaſti nu.*1. *not.*4. *de reſc.* Barbatius *conſ.*49.*n.*6. *vol.*4. Tiraq. *de ceſſante cauſa lim.*1.*n.*11. Alex. *conſ.*161 *fin. vol.*7. his poſitis.

Reſpondeo ad caſum propoſitum, niminum an taciturnitas veri reddat gratiam ſubreptitiam.

5 DIco primo taciturnitas qualitatis, quam iura ſpecialiter iubent exprimi, aut ex ſtylo curiæ Romanæ exprimi debet, reddit gratiam nullam quamuis tacens per ignorantiam talem qualitatem tacuerit, & etiam ſi Princeps gratiam concederet, ſi ea qualitas exprimeretur. Ratio eſt quia iura, & ſtylus curiæ, qui ius facit *cap. quæ graui de crimine falſi*, exigunt tanquam formam expreſſionem talis qualitatis; ergo non adhibita forma, corruet id, quod ſine ea efficitur; & per conſequens gratia conceſſa erit irrita nec ignorantia aliquid ſupplet; ſed ſolum excuſat à culpa. forma enim eſt obſeruanda ad vnguem etiam in minimis *ex l.*1. vbi Bart. *ff. de liberis, & poſthumis & cap. ſi mente propria de præb. in 6.* ita Menoch. *l.2. de arbi. cen.* 3.*c.*201.*n.*27. Malcar. *de prob. con.*846. Guttier. *q. canon. li.*2.*c.*15.*n.*38. Coua. *l.1.var.c.*20.*n.*5. Flami. *de reſ. ben. l.*10. *q.*2.*n.*14. *& de conſ benef. p.*46.*n.*53. Rebuff. *in concord. forma mand. Apoſt. poſt* 30. *narrandum.*2. *notandum eſt tamen & ver. & poſquam omnes aliæ*, qui id etiam volunt quando ex conſuetudine principis qualitas aliqua exprimenda eſt, nam conſuetudo habet vim legis, & loquentes de qualitate iure exprimenda docent præter citatos Doctores Decius. Francus, Fel. Silua Sonci. & alij multi apud Sanch. *num.* 12. & 13.

6 Ad hoc autem vt iura dicantur requirere

requirere vt qualitas aliqua exprimatur, ſufficit, ſi decidant ne delictum aliquod remittatur, aut ne diſpenſetur in aliquo caſu, vt cum concilium Trid. *ſeſſ. 24. de matr. c. 5.* dicit ineuntem matrimonium ſcienter in gradu prohibito ſpe diſpenſationis cariturum, intelligitur decernere vt exprimatur in petitione diſpenſationis talis qualitas nẽ pe hunc ſcienter matrimonium iniſſe in gradu prohibito, ita vt ea non expreſſa ſit irrita diſpenſatio ita tenet expreſsè Nauarr. *extr. de datis & promiſſis pro gratia not. 32. n. 48. corol. 4.*

7 Dico ſecundo quando qualitas non eſt iure, aut ex ſtylo curiæ exprimenda iuxta dicta n. 6. non vitiantur reſcripta gratiæ, niſi ex taciturnitate cauſæ finalis, quando ſcilicet princeps gratiam non concederet, ſi ea qualitas intrinſeca gratiæ exprimeretur, aut non eodem modo iuxta dicta n. 5. probatur *ex cap. dudum de præb. in 6.* vbi ait Pontifex non obſtare taciturnitatem veri, quo cognito is conceſſiſſet, ibi (*conſiderantes quoque quod non expoſito nobis de poteſtate prædicta, nihil ominus literas gratioſas daremus.*) Et ratio eſt quia quando tacetur ſola cauſa impulſiua, non aufert ſimpliciter voluntatem concedendi in Principe; nã etiamſi illam cauſam ſciret, adhuc gratiam concederet: licet non cum tanta facilitate. at quando tacetur cauſa finalis omnino tollitur voluntarium in Principe: nam ſi is ſentiret id, quod tacetur, gratiam nullo modo concederet; vel vt addit Couarr. *l. 1. var. cap. 20. n. 5.* non concederet abſque aliqua limitatione, & grauamine, ſicuti concedit quando cauſam illam ignorat. Hanc ſententiam tenent Decius *c. poſtulaſti nou. edit. n. 11. not. 4.* Bero. *ius c. ſuper literis de reſcrip. n. 55.* Pariſius *con. 4 n. 55. vol. 4.* Couar. *l. c.* Menoch. *de arbitr. l. 2. cen. 3 caſu 201.* immò eam tenere videntur Felinus Nauar. Rebuff. & alij cum Henr. Petro de Ledeſma, Lud. Lopez, Em. Sà Theologis quos citat Sanch. n. 12. qui docent tunc ſolum reddi gratiam ſubreptitiam ex taciturnitate veritatis, quando iura iubent eam veritatem exprimi; quia quando veritas eſt cauſa finalis, iura expreſſe iubent eam qualitatem exprimi, nam ex Baldo *l. 1. n. 7. ff. de vulgari.* expreſſum non ſolum dicitur id, quod ſpecialiter exprimitur, ſed etiam quod in genere.

8 Dixi in ſecunda concluſione nullam eſſe gratiam quando tacetur qualitas intrinſeca: nam dupliciter poſſunt eſſe qualitates, quæ ſi cognoſcerentur à Principe, is nullo modo gratiam concederet. primo modo ſunt extrinſecæ, quæ non attinent ad ea, quæ iure requiruntur adillam diſpenſationẽ, vt ſi quis petat beneficium, & non exprimat, quod mox à Pontifice alius conſanguineus ipſi Pontifici ſit petiturus, & taciturnitas harum qualitatum non reddit irritam diſpenſationem, & gratiam; quamuis ſi Princeps eas ſciret, nullo modo gratiam concederet; quia non ſunt dicendę nec finales, nec impulſiuæ vt pote impertinentes ad gratiæ conceſſionem. Secundo modo qualitates ſunt intrinſecæ nimirum pertinentes ad id, in quo fit diſpenſatio, & hæ ſunt neceſſariò exprimendę, quando ſunt cauſa finalis, vt diximus n. 7. & id ſentiunt Doctores relati, qui nobis contrarij non ſunt.

Aſſignantur regulæ ad dignoſcendum num qualitates ſint intrinſecæ nec ne.

9 QVæ nam autem qualitates dicendæ ſunt intrinſecæ, & quæ extrinſecæ: quando nec ex iuribus, nec ex curiæ ſtylo, aut Principis conſuetudine conſtat, prudentis arbitrio remittitur, vt docent Abbas *c. conſtitutus n. 5. de relig. domi.* Tiraq. *tract. ceſſante cauſa lim. 1. n. 5.* Guttier *qu. can. l. 2. c. 15. n. 44.* Bar. Sonci. *conſ. 164. n. 5. vol. 2.* Afflit. *deciſ. Neap. 116. nu. 4.* Menoc. *caſu 201. lib. 2. de arb. cent. 3.* in dubio tamen ſemper præſumuntur eſſe extrinſecæ; ſicuti etiam ſemper præſumuntur eſſe impulſiuæ, quando ſunt intrinſecæ ob fauorem actus, cuius valori iura fauent *cap. Abbate de verb. ſignif.* ita loquentes de gratijs docent

Di-

Dinus *reg. decet in fine de reg. iur. in 6.* vbi Franc. *n.*3.Bald. *l.generaliter n.*3. *c. de epiſc. & cleri.* ob quam rationem ſi dubium ſit an veritas ſatis ſit explicata in petitione diſpenſationis præſumitur validam eſſe diſpenſationem,& veritatem explicatam, vt probat Riminaldus contra Petrum Ledeſma *conſ.* 175.*n.*17 *vol.*3.Bentius *tract.de nullit. tit.qualiter ſent. & proc* qui dicuntur nulli *n.*127.

10 Hinc patet primo quod ſiquis presbyterum occidit, & non explicet in petitione diſpenſationis in irregularitate occiſum fuiſſe ſacerdotem;valida tamen erit diſpenſatio, quia illa eſt qualitas extrinſeca irregularitati,quæ ſolum ob defectum lenitatis eſt inducta.

11 Secundo ſi quis vouit perſeuerantiam in religione,& ſolum dicit ſe votum religionis emiſiſſe, nulla eſt diſpenſatio,quia tacuit qualitatem intrinſecam ipſi voto. ita Nauar. *ſum. c.*12.*n.*47. Phili.*de off.ſac.c.*1.*p.*2.*li.*3.*c.* 20.Vega2.*t.ſum.c.*129.*caſu* 29. & alij, ſecus autem ſi vouit ſe futurũ religioſum,& ſolum explicat ſe vouiſſe religionem, valida eſt diſpenſatio, vt docet communis ſententia contra Caietanum. vide Azor. *l.*11.*inſt.c.*22.*q.*7.

12 Tertiò patet quod ſi quis petat ab Epiſcopo v.g. facultatem vt poſſit diſpenſare in quodam caſu, nec exprimit caſum,ex eo quia putat Prælatum ſi illum ſciret, non diſpenſaturum fore, quia in ſimilibus caſibus nunquam diſpenſauit; etiam ſi Prælatus concedat diſpenſandi facultatem, ea nulla erit; quia in eo eſt voluntas habitualis talem diſpenſationem non concedendi. contra verò ſi Prælatus non habet hanc habitualem voluntatem in contrarium, & petens ſolum timet fore vt prælatus non concedat ſi caſum ſciat, eo tacito valida eſt diſpenſatio, quia non eſt voluntas non concedẽdi.

13 Quarto patet nec eſſe ſubreptitiam conceſſionem, quando tacetur cauſa finalis de futuro, quæ ſit contingens, vt ſi in impetratione beneficij taceam ius, quod alius eſt habiturus,ſi ego nõ impetrem,vel ſi taceam veritatem notoriam,aut aliquam qualitatem, quæ de iure ineſt,quia in his non eſt ignorantia, & defectus intentionis in concedente.ita Felin.*c. in noſtra n.*15. *concl.*4.*& 7.de reſcr.* Maſcard. *de prob. con.* 846.*n.*10.

14 Non deſunt tamen Doctores, qui putent gratiam conceſſam ex tacitur nitate cauſæ impulſiuæ eſſe nullam. hi ſunt Abbas *c. cæterum n.*3.*de reſcr.* Ale. *add.ad* Bar.*l.demonſtratio §.quod autem v.longa differentia ff de cond. & demon.* Seb.med.*trac.mors omnia ſol.*3.*p.n.*145 Bart.Sonci.Iacob.de Puteo Roias.Domin.Corn.Galle.& alij apud San.n.10.

QVAERES. II.

An ſemper quoties falſum exprimitur in petitione diſpenſationis, & gratiarum eæ gratiæ ſint irritæ.

15 REſpondeo negatiuè; ſed ſolum quando falso exprimitur cauſa finalis,cum ſcilicet princeps ſi ea cauſa non fuiſſet expreſſa gratiam non aonceſſiſſet,aut non eodem pacto,ſed cum aliquibus moderationibus. ratio eſt,quia ſolum in hoc caſu eſt inuoluntaria principis conceſſio, vt patet ex dictis n.7. ita docent Decius *ſuper literis n.*33.*de reſc.* vbi Beroius *in l. lect. n.*35.Pariſius *conſ.*4.*n.*35.*vol.*4.Staphilæ.*de lit.gratiæ ti.de vi,& effectu clauſular.n.*5.Loares *de matr.Regis Angliæ du.* 5. Couar.*l.*1.*var.c.*20.*n.*5. & alij.

16 Contra Card. *c.poſtulaſti n.*4. *not.*8. *de reſc.* vbi Barbat.*n.*16.Bellamer.*dec.* 697. Ripa *l. ex facto nu.*15.*ff. de vulg.* Tiraq. *trac.ceſſ.cauſa limi.*1.*n.*12.Nauar.*ſum.c.*22.*n.*86 Maria Sonc.*con.*77. *n.*85.*vol.*1. qui probabiliter putant vitiari reſcripta, quando falsò exprimitur cauſa impulſiua, quam ſcilicet ſi princeps neſciret, adhuc gratiam concederet, ſed non cum tanta facilitate. ratio eorum eſt, quia, qui cum difficultate rem concederet,non dicitur conceſſurus; vnde talis conceſſio eſt partim inuoluntaria.

Ex

Ex noſtra ſententia, quæ probabilior eſt, deducuntur deciſiones variorum caſuum.

17 Et 1. nõ vitiari diſpẽſationem, quãdo petẽs exprimit aliquã cauſã, quæ vera eſt. at ſi verã cauſam exprimeres facilè cõcederetur diſpẽſatio; vt ſiquis petat beneficiũ ſimplex; vel officiũ; & dicat eſſe curatũ, vel dignitatem, modo ea qualitas expreſſa ſit per modũ demõſtrationis ex *l. falſa ff. de cond. & demon.* quæ tũc cenſetur eſſe talis, quã do ponitur in diuerſa oratione, vt ſi dicatur, cõfero tibi beneficiũ, quod eſt dignitas in tali Eccleſia, tũc enim ĩ prima parte orationis cõfert beneficium in ſecunda tãtum addit illa verba demonſtratiuè. ita Felin. *d.c. ſuper literis n.* 4. vbi Berous *in* 1. *lec. n.* 45. vel ſi in eadem oratione prius præceſſit generalis diſpoſitio alicuius rei, & deinde additur aliquid tãquam qualitas. vt cũ ſupplicãs proponit ſe eſſe in tali gradu v.g. in tertio, & Põtifex addit, ſi ita eſt, diſpẽſa. quæ verba addũtur vt qualitas cauſa demonſtrationis, quando aliud nõ conſtat de mente cõcedentis ſicut etiam ſemper id, quod exprimitur, in dubio præſumitur additũ eſſe demõſtratiuè, quãdo demõſtratio eſt neceſſaria ad valorem actus, vt docet Beroius *loc. cit.*

18 At ſi talis cauſa exprimatur per modũ taxationis, (quæ præſumitur, quãdo præceſſit generalis diſpoſitio de dãdo aut faciẽdo aliquid, & adijcitur locus, ſiue materia, ſuper qua fieri debet) viti abitur reſcriptũ, & gratia cõceſſa erit nulla *ex cap. ſuſceptũ de reſcr. in 6. & c. cui de nõ Sacerdotali de præb. in 6.* quia tũc limitatur gratia ad rẽ, quę habeat illã qualitatẽ, quæ exprimitur; ergo ſi illã non habet, corruet gratia defectu voluntatis in cõcedente; quod nõ euenit, quando additur qualitas, vt demõſtratio. ita Abb. *d.c. ſuper lit. n.* 3. vbi Fel. *lim.* 4. Ber. 1. *lec. n.* 44 Cou. *l.* 1. *var. c. vl. n.* 6. dicens ſic fuiſſe à Rota deciſum Gutier. *q. can. l.* 2. *c.* 15. *n.* 83.

19 Deducitur 2. valere diſpenſationẽ, quando in reſcriptis erratur in nomine eius, cui cõceditur diſpenſatio, vt ſi dicat, cõcedo Titio, ipſe vero vocetur Antonius, quia vt habetur *inſt. de leg. §. ſiquis in nomine* (*Nomina ſignificandorũ gratia hominũ requiſita ſunt, qui ſi alio quolibet modo intelliguntur nihil intereſt*) ita Hoſt. Spec. & alij quos refert, & ſequitur Fel. *c. ſignificante de reſt. n.* 1. & *c. ex lit. eod.* Perez. *add. ad ſegurã l. impera. n.* 41. *ff. ad Trebell.* & idẽ dicas etiam ſi concedens gratiã, noſcat perſonã, ſed erret in nomine, quia quãdo non conſtat ex alijs circũſtantijs concedentem voluiſſe huic perſonæ determinatæ fauere, debet præſumi non attendiſſe ad perſonã, ſed ad merita cauſæ propoſitæ, vt officium ſuperioris poſcit.

20 Contra vero ſi petens eſſet in dioeceſi illius, cui petitur diſpenſatio, vt ſi dicatur Titius petit diſpenſationẽ, qui eſt dioecesis Panormitanæ, & ipſe ſit dioecesis Meſſanensis, tũc ſi Pontifex mandet Epiſcopo Panormitano, vt diſpenſet, nulla erit diſpenſatio, quia error etiã ſine culpa non facit vt reſcriptum extendatur ad casũ, qui ſub verbis eius non cõprehenditur, vt docent Inno. Io. And. & alii *d.c. ſuper lit.* quamuis pro contraria ſententia non deſint rationes. nã de corpore conſtat; ergo non debet obſtare error nominis, & ſicuti error in nomine illius, cui cõceditur nõ vitiat reſcriptũ, ita neq; nomẽ Epiſcopi, cui cõmittitur diſpenſatio.

21 Tertio deducitur ſi petens diſpenſationẽ in aliqua re certa v.g. in voto, quod emiſit proponat illud ſub dubitatione dicẽs ſe dubitare, an votũ emiſerit; ſed petere diſpenſationẽ ob maiorẽ pacem conſcientiæ, vel ad ſedandos ſtimulos carnis, nulla erit diſpenſatio ſi exped ãtur literæ ſub hac forma (*quidã eſt dubius de voto caſtitatis emiſſo* quia eſt error in ſubſtãtia rei. Sicuti ẽt multo magis nulla erit quęcũq; conceſſio; quando vnica tantũ cauſa exprimitur ẽt ignoranter, & ea eſt falſa: vt ſi parens diſpẽſationẽ ad matrimoniũ ineundũ cũ conſanguinea dicat ſe cũ illa habuiſſe copulã; quã verè non habuit: quia conſtat de voluntate Pontificis nolentis diſpenſare, niſi ea cauſa verificata, quãuis ſine cauſa poſſet. ita ẽt Cord. *ſum. q.* 45. *opin.* 2. *p.* 1. Henriqu.

*l.12.c.3.n.7.*Man.*l.2.ed.c.228.con.9.* Vega *cap. 88. ibi.*

22 Quarto deducitur ſi plures narrantur cauſæ;quarũ aliquæ ſunt veræ;aliæ ſunt falſæ;ſi reſcriptũ nititur in aliqua cauſa,quæ eſt vera,ſiue ſit reſcriptum gratiæ,ſiue iuſtitiæ & ad lites, tũc conceſſio valida eſt , nã ſatis eſt verificari causã finalẽ nempè illã , qua indicitur diſpenſatio,ſeu qua verificata ſolet Põtifex diſpenſare.ita Nauar. *l.5. conſ.1. edi.ti.de præſcr.con.7.*Em.Sà *v.gra.n.24* Palaez *de maior.2.edi.1.p.q.8.n.2.* Loarez.*de matr.*Regis Angliæ. *dub. 5. n.40.* Menoch.*conſ.385.à n.1. vol.4.*

23 Vnde ſiquis petat diſpenſationẽ ad ineundũ matrimoniũ cum cõſanguinea,& alleget pro cauſa copulã,quam verè cũ ea nõ habuit , & præterea famę iacturã, & ſcandala ſubſequẽda ; ſi verificetur,quod famę iactura,vel ſcãdala ſubſequantur,valida erit diſpẽſatio obtenta,ratio eſt, quia copula cũ conſanguinea cũ ſit crimẽ inceſtus nõ moueret Pontificẽ ad concedendũ diſpenſationẽ;ſed infamia,& ſcãdala ſubſequenda:ergo ſi ea vera ſunt, valida erit diſpẽſatio,fauet huic ſententiæCaiet. *cap.ad limina 30. q.1.§.4. q 134.*

QVAERES III.

An clauſula motu proprio, quæ apponi ſolet in gratijs,& diſpenſationibus cõcedendis,faciat vt reſcripta nõ ſint ſubreptitia.

24 REſp: cum hac diſtinctione clauſula motu proprio appoſita in reſcriptis facit, vt ea nõ ſint ſubreptitia, quãdo deberẽt eſſe talia ex eo,quia tacetur veritas neceſſario aperiẽda *cap.ſi motu prop. de præb. in 6.* At ſi reſcripta eſſent ſubreptitia ex eo, quia falſa cauſa finalis exprimitur iuxta ſuperiꝰdicta clauſlua motu proprio;nõ reddit valida talia reſcripta.ratio eſt,quia quãdo falſa cauſa exprimitur, cognoſcitur animus cõcedentis eſſe,vt ea cauſa poſita,gratia cõcedatur ; quare cũ ea falſa ſit,erit gratia data cõtra eius intentionẽ; quã non ſupplere põt motus proprius. at quãdo tacetur veritas neſciẽt an Pontifex bene vel male informatus gratiã motu proprio cõceſſit, & ideò cõceſſio non erit cõtra eius mentem. ita Card.Fel. Præp.Deci. & alij multi. *C.quia circa de conſang.& C. ad aures de reſcri.*Staph.*de lit.gratia ti.de vi.& eff. clauſ.in clauſ.motu proprio eff.7.*Menoc. *de arb.l 2.cen.3.c.201. n.83.*

25 Quæ oĩa intelligas non ſolũ quãdo clauſula hæc apponitur à Principe,ſed etiã ſi apponatur à legato,aut ab ordinarijs inferioribus,vt docent Staph.& Rebuff.*in concor. forma* Mand. Apoſt. *clau.motu prop.eff.29.*

26 Excipe tamen primo,quando tacetur inhabilitas perſonę ; vt ſi qui obtinet beneficiũ ſit irregularis, tũc enim non ſuppletur is defectus clauſula motu proprio;ſed poterit id vitiũ per viã iuris cõmunis apponi;aut niſi per eam taciturnitatẽ ius alterius in re, vel inrẽ lædatur, quia motus proprius hoc ius non aufert,nec perſonę inhabilitatem ſupplet , aut deniq; niſi taceatur qualitas intrinſeca beneficio, quia tũc non apparet de concedentis volũtate vnde gratia conceſſa etiã motu proprio nulla erit.ita Abb.*d.c.ad aures* Menoch.*l.c.n.81.*Rebuff.*in 9.eff.* Milis *reper.li.G.n.3.ver.gratia motu proprio* Staphil.*l.c.eff.5. n.2.*

QVAERES IV.

An ſi ſubreptio contingat in parte reſcripti totum reſcriptum reddatur nullum:

27 CAſus propoſitus põt accidere variis modis.primo,quando ſubreptio eſt per ignorantiã,quia ſcilicet tacita eſt aliqua veritas per ignorãtiam, aut ſimplicitatẽ(hęc enim verba idem ſignificant ex Imola *C.ſup. lit. de reſcr.* Secundo quãdo ſubreptio eſt per malitiã,vel dolum,quia ſcilicet malitioſè quis veritatẽ occultat,aut falsũ manifeſtat.Tertio deniq; põt vtraq;ſubreptio per malitiã,aut ignorantiã eſſe cauſa totius reſcripti,vel ſolius partis, vt igitur quæſtio propoſita decidatur quoad omnes caſus incipiendo ab ijs, quæ ſunt certiora.

28 Dico 1.ſi ſubreptio ſit circa cauſam finalem totius reſcripti ex eo,quia nõ exiſtente tali cauſa , vel poſita, nec totum , nec pars reſcripti concederetur , tunc reſcriptum eſt nullum etiam pro foro conſcientiæ , ſinè talis

ſub-

ſubreptio fuerit facta per malitiam,ſiue per ignorantiam petentis diſpenſationem,ſiue alterius v.g. Curialis,aut Sollicitatoris,qui mutauit narrationis ſubſtantiam, vt facilius diſpenſationē obtineret (quo caſu is per motū proprium Pij V. debet puniri pœna falſarij, non tamen excōmunicatur, vt docent Em. Rodri. *1.t. ſum.2.edi.c.238.* & Vega *c.88. caſu* 4.) ita habetur C. *ſuper literis de reſcriptis* ibi (*ſi verò per huiuſmodi falſitatis expreſſionem, vel veritatis ſuppreſſionem literæ fuerint impetratæ, qua tacita,vel expreſſa nos nullas literas dediſſemus à delegato non eſt aliquatenus procedendum.*) Ratio eſt,quia ad hoc vt gratia conceſſa valeat non attēditur culpa,aut ignorātia impetrantis ſed ſola voluntas concedentis, hæc autem non eſt,quando ſubreptio cōtingit in cauſa finali,nā ex quocunq; capite proueniat defectus cauſæ finalis,sēper verum eſt dicere, quod ea non poſita princeps illam gratiam non eſſet conceſſurus.ita Abb. Dec. Felin. *d. c. ſuper literis*, Tiraq. *tract.ceſ.cau.n.116.* Pelaez *de maior. 1.edi. 1.p.q.* 9. Corn. *con.227.* contra Barth Sonc. *con.270.* qui putat non vitiari reſcriptum,quādo ſubreptio eſt ab alio,& non à potēte,ſed noſtra ſententia eſt tenenda ob dictam rationem, nec eſt contra nos tex. *cap gratia de reſcrip.in 6.*vbi quidā impetrauit beneficiū à Papa,& tacuit aliud,quod Epiſcopus ſibi ignorāti cōtulerat,&tamen deciditur non eſſe reſcriptum ſubreptitium ob ignorantiā nam impetrans hoc beneficium à Papa non habuit ius in re in beneficio ceſſo ab Epiſcopo,quia fuit ſibi abſenti,& ignoranti collatum *cap.ſi tibi abſenti de præb. in 6.* & ideò taciturnitas ipſius ex ignorantia non vitiat reſcriptum,nam illa taciturnitas vitiat in hoc caſu; quæ eſt beneficij iam poſſeſſi. & ita ēt intellige C. *motu proprio de præb. in 6.*ita Beroius *d.c. ſuper literis* & Rebuff *in concord.paulo ante clauſ.motu pr.*

29 Dico ſecundo ſi ſubreptio ſit circa cauſam finalem nō totius reſcripti;ſed partis eius, quia ſcilicet explicata veritate non cōceditur ea pars reſcripti nec omnia; quæ in illo cōtinentur; ſed aliqua,aut non eodem modo,tunc ſic eſt diſtinguendum : ſi talis ſubreptio fuit ex ignorantia etiam craſſa;modo non ſit ingens temeritas,quæ dolo æquiparatur,vt *lib ſeq. diſp* 32.dicem⁹ tunc non vitiatur totum reſcriptum, ſed illa pars, in qua fuit talis ſubreptio ſiue ſit reſcriptum iuſtitiæ,ſiue gratiæ vt ſi quis impetrauit literas contra ſuum debitorem aſſerens ex ignorantia cauſas in ſua patria tractari ſimpliciter,& de plano ; ſi Pontifex commiſit cuidam cauſam tractandam ſimpliciter,& de plano; tunc vitiantur literæ, quoad hanc partem,ſcilicet vt de plano agatur; ſed non quoad commiſsionem Iudici factam. ita expreſſe habetur *cap. ſuper literis de reſcrip.* qui textus intelligitur de cauſa finali, non autem impulſiua,quia agit de taciturnitate veritatis, & expreſſione falſitatis, quæ cōducit ad valorem reſcripti,ſed hæc,vt dictum eſt ſupra;eſt ſola cauſa finalis,non impulſiua. ita etiam Bero⁹ *ibi in 2. lec. nu.* 53. quamuis alij illum intelligant de cauſa impulſiua.vt Corduba *ſum q.* 45. *op.1. pu.1.* Gutier. *qu. ca.l.2. c.15. n.*134.modo à negotio circa quod fuit talis ſubreptio non depēdeant cętera tanquam acceſſoria, tūc enim ſi irrita fuerit cōceſſio circa tale negotium,etiam erit irrita ea,quæ ab ipſo pendent tanquam à principali, vt docent Abb. Felin. *C. ſedes de reſcript.*

30 At ſi ſubreptio circa causā ſoli⁹ partis reſcripti ſit per fraudē,aut malitiā ipſius impetrāntis,vel quia verū tacuit, vel falsū expreſſit,erit nullum totū reſcriptū,ſiue ſit reſcriptum gratiæ,ſiue iuſtitiæ.ita expreſsè habetur *d.c. ſuper literis* ibi *(ÿ, qui priori modo falſitatem exprimunt, vel ſupprimunt veritatem in ſuæ peruerſitatis pœnam nullum ex illis literis commodum conſequantur*)eſt communis ſentētia,& quamais dictus tex. loquantur de reſcriptis iuſtitiæ, tamē à Doctoribus extenditur etiam ad reſcripta gratiæ, quia maior ratio militat. Vide Abb. *d. c. ſuper literis nume. 2. not. 1. & 2.* Anto. *num. 27.* Felin. *num.5.* Barbatium *numero* 25. *&* 24.

Bert. *in* 1. *elec. n.* 4. & 39. Gutt. *quæs. can. l.* 2. *c.* 15. *n.* 45. Decium *in noua edi. num.* 4. *not.* 1.

31 Dixi quando per fraudem, aut malitiam ipſius impetrantis fuit ſubreptio, nam ſi fuit ex malitia ſolius curialis vel ſollicitatoris: ipſo impetrante ignorante, ignorantia quamuis craſſa: modo non fuerit ingens temeritas; reſcriptum nõ vitiatur in votum; ſed tãtum in ea parte, in qua fuit ſubreptio quia *d. cap.* ſuper literis vult irritari totum reſcriptum in pœnam peruerſitatis ob illam fraudem, & malitiam, ergo ſi impetrans non commiſit fraudem aut dolum, non debet habere pœnam illam, vt in totum vitietur reſcriptum ſed ſolũ vt in parte vitietur, ſicuti quãdo ſubreptio eſt ex ignorantia.

32 In dubio tamen nõ præſumitur dolus, ſed ignorantia, quare qui dolum opponit debet illum probare, & iudex attendere debet: an falſum fuerit dictum in proprio facto, an in alieno, an res ſit tempore longo tranſacto geſta an breui; & ad probandam ignorantiã ſufficit iuramentum, illam aſſerentis; niſi veriſimile ſit illum ſciuiſſe vide Felin. *d. c. ſuper literis nu.* 5. vbi Imolam Tiraq. & alios apud Pelaez. *de maioratu* 1. *edit.* 1. *p. q.* 8. & 9.

33 Dico tertio non ſemper quando eſt ſubreptio ĩ aliqua parte reſcripti per malitiam, aut dolum totum reſcriptũ vitiari; ſed ſolum quando altera pars gratiæ, quę eſt in alia parte reſcripti habet connexionem cum illa gratia, quæ ẽ in parte ſubreptitia ex eo, quia reſpiciunt eandem cauſam, & eundẽ finem; vt ſi quis obtinet diſpenſationẽ circa duo impedimenta matrimonij: voti caſtitatis, & conſanguinitatis; ſi ea pars reſcripti, in qua continetur votũ vitiatur per dolum petentis: tunc totũ reſciptum etiam quoad diſpenſationẽ in conſanguinitate vitiatur, quia ẽ reſcriptum ad eandem cauſam, & eundẽ finem reſpiciens nempe tollere impedimenta matrimonij.

34 Quare ſi partes eiuſdẽ reſcripti ſint õninõ ſeparatæ vitiata vna parte per ſubreptionem dolo factam non vitiatur alia, vt ſi quis in eodem reſcripto impetret diſpenſationem in voto caſtitatis, & peregrinationis, ſi vitiatur pars illa voti caſtitatis remanebit altera, quia ſunt diſpenſationes circa res omnino ſeparatas: ratio eſt, quia hæc irritatio cum ſit pœnalis inducta *d. ca. ſuper literis*, vt ſupra dictum eſt, non ẽ extendenda vltra caſum expreſſum in eo textu, at in eo textu ſolum eſt ſermo, quando duæ gratiæ habent connexionem vna cum alia ex eo, quia reſpiciant eundem finem. ita Decius *d. c. notabili* 1. *num.* 7 & 18. contra Abb. Barbatium, & Beroum putantes ſemper vitiari totum reſcriptum vitiata vna eius parte *in d. c. ſuper literis.*

35 Hic denique nota, quod quando dicimus vitiari reſcripta in totum, quando ſubreptio eſt in vna tantum parte iuſta dicta in concluſione præcedenti non debet intelligi vt ipſo iure vitientur, ſed poſt ſententiam; cum hac differentia, quod in reſcriptis iuſtitiæ neque pars, in qua eſt ſubreptio, neque alia, in qua non eſt, vitietur ipſo iure ſed poſt Iudicis declarationem; at in reſcriptis gratiæ pars illa, in qua ẽ ſubreptio ipſo iure vitiatur. pars vero illa, in qua non eſt talis ſubreptio, irritatur etiam pro foro conſcientiæ poſt Iudicis ſententiam. ratio cur vtraque reſcripta irritanda ſunt poſt Iudicis ſẽtentiam in ea parte, in qua non ẽ ſubreptio, eſt, quia diſpoſitio textus *d. c. ſuper literis* eſt pœnalis; ergo non incurritur eius pœna niſi poſt ſententiam iudicis præſertim cum hæc diſpoſitio corrigat ius cõmune, vbi dicitur, quod vtile per inutile non vitiatur, quando commodè ſeparari poteſt. ergo debet valdè reſtringi, & non cenſeri ipſo iure inducta irritatio. ratio vero differẽtiæ cur ea pars in qua eſt ſubreptio ĩ reſcriptis iuſtitiæ nõ irritetur, niſi poſt ſententiam, at in reſcriptis gratiæ ipſo iure iam eſt ſupra aſſignata, quia vniuerſaliter reſcripta iuſtitiæ poſt ſentẽtiam, & aduerſarij exceptionem irritantur; reſcripta vero gratiæ ipſo iure.

DIS-

DISPVTATIO XXIJ.

An ſiquis duas petit diſpenſationes valeat ſecunda, ſi non fecit mentionem prioris diſpenſationis.

CAſus proponitur de ſolis diſpenſationibus; nam de reſcriptis iuſtitię, & alijs priuilegijs videndi ſunt DD. *in cap.* 1. & *cæterum de reſcriptis*, & quoniam varijs modis poteſt accidere claritatis gratia, variè eſt diſtinguendum, quare.

1 Dico primo ſiquis petat duas diſpẽſationes ſuper res diuerſas à Pontifice vel ab alio inferiore, ambę erunt validę, nec opus eſt, vt quando obtinet ſecundam faciat mentionem prioris ſibi conceſſę. ratio eſt, quia nulla ratio id ſuadet, cum vtraque diſpenſatio ſit independens ab altera, nec textus aliquis id decidit. ita Abb. *C. pen. nu.* 13. *de præſcr.* & Anchar. *con.* 131. *fine.* vt ſi fœmina impetrauit diſpenſationem vt nuberet cum conſanguineo, & eo mortuo alium vult accipere, poteſt petere ſecundam dispenſationem eadẽ cauſa allegata, aut nulla; ſed maiori pecuniæ compoſitione ad vſus publicos facta abſque eo, quod fiat mentio prioris diſpenſationis.

2 At ſi ambæ diſpenſationes ſunt de eadem re, & in his eſt aliqua diſſonantia ex eo, quia prior eſt conceſſa cum aliquibus limitationibus, & poſterior ampla ſine illis; tunc poſterior diſpenſatio erit irrita in totum, & non ſolũ in eo, in quo excedit priorem, niſi fiat mentio prioris, vt ſiquis petat diſpenſationem in illegitimitate ad hoc vt vnum beneficium obtineat, & deinde petat diſpenſationem ad hoc vt duo obtineat, ſi non facit mentionem prioris diſpenſationis ad vnum beneficium ſecunda diſpenſatio eſt irrita. ita habetur *c.* 2. *de filijs præsb. in* 6. & *c.* 2. *de præſcript.* ratio eſt, quia Princeps ſi ſciret priorem conceſſionem factam a ſe cũ limitatione, non concederet poſteriorem amplam ſine limitatione; nam non debet præſumi; vt ſine graui cauſa ſententiam mutet: eſt communis ſẽtentia, pro qua citantur ſupra 40 Doctores à Sanch. hic *n.* 2. & in proprijs terminis eam docent Io. Andr. *c.* 2. *d fil. præſ.* Abb. *d. c. pen. n.* 17, Bellam. *n.* 4 Imola *n.* 6. Rota *in nouiſſ. t.* 3. *l.* 3. *dec* 91. *n.* 3. Menoch. *de arb. l.* 2. *cen.* 3. *caſ* 203. *n.* 35. Bart. Sonc. *con.* 246. *nu.* 4. *col.* 2. Ruina *conſ.* 82. *n.* 13. *vol.* 3. Cur. Sen. *conſ.* 73. *dum agunt de priuil. vel legitimatione*,

3 Quod verum eſt ſcilicet poſteriorẽ diſpenſationem, quæ amplior ſit prior re, eſſe nullam; quando non fit mẽtio peioris. primò quamuis in diſpenſatione poſteriori ſit clauſula motu proprio, aut in diſpenſatione præcedenti, quia motus proprius non ſupplet intentionem prælati concedentis, qui ſi ſciret priorem diſpenſationem non concederet poſteriorem amplam, ſine magna cauſa. Secundo quãuis prior diſpenſatio fuerit irrita etiam ſine culpa impetrantis, tunc enim ſi poſterior eſt amplior debet fieri mentio prioris ne impetratio irrita, maiori gaudeat priuilegio, quam valida, vt tradit Dec. *C ex tenore de reſcr. nou. edit. n.* 25. Contra vero ſi poſterior nil aliud cõtinet quod nõ continebat prior, nõ eſt facienda mẽtio illius, quia nõ præſtat impedimentum, quod de iure nõ ſortitur effectum. ita Abb. Felin. Decius, Domin. & alij *C. ex tenore* Barba. *conſ.* 43. *vol.* 3. Neuiza *conſ.* 36. *num.* 16. Rebuff. *de conſ reg. t.* 2. *in præf. num.* 95. Maſcar. cum multis *conſ.* 846. *nu.* 20. *de prob.* Et idem dicas in omnibus caſibus, in quibus ſi prior diſpenſatio eẽt valida, non eſſet facienda mentio ipſius, vt infra dicetur.

4 Excipe tamen duos caſus, in quibus valet poſterior diſpẽſatio amplior etiam ſi nõ fiat mẽtio prioris. primo; quãdo ille, qui concedit poſteriorem diſpenſationem ampliorem abſque limitatione ſcit prioris diſpẽſati onis moderationes; vt ſiquis impetrauit diſpenſationem in voto caſtitatis cũ moderationibus apponi ſolitis de ſtylo Curiæ, aliam impetret, quæ concedãtur ſine limitatione, valida hæc erit quia videtur Pontifex velle abſolute con-

concedere, cum non apponat clauſulas apponi ſolitas.

5 Excipe ſecundò quando ex noua, & ſufficienti cauſa poſterior diſpenſatio petitur, & prudentis arbitrio creditur, Principem conceſſurum illam etiam ſi prioris recordaretur; tunc enim non eſt neceſſe, vt fiat mentio illius, ſicuti neque quando quis petijt diſpenſationem in vna re v.g. legitima tione, & fuit denegata, ſi deinde petat, neceſſe eſt, vt faciat mentionem prioris, cum nullo iure id probetur. quidquid dicat Menochius. *l.2.de arbi.cen. 3.caſu 203. n.6.*

6 Dico tertio in caſibus prædictis ſi non eſt valida poſterior diſpenſatio, prior non vitiatur; ſed remanet in ſuo valore, ſiuè poſterior diſpenſatio impetrata fuerit ad confirmandam primam, ſiuè ad illam ampliandam maiori conceſſione, & ſine limitationibus ratio eſt, quia petens ſecundam diſpenſationem non cenſetur renuncia re priori, niſi caſu quo hæc ſecunda valida eſt, quando eſt ad augendam primam, & quando eſt ad illam confirmandam nullo modo intendit prio ri renunciare, ergo deficiente poſteriori poteſt vti prima ſibi conceſſa. ita Bald. *cap. pen.de præ. n.12.* contra Inn. Hoſt. & alios ibi putantes inualidas reddi ambas diſpenſationes, quando poſterior eſt impetrata ad ampliandam priorem.

7 Hinc ille, qui impetrauit diſpenſationem circa votum v.g. ſi poſtea ob ſcrupulos petat aliam, quæ conceditur cum aliquibus limitationibus, quas prior non habuit; poteſt ſi velit vti priore diſpenſatione, quia huc non renunciauit; ſed potius ad eius confirmationem (nam ob ſcrupulos puta bat eſſe irritam) petijt ſecundam.

8 Contra verò qui petijt diſpenſationem ad ducendam conſanguineam, ſi deinde petat aliam ad ducendam aliã conſanguineam, ſi caſu quo hæc ſecũda diſpenſatio valida fuit, non poterit vti priori diſpenſatione, & ducere primam conſanguineam, quia ſecũndam diſpenſationem petijt ad deſtructionem primæ, & viſus eſt illi renunciare cum ſecunda fuerit valida, vt iam dictum eſt.

9 Dico quarto ſi impedimentum in matrimonio conſurgit ex crimine tunc ſi obtenta eſt prior diſpenſatio circa vnum crimen, non poteſt peti alia circa idem crimen; niſi fiat mentio de priori diſpenſatione; vnde ſi quis petijt diſpenſationem ad ducendam Bertam ex eo, quia erat impeditus ob machinationem mortis coniugis, mortua Berta, ſi deinde committat idem crimen machinationis mortis, vt ducat Mariam debet petere diſpenſationem, & manifeſtare diſpenſationem prius obtentam, aliter hæc poſterior diſpenſatio erit nulla; probatur *ex l.3.c.de Epiſcopali audientia*, vbi innumeri Doctores id docent cum Tiraq. *de pœnis temp.cauſæ.10. n.4.* Couar. *l.1.var.c.20.n.8.* Ant. Gomez *c.3. var. c.3.n.60. fine* Iul. Clar. *l.5. recept. pract.crim.§.fin.q.59.n.9.* Sarmient. *l.1. Selec.c.9.n.2.* Boſſ. *practica.ti.de remed. ex ſola clementia Princ.n.35.* Roias *epit. ſucc.c.23.n.22.* Nauar. *l.1. conſ. tit. de conſt conſ.1. q.19.* Padilla *l.tranſigere n. 69.c.de tranſ.*

10 Contra verò ſi diſpenſatio eſt obtenta circa impedimentum ex vno crimine v.g. ex machinatione mortis, & deindè petatur ſecunda circa aliud crimen, v.g. adulterium cum fide data matrimonij, tunc valida erit hæc ſecunda, quamuis de prima nulla fiat mentio. quia *l.3.d.* dum decidit debere fieri mentionem prioris diſpenſationis loquitur quando poſterior diſpenſatio eſt circa idem crimen, vt docent Nauar. Couar. Padilla Boſſi. l. c. quod etiam verum eſt quando impetrans diſpenſatione vſus non eſt; tunc enim, etiam ſi circa idem crimen ſecundam petat; non debet facere mentionem prioris, quia videtur non eſſe remiſſum prius crimen.

†

DI-

DISPVTATIO XXIII.

An qui habet plura impedimenta v.g. voti, conſanguinitatis, & affinitatis; poſſit petere tres diſtinctas diſpenſationes. primam in voto. ſecundam in conſanguinitate. tertiam in affinitate. ita vt in ſingulis diſpenſationibus vnum tantum impedimentum manifeſtetur; an vero debeat in eadem diſpenſatione omnia impedimenta manifeſtare.

1 REſpondeo longè probabilius eſt neceſſariũ eſſe vt in eadẽ diſpenſatione omnia impedimẽta manifeſtẽtur, & ſi ſecus fiat ſubreptitias eſſe diſpenſationes, ſiuè ſcienter ſiue ignorãter impedimenta in vna diſpẽſatione ſint prætermiſſa. Ratio eſt, quia quando vnum impedimentum narratur in vna diſpenſatione non exprimitur, vt par eſt; nam ſi explicaretur coniunctum cum alio, Pontifex non ita facilè illius diſpenſationem concederet, nam non cenſetur Pontifex velle promouere odioſos, nempe eos, qui habent plura impedimenta. ſecundo quia Pontifex, qui concedit diſpenſationem in vna re decipitur in re neceſſaria; putat enim nullum aliud eſſe impedimentum præter id, quod ſibi proponitur *ex c. 1. de ætate, & qual. in 6.* ita Domin. *conſ. 33.* Deci. *conſ. 602. dua. 7 vol. 5.* Zephal. *conſ. 639. a. nu. 39.* Gallego *de cogn. ſp. c. 23.* Menon. *l. 2. cent. 3. c. 213. n. 12. de arbi.* Couar. *4. decr. 2. p. c. 6. §. 4.* & alij.

2 Quare ſi quis habet votum religionis, aut caſtitatis, & præterea aliud impedimentum dirimens; ſi petat diſpenſationem in eundi matrimonium cũ ea, cum qua habet tale impedimentum dirimens, debet impedimentum exprimere, & præterea votum caſtitatis, vel religionis in eadem diſpenſatione; quia ſunt duo impedimenta ad hoc matrimonium ſpeciale: vnum dirimens, aliud impediens, nempè votum, ergo vtraque ſunt explicanda iuxta dicta n. præcedenti.

3 Contra verò ſi prius velit diſpenſationẽ voti impetrare ſiuè à ſacra pœnitẽtiaria, ſiuè à Papa, non eſt neceſſe advalorẽ diſpenſationis, vt explicet impedimentũ dirimens, quia nõ petitur diſpenſatio ad ineundum matrimonium, ſed tantũ, vt vouens ſit capax ineundi licitè matrimoniũ quãdovellet.

4 In duobus tamen caſibus nõ eſt neceſſe vt in eadẽ diſpenſatione omnia impedimenta exprimãtur primus eſt quãdo quis habet duo impedimenta, ſed adhoc vtvnũ tollatur, nõ eſt neceſſaria diſpẽſatio, ſed aliũde haberi põt, vt ſi quis ſit cõsãguineus Bertæ, & cõtraxerit ſpõſalia de futuro cũ Maria, ſi velit ducere Bertam ſufficit explicare conſanguinitatem. & deindè petere à Maria remiſſionem obligationis.

5 Secundus eſt, quãdo vnũ impedimẽtũ eſt publicũ, aliud occultum. ſiue ex eius manifeſtatione ſequatur infamia ſiue non. tunc. n. ſatis erit manifeſtare Pontifici impedimentũ publicũ, & ſacræ pœnitẽtiariæ occultũ, & publicũ ſimul, quia in hoc caſu vtrũq; impedimẽtũ notũ fit Põtifici à ſacra pœnitẽtiaria tacẽdo nomina impetrantiũ; ergo Pontifex ſciens duplex impedimẽtũ cõcedit diſpẽſationẽ, vnde ea nõ erit ſubreptitia; quod eſt ẽt verũ quãuis prius à ſacra pœnitẽtiaria diſpẽſatio petatur, & deinde à Papa; poterit. n. prius cõfeſſarius, cui cõmittitur diſpẽſare in affinitate v.g. occulta; ẽtſi nõ ſit adhuc in cõſanguinitate à Pontifice diſpenſatũ, vt poſtea quã à Põtifice diſpenſatio cõsãguinitatis impetretur, poſſint inire matrimonium, nec in tali caſu poterit pœnitentiarius exigere compenſationem, quę ſoluenda eſſet, ſi diſpenſatio pro foro externo impetraretur, prout docet optimè Nauar. *li. 4. conſt. in. 1. edit. ſi de ſpon. con. 50.* & videbimus diſp. 34. infra.

6 Contraria tamen ſcientia, quæ ſufficiet ſufficere habenti multa impedimẽta ea explicare ſingillatim in varijs diſpenſationibus, eſt probabilis tum auctoritate Doctorum tum rationibus, quia nullo iure habetur, vt in impetrandis diſpenſationibus vnius impedimenti, de omnibus fiat mentio; præſertim cum valeat impetratio

ab-

absolutionis ab vna excommunicatione non facta mentione de alijs, ita Nauar. *l.4. conſ. tit. de conſ. in 1. edi. con. 4. n. 2. in 2. conſ. 7.* Enriq. *l.12. c.3. n.8. & c.2.* Em. sà *diſpenſ. n.16.* Cauallos *qu. pract. q.737. n.27.* Manuel. *1. t. ſum. 2. edit. c. 238. n.5.* & alij.

DISPVTATIO XXIV.

Explicatur ea, quæ debent exprimi quando impetrantur diſpenſationes impedimentorum matrimonij, ne eæ ſint ſubreptitiæ, & uullæ.

1 DIco primo quoties ſunt plura impedimenta omnia ſunt narranda, quando petitur diſpenſatio, quia omnia obſtant matrimonio ineundo, nec ſolum in genere debent exprimi impedimenta cognationis, affinitatis, vel publicæ honeſtatis ex matrimonio rato, vt ſumus conſanguinei, affines &c. ſed debent manifeſtari gradus cognationis &c. v. g. ſumus in ſecundo gradu, in tertio &c. eſt communis ſententia, atque adeò ſi aliter fiet diſpenſatio obtenta, etiam ſi in ea ſit clauſula non obſtante, quia hæc tantum reddit valida ea, quæ exprimuntur, non autem ſupplet taciturnitatem qualitatum, quæ neceſſariò debent exprimi, vt docent Bal. *l.1. n.22. c. de furtis.* Alex. *conſ.95. n.7. vol.2.* Decius *conſ.541. n.21. vol.4.* Aymon. *con. 296. n.3. vol.2.* & alij.

2 Immo ſi ſint duo ex duplici parte coniuncti in eodem gradu v.g. ex parte matris ſunt conſobrini, & etiam ex parte patris; vel in gradu differenti, vt ex parte patris in ſecundo gradu, ex matre verò in tertio, vel ſi ex duplici capite ſunt affines; vel contraxerunt cognationem ſpiritualem; quando petunt diſpenſationem, non ſatis erit explicare impedimentum ex vno capite, ſed ex alijs etiam gradibus remotioribus, vnde non ſatis erit dicere, ſumus conſobrini, ſed debent addere ex parte vtriuſque parentis nec ſatis erit explicare gradum ſtrictiorem, vt v.g. ſumus patrueles, ſed etiam debent dicere an ſint coniuncti in altero gradu inferiori v.g. in quarto. Ratio eſt quia in odioſis qualis eſt diſpenſatio, mixtum non comprehenditur ſub ſimplici, vt diſp. 2. dictum eſt, ergo quando ſunt multiplices coniunctionis gradus, in petenda diſpenſatione non continetur in vno ſolo, etiam ſi hic ſit ſtrictior. probatur à ſimili, quia illegitimus ex adulterio coniugati cũ coniugata ſi petat diſpenſationem in illegitimitate debet explicare adulterium tam ex parte patris, quam ex parte matris, alias nulla erit diſpenſatio, vt docent Oldradus *conſ. 247. dub. 2.* Decius *con. 462. n.7. vol.4.* Abbas *c. per venerabilem n.27. qui fil. ſint legi.* vbi Ant. *n.15.* Alex. Neuo *n.54.* Euerar. *in ſuis topi. loco à vi geminationis n. 11.* ergo etiam ſubreptitia erit diſpenſatio quando non explicatur vterque coniunctionis gradus. ita Mandoſius *in ſign. gratiæ v. diſpenſat. matrimoniales. n.6.* Velaſcus Molin. *t.1. de iuſ. diſ. 161.* Rota *in nouiſ. vol.3. l.1. dec.117. n.2. & li.2. de.70.* Iaco. de puteo *deciſ. 39. nu.2.* contra Henriq. Manuelem, & Vegam qui duo vltimi expreſsè loquuntur in affinitate apud Sanc. n.4.

3 At ſi affinitas eſſet contracta ex pluribus fornicationibus cum eadem perſona non eſt opus exprimere copulam fuiſſe multiplicatam, vt patet ex ſtylo curiæ, & ratio eſt, quia in hoc caſu non contrahuntur plures affinitates; ſed noua actio, nempe noua copula. Vnde ſi quis obtinuit diſpenſationem à Pontifice in affinitate, & ante quam ordinarius ex commiſſione Pontificis diſpenſet de nouo habeat copulam cum illa affine, poterit nihilominus ordinarius diſpenſare, quia non dum diſpenſatio obtinuit ſuum effectum, nec nouus gradus affinitatis eſt additus. contraverò ſi iam ordinarius diſpenſaſſet, & ille nouam copulam haberet, noua indigeret diſpenſatione, quia contrahitur noua affinitas ablata iam priore per diſpenſationem.

4 Quamuis autem hęc vera ſint, quãdo impetratur diſpenſatio, tamen aliter

ter eſt dicendum de poteſtate ad diſpenſandum, nam hæc vt fauorabilis debet extendi, ita vt qui habet facultatem diſpenſandi in ſecundo gradu ex officio, vel ex commiſſione conceſſa in ſui fauorem (quo caſu eſt fauorabilis talis commiſſio, vt diſp. 2. dixi) poſſit diſpenſare cum eo, qui habet eundum gradum duplicatum affinitatis, vt ſi ſit coniunctus in ſecundo gradu ex parte vtriuſq; parentis &c. ita docent Ripa *ref.* 11. *u.* 6. *de reſcr.* Iac. de puteo *l. c.* Gamb. *de au. leg. l.* 2. *de diſ. leg. circa ma. n.* 46. Cald. *con.* 1. *de conſang.*

5 Contra verò non poterit diſpenſare cum eo, qui præter ſecundum gradum cognationis habet ẽt alium. v.g. tertiũ, quia ſecundus gradus continet eumdem ſim gradum multiplicatũ; nõ tamen alios remotiores, quando ſunt in eadem perſona, quia maior eſt, quã ſecundus ſolus. licet ſi haberet poteſtatem diſpenſandi in primo, & tertio gradu poſſet diſpenſare, quando ij concurrunt in eadem perſona, vt diſp. 2. in ſimili dictum eſt.

6 Dico tertiò quando impedimentũ prouenit ex conſanguinitate non ſolum eſt explicandus gradus eius; ſed etiam an fœmina ſit proximior ſtipiti quam vir, cui nuptura eſt, quando sũt in ſecundo, vel tertio gradu v. g. ſi eſt amita, vel matertera viri, ratio eſt quia in hoc matrimonio preuertitur ordo naturæ; nam amita ſuperior debet eſſe ſuo conſobrino, at per matrimonium fit illi inferior, fit .n. vxor, conſobrinus vero maritus. ita Sotus *in* 4. *diſt.* 40. *q. vnica ar.* 3. quæ ratio cum non militet quando impedimentum oritur ex affinitate vel publica honeſtate, vt cum Titius v.g. vult ducere amitam vxoris ſuæ, quam cognouit, vel quam non ad huc cognouit, non eſt hoc exprimendum in petitione diſpenſationis, ſed ſatis eſt exprimere gradus differentes, nam non debetur tali fœminæ ea peculiaris reuerentia, quæ debetur amitæ in ſtricto gradu ex cognatione.

7 Debet tamen in conſanguinitate, tũ ẽt in affinitate, & publica honeſtate exprimi, an ſint coniuncti in linea recta, & in impedimento publicæ honeſtatis, quando petitur diſpenſatio in primo gradu debet etiam exprimi an publica honeſtas ſit ex matrimonio rato, an verò ex ſponſalibus, ratio eſt, quia maior indecentia eſt matrimonium inire cum his, quam cum alijs conſanguineis, & affinibus.

Immo etiam in cognatione ſpirituali propter eandem rationem, neceſſarium erit exprimere an inter eos qui contrahere volunt ſint paternitas & filiatio ſpiritualis, vt ſi Titius leuauerit de fonte Bertam, & deindè ducere velit in vxorem, an ſolum compaternitas; vt quia vnus leuauit è fonte filiam alterius, non tamen erit neceſſarium exprimere ex quo capite orta ſit hæc paternitas, v.g. ex eo quia ille, qui vult ducere filiam ſpiritualem illam baptizauit, vel è fonte leuauit, vel in confirmatione tenuit; quia hæc parum mutant rationem indecentiæ, quæ inuenitur in contractu matrimonij, a Patrino cum filia ſua ſpirituali.

8 Dico quarto ſi quis per errorem, aut ignorantiam exprimat gradum ſtrictiorem, cum ipſe ſit coniunctus in remotiori, vt ſi exprimat ſe eſſe conſanguineum cum Berta, quam vult ducere in ſecundo gradu, cum vere ſit ſolum in tertio valebit diſpenſatio, quia tertius gradus includitur in ſecundo.

9 Cõtra verò ſi exprimat ſe eſſe cõiũctũ in tertio gradu, cũ ſit in ſecũdo nõ valet diſpẽſatio, ſicuti neq; erit valida quando narratur maius impedimentum in vna ſpecie, cum ſit minus in alia v. g. ſi quis dicat ſe eſſe conſanguineum in ſecundo gradu, cum ſit affinis ſolum in 3. gradu, quia ſunt diuerſa impedimenta, nec vnum clauditur in alio. ita docẽt Coua. 4. *dec.* 2. *p. c.* 8. §. 8. *n.* 11. Salz. *ad. ad re.* Ber. Diaz. *re.* 195. Immò nec poteſtas diſpenſandi alicui conceſſa in ſecundo gradu conſãguinitatis põt extẽdi ad 3. gradũ affinitatis, nec communis error ſupplere põt defectũ talis diſpẽſationis. ratio ẽ, quia vnus gradus non continetur in alio in caſu poſito, nec *l. Barbarius ff. de offic. præt.* diſponit vt conceſſum in vno

censeatur concedi in alio propter communem errorem, sed solum supplet defectum causæ efficientis.

10 Dico quinto qui petit dispensationem in voto ad matrimonium ineundum præter ea, quæ diximus disp. 2. debet exprimere an sit votum factum in fauorem tertij, casu, quo ille non remiserit, & si est professus, & etiam habet ordines sacros debet vtrumque exprimere & debet etiam dicere, an sit Sacerdos, an verò solum Diaconus aut Episcopus, quia quò ordo sublimior est, eò maior causa requiritur ad dispensandum.

Explicantur aliqua dubia circa petitiones dispensationum.

Dubitabis I.

Quidam interfecit vxorem animo ducendi consobrinam, & res non est occulta, sed deducta in forum contentiosum, atque adeò non potest peti dispensatio pro foro conscientiæ. debet nepetendo dispensationem manifestare suum delictum? si n. manifestat, punietur ob suam confessionem publicè factam.

11 REspondeo hunc in petitione dispensationis posse narrare Pontifici se etiam fuisse infamatum de vxoris occisione; & per hoc cum non fuerint plenæ probationes pœna extraordinaria fuisse punitum, quo casu Pontifici verum narrat, nec ipse suum delictum manifestat, deinde poterit à sacra pœnitentiaria petere aliam dispensationem, in qua narret id, quod proposuit Papæ in foro externo, & addat se tacuisse veritatem nempè occidisse vxorem timore pœnæ. iuxta dicta *disp. præc. n. 4.*

Dubitabis II.

An quando illi, qui volunt contrahere matrimonium sunt consanguinei, vel affines distantes inæqualiter à communi stipite v.g. Titius à Meuio in stipite distat in secundo gradu. Berta verò ab eodem Meuio in tertio gradu, debeat exprimi in petendo dispensationem esse in secundo gradu; an satis sit solum explicare tertium gradum.

12 REspondeo satis esse exprimere gradum remotiorem. ita declarauit Pius V. in motu proprio ann. 1566 die 6. Augusti, qui rē hanc reduxit ad ius cōmune, in quo gradus remotior à stipite est numerandus, nō autem proximior *c. fin. de consa.* & tenēt Cal. *con. 1. de consa.* Cor. *cons. 201. n. 11. vol. 2.* Sot. *4. d 40. q. vnt. ar. 2.* quod adeò verū est, vt si quis habeat cōcessā potestatē dispensādi in aliquo gradu v.g. in tertio poterit etiam dispensare in tertio cū secundo, quia verè hic solus gradus præstat impedimentum, & est simplex nō mixtus. ita Ang. *matr. 3. impe. 6.* Syl. *mat. 8. q. 6.* Tol. *l. 7. c. 5. n. 6.*

13 Duo tamen aduerte in hoc motu proprio. primum est Pontificem in eo velle vt pro gradu remotiori obtineantur litteræ declaratoriæ ibi (*obtentis tamen postea litteris declaratorijs*) quæ litteræ declaratoriæ non petuntur, vt conditio necessariò requisita, adhoc vt valeat dispensatio, sed solum pro foro externo advitandū scandalū vt docet Hen. *l. 12. c. 3. n. 6. li. T.*

14 Vnde infertur primo, quod licet ordinarius in foro externo non debeat dispensare in gradu tertio v.g. nisi obtētæ sint litteræ declaratoriæ circa secundum, & si post contractū matrimoniū ipsi iuridicè delatū sit, litteras declaratorias nō fuisse obtētas, debet cō iuges separare, donec litteræ obtineā tur, tū matrimoniū sine his literis validū erit, ēt si malitiosè ordinarius dispē sasset in impedimēto tertij gradus, per cōmissionē datā à Pōtifice, nō obtētis prius literis declaratorijs; quia hę litterę declaratorię circa sm gradū solū requirūtur in foro externo, & ad vitādū scādalū, nō aūt vt cōditio, vt dictū est. quod probatur ex eo, quia ablatiuus ille absolutus (*obtentis prius literis*) supponit actum iam perfectum, & validam dispensatiouem.

15 Infertur secundò, tali scandalo cessante, & quando petitur dispensatio in solo foro conscientiæ in affinitate ex copula fornicaria non tenentur explicare sm gradū, nec literas declaratorias petere. nisi talis affinitas sit publica.

In-

16 Infertur tertio quod cum motus proprius prædictus non loquatur niſi in gradibus conſanguinitatis, & affinitatis, non ſunt neceſſariæ literæ declaratoriæ in impedimento publicæ honeſtatis ex matrimonio rato; ſed ſufficit exponere tertium gradum v.g. non declarando ſecundum, nec petendo literas declaratorias circa eum iuxta diſpoſitionem iuris communis.

17 Secundum quod notari debet in dicto motu proprio eſt, quod ſi gradus propinquior ſtipiti ſiuè cognationis, ſiuè affinitatis, eſt primus, v.g. vt ſi Titius velit ducere Bertam conſobrinam filiam fratris ſui, quo caſu cũ ſtipite, nempè cum fratre ipſe eſt in primo gradu, & cum Berta eſt in ſecundo cum primo, debet exprimere primum gradum, nec ſat erit tantum declarare remotiorem, conſtat ex illis verbis *(dummodo primum quoquomodo non attingant, cum in eo ſanctitas ſua nunquam diſpenſare intendat)*

18 Sed hoc intelligitur quando remotior gradus non eſt vltra quartum, nam in tali caſu nulla eſt neceſſaria diſpenſatio, vt li. 7 diſ. 53. dictum eſt; quare in omnibus Prouincijs Indorum noui Chriſtiani, quibus Paulus III. cõceſſit vt in tertio & quarto gradu poſſint inire matrimonium, poterunt ſecum contrahere ſine vlla diſpenſatione, etiam ſi alter ſit in primo gradu, quia cum iam per Pontificem impedimentum in ipſis ſit reſtrictum ad ſecundum gradum; vltra illum non durat v. g. in tertio gradu, nec primus gradus impedit, quia in computanda cognatione iuxta ius commune attenditur gradus remotior à ſtipite, non autem proximior.

Dubitabis tertio.

An quando petentes diſpenſationem habent impedimentum affinitatis, & publicæ honeſtatis vt ſi Titius velit ducere Bertam, quæ eſt conſanguinea vxoris ſuæ mortuæ, quam cognouit, ſatis ſit dicere eſſe affines in aliquo v.g. in ſecũdo gradu; an ẽt neceſſe erit exprimere ſe habere ĩpedimẽtũ publicæ honeſtatis.

19 REſpondeo ſatis eſſe explicare affinitatem ortam ex matrimonio; ratio eſt, quia publica honeſtas includitur in affinitate orta ex matrimonio; ergo qui exprimit ſe habere affinitatem ortam ex matrimonio, explicat etiam implicitè impedimentũ publicæ honeſtatis. immò ſi quis petat diſpenſationem in tertio, vel quarto gradu affinitatis etiamſi non explicet: an talis affinitas ſit ex matrimonio, valida erit diſpenſatio, quia iam declaratur publica honeſtas, nam in his gradibus ex ſola copula coniugali oritur impedimentum affinitatis.

20 Contra verò non ſatis erit ad valorem diſpenſationum explicare affinitatem in genere v.g. ſum affinis cum Berta in ſecundo gradu non exprimẽdo talem affinitatem eſſe ex matrimonio. ratio eſt, quia tunc nec expreſsè, nec tacitè fit mentio publicæ honeſtatis, nam affinitas poteſt intelligi tam de licita, quæ parit etiam impedimentum publicæ honeſtatis; quam de illicita, quæ illud non parit. & in materia odioſa verba debent accipi in minori ſignificatione. *cap. fin. de præbendis & cap. quamuis eod. tit. in 6.* ita Abbas *c. nõ debet n. 12. de conſ.* vbi Alex. de Neuo *u 11.* & alij Loarez *in matr. Regis Angl, dub. 11. n. 31.* Gamb. *de auth. lega. l. 10. n. 2. t. 3.* Gaeta *c. ad limina 30 q 47. ar. 3. dub. 7. ex Theol.* Toled. *l 7. c. 11. n. 6* Petr. Led. *q. 56. ar. vlt. & q 55. ar. 4.* Lud. Lopez *2. p. inſt. c. 50, hic col. 4.*

21 Cõtraria tñ sẽtẽtia eſt ſatis probabilis, & tuta, quæ aſſerit ſatis eſſe explicare affinitatẽ v.g. ſumus affines ĩ ſecũdo gradu, qa mẽtio affinitatis abſolutè facta, intelligitur, de orta ex copula cõiugali, nã in dubio nõ debet præſumi delictũ *l. mẽtio ff. poſſe.* ita Milis *in rep. lit. D n. 23. ver. dif.* Fel *c. poſtulaſti n. 13 lim. 7. de reſcr.* Rip. *reſp. 11. ad fin de reſcr.* Hier. Pau *pra can Apo. tit. notabilia ſuper disp. mat. fin.* & alij; in vtraq; tñ ſeñtia verũ ẽ, quod habẽs poteſtatẽ diſpẽsãdi in affinitate; põt diſpenſare in publica honeſtate, cum illa concurrente, vel ẽt ſi ſit ſine affinitate, ratio eſt qa cũ poteſtas diſpenſandi ſit fauorabilis, debet latè

interpretari,&ſic compræhendit tam affinitatem ex copula licita, in qua includitur publica honeſtas;quam ex copula illicita,& eo ipſo, quod ſuperior concedit facultatem diſpenſandi in affinitate ex copula licita ſupponit præceſſiſſe ſponſalia,&matrimonium ratum; ac per conſequens publicam honeſtatem, ſiue affinitatem.

Quandam mouet Pontius difficultatem contra id, quod n. 7. ex Sancio diximus;ſcilicet non ſufficere explicare in petitione diſpenſationis primum gradū publicæ honeſtatis; ſed debere exprimi an ea ſit ex matrimonio rato habet enim *l.8.c.17. n.29. (quod ſi impedimentum ſit ex publica honeſtate in primo gradu inæquali &c. ſi vero ſit in primo gradu neceſſarium putat Thom. Sanchez. diſ.24.n.16. explicare; an proueniat ex matrimonio rato vel ex ſponſalibus, quia illud impedimentum grauius ſed non video huius rei firmum fundamentum*) firmiſſimum tamen potuiſſet Pontius appellare : Si quæ Sanchez n. 16. ab eo cit. ad ſuæ doctrinæ confirmationem,addidit, perpendere æquo animo voluiſſet, nam Sanchez ait ibi *(quod multo vrgentius impedimentum ex matrimonio rato;quam ex ſponſalibus oriatur; adeo vt illud multi affinitatem vocent. Adde multo indecentius eſſe matrimonium cum ſorore ſponſæ de præſenti,quam ſponſæ de futuro.cuius rei maximum ſignum eſt, quod Tridentinum ſeſſ. 24.de matr. c.3. reſtrinxit impedimentū publicæ honeſtatis ex ſponſalibus ortum, vt non excedat primum gradum: cum tamen publica honeſtas ex matrimonio rato extendatur vſque ad quartum*) quis hæc legat,&iure non aſſerat,Pontium immerito dixiſſe, ſe non videre firmū fundamentum pro Sancij ſententia? Addo etiam minus rectè hunc Doctorem dum illius refert ſententiam, & argumentum : tantum addidiſſe (*quia illud grauius impedimentum*) quaſi vero noſter Sancius non alia probatione vſus fuerit: aut tantum aſſeruerit eſſe grauius impedimentum, cum publica honeſtas oritur ex matrimonio rato, & non probauerit valde efficaciter, ſed vir ingenioſiſſimus, ſemper ſibi ſimilis, probat eſſe vrgentius impedimentum ex communi Doctorum exiſtimatione ; cum multi illud affinitatem appellent. vt D.Thom. 4.*d.*4. *q. vni.ar.1.quæſt.*4.*ad* 2.vbi Maior *q.*1.*ad finem* Rainerius 2.*p.ſum.tit.de matr. c.* 25. Sotus 4.*d.*41.*q.vnic.ar* 2.*ad finem.* Petrus Sot.*lec.* 10.*de matr.col.pen.v tertium eſt.*Ledeſm.2.*p.*4.*q.*57. *a.*3. *col.*2. *ver. ideo dico* Bellarmin. *lib.*1.*de matr. c.*24.*fin.*Henriq. *lib.*12. *e.*10.*n.*1.*lit.G.* vbi citat Magiſt.Anton.Abulenſ.Lud. Lopez. 2. *p. inſtruc. vbi de matr. c.* 50. *col.*3.Philiarcus *de off. ſacerd.t.*1.*p.*2. *li.* 2 *c.*12.& alij probat etiam Sancius eſſe multo vrgentius impedimentum, præter allatam rationem, (quæ meo iudicio in re morali ſufficeret) ex maiori indecentia, quæ reperitur in contrahendo matrimonio cum ſorore ſponſæ de præſenti, quam cum ſorore ſponſæ de futuro ex eo, quia Conc. Trid. hoc impedimentum reſtrinxit ad primum gradum:illud vero ex matrimonio rato proueniens reliquit ad 4. gradum extenſum. atque ex hoc videri poteſt: num argumentum Sancij fuerit firmum: cum ex eos communiter recentiores illam doctrinam teneant.vt videre eſt in Coninch.*diſ.*33. *dub.*6.*n.*79.Filiuc.*trac.x.de matrimonio vbi de diſp.n.*330.*ver. ſexto* quando Bonac.*diſ.*1.*q.*2.*p.v.n.*7.*de diſp.vbi cit* Gutierez. *de matr.c.*124. *nu.*7. accuratius itaque Pontius debuiſſet Sancij dicta perpendere.

Sancij Placitum cum motu Pij V. cohærere oſtenditur.

Putat denique Pontius *eo.lib.*8.*c.*17 *nu.* 27. non cohærere, quæ *nu.* 7. & 8. diximus;cum motu Pij V. de quo *n.*12 inquit enim *(ſi ergo.hæc vera ſunt,vt & docet Thomas Sanch.non video quomodo ſtare poſſit,quod docet eadem diſputatione n.*12. *non ſatis eſſe explicare inæqualitatem gradus;ſi fœmina ſit,quæ propinquior eſt,ſed explicari debere, an ea fœmina ſit in ſecundo vel tertio, quod etiam docuit Molina t.*1. *tract.*2. *diſ.* 161. *ver. illud*

ta-

tamen. Si enim literæ Pij V. abſolute, & ſine diſtinctione docent non eſſe neceſſarium propinquiorē exprimere nulla facta diſtinctione fœminæ, aut viri, neſcio quo fundamēto deducatur eſſe neceſſarium explicare propinquiorem ſi fœmina propinquior ſit ſtipiti quam vir. quare dicamus neque in eo caſu eſſe neceſſarium. & multo minus in affinitate, ſiue ea oriatur ex copula licita, vel illicita ob eandē Pij V. conſtitutionē.) Vidiſſet & quidem facile hic auctor quam belle ſibi conſtans, & cum motu Pij concors ſit. Sancij dictum: ſi attendiſſet quid in eo motu Pontifex decernat. breuiter ego expediam. Decreuit Pius IV. neceſſariam eſſe mentionem gradus propinquioris in petenda diſpenſatione pro his, qui in gradu inæquali cognationis, aut affinitatis coniuncti erant, atque adeo qui contrahere valebāt in ſecundo cum tertio gradu, maiorem difficultatem habebant, quam ſi ſolum in tertio gradu fuiſſent coniuncti; habebatur enim ratio gradus coniunctionis nempe ſecundi, & gradus tertij: hanc conſtitutionem vt pote matrimonio odioſam, & diſpoſitioni iuris communis attendentis ſolum gradum remotiorem contrariam Pius V. reuocauit; cuius literarum tenor, facile, quod intendimus, explicabit, ait igitur (*Sanctiſſimus &c. attendens per quandam conſtitutionem dudum per Fel. recor. Pium Papam IV. Sanctitatis ſuæ prædeceſſorem editam, qua cauetur, quod in diſpenſationibus matrimonialibus pro diuerſis conſanguinitatis, ſeu affinitatis ex eodem ſtipite prouenientibus gradibus coniunctis, non remotioris ſolum pro vt olim fieri ſolebat, ſed etiam propinquioris graduum expreſſa mentio fieri debeat, alioquin diſpenſationes, ac deſuper cōfectæ literæ nullius ſint roboris, vel momēti prout in dicta conſtitutione plenius continetur à diſpoſitione iuris communis, ac laudabili & antiquo Rom. Curiæ ſtylo nimium recedi ac fauorem matrimonij nimium reſtringi, volenſque propterea iuri, & ſtylo prædictis, nec non piæ Mem. Greg. XI. & Clem. VI. Rom. Pont. veſtigijs inhærendi Sacramento, & libertati matrimonij quantum cum Deo poteſt fauere, ſtatuit & ordinauit, quod de cætero in quibuscumque diſpenſationibus, quæ pro matrimonij contractis aut contrahendis inter viros, & mulieres inuicem diuerſis prohibitis conſanguinitatis, ſeu affinitatis aut mixtis ex communi, ſeu ab eodem ſtipite ſurgentibus, quicumque illi ſint &c. gradus remotior attendatur, trahatque ſecum propinquiorem, ac ob id ſufficiat remotiorē tantū gradū exprimere &c.* Ex quibus literis apertè conſtat Pium quintum nil aliud intendiſſe, quam reducere computationem gradus ad regulam iuris communis, in quo vt dixi lib. 7. diſ. 50. in linea tranſuerſa inæquali attenditur gradus remotior, ac voluiſſe non eſſe difficiliorem diſpenſationem, quando ſunt in 3. tantum, vt prius per conſtitutionem Pij 4 fiebat, tunc enim ea difficultas erat in obtinenda diſpenſatione tertij gradus cum ſecundo; quæ nunc eſt ad obtinendam diſpenſationem in ſecundo gradu; & ſi quis erat in 3. cum quinto indigebat diſpenſatione, ac ſi fuiſſet coniunctus in tertio gradu: quia attenditur gradus ſtipiti propinquior: iure autem communi, & noua Pij V. cōſtitutione non indiget diſpenſatione; quia cognatio eſt vltra quartum gradum: nam per huius Pontificis conſtitutionem computatio gradus deſumitur à diſtantia gradus remotioris à ſtipite communi. cæterum hoc motu proprio non negat Pontifex non eſſe exprimendas aliquas qualitates, quæ difficiliorem redderent diſpenſationē & iuxta Canones, & Doctorum ſentētias ſunt exprimendæ, de quibus *diſput præc. & hac* dictum eſt: cum ea bulla vt ex eius tenore liquet, ſolum voluerit modum præſcribere, vnde ſint cōputandi gradus, quando contrahentes ſint in linea inæquali. totum hoc vltro concedit Sancius, remque totā à *num.* 23. accurate explicat. ſed quærit *num.* 12. vniuerſaliter an ſufficiat explicare gradus cognationis, an etiam requiratur aliud, & ait requiri vt explicetur an fœmina ſit in cognatione ſuperior viro: itaut ex gradu cognationis debeatur illi reuerentia v.g. ſit ma-

ter-

tertera; vel amita; quia tunc multo abſurdius eſt id matrimonium: ita vt grauiſſimi Doctores putarint iure naturæ eſſe irritum, vt D. Thom. 4. *d.* 39. *q. vnica ar.* 3. *ad* 3. vbi D. Bonau. *ar.* 2. *q.* 4. *corpore* Riccar. 4. *d.* 40 *ar. vnico* Riccar *ar. vnico q.* 2. Dur. *qu. vnica n.* 9. Altiſidorenſ. *lib.* 4 *ſum. tract.* 9. *q.* 6. Viguerius, Petrus Soto, Valdenſis, Anton. quos & multo plures refert Sanchez. *lib* 7. *diſ.* 52. *n.* 5. neque hoc pendet ab illa quæſtione de graduum cõputatione, ſiue enim attendas gradus ſtipiti propinquiores, vt decreuerat Pius IV. ſiue gradus remotiores, vt vult Pius V. adhuc dicit Sanch. requiri vt explicetur an fœmina habeat ſuperioritatem reſpectu viri; qui vult eſſe ſuus maritus: neque ad hoc mouetur, quod putet neceſſarium explicari gradum ſtipiti proximiorem, quãdo fœmina eſt proximior; quaſi vero ratio cognationis remotioris, vel ſtrictioris ab ea tunc deſumenda ſit; ſed quia tunc maior difficultas eſt in danda diſpenſatione: ob id quod mulier ex vna parte debet eſſe ſuperior; quia eſt amita viro, ex altera parte ſit inferior, & ſubiecta cum ſit vxor: Contra vero in affinitate, aut publica honeſtate putauit hoc non fore explicandum num. 13. quia fœminæ propinquiori ſtipiti non eſt exhibenda ea peculiaris reuerentia, quæ debetur in cognationis gradibus. ex quibus iam vides nullam eſſe connexionem inter motum Pij V. & hanc quæſtionem. ſtat enim vtrumque, & quod graduum computatio habenda ſit à gradu remotiori, & ſufficiat remotiorem tantum exprimere; & quod explicandum ſit: an mulier ſit ſtipiti proximior, quando ea cum illo eſt in primo, & ſecundo gradu; tunc enim non attenditur a Pontifice diſpenſante maior illa propinquitas in ordine ad computandos gradus cognationis; ſed ſolum quoad illam indecentiam; itaut ſi poſſet explicari illa ſuperioritas, quam habet mulier reſpectu viri, non explicando an ſit ſtipiti proximior: valeret diſpẽſatio obtenta: nam materialiter ſe habet illa explicatio: ſolum enim ſuperioritas mulieris attenditur; neque Pontium mouere debet ad aſſerendum non poſſe Sancij dictum ſtare cum his, quæ habet Pius V. in ſuis litteris, quodibi dicatur, non eſſe neceſſarium propinquiorem gradum exprimere: nam illa verba debent intelligi iuxta ſubiectam materiam *arg. leg. ſi cui ſimplici* 9. *ff. de ſeru. cap. fin. de verb. ſignif. in* 6. cum autem ibi Pontifex, vt toties dictum eſt, agat in ordine ad computationem graduum cum hac moderatione, & ſenſu ſunt intelligenda: alias nec eſſet explicandum ſi fuit copula cum duabus conſanguineis coniugis, vt dicemus infra. Sancius autem loquitur vniuerſaliter ſiue in primo gradu, ſi quo Pontifex diſpenſare non intendit ſiue in publica honeſtate: de qua motus Pij non loquitur vt dictum eſt nu. 5. Et ſic patet ſolido innixam fundamento ſtare opinionem Sancij, nec recte impugnari ex eo capite, quod repugnaret literis Pij V. vt putabat Ponti?

Alterum Pontij dictum refellitur.

Adde etiam leuiori fundamento deducere hunc Auctorem contra Sanc. non eſſe neceſſarium exprimere, an cognatio ſit in linea recta, ſubdit enĩ *n.* 27. immediate verbis ſupra relatis *ex quo eodem fundamento* (nempe quod Pius decreuit non eſſe neceſſarium gradum propinquiorem exprimere) *deduco contra Sancium nu.* 14. *non eſſe neceſſarium explicare an ea diſtantia ſit in linea recta vel tranſuerſali, ſi enim ex conſtitutione Pij V. non eſt neceſſaria in æqualitatis explicatio, quando gradus propinquus concurrit cum remoto: ergo neq; neceſſariũ ẽ explicare qualis ſit ea propinquitas vel diſtantia ſi .n. in recta linea conſanguinitatis eſt impedimentum naturale vſque in infinitum diſpenſatio eſſe non poteſt. ſi vero non extenditur in infinitum, & petitur in eo gradu in quo diſpenſatio eſſe poteſt non video cur neceſſe ſit diſtantiam explicare*) ex quibus dictis noto primo Sancium non docere exprimendum eſſe, num diſtantia ſit

in

in linea recta, vel tranſuerſali: quaſi vero in petitione diſpenſationis in 4 gradu v. g. cum ſecundo non ſatis ſit dicere ſumus conſanguinei in quarto gradu petendo literas declaratorias pro ſecundo gradu iuxta dicta *n.* 13. *in diſput.* immò expreſſè ait *n.* 29. non poſſe ſubreptione notari ſi ſolum gradus remotior exprimatur etiam non obtentis literis declaratorijs; ſed tantum docuit non ſatis eſſe explicare gradus cognationis &c. dicendo ſum⁹ in tertio gradu, ſed debere etiam dici in linea recta ob reuerentiam, quæ cõiunctis in ea linea debetur. Secundo non ſatis percipio quam connexionẽ habeat diſpoſitio Pij V. caſu poſito, vt ex ea Pontius valeat inferre contra Sancium, & præter dicta ſuperius, videtur etiam res omnino diſparata: nã ibi Pontifex agit, quando concurrunt duo gradus vnus proximior ſtipiti, alter remotior, & ait remotiorem exprimendum. hic vero in caſu poſito, quãdo linea ẽ recta, vt ſi Nepos vellet ducere auiã: nõ ẽ iſta inæqualitas: ſed sũma æqualitas & vn⁹ grad⁹ ſimplex nẽ pe ſecũd⁹: cum Nepos eo gradu diſtet à ſuo patre nempe in primo, quo ab eodem Patre diſtat auia nempe in primo; Pater enim Nepotis eſt filius auię: neque in hoc caſu Sancius dicit diſcrimen eſſe: quando fœmina eſt vna, vel contra, ſed indifferenter ait eſſe exprimendum num linea ſit recta, & nõ ſatis eſſe exprimere gradum coniunctionis ibi (*v.g. ſi vellet quiſpiam ducere auiam; vel proauiam, neptem vel proneptem &c. aut matrem, filiamue ſponſæ de futuro, vel e contra fœmina auum vel proauum proprium*) hinc patet ſolutio argumenti poſiti à Pontio ſcilicet non eſt neceſſaria inæqualitatis explicatio quando gradus propinquus concurrit cum remoto: ergo neque neceſſarium eſt explicare qualis ſit ea propinquitas, vel diſtantia; ſic enim in forma reſpondeo. Concedo antecedens. & diſtinguo conſequens quando gradus propinquus concurrit cum remoto eſto conſequentia: quando non concurrit ſed eſt vnus tantum gradus vt eſt in caſu noſtro nego conſequentiã: nam valde diſparata eſt ab antecedenti: cum Pontifex loquatur de gradib⁹ mixtis ex vno remotiori & alio propĩquiori à ſtipite, quod non inuenitur in linea recta, vt patet cõſidẽranti, & ex dictis *diſ.* 50. *lib.* 7. quod ſi hęc conſequẽtia ex vi dicti antecedẽtis poſſet inferri; Poſſet quis etiam cõtra ea, quæ docet Pontius *n.* 25. & communiter tradunt Doctores vt *diſ. hac nu.* 2. dixi. ſic argumentari: per motum Pij habetur vt in quibuſcumque diſpẽſationibus in gradibus diuerſis prohibitis; quomodocumque illi ſint, attẽdatur gradus remotior: ergo nõ eſt neceſſarium explicare ſi duplici ex parte ſint conſanguinei vel affines &cęt. quę ſane conſequentia negatur à Pontio: & merito: ſic etiam negabit Sanchez illam à Pontio deductam ex poſito antecedenti ob dictam rationem. Secundum autem Pontij argumentũ, ibi *ſi enim in recta linea conſanguinitatis eſt impedimentum naturale vsque in infinitum dispensatio eſſe non potest. ſi vero non extenditur in infinitum, & petitur in eo gradu in quo diſpensatio eſſe potest; nõ video cur neceſſe ſit diſtantiam explicare* hoc inquam argumentum deficere videtur tum quia videtur aperte ſupponere doctrinam Sancij eo *n.* 14. eſſe vt in linea recta explicetur diſtantia à ſtipite; quod falſum eſt, ſolum enim Sanchez dicit *Credo neceſſarium eſſe exprimi an diſtantia graduum ſit in linea recta* ideſt an ſit cõiuncto in linea recta vt clariſſimè ipſe cõcludit *non ſatis eſſet exprimere gradum coniunctionis; ſed explicandum eſſet eſſe in linea recta* ſolũ ergo vult Sãch. vt nõ ſufficiat dicere ſumus in ſecundo gradu, ſicuti ſufficeret, quãdo ſunt in linea trãſuerſa; ſed addendum: ſumus in ſecundo gradu lineæ rectæ. nec attendit hic propinquitatem cum ſtipite ex parte fœminæ, vt in linea inæquali tradidit *n.* 12. affert enim exempla ſi nepos vellet ducere auiam, vel neptis auum inter quos eadem eſt à ſtipite diſtantia vt inter proneptem, & proauum. tũ etiam deficit Pontij argumentum:

quod

quod ait se non videre, cur necesse sit distantiam explicare,& quidem si nomine distantiæ intelligat, quod sit exprimendum propinquitas,vel distantia à stipite,vt etiam insinuare videtur in primo argumento ibi:*ergo necessariũ non est explicare qualis sit ea propinquitas vel distantia* bene ducit, sed malè cõtra Sãcium arguit,cum is id non dicat: si vero nomine distantiæ intelligat gradum cognationis,minus rectè ait se non videre, cur sit explicanda, an sit in linea recta : nam clarum est Sancij fundamentum,ait enim (*quia parentibus alterius coniugis, vel sponsâ de præsenti vel de futuro fere eadem reuerentia debetur ac proprijs,atque proinde multo indecentius est id matrimonium quam vbi distantia gradus est in linea trãsuersa* & de proprijs iam supra dixerat n. 12. esse illam indecẽtiam &c.ergo hanc rationem debuisset Pontius impugnare vel saltem referre: licet enim petatur dispensatio in his gradibus lineæ rectę in quibus potest Pontifex dispensare; atque maiori difficultate in his dispensat,quam in linea transuersa;ob maiorem indecentiam, quæ reperitur inter coniuges tali cognatione, vel affinitate cõiunctos; maior causa exigitur ad dispensandum : ac per consequens subreptitia censetur dispensatio, si tãtum gradus explicentur & non dicatur esse in linea recta, vt ex dictis hac, & superioribus disputat.clarum fit.

Id denique nõ omittam Pontium scilicet mutasse Sancij doctrinam, dũ illam refert.ait enim verbis supra relatis *non video quomodo stare possit, quod docet eadem disp. n. 12. non satis esse explicare inæqualitatem gradus si fœmina sit quæ propinquior est,sed explicare debere an ea fœmina sit in secundo,vel tertio*, vbi loquitur Pontius de propinquitate fœminę cũ stipite & ex modo verborum,vt legenti eius dicta,quæ supra retulimus, videtur dicere, quod Sãcius velit, vt explicetur an fœmina sit cõiuncta cum stipite in secundo, vel tertio gradu ; quod etiam clarius ex consequentia quam infert,apparet;*ne scio quo fundamento deducatur esse necessarium explicare propinquiorem, si fœmina propinquior sit stipiti, quam vir*;& sanè,quamuis Pontius id nõ intelligat tamen dabit ansam lectoribus id intelligendi,cum in ea verba incidunt quapropter asserо Sancium velle, vt explicetur,an fœmina sit propinquior stipiti, quando ea est in secundo gradu vel primo in linea transuersa cum stipite;& si est in tertio cum illo ait id nõ esse exprimendum : & sic dum ait *quod moderarer, quando esset amita vel matertera in secũdo,vel tertio gradu* manifeste loquitur respectu illius,qui vult cum ea cõtrahere,nõ vero respectu stipitis,vt Pontius videtur dicere, & facile poterat aduertere : nam ait Sanch. *quia est hermana optima hermana del Padre, ò Madre del varon*: ideſt, sorella ò sorella cugina,& sic in primo vel secundo gradu cum stipite. *secus si in 4.gradu vt quia est prima segunda dellos.* ideſt cugina secunda & sia in 3. gradu cum stipite,in quarto vero cum viro, qui debet coniux illius esse. satis hæc sint ad ostendendum Sãcium non rectè à Pontio impugnari pluries*eo nu.* 27. cuius verba iam retulimus.

DISPVTATIO XXV.

An petentes dispensationem ad matrimonium ineundum, si habuerunt casu, & ex fragilitate copulam ante obtentam dispensationem, debeant eam exprimere.

1 REspõdeo affirmatiuè.quare si copula habita sit à consanguinets, vel affinibus antequam Põtifex dispensauit,vel antequam ordinarius ex Põtificis commissione dispensationem expediuit; nulla erit dispensatio, nisi expressa fuerit in petitione dispensatinis copula habita. Ratio est,quia stylus curiæ ita obseruat vt incestus hic, nempè copula habita inter consanguineos, seu affines,explicetur in petenda dispensatione ad ineundum matrimonium inter ipsos, vt timore huius manifestationis arceantur consanguinei,& affines à copula incestuosa, &

quam-

quamuis ſequatur poſt diſpẽſationem à Pontifice factam, ſi adhuc ordinarius non diſpenſauit, nulla erit diſpenſatio poſt copulam factam, quia mutatur caſus conceſſus in diſpenſatione, nam adiuncta eſt copula, quæ in conceſſione diſpenſationis non fuit. ita Guttie. *qu. can. l. 2. c. 15. n. 133.* Gallego *de cog. ſpir. c. 24. à n. 3.* Petr. Ledeſ. *de matr. qu. 59. ar. vlt.* dicens eſse Decl. Card.

2 Vnde ſequitur, quod ſi Iudex Eccleſiaſticus interroget eos, qui obtinuerunt diſpenſationem an habuerint copulam, ipſi teneantur illam fateri, quãuis ſit occulta, ſi velint diſpenſatione vti, aut occultè non obtinuerint diſpẽſationem pro foro conſcientiæ, quia ea interrogatio tendit ad hoc vt impediatur vſus diſpenſationis ſubreptitiæ ob taciturnitatẽ copulæ nõ expreſſæ.

Excipe tamen tres caſus, in quibus non eſt neceſſe, vt explicetur copula inceſtuoſa.

3 PRimus eſt, quando iam diſpenſatio eſt ab ordinario expedita, ſi enim tunc copula ante initum matrimoniũ ſequatur valet diſpenſatio, quia nõ eſt inceſtuoſa ſublato iam impedimento, vt *lib. 7. diſp. 5.* dictum eſt, & in hoc omnes conueniunt, quod etiam verum eſt quamuis ſub conditione conceſſa fuerit diſpenſatio; *ſi copula non interuenerit*, nam verè fuit adimpleta conditio in expeditione diſpenſationis.

4 Secundus caſus eſt, quando copula eſt habita inter cognatos ſpirituales, tunc enim ea non debet exprimi, quia non eſt verus inceſtus. ita Nauar. *l. 4. conſ. tit. de cen. ſp. 2. edit. conſ. vlt.* contra Gallego *lo. c.* licuti non debet exprimi quando non eſt conſummatus cum ſeminatione intra vas, aut quando vnus tãtum commiſit inceſtum ex eo, quia alter ignorabat cognationem; quia nõ eſt totalis, & vndequaq; inceſtus.

5 Tertius caſus eſt, quando inceſtus ẽ occultus, tunc enim non oportet illũ exprimere in petitione diſpenſationis ſed ſatis eſt petere eius diſpenſationẽ in ſacra pœnitentiaria, explicata quoque cognatione; vel affinitate, ſuper quibus petita eſt publicè à Pontifice diſpenſatio, vt *diſp. 23.* dictum eſt. ita Galleg. *conſ. 4. lib. 4. de conſang. in 2. edit.*

6 Sunt tamen in hac re duæ ſententiæ ambę probabiles: prior docet nõ eſſe neceſſariam in petitione diſpẽſationis mentionem copulæ, quia ea nec ex natura rei, neq; ex iure Eccleſiaſtico reddit difficiliorem diſpenſationem, nõ ex natura rei, nam potius ob copulã habitã facilius datur diſpenſatio, neq; ex iure Eccleſiaſtiſio cũ impedimentũ inceſtus iã ſublatũ ſit contraria cõſuetudine. ita Nauarr. Ouand. Emm. Sà, Man. *infr. ci.* & alij viri grauiſſimi, quos refert & ſeq. Henr. *lib. 12. c. 2. n. 4.* adeò vt ſi Iudex petat à volentibus cõtrahere; an habuerint inter ſe copulã ipſi nõ tenentur illã fateri, ſed poſſint negare etiã cũ iuramento ſine vllo peccato: nã iuramentũ eſt verũ, nempè non feci inceſtũ; vt ſubſtat huic foro externo, & ideò hanc ſententiã ſequuntur Salzedo *pra.* Berdiaz. *c. 126. in noua ed. col. 17.* qui improbat vſũ receptũ in tribunalibus eccleſiaſticis interrogandi hãc copulam Nauar. *l. 4. conſ. tit. de ſp. in 1. ed. conſ. 2. in 2. tit. de conſang. conſ. 10.* Ouand. *3. d. 41. diſ. vn. ante 12. propoſ.* Manu. *1. t. ſum. 2. ed. c. 238. n. 5. & 8.* Emm. Sà *v. diſp. n. 10.*

7 Quare ſequendo hanc ſententiam probabilẽ deducitur primo, caſu quo Pontifex in conceſſione diſpenſationis apponeret hanc conditionem *dummodo copula non fuerit.* ita diſtinguendum eſſe ſi ea diſpenſatio conceditur in foro externo, copula habita ſi occulta eſt, non reddit irritam diſpenſationem nam illa conditio *ſi copula non eſt habita* debet intelligi in foro externo, ita vt probari poſſit. ſi verò conceſſio diſpenſationis eſt in foro cõſcientiæ, tunc ſi fuit copula, nulla eſt diſpẽſatio, quia clauſula debet intelligi iuxta naturam diſpenſationis. ita Emm. Sà *lo. ci.* quamuis alij abſolutè dicant in hoc caſu nullã eſſe diſpenſationẽ ſiue copula fuerit ãte Põtificis cõceſſionẽ ſiue ãte executionẽ factã ab ordinario, ſic Lud. Lo. 1. *p. tit. c. 296. col. 11.* Cor. *ſũ. q. 45. op. 2. p. 5.*

8 Et idem dicas quando Iudex interrogat conſanguineos, vel affines an inter ſe copulam habuerint, ſi enim diſ-

penſatio eſt pro foro externo non tenentur illam fateri, ſi eſt occulta, nec præceſſerunt indicia, aut infamia, ſi vero eſt in foro conſcientiæ, aut contrahentes in petenda diſpenſatione dixerunt ſe non habuiſſe copulã, & Pontifex opponat clauſulã ſolitam *ſi preces veritate innitantur* tunc tenentur fateri copulam, aliàs ſubreptitia erit diſpẽſatio, quia interrogatio tendit ad examinandum veritatem precum.

9 Secunda ſententia etiam probabilis loquitur cum diſtinctione, ſi copula accidit ante diſpenſationem à Pontifice conceſsam, non valet diſpenſatio, ſi nõ exprimatur talis copula; ſi vero accidit poſt conceſſionem ante excutionem ab ordinario factam, valet diſpenſatio; quia veræ fuerunt preces, nec aliquid tacitum fuit ex neceſſario explicandis. ita videtur tenere Cord. & Ludou. Lop. *num.* 7. relati.

10 Tandem hic aduerte duo. primum ẽ, quod ex ſtylo Curiæ ſolet adijci clauſula in concedendis diſpenſationibus *dummodo mulier rapta non fuerit*, quæ clauſula intelligi debet de raptu facto ad finem ineundi matrimonij, in quo caſu ſolum dirimit matrimonium per Trid. *ſeſſ.* 24. *de matr. cap.* 6. vt dixi *lib.* 7. *diſp.* 13. vbi etiam explicatum eſt, quando ſit raptus; quare ſi illi, qui volunt contrahere matrimonium, & sũt affines, ſeu conſanguinei petunt diſpẽſationem affinitatis, vel cognationis, debent etiam exprimere: an fœmina cum qua contrahendum eſt, rapta fuerit ad finem ineundi matrimonij, alias nulla erit diſpenſatio, etiam ſi non apponatur clauſula hæc in conceſſione diſpenſationis: nam in his intelliguntur clauſulæ apponi ſolitæ ex ſtylo curiæ, qualis eſt hæc vt docet Syl. *v. reſcr. qu.* 3. cum Abb. *C. quod tranſlationem nu.* 3. *de off. deleg.* Immò quamuis impedimẽtum raptus duret ex Conc. Trident. dum rapta manet in poteſtate raptoris, tamen in petenda diſpẽſatione debet exprimi raptus etiam ſi mulier ſit extra poteſtatem raptoris: nã Põtifex ad impediendum hos raptus noluit diſpenſare, niſi in petenda diſpenſatione exprimãtur. ita Caeta. qui ait hãc eſſe expoſitionem cõmunẽ prædictę clauſulæ. *c. ad lim.* 30. *q.* 1. §. 4. *q.* 134. *n.* 366.

11 Secundũ, quod aduertere debes, eſt, quod ſi petentes diſpenſationẽ habuerunt copulam inceſtuoſam ſpe facilius impetrandæ diſpenſationis per talem copulam debent etiã exprimere hunc animum. ratio eſt; quia ſtylus Curiæ, quãdo cõcedit diſpenſationem in impedimento conſanguinitatis, vel affinitatis addit hãc clauſulam, ſeu conditionem *dummodo copula habita non ſit ſpe facilior is diſpenſationis*; ergo ſi tacetur ea ſpes cum deficiat conditio, qua poſita Pontifex vult diſpenſare, diſpenſatio erit ſubreptitia etiãſi ſequamur ſententiã relatam *n.* 7. dicentem non eſſe neceſſarium copulam exprimere, quia quando eſt copula cum animo, ſeu ſpe obtinendi facilius diſpenſationem, Põtifex non vult diſpenſare, niſi hic animus exprimatur. ita Gutt. *l.* 1. *q. can. c.* 15. *n.* 20. Lud. Lop. *c.* 296. *col.* 12. *v.* 3. Emm. Sà. *v. diſp. nu.* 10. quod etiam verum eſt in omnibus gratijs obtinẽdis, quando quis allegat delictum, vt cauſam, ita vt eo non poſito princeps non concederet gratiam eo modo, quo cõceſſit, tunc enim ſi petens gratiam, cõmiſit delictum ſpe illam obtinendi; debet hanc ſpem exprimere, ne ex ſuo delicto commodum reportet.

QVAERES.

An ſi habentes impedimentum dirimens contraxerunt inter ſe matrimonium cum tali impedimento, quando deinde petunt diſpenſationem à Pontifice debeant exprimere ſe contraxiſſe matrimonium irritum, ſiue etiam conſummaſſe, ſi fuit copula.

12 REſpon. affirmatiuè, atque adeo debent explicare ſe contraxiſſe matrimonium non obſtante impedimento, & copulam caſu quo illam habuerint, immo ſi contraxerunt matrimonium eo animo, vt facilius haberẽt diſpenſationem debẽt etiã hũc animũ exprimere, quando petunt à Pontifice diſpenſationem impedimenti, vndecũq; id proueniat; vt docet Petr. de Ledeſ. *de mat. q.* 56. *ar. vlt. dub.* 2. *diff.* 1.

De-

13 Desumuntur hæc omnia ex Conc. Trid. *sess.24. de matr. cap.5.* vbi habet (*si quis contra gradus prohibitos scienter matrimonium contrahere præsumpserit; separetur, & spe dispensationis consequendæ careat, idq; in eo multo magis locum habet qui non tantum matrimonium contrahere, sed & consummare aujus sit*) quibus verbis ostendit debere exprimi in petēda dispensatione matrimonium & copulam; nam vt dixi *lib.3. disp.45.* cum dicat hos contrahentes spe dispēsationis carere, determinat hoc matrimonium esse impedimentum ad dispensationem impetrādam, & tacitè iubet illud exprimi. præterea cum velit refrænare, & punire spem facilioris dispensationis præsumptam, ex matrimonio inito multo magis vult punire spē actualem, quam habēt illi, qui cōtrahunt cum impedimēto, eo animo, vt facilius dispēsationem obtineat. ita Couarr. *4. dec. 1. p.c.6. §.10.* Ant. Cuc. *lib.5. inst. ma. ti. 13. n.8.* Gutier. *q. can. l.2. o.15 u. pen.* Petr. Led *l.c.* Philiar. *de off. fac. p. 2. l.2. c.13* quod verum etiam est, quāuis matrimonium fuerit initum post cōcessam à Pōtifice dispēsationem; sed ātequam ab ordinario fuerit expedita vt docent Man. *1. t. sum. in 2. ed. c. 238. n.8.* Vega *t.2. c.34. casu.98.* & patet ex dictis supra.

14 Circa hanc tamen cōclusionem nota primo, quod si contrahentes matrimonium cum impedimento dirimēte, tale impedimentum ignorabāt; siue vtriq: siue vnus tātum coniux. ita distīguendum est si præmiserunt denunciationes solitas in Ecclesia tūc non incurrunt pœnam impositam in *d. cap.5* à Trid. sed possunt petere dispensationem impedimenti absq; eo, quod explicent matrimonium initum, aut copulam etiam cum spe facilioris dispēsationis, quamuis ignorantia sit crassa & supina modo non sit ingens temeritas, quia Conc. *d. cap.5.* vtitur verbo *præsumpserit*; quod importat audaciam, & temerariam præsumptionem; vt *lib. 2. disp.40.* dictum est.

15 Contra vero si non præmiserunt denunciationes debitas, aut si habita licentia ab ordinario ne præmitterent illas; ante contractum matrimonij illud consummarunt non præmissis denunciationibus ante consummationē quod prohibet Concil. *d. sess.24. cap.1.* tunc non obstante ignorantia incurrunt pœnas positas n.13. habetur expresse in Conc. Trid. ibi (*quod si ignoranter id fecerint: si quidem sollemnitates requisitas in contrahendo matrimonio neglexerint eisdem subijciantur pœnis, non enim dignus est, qui Ecclesiæ benignitatem facile experiatur, cuius salubria præcepta temere contempsit.*

16 Denique si ignorantia impedimenti sit iusta, ac probabilis ex parte vtriusque contrahentis (nam in gratijs obtinendis bona fides requiritur ex parte vtriusque) non solum non incurrūtur pœnæ prædictæ; sed etiam ea est causa, vt facilius à Pontifice dispensatio concedatur, patet ex verbis Trid. (*si vero solemnitatibus adhibitis, impedimentum aliquod postea subeē cognoscatur; cuius ille probabilem ignorantiam habuit tunc facilius cum eo, & gratis dispensari poterit*) ecce quo modo quādo agit de concedenda gratia facilius, petit ignorantiam fuisse probabilem; quando verò agit supra de incurrēda pœna, vult vt ignorantia sit talis: quæ dicatur præsumptio, vnde qui petunt dispensationem, si velint assignare ignorantiam ad hoc vt facilius cum eis dispensetur casu quo ignorantia fuit crassa, debēt cautè procedere, dicendo se non scienter, & malitiosè contraxisse, quia his verbis neque omnino negant se sciuisse impedimentum, vnde non erit subreptitia dispensatio, neque dicunt scienter contraxisse vnde difficilis sit dispensationis concessio.

17 Nota secundo circa dispositionem prædictam Tridentini, pœnam in eo positam scienter contrahentibus non incurri, quando matrimonium contractum fuit omninò clandestinum sine Parocho, & testibus, quia hi vere non contraxerunt matrimonium, quia clandestinum non est tale cū nō habeat formā substātialē requisitā; nec Trid. punit id, quod raro accidit.

dit.quare hi ī petēda diſpēſatione nō debent exprimere cōtractum matrimonij,ſed ſi fuit copula eam debēt explicare vtpote inceſtuoſam eo modo; quo explicandam eſſe diximus ſupra quādo non eſt matrimonium, ita ēt Henriq. *l.*12. *c.*3.*n.*8.Contra Petrum de Ledeſ. *lo ci.* Manu. & Vegam. qui id videntur etiam ſentire, nimirum in hoc caſu incurri prædictas pœnas.

DISPVTATIO XXVI.

An poſſit quidam tertius impetrare diſpēſationem Titio abſque eo, quod ipſe Titius id mandauerit.

1 REſpondeo affirmatiuè, quod intellige non ſolum, quando quis obtinet literas ad beneficia, vt docet communis opinio, ſed etiam quando impetratur diſpenſatio & alia priuilegia;poteſt enim tertius validè impetrare diſpenſationes,& priuilegia abſque generali,vel ſpeciali mādato illius, cui impetrat.colligitur ex *cap. ſi motu proprio de præb. in 6.* ibi *(ſecus ſi ad petitionem illius, vel alterius pro eodem,* & ex *cap. nonnulli §. sunt,& alij de reſcr.* vbi dicitur tanquam quid ſpeciale literas ad lites impetrari non poſſe, abſque mandato, ergo literæ ad alias gratias & priuilegia poſſunt impetrari, cum nō militet eadem ratio,nempe vitiādi lites.ita Hoſt. *d.c. nonnulli in fine.* Fel. *n.*45. Greg.Lopez *l.* 39. *v. ſin perſonerta ti.*18.*p.*3. Nauarr. *l.*4. *con.* 1.*edi. t. deſpon. con.* 14.

2 Non prodeſt autem diſpēſatio, aut beneficium niſi acceptetur ab eo,cui impetrata fuit, vel ab alio habēte ſpeciale mandatum ab ipſo, vt latè dictū eſt *lib.* 3. *diſp.*36. & in beneficijs docet Felin. *d. c. nonnulli.*

In qua re illud aduerte,quod ſi duo cōtrahentes habent impedimentum dirimens,quod ſit vtriſque commune vt impedimentum cognationis; vel affinitatis, nam ſi vir eſt cōſanguineus mulieri, hæc erit cōſanguinea viro. tunc ſi vnus ex his v.g. ſolus vir obtineat diſpenſationem impedimēti, vel vnus ſolus acceptet, poteſt inire matrimonium cum altero ignorāte talē impetrationem diſpēſationis;ratio eſt quia eo ipſo, quod vnus acceptat diſpēſationem fit habilis ad cōtrahēdum cum alio, cum quo habet impedimētum cognationis;ergo etiam ille, qui ignorat diſpēſationem fit habilis per illam diſpēſationem ab alio ſolum acceptam.ita Nauarr.*lo.ci.*. & ſupponūt omnes Doctores.

3 At ſi impedimentum nō ſit commune, vt ſi vnus, aut ambo vouerūt caſtitatem, debet ab eo acceptari,qui habet impedimentum, vel ab alio eius mandato, quia diſpēſatio impetratur habenti impedimentum, nec in hoc caſu poteſt extēdi ad alium per neceſſariam cōnexionem, vt *numero præcedenti* dixi.

DISPVTATIO XXVII.

Explicatur, quomodo poteſtas delegata diſpenſandi, & quæuis alia expiret morte, aut ceſſatione officij ipſius Delegati.

1 DIſpenſatio ſemel cōceſſa legitimè poteſt extingui variis modis in hac diſputatione quærimus, quando extinguitur morte,vel ceſſatione officij delegati v. g. ſi Pōtifex committat ordinario, vt diſpēſet cum Berta in impedimento cognita precum veritate, & ordinarius,qui in hac cauſa eſt Delegatus Papæ, moriatur, vel ceſſet ab Officio.

2 In qua re hæc eſt regula generalis, quod quādo commiſſio facta à Papa ē perſonalis,nempe ſpecialiter cōceſſa alicui perſonæ v.g. D.Ioannettino Doria:tunc eius morte extinguitur,ſi vero eſt realis, cōceſſa ſcilicet dignitati vel officio, vt Epiſcopo Panormitano morte D. Ioannettini Doriæ nō extinguitur cōceſſio; quia dignitas Epiſcopalis remanet in ſucceſſione. Verum quoniam hoc ipſum aliquando eſt dubium,an ſcilicet commiſſio ſit realis, vel perſonalis,ideo ad hac dignoſcendum.

QVAE-

QVAERES I.

An quando commiſſio fit expreſſo ſolo nomine Delegati, aut ſolo nomine officij, vel dignitatis ſit perſonalis, an potius realis.

3 REſpõdeo ſi ex alijs verbis cõtẽtis in diſpẽſatione, vel ex ſubiecta materia deduci poteſt, commiſſionem eſſe realem, aut perſonalem; tunc ita iudicandum eſt, ſiue commiſſio fiat expreſſo nomine Delegati, ſiuè ſolum dignitate; vt ſi Pontifex committat cauſam Epiſcopo Panormitano tacito eiꝰ nomine, & declaret ſe illi committere hanc cauſam ob eius prudentiam &c. tunc commiſſio eſt perſonalis, vt patet ex verbis. quę addit Pontifex, quãuis in ea fuerit expreſſa ſola dignitas, ita Menoch. latè id probans *de præſu. lib. 1. p. 30. n. 1.* Io. Andr. *reg priuileg. de reg. iur. in 6.* Abb. *nu. 8. de off. de leg.* vbi Card. *quæſt. pen.* Imola *n. 8. &* alij cum Decio *C. quoniam* Abbas *in nou. edi. nu. 36. de off. deleg.* qui bene addit in dubio ſi concurrat præſumptio perſonalis, & realis præſumi perſonalem.

At ſi neque ex verbis in commiſſione poſitis, neque ex materia poteſt deduci, an delegatio ſit perſonalis, vel realis. ita eſt diſtinguẽdum ſi ſolum exprimatur nomen Delegati, vt committo hoc Petro, eſt commiſſio perſonalis; & per cõſequens nõ tranſit ad ſucceſſorem, quod verum eſt. quamuis Delegatus inceperit cauſam, & quamuis ſit ignotus delegãti, nam ſemper militat eadem ratio, nimirum perſonam perire, ergo commiſſio ei facta cum ea extinguitur, & parum refert, an cauſa ſit incepta nec ne, & an delegatus ſit incognitus delegãti, vt vult Iaſon. *l. more n. 65. limi. 6. ff. de iurisd. omnium iud.*

4 Si vero commiſſio fiat expreſſo ſolum nomine dignitatis, vel officij, vt ſi dicatur, committo hoc Epiſcopo Panormitano, tunc delegatio eſt realis, nec expirat morte delegati, ſiue res ſit integra, vt ſcilicet Delegatus, qui mortuus eſt, cauſam inceperit, ſiuè nõ. ratio eſt, quia dignitas eſt perpetua, ergo etiam commiſſio facta dignitati. ita docent Abq. *C. quoniam* Abbas, Hoſt. Io. Andr. Anto. & alij ſcribentes. Men. *de arbi lib. 1. q. 68.* Dec. *d. l. more* vbi Zaſius, & Bellapertica.

5 Quod verum eſt nimirum commiſſionem factam dignitati nõ extingui morte Delegati, ſed ad ſucceſſorem trãſirè. Primo etiamſi commiſſio illa ſit nudum miniſterium, vt executio facti, quia militat ſemper eadem ratio, vt bene docẽt Hoſt. *C. fin. n. 11. de offi. deleg.* vbi Abb. Card. Imol. Dec. *loc. ci.* vbi Caccialupus, Menoch. *loc. ci* quem vide *à nu 4. & à nu. 26.* Contra Bart. *d. l. more* Ruin. *conſ. 115. vol. 1. num. 9.* Beroium dicto *C. quoniam*; qui volunt tunc commiſſionem ad ſucceſſorem trãſire; quãdo continet aliquam iuriſdictionem.

6 Secũdo etiamſi Delegatus ſit cõiũctus amicitia, aut cognatione cum delegãte, ſi tamen in commiſſione illi facta exprimitur ſolum dignitas, nec aliud cõſtat, commiſſio eſt realis, & trãſit ad ſucceſſorem, nam ſtylus, & cõſuetudo obtinet, vt delegationes committãtur perſonæ in dignitate cõſtitutæ iuxta *cap. ſtatutum in princ. de reſcrip. in 6.* ne in hac re iudicandum eſt ſicuti in legatis, vt ſiquis relinquat legatum Epiſcopo Panormitano, qui eſt ſibi familiaris, vel cõſanguineus, legatũ præſumitur perſonale, quia in legatis ſolet attendi conſanguinitas.

7 Verum hoc, nimirum commiſſionẽ factam expreſſo dignitatis nomine trãſire ad ſucceſſorem, etiam in caſibus prædictis, intelligi debet quãdo dignitas, quæ explicatur, eſt talis, quę propriè habeat ſucceſſorem, qualis eſt ſola illa, quæ perpetuò in Eccleſia requiritur, vt docet Dominicus *cap. ſtatutũ de reſcr. in 6. n. 8.* Cõtra vero ſi dignitas nõ ſit perpetua in Eccleſia, ſed ad nutum amouibilis, tunc enim nõ tranſit ad ſucceſſorem, vt ſi Pontifex committat legato etiam à latere ſub nomine dignitatis non eſt perpetua in Eccleſia, nec in ea daꝛ ſucceſſor. ita Ant. Abb. Hoſt. Imola & alij *d. c. quon* Abb.

Hinc

8 Hinc ſi attento iuris rigore loqui velimus: commiſſio facta Vicario Generali Epiſcopi, vel eorum, qui habent iurisdictionem Epiſcopalem, & Canonico ſub nomine dignitatis non tranſit ad ſucceſſorem ob dictam rationem, quia verè iſti non habent propriè ſucceſſorem, & dignitatem. & ita docent Bart. *d. l. more.* vbi Fulgoſius Zaſius. Bellapertica, Iacobinus Caccialupus cum Decio Felino Beroio Franco & alijs *c. quoniam.* Abb. quos citat Sanch. n. 8. tamen quia praxis teſtatur mentem Pontificis eſſe vt dum hæc committit Vicario ſub nomine Vicarij reſpiciatur Tribunal Vicarij vt ſic, ideò mortuo Vicario, cui commiſſio realis facta eſt, ad alium Vicarium tranſit, quod piè factum eſt, ne fiant expenſæ in impetrandis alijs reſcriptis mortuo Vicario, cui ſæpè ſolet commiſſio à Pontifice fieri. ita Abbas *d. c. quoniam* Abb. *n.* 9. & 11.

QVAERES II.

An commiſſio facta expreſſo nomine delegati, & etiam dignitate ſit realis an potius perſonalis.

9 REſpondeo eſſe cenſendam perſonalem. ratio eſt, quia nomen generale, vt eſt nomen dignitatis reſtringitur per nomen ſpeciale, quale eſt nomen proprium: ergo poſito nomine proprio commiſſio facta debet reſtringi, vt non extendatur vltra alias perſonas, vt ſi dicatur committimus Panor. Epiſcopo Franciſco non debet extendi ad ſucceſſorem; nam concurrente genere, & ſpecie in eadem perſona genus reſtringitur per ſpeciem *cap.* 1. *de reſcript. & cap. ſtatutum de decimis in 6.* ita Io. Andr. Imola Tancredus Henricus, & alij. ibi at in caſu poſito genus ē dignitas, & ſpecies ē ꝑſona.

10 Verum ſi appoſito nomine proprio & intellecta commiſſione vt perſonalis, redderetur ea commiſſio inutilis; tunc debet intelligi, & præſumi realis. Contra verò ſi intellecta commiſſione vt reali redditur diſpoſitio inutilis, debet intelligi, & preſumi commiſſio perſonalis, quia in dubio ea interpretatio accipienda eſt, qua poſita actus valet *l. quoties ff. de rebus dubijs.* niſi ex illo ſenſu vtili intelligatur obuenire alteri damnum iniuſtè, vt bene notat Berous. *c. quoniam* Abbas *de off. deleg. n.* 94. ita limitant Bart. & Angelus *l. ſi ſeruus communis ff. de ſtip. ſeru.* Abb. & v. Card *d. c. quoniam.*

11 Sunt tamen in hac res tres ſententiæ probabiles.

Prima docet ſemper cenſendam eſſe realem, quia dignitas eſt firmior ita Gloſſ. *in l. cum ita* 93. *ff. de cond. & demon.*

Secunda docet ſi præcedit nomen proprium commiſſionem eſſe perſonalem. ſi verò nomen dignitatis, realem, quia in dubijs debet iudicari iuxta ordinem poſitum in litteris; ergo ſi prius ponitur perſona dicenda eſt cōmiſſio perſonalis, & contra ita Bart. *l. mare ff. de iur. omn. iud. fine.* vbi Deci. *n.* 55. Iaſ. *n.* 6 Zaſius, & alij.

12 Tertia denique ſic diſtinguit, ſi ille, cui fit commiſſio, eſt notus deleganti, tunc attendendum eſt vtrum prius ponatur nomen proprium; an nomen dignitatis. vt docet præcedens ſententia ſi verò eſt ignotus, ſemper eſt realis facta dignitati probant *ex l. ſi ſeruus comm. ff. de ſtipulat. ſeru. iuxta l. pen. ff. de rebus dubijs.* ita Fulgoſius *d. l. more n.* 24. vbi Caccialupus *n.* 37. Menoc. *de arbitr. li.* 1. *q.* 68. Greg. Lopez. *l.* 47. *ti.* 18. *p.* 3.

QVAERES III.

An ſi Delegatus non moritur, ſed amittit dignitatem, in qua erat tempore commiſſæ delegationis, expiret Delegatio ſiue ſit realis, ſiue perſonalis.

13 REſpondeo cum hac diſtinctione ſi commiſſio eſt perſonalis, tunc ſiue res ſit integra, ſiue non, non extinguitur ex eo, quia Delegatus dignitatem amiſit, ſed eo viuente apud ipſum remanet, quia commiſſio perſonalis ſequitur perſonam, nec obſtat

tex.

tex. cap. ſtatutum de reſcrip. in 6. vbi dicitur non poſſe cauſas à ſede Apoſtolica, aut eius legato promanantes committi, niſi perſonis in dignitate conſtitutis, quia intelligitur, vt explicat Gloſſa *ver. canonicis*, in commiſſione, in qua ſatis eſt ſi legatus habet dignitatem; non autem requiritur, vt in executione legationis etiam habeat dignitatem; nam capacitas initio commiſſionis ſpectanda eſt *cap. ſi eo tempore de reſcr. in 6.* Excipe tamen niſi Delegatus ſit priuatus dignitate, vel officio in pœnam delicti, aut ad eum ſtatum tranſierit, in quo factus ſit incapax iurisdictionis Eccleſiaſticę. ita Decius *c. quoniam* Abb. *de offic. delegat.* vbi Felin. Beroius Francus. *c. ſtatutum de reſcrip. in 6.* vbi Domin. Fulgoſius *l. more n. 25. ff. de iuris. om. iud.* Flaminius *de reſig. ben. l. 1. q. 12. n. 15.*

14 Si vero delegatio, ſeu commiſſio eſt realis facta ſcilicet dignitati, ſi delegatus deponitur, vel aliam acquirit, quæ non continet primam; ſed illam extinguit, vt ſi erat Decanus Eccleſiæ Panormitanæ, & poſtea fit Archiepiſcopus eiusdem Eccleſiæ, tunc delegatio expirat in eius perſonâ, & tranſit ad ſucceſſorem in illa dignitate, quam uis res non ſit integra, ratio eſt quia quando fuit facta commiſſio realis, tantum ſpectata eſt dignitas; ergo talis commiſſio ſequitur eum, qui habet talem dignitatem. & ab illa pendet in conſeruatione. ita Caccialupus *l. more. d.* Innoc. *d. c. quoniam* Abb. Io. Andr. *c. quamuis de off. deleg. in 6.* vbi Anchar. Dominic. Franc. Bellamera *d. c. quoniam* Abb. Card. ibi *n. 4. q. 4.* Baldus *n. 3.* Henricus *n. 10.* Abbas *nu. 14.* & alij.

QVAERES IV.

Quando Pontifex committit diſpenſationes exequendas ab officiali diœceſano, quiſnam intelligatur.

15 REſpondeo, & dico primo nomine officialis diœceſani intelligi primo Vicarium Generalem Epiſcopi. ſecundo Vicarium Generalem ſede vacante, etiamſi reſcriptum dicat officiali Epiſcopi. Tertio Vicarios generales prælatorum habentium iuriſdictionem quaſi epiſcopalem, *in* ſua diœceſi. quarto denique Vicarium Generalem epiſcopi confirmati, & nondum conſecrati, quare hi omnes poterunt exequi has diſpenſationes, quæ committuntur officiali diœceſano, vel officiali Epiſcopi. patet *ex Cle. 1. de reſcr. in 6.* vbi nomine officialis venit Vicarius epiſcopi, ſeu habentis iurisdictionem epiſcopalem ex ſententia Doctorum citandorum, quam habent non ſolum Epiſcopi, ſed etiam alij Prælati, & epiſcopi ſolum confirmati. ita loquentes de Vicario epiſcopi ſede vacante Gloſſ. Car. Anchar. Imola *in d. clem. 2.* & de Vicarijs aliorum prælatorum docet vt probabile Paulus quem refert, & ſequitur Anch. l. c. & alij.

16 Vnde non poterit has litteras expedire epiſcopus, nam differt epiſcopus ab eius officiali *cap. venerabilibus in princ. de ſent. excom.* nec capitulum ſede vacante, quia ſuccedit ipſi epiſcopo non officiali ipſius. ita præter citatos Doctores tenent Bellamera *c. quoniam* Abbas *de off. dele. q. 11.* vbi Decius *in noua edit. n. 62.* Feder. *conſ. 130. factum tale eſt ad finem.* Bertachinus de epiſcopo *p. 7. l. 4. q. 4.* Rebuff. *prax. ben. ti. de forma vicariatus n. 161.* Immo ſi ipſemet Vicarius fiat epiſcopus non poterit exequi illas diſpenſationes, quas antea poterat ex eo, quia commiſſa fuerant officiali diœceſano, & multò minus ſi à Vicariatu remoueatur, quia talis commiſſio eſt realis; ergo ceſſat ceſſatione officij: contra verò ſi ſit cõmiſſio perſonalis mutata etiam dignitate, vel ſi ab ea ſit remotus poterit commiſſionem etiam nondum ceptam exequi, modo non ſit ob delictũ, vel ſtatim incompatibilem iurisdictioni aſſumat, vt diximus quæſt. præterita. & tenent Anchar. & Imola *d. cle. 2.*

17 Dico ſecundo ſi duo ſint officiales epiſcopi, & commiſſio ſimpliciter dicat officiali epiſcopi, vel diœceſano;

tunc

tunc ſi vnus ex illis eſt principalior ipſe ſolus poteſt exequi reſcriptum ex *Clem.2. de reſcriptis.*

Si verò ambo ſint æquè principalio res,ille poterit cognoſcere quem pars elegerit,quia de illo ſenſit,cum literas impetrauit, quando literæ ſunt gratiarum;nam ſi agitur in materia contentioſa neuter poterit eſſe Iudex cum effectu, donec princeps delegans declaret quiſnam eorum debeat eſſe Iudex. eſt ſententia receptiſſima ex Anchar.Abb.Hoſt.& alijs multis. *d.c.quoniam* Abbas.

18 Vbi duo nota primum eſt,quod facta ſemel præſentatione reſcripti vni ex ordinarijs non poterit amplius adiri alius,etiam conſentiente priori,cui præſentatio facta eſt ; niſi illo mortuo aut è dignitate amoto , vel ob morbum impedito, quo caſu alter ſupplet eius officium: ratio eſt,quia vbi ſemel iudicium cęptum eſt, ibi debet terminari *l.vbi cæptum* 30. *ff. de iudicijs.*

19 Secundum eſt, quod poſtquam ordinarius dedit ſententiam definiendo matrimonium contrahi non poſſe per illam diſpenſationem , non poterit amplius illam retractare, quamuis deceptum ſe fuiſſe cognoſcat; ſed debet Pontifex adiri, quia Iudex delegatus non eſt. ſicuti Iudex ordinarius, qui poteſt ſententiam ſuam reuocare quando fuit bene prolata , vt docent DD. in *l. iudex ff. de re iudicata* cum Tiraquel. *l.boues §.hoc ſermone declaratione 61 ff de verb. ſig. multis citatis* , & iam ſententia hæc trãsijt in rem iudicatam,& ipſe officio delegati eſt functus; at ſi dedit ſententiam, qua definiuit diſpenſationem fuiſſe legitimam & matrimonium fuit ob eam ſententiam initum, tunc ſi aduertit ſe fuiſſe deceptum , cum ſententia illa non tranſierit in rem iudicatam,vt dictum eſt *lib.7.diſp.110.* quia foueret peccatum ; poterit iterum talis ordinarius cauſam cognoſcere , & illos ſeparare non vt delegatus , nam iam ceſſauit eius delegatio per datam ſententiam, ſed vt ordinarius ne contrahentes ſint in peccato.

20 Contra verò ſi diſpenſatio fuit commiſſa confeſſori in foro conſcientiæ, quamuis ſi ille diſpenſauit,non poſſit iterum diſpenſationem reuocare;quia iam conſumata eſt diſpenſatio:tamen ſi putet illam ſubreptitiam,poterit deinde mutare ſententiam , vel etiam pœnitens alium adire illo relicto;quia talis commiſſio ſequitur naturam fori conſcientiæ, in qua non tenetur pœnitens acquieſcere ſententiæ vnius confeſſarij,ſed negante vno abſolutionem poterit alium adire contrarium tamen tenet Nauarra *lib. 1. conſ. in 2. editione tit.de off. delegati conſ. 8.*

21 Dico tertio licet poſſit Epiſcopus aliũ Vicariũ generalem conſtituere priori amoto, vel ipſemet Vicarius facultate Epiſcopi alium ſubſtituere , in quo caſu hic ſubſtitutus diſpenſationem exequi poteſt iuxta dicta; tamen Epiſcopus id faciens poſſet puniri vt perturbator iurisdictionis delegatæ,ſi in eius fraudem Vicarium generalem mutet,ne ipſe exequatur illam diſpenſationem *cap. 1.de offic. delegati*,nec poterit Vicarium ſpecialem conſtituere, vt de ea ſola diſpenſatione cognoſcat; quia hic non habet ordinariam Vicarij iurisdictionem , ergo non poterit exequi commiſſionem factam officiali epiſcopi,vel diœceſano.

22 Denique hic nota quod ipſe Vicarius non poteſt totam ſuam delegationem alteri ſubdelegare ; ſed tantum receptionem teſtium , & informationem reſeruando ſibi diſpenſationem ratio eſt, quia quando princeps committit nudum miniſterium , & iuriſdictionẽ alicui,hic poteſt ſubdelegare iurisdictionẽ,qualis eſt recipere teſtes & informationem , non tamen nudũ miniſterium , quale eſt in noſtro caſu diſpenſatio , vt docet Felinus *c. fin. §. vlt.de off. de leg.* Menochius *conſ. 17. a n.6.vol.* 1 quo caſu ſi receptio teſtium fiat à ſubdelegato in propria diœceſi, fit poteſtate ordinaria ſibi competenti,ſi in aliena fit poteſtate illa ſubdelegata.vt docet Card.*clem. vni.de off. deleg.*nec huic doctrinæ obſtat in reſcripto à Pontifice facto dicatur, conſcien

tiam

tiam tuam oneramus, quia quando hęc verba non diriguntur perſonę nominatæ, ſolum ſunt poſita in admonitionem, non pro forma, vt docet Nauarr. *lib.* 1. *conſ. in* 1. *edit. tit. de off. Vicar. conſ.* 2. *in* 2. *tit. de off. deleg. con.* 6.

DISPVTATIO XXVIII.

An poteſtas delegata ad diſpenſandum, vel ad aliquid aliud, expiret morte delegantis, vel ceſſatione officij re integra.

1 REſpon. ſi loquimur de literis per viam legis, & conſtitutionis, aut per viam contractus emanantibus certum eſt eas non expirare morte concedentis: nam lex ſua natura eſt perpetua *l. cũ eorum c. de ſent. interloquutoria*, nec ſucceſſor contractũ prędeceſſoris reuocare poteſt ex *c. p. de probation.*

2 Similiter nec iuriſdictio ordinaria, etiam ſi ſit conceſſa ad beneplacitum concedentis expirat morte ipſius, quãuis res ſit integra: ratio eſt, quia gratia facta, qualis eſt iuriſdictio ordinaria conceſſa, non expirat *cap. ſicut nulla de probat. in* 6. adde quod vtilitas publica id exigit, vt docent Bald *l. meminiſſe n.* 2. *ff. de offic. Proconſ.* & alij quos ſequitur Menoch. *de arbitr. l.* 1. *q.* 69. *num.* 9. excipe tamen iuriſdictionem Vicarij Generalis, quæ expirat morte Epiſcopi ex eo, quia eſt ipſi acceſſoria, vt *lib.* 3. *diſ.* 29. dictum eſt.

3 Si vero loquamur de poteſtate delegata ad exequendas literas iuſtitiæ, aut gratiæ, & quæramus an ſi Pontifex v.g. committat Epiſcopo vt expediat aliquas literas gratię, & mori atur; expiret etiam illa commiſſio. diſſentio eſt inter Doctores, quam per ſequentes quæſtiones expediam, ſed prius ad earum ſolutionem.

Explicatur, quando res ſit integra, aut nonintegra.

4 Deciſio huius quæſtionis in tribus caſibus poteſt habere locũ. Primo in rescriptis iuſtitiæ, quæ dãtur ad lites alicuius finiendas &c. Secũdo in reſcriptis gratiæ, quando v.g. Pontifex committit Epiſcopo; vt diſpenſet cum Titio in tali impedimento. Tertio denique in reſcriptis in quibus variæ cauſæ ſimul conceduntur.

In primo caſu, quando reſcripta ſunt iuſtitiæ, Res deſinit eſſe integra per ſolam partis citationem iuridicè factam, vt ſcilicet fiat auctoritate delegati. Probatur *ex c. gratum de offic. de. legat.* ibi (*cum citatione facta negotium ſit quaſi cœptum*) & *cap. fin. eodem.* ibi (*ſi citatio non præceſſit.*) Et ratio eſt, quia cũ hęc iuriſdictio delata perpetuari debeat reſpectu partium, requiritur, vt interueniat aliquis actus erga partem, ſed primus actus iuriſdictionis erga partem eſt citatio; ergo ita Specul. *tit. delegato §. finitur autem.* Mona. *C. ſi delegatus de offic. deleg. in* 6. Anto. *c. licet vndique n.* 12. *&* 13. *de offic. deleg.* vbi Bald. *num.* 3. Card. *quæſt.* 6. Abb. *numero* 4. Maranta *de ordine Iudiciorum* 4. *par. d.* 5. *an iudicium ſit ordinarium, vel delegatum* Fulgoſ. Roma. Decius & alij *l. more ff. de iuriſdict. omn. iudic.* Contra Ioa. Andr. Hoſt. Anchar. & alios, qui dicunt ſufficere, quod iudex cæperit vti iuriſdictione quomodocumque ex *t. licet vndique de officio delegati.* vbi textus videtur id decidere, eſtque ſatis probabile.

5 Verum tamen eſt, quod ſufficit vna citatio; immò etiam ſi ad partis notitiam ea non peruenerit, ſed tantum iudex decretum protulerit citandi, res deſinit eſſe integra. Probatur ex *cap. d. gratum*, vbi dicitur *Propoſito citationis edicto*; ergo non eſt neceſſe, vt ad partis notitiã perueniat; iam enim actus iuriſdictionis Iudicis perfectus eſt per mandatum citationis. ita Abb. *Clem.* 2. vbi Imola, Bonifac. Ioan. Andr. *d. c. licet undique* vbi Hoſt. Specul. Barthol. citat. & alij contra Card. *d. Clem.* 2. *oppo.* 6. Bald. *d. cap. licet vndique num.* 4. Iacobinum *d. l. more in ſecunda lectura*; & alios aſſerentes probabiliter requiri, vt ad partis notitiam perueniat citatio, nam verba iuris requirentis partis citationem cum effectu ſunt accipienda.

6 Hinc patet, quod nõ desinit esse integra, quando citatio defectu alicuius requisiti, est irrita, quia tunc non est vsus iurisdictionis, sed abusus, quia actus est inordinatus, *ca. vbi ista 73. dis.* & docent Host. Io. Andr. Domin. & alij multi C. *cũ plures de off. deleg. in 6.* & *cap. licet vndiq.* Vitalis *tract. clauſ. clauſ. quod non ſit melior, &c.* modo citatio non ſit circumducta, tũc enim probabile est per eam rem desinere esse integram, quia magis videtur perpetua iurisdictio Iudicis, vt docet Caccialup. *d. l. more in 1. lectu.* Contra Bald. ibi, aut nisi taiis sub delegatio fiat vtrisq; partibus præsenti bus, tunc enim æquiualet citationi.

7 Secundo patet nec rem desinere esse integram, quando Delegatus alteri vices suas subdelegauit, aut quando solum ipse rescriptum à parte præsentatum acceptauit, quia in his non vtitur iurisdictione, nõ quando subdelegat alteri, quia non est exercitiũ iurisdictionis illius delegatæ, sed solum conceſſæ à lege, vt patet ex *c. pen. de off. deleg. in 6.* vbi dicitur, si subdelegatus non proceſ sit in aliqua re ſuę subdelegationis, nec Delegatus delegans, morte eius expira re iurisdictionem. nec quando acceptat rescriptum vtitur iurisdictione, sed præparat se ad exercendam iurisdictionem. *l. quemadmodum ff. de off. test. &c. 15. de procur. in 6.* ita docent pleriq; ex supra citatis Doctoribus contra Ioan. And. C. *licet vndiq; de off. deleg.* vbi Host.

8 In secundo casu nempè in rescriptis gratiæ, in quibus nulla est partis aduerſæ citatio. Dico tunc rem desinere esse integram ob primum actum iudicialem, quem Iudex delegatus post rescripti præsentationem exercet, vt si iubeat fieri informationem veritatis precum ad hoc vt exerceat dispensationem sibi à Pontifice commissam. ita Felin. *loc. cit.* & in simili docet Bar. Bal. & alij. quos refert Maranta *de ord. iud. 4. par. dis. 9. num.* 20.

9 In tertio casu, quando scilicet in vno rescripto plures causæ, vel articuli delegantur. Dico primo si causæ illæ, vel articuli sint connexi siue contra vnam personam, siue plures tunc facta citatione in vna causa, vel articulo res desinit esse integra quoad alia.

10 Quando verò causæ non sunt cõnexæ, siue sint contra diuersas personas, siue contra eandem, tunc si citatio fiat communis, ideſt, nulla causa expressa illius rescripti, res desinit esse integra quoad omnes; quia non est maior ratio de vna, quam de alia causa, Contra verò si citatio est specialis circa vnam causam tantum, res non desinit esse integra in alijs, quia Iudex citans in vna sola causa, videtur suam iurisdictionẽ diuisisse, & persona citata solum tenetur respondere circa illam causam; ergo res erit integra circa alias causas, & multò magis, quando rescriptum est contra personas diuersas, quia tunc nulla est connexio. ita Inn. C. *licet vndique d. n. 2.* vbi Io. Andr. *n. 17.* Card. *q. 7.* Bellamera *n. 11.* Henric. Ang. *l. & quia ff. de iurisd. omn. iud.* & alij loquentes, quando rescriptum est contra eandem personam; nam in alijs casibus conueniunt omnes Doctores allegandi.

11 Dico tertio si plures causæ committuntur per modum vnius, etiamsi non sint inter se connexæ, & sint contra diuersas personas, siue delegatio sit ad vniuersitatem causarum, vt si quis constituatur delegatus ad causas omnes Territorij Panormitani; siue ad generalitatẽ causarum, vt si committantur omnes causæ versantes inter Titium, & Seium, tunc facta citatione circa aliquam causam particulatem desinit res esse integra quoad omnes causas, ratio est, quia tunc censetur vnica tantum commissio: ergo cum Iudex incipit ea vti in aliqua causa censetur vti in omnibus alijs. ita Bart. Paul. Dec. *l. more ff. de iurisd. omn. iud.* Maranta *loc. cit. nu. 61.* Ang. *loc. cit. nu. 5.* Ancharon. Anto. & alij *d. cap. licet vndique.* Contra Bald. *l. mandatum 5. num. 4. C. mandati.* Felin. *d. c. pastoralis.* Alberic. *d. l. more*, vbi Alexan. *numero 37.* Fulgos *fine*. qui putant probabiliter non desinere in prædictõ casu rem esse integram, quoad alias causas circa quas nõ est facta citatio, ducũtur præcipuè ex *cap. ne aliquid de Hæret. in 6.* vbi decer-

cernitur tanquam aliquid ſpeciale in fauorem fidei, ne delegata poteſtas in quiſitorum (qui ſunt delegati ad vniuerſitatem cauſarum) pereat quoad negotia non cepta morte delegãtis, ergo in alijs delegatis ad vniuerſitatem cauſarum perit eorum morte delegata poteſtas.

Dico 4. in cæteris reſcriptis gratię,
12 ac delegationibus non contentioſis ſi plures res committãtur, vt plures diſpenſationes, tunc ſi Cõmiſſarius exercet actum iuriſdictionis communem omnibus, vt ſi mandet citari oẽs illas perſonas, cum quibus eſt diſpenſandũ vt probent veritatẽm precũ, tunc res deſinit eſſe integra, quoad omnes, ſecus verò ſi ſolum exercuit actum iuriſdictionis ſpecialem, quoad vnam, tũc cæteræ remanent integræ. ita Abbas, Heru. Ang. *d. c. licet vndique & C. paſtoralis d.* & alij.

QVAERES II.

An poteſtas delegata ad exequendas literas iuſtitię expiret morte concedentis.

13 REſp. ſi delegans moritur re integra expirat poteſtas delegata. ſi vero res non eſt integra nõ expirat, vt ſi habens poteſtatẽ ordinariã committat Titio aliquam cauſãm litigioſam, ſi Titius delegatus incæpit exercere iuriſdictionem; etiam ſi delegans moriatur, tamen Titius remanet delegatus in illa cauſa donec lis decidatur. Cõtra verò ſi Titius non vſus eſt iuriſdictione mortuo delegante ceſſat eius munus delegationis. Habetur expreſsè *c. gratum. cap. relatum. & cap. licet vndiq; de off. deleg.* & ratio eſt, quia quãdo delegatus non vſus eſt iuriſdictione ea remanet apud delegantẽ; ergo per ipſius mortẽ, aut finẽ officij extinguitur iuriſdictio, quæ eſt in ipſo. At quando delegatus vſus eſt iuriſdictione, tũc ea radicatur in ſua perſona: ergo quãuis moriatur poſtea delegãs, aut ab officio remoueatur nõ perit iuriſdictio delegati

14 Quod nimirũ expirare poteſtatem morte concedentis, verũ eſt primò ẽt ſi delegãs ab officio remoueatur. Secũdò ſiuè delegatus ſit ad vniuerſitatem cauſarum, ſiuè non. Tertio, quãuis ſit delegatus principis; nã militat ratio dicta, & docent Gloſſ. *l. & quia ver. princ. ff. de iur. om. iud.* Bart. *l. more* vbi dicit eſſe omnium *n. 7. ff. eo. ti.* Bald. *n. 6. q. 3.* Alber. Caecialup. Iaſ. Bellapert. Alex. Dec. Maranta *de ord. iudic. 4 par. d. 5.* Bellamera, & alij. Quarto quãmuis partes conſentiant, vt delegat⁹ procedat in cauſa; nam ſi delegãs mortu⁹ eſt re integra, iam ipſo iure nulla expectata ſententia, aut ope exceptionis luriſdictio ipſius expirauit ex *cap. fin. verb. off. de offic. deleg. in 6.* ex *cap. gratum cap. licet vndiq; cit.* & tenent prædicti Doctores cum alijs permultis; ergo poſito, quod iuriſdictio expirauit, partes non poſſunt ſuo conſenſu illa ſupplere. *l. priuat. C. de iuriſd. om. iud.* Quinto etiamſi in conceſſione cõcedens, dicat donec renocauero, vel donec aliud fecero, v.g. Romam petam; nam his verbis non obſtantibus expirat iuriſdictio delegata morte concedentis re integra, quia illa verba non mutant naturam huius iuriſdictionis, vt conſtat ex *cap. ſi deleg. de off. delegati*, & docent Domin. *d. c. ſi deleg. n. 10.* Franc. *n. 4.* Couarr. *3. var. c. 15 n. 4.* Carolus Molinæus *add.* ad Decium *l. 3. fine ff. de reg. iuris.* Iaſon. & Curtius *l. more d.*

15 Limitatur tamen noſtra concluſio nimirum expirare iuriſdictionem delegati re integra morte delegãtis, vel ceſſatione officij in tribus caſibus. Primus eſt, quando per illam delegationem non datur noua poteſtas, ſed ſolũ excitatur antiqua, vt ſi Papa mandat Epiſcopo, vt diſpenſet in voto pœnali cum ſibi ſubdito, eo mortuo re integra poteſt nihilominus Epiſcopus diſpenſare, quia poteſtas Epiſcopi per illam commiſſionem nõ fuit aucta, aut alterata. ita Bart. *d. l. more.* vbi Iaſon. *n. 61.* Abb. *C. rel. de offi. deleg.* cũ alijs ibi

16 Secundus caſ⁹ eſt, quãdo iuriſdictio delegata ẽ acceſſoria gratiæ factæ, nimirũ gratiæ, quę perfectè cõceditur ei in cui⁹ fauorẽ datur, vt ſi abſolutè Põtifex diſpẽſet cũ aliquo, de quã inf. *quæſeq.* tũc. n. non perit delegatio morte dele-

gantis re integra, etiam si gratia illa non fuerit acceptata ab eo, cui facta eſt, quamuis delegatio non contineat meram executionem gratiæ, ſed etiã cauſę cognitionem. ratio eſt; quia ſicuti gratia non perit morte concedẽtis re integra, it a neque delegatio ipſi accęſſoria, nam accęſſorium ſequitur principale, & habetur expreſsè *cap. ſi ſuper gratia de off. deleg in 6.* vbi quamuis loquatur de executione gratię; tamen in alijs delegationibus, etiam extenditur, cum militet eadem ratio dicta, & tenent Lapus relatus à Domin. *d.c. ſuper gratia* Francus, Io. Andr. Anton. Gabr. *t. 3. com. l. 6. tit. de præb. conc. 1*

Contra verò poteſtas delegata in gratia facienda, vel in iudicibus conſeruatoribus priuilegiorũ ceſſat morte delegantis re integra *ex cap. fin. de off. deleg. in 6.* nec militat ratio tradita nec redditur inutilis conceſſio priuilegiorum ex eo, quia poteſtas conſeruatoris expiret, ita Franc. An. Gabr. Domin. & alij *lo. ci.*

17 Tertiꝰ caſus in quo non expirat poteſtas delegati morte delegantis re integra, eſt, quando delegatio eſt facta nomine dignitatis, vt Sedes Apoſtolica tibi hoc committit, vel authoritate noſtra tibi committimus, vel etiam ſi alius inferior aliquam gratiam concedat v.g. Epiſcopus nomine dignitatis ad audiendas confeſſiones, vel quid ſimile, quod non ſit in foro contentioſo exequendum. ratio eſt, quia dignitas nunquam perit: ergo neque eius iuriſdictio *cap. ſi gratioſe de reſcr. in 6.* ita tenent Ant. Abb. *C. relatum de offic. deleg.* Bald. *l. more in 1. lectu. ff. de iuriſ. omn. iud.* vbi Dec. Alex. Bart. Soncin. Iacobinus, & alij.

18 Sed aduerte, quod in commiſſionibus, quas Pontifex expedit ad diſpẽſandum, ordinarijs &c. non cenſetur cõmiſsio facta nomine dignitatis; ſed nomine Pontificis, niſi expreſsè cõſtet quia in petitione fit mẽtio Pontificis, à quo petitur, ibi: *quare nobis humiliter ſupplicare fecerunt*, vt optime docet Hoſt. *cap. quoniam* Abb. *n. 9. de off. deleg.*, vbi Io. Andr. *n. 5.* Ant. *n. 13.* Imola *numero 6.*

Petes hic primo.

Quando dicimus mandatum non expirare morte mandantis re non integra, intelligitur ne etiam de mandato, quod non confert iuriſdictionem, vt ſunt præcepta ſuperiorum; vt ſi Generalis percipiat ne quis libros hos legat, & res non eſt integra duret poſt eius mortem hoc præceptum.

19 REſpondeo negatiuè, mandata enim omnia, quæ non conferunt iuriſdictionem expirant morte præcipientis, vel eius ceſſatione ab officio: ſiue res ſit integra, ſiue nõ, quando nõ ſunt data per modum cõſtitutionis ab eo, qui poteſt conſtitutiones edere. ita Sylu. *ver. delegatus q. 3.* Menoch. citato Decio *l. 1. q. 69. nu. 4. de arbitr.* Cord. *ſuper regulam* D. Franc. *c. 10. q. 3. p. 1. parti. 3.*

Petes ſecundo.

Quid dicendum ſit ſi delegatus ſubdelegauit, v. g. Titius delegatus Epiſcopi ſubdelegauit Antonio, & Epiſcopus delegans mortuus eſt, an iuriſdictio in ſubdelegato pereat.

20 REſpondeo ſi primus delegãs v.g. Epiſcopus mortuus eſt, & res nõ eſt integra, vel ex parte Titij delegati ex eo, quia ipſe incepit exercere iuriſdictionẽ, vel ex parte Antonij ſubdelegati ex eo, quia ipſe incepit exercere iuriſdictionem ſubdelegatam, non expirat iuriſdictio in perſona Antonij ſubdelegati, quia iuriſdictio radicata ẽ, vel in Titio delegato, quando res nõ eſt integra ex parte ipſius, vel in ipſo Antonio ſubdelegato; ergo mortuo primo delegante non ceſſat iuriſdictio ſubdelegata. ita expreſsè habetur *cap. pen. de off. deleg.* & tenẽt Dom. & Francus ibi Ferretus *con. 158. vol. 1.*

21 At ſi moriatur delegatus; nempe Titius, qui ſubdelegauit Antonio, viuente tamen Epiſcopo primo delegãte, ita diſtinguendum eſt, ſi Titius delegatus ſubdelegauit ex poteſtate ſpecialiter ſibi commiſſa à primo delegante v. g. ab Epiſcopo, non perit poteſtas ſubdelegati, etiam ſi res ſit integra, quia tunc delegatio videtur facta

cta à primo delegante; ergo ipſo viuente remanet iuriſdictio in ſubdelegato, ſi verò delegatus ſubdelegauit nomine proprio ipſo moriente perit iuriſdictio in ſubdelegato re integra. ita Imola *l. more n. 13 ff. de iur. omn. iud.* citans Barth. *l. 2. ff. de curat.* vbi hãc diſtinctionem ponit de ſubſtituto à procuratore. Quamuis probabiliter poſſit in hac re vtraque ſententia ſuſtineri, nimirum non ceſſare viuẽte primo delegãte ſubſtitutionẽ, vt tenet Hoſt. & Io. Andr. *cap. licet vndiq; de off. deleg.* quia iam remanet radix iuriſdictionis & etiam ceſſare, vt tenet ibi Anchar. qa nõ ẽ adhuc tranſmiſſa ſufficienter in ſubdelegatum. Vel denique poteſt dici, vt docet Barth. Sonc. *l. more cit.* nõ ceſſare iuriſdictionem in ſubdelegato quando ſubdelegatio fit in totũ, quia videtur delegatus, qui ſubdelegauit à ſe abdicaſſe totam iuriſdictionem, vnde pendet talis iuriſdictio à primo delegante, eo igitur viuente non extinguitur in ſubdelegato.

QVAERES III.

An reſcripta gratiæ expirent morte concedentis.

22 REſpondeo ſi gratia cõceditur cũ limitatione ad beneplacitum dignitatis illam concedentis, tunc non ceſſat morte concedentis, ſi dignitas ẽ perpetua habens ſucceſſorem; ratio ẽ, quia dignitas eſt perpetua, & remanet in ſucceſſore; ergo gratia conceſſa ad beneplacitũ dignitatis nõ ceſſat morte concedentis, ſed ceſſabit, quando à ſucceſſore reuocatur. ita habetur *cap. ſi gratioſè de reſtit. in 6.* Tunc autem dicitur concedi ad beneplacitum dignitatis, quando dicitur ad beneplacitum Sedis Apoſtolicæ, vel Pontificis, Epiſcopi, vt docet probabilior opinio, & Doctores infra allegandi, quamuis alij putent in dubio cenſeri ad beneplacitum perſonæ. ita Anch. Franc. *d. cap. ſi gratioſe* Marian⁹, Sonc. iunic. *conſ.* 89. *vol.* 1. Couar. 3. *var. c.* 15. *n.* 2.

23 Si vero concedatur ad beneplacitũ perſonæ concedentis, vt ſi dicat ad beneplacitum meũ, vel noſtrum, ut vult communis opinio apud Sanch. *nu.* 63. tunc morte ipſius concedentis, aut ceſſatione ab officio nõ ſolum ceſſat gratia ambitioſa, vt eſt gratia retinẽdi plura beneficia, ſed etiam omnis iuriſdictio etiam re non integra (modo non ſit iuriſdictio ordinaria, quæ vt ſupra diximus non ceſſat morte concedentis) ita habetur *d. cap. ſi gratioſe*, & ratio eſt, quia voluntas perſonæ morte perit; ergo etiam gratia conceſſa ad eius voluntatem. quę ratio cum non militet, quando concedens excommunicatur, aut incidit in amentiam, tunc enim remanet voluntas, non ceſſabit gratia conceſſa per concedentis excommunicationem, vt docent Barth. *l. centeſimis* 46. *§. ſi ita ſtipulat⁹ n.* 12 *ff. de verb. obl.* vbi Alex. *n. vlt.* Iaſon. *n.* 16.

24 Similiter ſi gratia concedatur ſub his verbis ad beneplacitum meum, ad meam volũtatem, donec voluero, vel quamdiu volo, morte concedentis perit gratia, quia hæc verba ſignificant, donec perſeuerauero in eadem volũtate, in qua ſum dandi tibi hanc gratiã quę perſeuerantia ceſſat morte concedentis. ita docent Io. Andr. Domin., Francus, Anchar. *d. cap. ſi gratioſe* Bart *d. l. centeſimis n.* 9. vbi Alex. *n.* 11. Imola *n.* 6. Iaſon. *n.* 12. Ruin. *conſ.* 115. *l.* 1. *n.* 7. Menoch. cum alijs *lib.* 1. *de arb. qu.* 69. Ant. Gabr. *t.* 3 *com. l.* 2. *tit. de proc. con.* 2. Couarr. *lo. cit. n.* 3. quamuis Emm. Sà. *v. gratia* putet non expirare morte concedentis, ſiuè dicat, donec voluero ſiuè, donec reuocauero. Vnde ſi quis iurat ſe nõ luſurũ donec pater velit poterit patrẽ mortuo ludere ob dictã rationẽ, vt docet Greg. Lope. *l.* 45. *v. nole finca ti.* 5. *p.* 5.

25 Contra vero ſi gratia fiat ad beneplacitum perſonæ concedentis addito aliquo tempore v.g. ad annum, & ad beneplacitum, tunc morte concedentis nõ ceſſat gratia, niſi elapſus fuerit annus, quia hæc fuit intentio concedẽdentis. ita Anton. Gabriel. *loc. cit. tit. de præbendis*, & Enriquez. *lib.* 7. *de indul. cap.* 21. & Henriquez. aut ſi dicatur, donec reuocauero, vel donec aliud ordinauero, vel

donec

donec aliud fecero v.g. Romam ingrediar, quia hæc verba ſignificant actum poſitiuum; ergo donec is non ponatur, non reuocatur iurisdictio; ſed morte concedentis non poteſt poni amplius; ergo non reuocatur eius morte, ſed à ſucceſſore, vel à ſuperiore concedentis.

26 Denique quando conceſſio fieret ad beneplacitum perſonæ, & dignitatis, quæ ſit perpetua, ſic diſtingue, ſi conceſſio fiat in materia, quæ non ſolet in ſucceſſorem tranſire, vel eſt indifferens tunc ſi prius dicatur, ad noſtrum beneplacitum, & deinde, ſedis, expirat morte concedentis. contra verò ſi dicatur, ad beneplacitum ſedis & noſtrum, tunc non expirat, quia attendi debet id nomen, quod priùs ponitur, niſi gratia motu proprio ſit cõceſſa, nã tunc non expirat, quodcumq; nomen præcedat, quia debet latiſſimè interpretari. ita Dominicus. *d.c. ſi gratioſe n.* 16.

27 Sivero ſiat conceſſio ſub diſiunctione, vt ad beneplacitum noſtrum, vel ſedis, tunc expirat conceſſio morte concedentis, nam in alternatiuis ſufficit vt altera pars impleatur, *reg. in alternatiuis de reg. iuris in 6.* & hæc ſatis quando gratia conceditur cum limitatione nunc.

Explicatur quando gratia ſine limitatione, & abſolute conceſſa expiret morte concedentis.

28 In hac re ad determinandũ an gratia abſolutè conceſſa expiret morte concedentis, ſciendum eſt, gratiam conceſſam, vel eſſe gratiam factã, vel faciendam: gratia facienda eſt illa, quæ conceditur abſolutè quidem ei, in cuius fauorem datur; ſed dependenter ab alio, cui non præcipitur, vt gratiam illam exequatur; ſed ſolum conceditur facultas illius, cui talis gratia conceditur, vt ſi Pontifex volens fauere Antonio, & concedere illi diſpenſationẽ det facultatem ordinario, vt poſſit ſi velit cum Antonio diſpenſare, quod *quæſt. ſequenti.* probabitur.

Gratia verò facta eſt, quando perfectè conceditur ei, in cuius gratiam datur, & independenter ab alio cui facienda committitur, vtpote neceſſario debeat illam exequi, vt ſi Pontifex diſpenſet cum Antonio, & committat Epiſcopo præcipiens, vt cum Antonio diſpenſet. Hoc poſito facilè cognoſces, quando gratia abſolutè cõceſſa expirat morte concedẽtis, ſi enĩ eſt gratia facta non expirat morte cõcedentis, etiam ſi tempore mortis cõcedentis acceptata non eſſet.

29 Si verò eſt gratia facienda, & res eſt integra expirat ipſo iure morte concedẽtis; etiamſi motu proprio cõceſſa ſit: ſi res non eſt integra, aut gratia cõceſſa eſt nomine dignitatis, aut ad Sedis beneplacitum, aut denique poteſtas executoris, cui commiſſio facta ẽ, ſit acceſſoria gratiæ iam factæ non perit morte concedentis. Patet regula hæc ex *cap. ſi cui nulla de præb. in 6.* & eã tradunt Archid. *d. cap. ſi cui nulla* Bald. *l. fin. in 1. lectu. n. 3. ff. de conſt.* Princ. Decius *in rubr. de conſt. 1. lect. n. 41.* vbi Ripa *n* 50. Riminal. *n.* 129. Hieronym. Paulus *pract. tit. declaratoria ſuper proponente &c.* Rebuff. *concord. de mand. apoſt. §. 1.* Nauarr. *ſum c. 17. n. 253.* & exprimentes de gratia motu proprio Ioan. Andr. Romin. & Francus *d.c. ſi cui nulla* Cætera ſunt probata *quæſt. præced.*

Hinc deduces varios caſus ad praxim neceſſarios.

30 Primo ſiquis ſiuè Epiſcopus, ſiue alius ordinarius, aut etiam Parochus caſu quo is poteſt, concedat confeſſori licentiam audiendi confeſſiones, eam licentiam non expirare morte ipſius concedentis; quia eſt gratia facta ipſi Sacerdoti; nam redundat in ipſius fauorem, & ſtatim eſt perfecta cõceſſio neque hæc eſt poteſtas contentioſa, quam iura dicunt perire morte cõcedentis re integra, & ita praxis teſtatur nam confeſſarij ab Epiſcopo approbati, vel ab alio habente auctoritatem, eo mortuo audiunt confeſſiones; donec a ſucceſſore reuocetur licetia.

at ſi

at ſi concederetur licentia Sacerdoti audiendi confeſſiones perſonæ alicui determinatæ, in ipſius pœnitentis fauorem expiraret morte concedentis circa eas confeſſiones, quæ iam nõ sũt inceptæ, quia eſt gratia facienda. In hac ſententia ſunt Card. Henr. Sayr. & alij multi infra citandi.

Quamuis Palud. 4. *d.* 17. *q.* 4. *ar. vlt.* D. Anto. 3. *p. t.* 17. *c.* 9. Nauarr. *ſum. c.* 27. *n.* 264. abſolutè velint has licentias expirare morte concedentis, & Phil. *de off. Sac. t.* 1. *p.* 2. *lib.* 2. *c.* 24. addit etiã ſi fuerit Pontifex, qui illas conceſſit, ducuntur, quod hæc ſit poteſtas delegata ad exercendam iuriſdictionem; ergo re integra perit, quia nõ radicatur per exercitium iurisdictionis in delegato, & hęc ſententia eſt probabilis.

31 Secundò deducitur, quod licentia conceſſa à quouis ordinario potente illam concedere alicui eligendi confeſſarium, non expirat morte cõcedẽtis, aut ex amiſſo officio etiam re integra quia hæc facultas eſt gratia iam facta, directè conceditur ipsi pœnitenti: ergo ſtatim ac conceſſa eſt cenſetur iam perfecta reſpectu pœnitentis ita Suar. *de pœnit. diſ.* 27. *ſec.* 4. *n.* 8. Emm. Sà *v. gratia n.* 4. Sayro. *tract. de Sacr. pœnit. c.* 22. *n.* 3. Nauarr. *cap. placuit nu.* 161. *de pœn. d.* 6. Manuel. *q. regul. t.* 2. *q.* 46. *ar.* 8. Salzedo *add. ad pract.* Ber. Diaz. *cap.* 26.

32 Contra Abbatem, Iacobinum, Angelum Sylu. & alios, apud Sanchez n. 75. hic, qui putant talem licentiam expirare morte concedentis, niſi Epiſcopus eam conceſſerit de conſenſu capituli, quia non poteſt Epiſcopus concedere has licentias in præiudicium Eccleſiæ parochialis abſque capituli conſenſu, & eſt probabilis.

33 Tertio licentiam conceſſam ad celebrandum in priuato oratorio, aut faciendi aliquid alias vetitum v.g. comedendi carnes diebus vetitis non expirare morte concedentis, ſunt enim gratiæ factæ. ita Nauar. Sayro Salzedo Suar. l. c.

34 Quartò deduciturli centiam conceſſam ab Epiſcopo non re ſidendi non expirare ipſius morte, quia eſt gratia facta, ſicuti neque expirat poteſtas conceſſa alicui diſpenſandi cum perſonis incertis, & indeterminatis, aut cum perſona determina quando non conceditur ſolum in fauorem ipſius, cui diſpenſandum eſt, ſèd etiam in fauorem diſpenſantis, quia in his caſibus eſt gratia facta. ita Abbas Bellamera, Ant. *c. ex tua de filijs præsb.* Anc. Gabr. *t.* 3. *com. li.* 6. *ti. de præb. concl.* 1. Gambara *de autori. legati l.* 10. *n.* 191.

35 Quintò deduces facultatem teſtandi conceſſam Epiſcopis, & alijs, quibus teſtari interdictum eſt, non expirare morte concedentis re integra, quia eſt gratia facta, nec obſtat habere aliquid odij, nam omnis diſpenſatio id habet. ita Molina *t.* 1. *de iuſt. diſ.* 141. Enriq. *l.* 7. *de indul. c.* 21. *n.* 5. Burſatus *conſ.* 30. *vol.* 1. Barboſa *l. diuortio* 8. §. *quod in anno n.* 20. *ff. ſol. matr.*

36 Sexto nec literæ dimiſſoriæ conceſſæ ab Epiſcopo, aut à capitulo Vicario Generali, vel alijs Prælatis potentibus illas cõcedere expirant morte concedentis re integra, quia ſunt gratiæ factę; ita docent ex Theol. Hen. Suar. Em. Petrus de Ledeſma, & alij multi.

37 Septimo denique omnes licentiæ conceſſæ a ſuperioribus ſi non conceduntur ad certum vſum vel limitatum vel ad certum tempus non expirant morte concedentis, vel ceſſatione eius ab officio, ſunt enim gratiæ factæ, vt docent permulti ex citatis Doctoribus Immò conceſſiones à legato Pontificis, vel Vicario Epiſcopi; ſi ſimpliciter & abſolutè conceduntur non expirãt ceſſatione ab officio, ob dictam rationem, vt docent Francus *c. ſi gratioſe nn.* 13. *de reſcr. in* 6.

QVAERES IV.

An commiſſiones diſpenſandi in impedimẽtis matrimonij, & alijs rebus, quæ ſolẽt committi ordinarijs in foro externo, & confeſſoribus in interno expirent morte concedentis re integra.

Reſ-

38 REſpondeo probabilius eſse eas non expirare morte cõcedentis, etiam re integra. Ratio eſt, quia quã do cõceditur aliqua gratia in fauorẽ alicuius perſonæ, & ad hoc vt illa ponatur in executione, alicui committitur, non vt ad eius arbitrium exequatur; ſed vt poſita precum veritate cogatur gratiam exequi; tunc illa ẽ gratia facta, quia iam eſt acquiſitum ius ad rem illi, in cuius fauorem gratia cõceſsa eſt, ſed gratia facta non expirat morte concedentis; ergo hæ commiſſiones non expirãt; maior probatur ex *cap. ſi cui nulla de præb. in 6.* vbi dicitur (*ſecus ſi ſuper prouiſione certæ perſonæ facienda data ſit poteſtas eidem, non ob ſuam; ſed eius cui prouideri mandatur gratiam, vel fauorem*) ecce quomodo textus viſus eſt verbo *poteſtas*, ad ſignificandum miniſtrum debere eſſe volũtarium ad hoc vt ſit gratia facienda. ita Hieron. Paulus *pract. cancellariæ tit. declaratoria ſuper proponente, ſeu vouente* Rebuff. *in concord. de mand. Ap. §. 1.* Suar. *de cenſ. diſ. 41. ſec. 2* Henriq. *l. 12 de matr. c. 2. & 3.* Emm. Sà. *v. diſpenſa. n. 6.* Manuel *q. reg. t. 2. q. 46. ar. 7.*

39 Hinc deducitur literas Pontificias, per quas committitur aſſignatio pẽſionis, & literas gratiæ cuiuſcumque in forma iuris expeditas non expirare morte Põtificis, quia communiter is, qui executurus illas eſt, non eſt executor voluntarius: ſic Hier. Paul. ſimiliter nec expirare morte Papæ priuilegia bullæ cruciatæ etiam quoad indulgentias ſemel in vita, & ſemel in morte, abſolutionem à reſeruatis &c. quia eſt gratia facta ipſi pœnitenti, vt poſſit eligere confeſsarium, qui nõ eſt in hoc caſu facta electione à pœnitente, miniſter voluntarius; ſed neceſsario debet dare illi abſolutionem &c. poſitis requiſitis. ita Henriq. *l. 7. de indul. c. 21.*

40 Denique hic nota, quod commiſſio facta alicui v. g ordinario circa determinatam perſonam, vt ſcilicet cum ea diſpenſet ad ſuum beneplacitum in dubio præſumitur facta in fauorem illius, cui facienda eſt diſpenſatio, ac propterea eſt gratia facienda expiratque morte concedentis. ſic Io. Andr. & Domin. *c. ſi cui nulla de præſi. in 6.*

Niſi tamen iam Commiſsarius diſpenſauerit, tũc enim ſiuè ſint gratiæ factæ ſiuè faciendę, non expirãt morte concedentis, etiam ſi is, cum quo diſpenſatum eſt, adhuc non ſit vſus diſpẽſatione, vt ſi commiſſarius diſpenſauit in impedimento matrimonij cum Titio, & antequam Titius vxorem ducat mortuus eſt Papa, iam tẽpore mortis Papæ res non erat integra tamen diſpenſatio non expirat.

41 Similiter nec expirant re integra, diſpenſationes conceſsæ à legato Apoſtolico, vel à ſummo pœnitentiario per mortem Pontificis, quia hæc officia non expirant morte Papæ re integra, vt habetur *cap. legatos de off. legati in 6.* & *Clem. 1. §. eo tamen prouiſo de elect.*

42 Contraria tamen ſententia, quæ putat has commiſſiones expirare morte concedentis, eſt valdè probabilis. ducitur ex *cap. ſi cui cit.* cuius etiam verba retulimus, vbi dicitur quod ſi concedatur poteſtas alicui in fauorem illius cui diſpenſandum eſt eam perire re integra, præſertim cum hæ commiſſiones dentur nomine perſonæ non dignitatis. ita docent Nauar. *l. 1. conſ. in 1. edi. ti. de temp. ord. cou. 38. in 2. tit. de filijs Præsb. con. 31* Sayrus *theſau. t. 1. l. 7. c. 14. num. 9.*

DISPVTATIO XXIX.

An literæ gratiarum; vt diſpenſationum &c. expirent morte concedentis, ſi nondum literæ conceſſionis ſunt expeditæ, vt ſi Pontifex diſpenſauit cum Antonio in impedimento matrimonij, & mortuus eſt antequam literæ fuerint expeditę.

1 REſpondeo negatiuè. ratio ẽ, quia iam gratia eſt perfecta per ſolam conceſsionem factam, nec ad eius valorem aliquid requirit, nam literæ non requirũtur ad ſubſtãtiam conceſsionis, ſed ſolum ad hoc vt pro foro externo illa conceſsio proſit. & poſſit probari; ergo gratiæ conceſsæ nõ expirãt mor-

morte concedentis re integra, etiã ſi literæ non expediãtur, vt habetur *clẽ. dudum de priuil.* ibi *vniuerſa priuilegia, gratias, vel indulgentias verbo, ſeu ſcripto ſeu quacumque forma.* ita Anchid. *in præmio ſenti §. fin.* vbi Io. Andr. Dominicꝰ Francus, Caſſanæus *in conſuetud.* Burgũ diæ *rubr.* 1. § 5. *n.* 180. Sylu. *v. priui. q.* 14 Armilla *n.* 10. *ibi.* Tab. *q.* 10. *n.* 11. Bald. *l. humanum* 8. *fine C. de leg.* Dec. *conſ.* 407 *n.* 17. *vol.* 3. Boſius *in pract. ti. de Printipe n.* 293. Ant. Gom. *l.* 41. *Tauri n.* 1. Molĩ. *l.* 2. *de primog. c.* 7. *n.* 57. Felin. Beroius, Ripa, Rimin. & alij *in rubr. de conſtitu.* Mol. *t.* 3. *de iuſt. diſ.* 599.

2 Quod verum eſt adeò vt in foro cõſcientiæ is, cui conceſſa eſt diſpẽſatio, poſſit ea vti antequam literæ expediãtur, vt docent præallegati Doctores, ſiue gratia illa habeat annexam iuriſdictionem ſiuè non; quia ſemper militat ratio à nobis tradita *n.* 1. nimirum in foro conſcientiæ nõ requiri literas eſſe expeditas, ſed pro foro externo iuxta regulas Cancellariæ. ita docent Molina & alij alleganti *n.* 1. qui vniuerſaliter loquuntur.

3 Immò Gygas *de penſ. q.* 34. & Ludo. Gomez. *reg. de non iudicando &c. q.* 14. docent poſſe recipi, & ſolui penſiones in foro conſcientiæ gratiæ cõceſſæ ante literas expeditas, intellige antequã tranſacti ſint ſex menſes à cõceſſione facta per Pontificem, nã ijs trãſactis requiruntur literæ per motum propriũ Pij V. vt referũt Cord. Manuel. & Vega apud Sanch. *num.* 5. hic.

4 Deniq; hic nota, quod licet diſpẽſatio nõ profit pro foro externo ante literarũ expeditionẽ: tamen poſtquã literæ ſunt expeditæ prodeſt à die conceſſionis, non à die literarũ expeditarum, etiamſi quãdo expeditæ ſunt literæ, Pontifex qui conceſſit mortuus fuerit, quia regulæ Cancellariæ, quæ petũt literas eſſe expeditas ad hoc vt diſpẽſatio valeat pro foro externo, non petũt illas eſſe expeditas à principio. Cõtra vero literæ, quæ concedunt iuriſdictionem iudicibus debẽt eſſe expeditæ ante initiũ iudicij, aliter quidquid ante literas expeditas geſtũ fuerit irritum erit. ex *reg. Cancellariæ de non iudicando iuxta formam ſupplicationis.* ita Mol. *de primog. l.* 2. *c.* 7. *n.* 56. & P. Molina. *de iuſtit.* & Lud. Gomez. citati.

DISPVTATIO XXX.

Explicatur quo tempore debeant verificari cauſæ narratæ in petitione diſpenſationum ad hoc vt eæ valeant.

1 IN hac re quinq; tẽpora conſiderari poſſunt: primum eſt, quãdo petẽtes Romã mittunt. Secundum quãdo Põtifex cõcedit diſpenſationẽ cõmittens illã ordinario. Tertium eſt, quãdo iam ordinarius diſpenſat. Quartum quãdo vtendũ eſt diſpenſatione. Quĩtũ deniq; tempus medium, nẽpè illud, quod mediat poſtquã Pontifex diſpenſauit, & ãtequam ordinarius exequutus fuerit.

2 Dico 1. nõ eſt neceſsè, vt cauſæ verificentur primo tẽpore, quãdo Romã mittunt, quia clauſula *ſi preces veritate ĩnitãtur* intelligitur pro eo tẽpore, quo Põtifex diſpẽſat. ita Doctores allegãdi.

3 Dico 2. in 2. & 3. tẽpore, nẽpè, quãdo Pontifex diſpẽſationẽ concedit, & quãdo ordinarius illã exquitur tũc cauſa finalis debet eſſe vera prior pars probatur *ex cap. quia circa de conſang.* & *ca. ſi eo tẽpore de reſcri. in 6.* Ratio eſt, quia tunc Pontifex verè diſpenſationẽ concedit, licet illã cõmittat ordinario; ergo ne ſit iniquus diſpẽſator, debet tũc quãdo concedit cauſa verificari. poſterior pars probatur; quia omnes Doctores docent diſpenſationem, quæ nondum conſummata eſt, ceſſare ceſſante cauſa finali. Sed quãdo ordinarius nõ diſpenſauit, diſpenſatio non eſt conſũmata, vt docent Pariſ. *conſ.* 57. *n.* 53. *vol.* 4. Iacob. de Puteo *deciſ.* 256. *n.* 1. *l.* 1. Couarr. 4. *decr.* 2. *p. c.* 6. §. 9. *n. vlt.* & alij; ergo ſi quãdo ordinarius diſpenſat cauſa finalis ceſſat, nulla erit diſpenſatio.

4 Dixi, quãdo omninò ceſſat cauſa finalis, tum quia ſi eſſet cauſa impulſiua quæ deficeret, valida eſſet diſpenſatio, vt patet ex his, quæ *diſp.* 21. dixim⁹ tum quia ſi cauſa finalis ceſſat quidem, ſed nõ õninò, adhuc tãvalida erit diſpenſatio, quia mens cõcedẽtis diſpẽſationẽ

ē,vt ea habeatur,quādo cauſa non omninò ceſſauit;ſed remanent eius reliquiæ,quæ ſi propoſitæ fuiſſent antea non conceſſa fuiſſet diſpenſatio, & ratio vlterior eſt,quia in moralibus maior cauſa requiritur vt primo fiat aliquod opus,quam ad hoc vt factū permaneat.ita in multis citatis Rolandus *conſ.52.n.25.vol.2.* vnde in dubio an cauſa ceſſarit ſtatur pro valore diſpenſationis, quæ eſt in poſſeſſione.

5 Dico tertio in quarto tempore, nimirum poſtquam ordinarius diſpenſauit,ſic eſt diſtinguendum ſi diſpēſatio obtinuit ſuum vltimatum finem, qui nec reuocari poteſt;nec diuidi,vt ſi iā matrimonium vi ipſius fuerit cōtractum,vel ſi iam ordines ſacros ſuſcepit is,cum quo diſpenſatum eſt, tunc ētſi omninò ceſſet cauſa finalis conceſſionis, non ceſſat tamē diſpenſatio;quia debet præſumi mentem diſpēnſantis eſſe,vt in eo caſu,ne grauia mala venirent, valeat diſpenſatio etiam ſi deficiat cauſa finalis.

6 Si verò diſpenſatio non obtinuit ſuum finem vltimatum,vt ſi is cum quo ordinarius executus eſt diſpenſationē, nondum inijt matrimonium,vel ſi effectus poteſt diuidi,vt cum diſpenſatum eſt,vt carnes quis ederet diebus quadrageſimæ,& incepit prima hebdomada;tūc enim licet effectū diſpēſationis habuerit;tamē is pōt diuidi; & ceſſare ab eſu carniū ſequēti hebdomoda;tūc ſi cauſa cōceſſionis omninò deficiat, ceſſat valor diſpēſationis,quare nō poterit matrimoniū inire, nec prorequi in edēdo carnem.probatur ex *cap.generaliter 16.q.1.& cap tuæ de cler.non reſi. & alibi.* ex quibus cōſtat ceſſare priuilegium ceſsāte cauſa.& ratio eſt, quia facilius tollitur ius extraordinariū, & ſpeciale,quam commune *l.eius militis* §.vbi Gloſs.*C.ad Senat.con.Velleian.* ſed ius cōmune ceſſat ceſsāte cauſa finali, vt omnes docent;ergo diſpēſatio, quę eſt ius ſpeciale multò magis ceſsabit ceſsāte cauſa.Confirmatur,quia ſiquis ob ægritudinē diſpenſatur ad carnes, & miraculosè recipit ſanitatē, poſſet eis veſci ēt ſanus effect⁹,quod videtur abſurdum.Alia argumēta v.apud Sāc. *n.14.* pro hac ſententia ſunt multi,qui generaliter docēt ceſsāte cauſa ceſſare diſpenſationē.Valaſcus *conſ.60.u.9 t.1.*Brun.*in comp.l.*D. Bald.*rubr.de cōſ. n.25.*Alex.*l.fil.à patre* §.*filiusf.n.2.ff.de lib.& poſt.*Tiraqu.multos referēs *trac. ceſſante cauſa limit.23.n.11.& int.n.91*

7 Dico 4.ſi cauſa nō verificetur tēpore medio:v.g.quādo Pōtifex diſpenſauit,erat vera,quia mulier,quæ pro diſpenſatione propoſuit ſe nō habere dotē,vere non habebat tūc,ſed poſtea effecta eſt diues,& durauit donec literæ peruenerunt ad ordinariū,cui cōmiſſa eſt diſpenſatio,quo tēpore effecta ē de nouo pauper,atq;adeò cauſa iā verificatur;ſed nō fuit vera tēpore medio, adhuc valebit diſpenſatio,quia ſufficit eo tēpore eſse verā causā, quo diſpēſatio debet habere vim à Pontifice cōcedente,& ab ordinario exequente; hoc aūt tempus nō eſt illud,quod interme diat à die cōceſſionis Pontificis vſq;ad diem executionis ordinarij.Immò poſito,quod cauſa verificetur his duobus temporibus,quādo ſcilicet Pontifex, aut pœnitentiarius diſpenſat, & ordinarius exequitur,ſi poſtea ceſſet cauſa v.g.puella fiat dies ceſsabit diſpenſatio non totaliter,ſed donec cauſa non verificatur,ita vt ſi puella fiat deinde pauper eadem diſpenſatio reuiuiſcat, & vi ipſius poſſit inire matrimonium cum eo, cum quo fuit diſpenſatū,quia ita piè debet præſumi mentē Pōtificis eſse vt diſpēſatio,quę ſemel valida fuit non omninò caſſetur,ſed reddatur ſuſpenſa donec cāuſa iterum reuiuiſcat.

* Cōſideret hic quæſo lector an argumētū,quod Sāch.*n.14.* vltimo loco,& ego *n.6.* in confirmatione propoſui adeò leue ſit, vt meritò à Pōtio nullius momēti dici potuerit *t.8.c.20.n.8.* ibi *(deniq;obſtare videtur exēplū ex priuilegio cōceſſo ad comedēdū carnes diebus prohibitis propter ægritudinē:in quo caſu,quā docūq; ceſſat cauſa,ceſſat priuilegiū,ſed hęc obiectio nullius momēti eſt, quia diſpenſatio illa licet videatur vna eſt virtute multiplex, ſicuti & obligatio quadrageſimæ, vnde cū peruenitur ad quācūq; diē, debet*

eſſe

ēē cauſa;vt diſpēſatio ſit valida pro eo die quia eſt quaſi alia diſpenſatio ex cauſa, & diuerſa a diſpenſatione præcedenti)ſed ni valde fallor puto verius dicturum illum, qui aſſerat Pontium noluiſſe vim argumenti a Sancio propoſiti attendere;quam Pontius qui dixit illud nullius eſſe momēti,& vt rectius quod dicimus pateat ponamus Pontificem diſpenſaſſe cum Titio ob eius ægritudinem; ſeu debilem complexionem, vt cras die veneris carnes comedat: ſi hic cras fortis reperiatur: an poſſit ex vi talis diſpenſationis comedere carnes? reſpondebis, non poteſt: quod ſi inſtem inquirendo quare non poteſt, cum iam diſpenſationem obtinuerit. non poteſt reſponderi, vt Pontius dicit, in prædicta reſponſione;quia ea diſpenſatio eſt virtute multiplex:quāuis enim hoc ſit veriſſimum facta cōparatione cum tota quadrageſima, vel pluribus diebus, imo etiam cum vno die; nam quando eſt præceptum eccleſiæ toties quis peccat quoties comedit carnes, & non excuſatur a peccato in ſecunda commeſtione, ex eo quia iam comedit prima vice vt optime, probat Thom. Tamburinus noſtræ Societ. doctrinam fære omnem in hac materia,breuiter, & diſtincte vt ſolet,*l.2.c.4.§.2.met.exped.confeſſ.tit. de ieiunio a n.6.*complectens:at nos loquimur in poſito argumento;quando diſpenſatio facta eſt pro vno die, vel etiam ſi placet pro vna commeſtione ergo debes dicere:ideo non poteſt hic cum quo diſpenſatum eſt,vt cras carnes comedat, illas comedere; quia eſt ſanus effectus, & ceſſauit cauſa conceſſionis, ſeu diſpenſationis, quando ea nondum fuerat ſuum effectum ſortita; cum ille carnes non comederit: quæ eſt Sancij ſententia;hæc igitur eſt vis argumenti Sancij; vt patet ex eius verbis ibi *(tandem quia abſurdum videtur vt is, cum quo eſt legitime diſpenſatum ad carnium eſum ratione debilitatis dubiæ &c. poſſit eis veſci ſi integram & ſi miraculoſe valetudinem recuperat*) ad quod Pontius non dum reſpondit; eius enim ſolutio tendit, ac loquitur quando diſpenſatio eſſet pro tota quadrageſima, vel tempore habente tractum ſucceſſiuum multorum dierum: debueratque hic auctor advertere in hunc finem fuiſſe alla tam a Suar. *l.6.deleg.cap.20. n.8.* a quo illam accepit; & non ad propoſitum à Sancio argumentum. At demus Pontio: ſua reſponſione iam fuiſſe ſolutum, non tamen poſſum concedere, illum iure dixiſſe nullius momenti Sancij argumentum fuiſſe. non enim vir modeſtiſſimus, vt indiſſolubilem demonſtrationem illud attulit,vnde n.13.loquens de contraria ſententia hæc habet (*qui hanc ſententiam amplecteretur damnari non poſſet, cum graues pro ſe habeat DD. nec rationibus deſtituta ſit, nec oppoſita* (nempe Sancij argumenta)*ita concludunt, quia ſolui poſſint*) ſtat ergo argumentū ſolui poſſe,& nihilominus nō poſſe nullius momenti appellari; vt ſupra l.3. præſertim dictum eſt. & multo minus puto tale dicēdū à Pōtio illud Sancij; cum ex allata reſponſione non modo ſolutum non fuerit; ſed neque debilitatum,aut tactum.

DISPVTATIO XXXI.

An quando Papa diſpenſat cum habente votum caſtitatis,religionis,aut non nubendi intelligitur tantum ad hoc vt vnum matrimonium contrahere poſſit.

CAſus propoſitus eſt iſte Titius habet votum caſtitatis, petit à Pontifice diſpenſationem, vt poſſit inire matrimonium, Pontifex illam concedit: vnde Titius ducit vxorem quærimus an mortua vxore poſſit is aliud matrimonium inire,ex vi diſpenſationis conceſſæ.

I Dico 1.ēt ſi Papa concedens diſpenſationem ad ineūdū matrimoniū,illud pro prima vice tantum limitauerit.tamen ſi tale matrimonium bonaf. contractum,fuit inualidum poteſt eo ſoluto aliud iniri;nam actus iſte irritus reputatur,ac ſi non fuerit,vt latè Tiraq. *l.boues §.hoc ſermone limit.1. à n.1.ff. de verb.ſign.*at ſi mala fide fuit contractū non poteſt aliud iniri, ne contrahens

ex ſua culpa lucrum reportet, ita Anchar. *cap. 1. q. pen. de filijs præſ. in 6.* vbi Domin. Francus *nu. 13.* Tiraqu. *late probans l. boues §. hoc ſermone limit. 1. à nu. 1. ff. de verb. ſignif.* quod etiam verũ eſt, quando matrimonium validè contractum fuit; ſed nondum conſummatum, poterit enim adhuc eo ſoluto, aliud contrahi; quia nõ dicitur perfectè initum matrimonium illud in quo diſpenſatum eſt, niſi copula fuerit ſubſequuta.

2 Dico ſecundo ſi ex verbis concedẽtis diſpenſationem, non poteſt colligi, an pro ſola prima vice, concedat matrimonium: an vero toties, quoties is, cum quo diſpenſatum eſt voluerit: tũc poterit toties quoties voluerit matrimonium cõtrahere, ſiue diſpenſatio fuerit abſolutè conceſsa, abſque limitatione; vt diſpenſamus in voto &c. quia tunc iam votum relaxatur, ſiue fuerit diſpenſatio partialis nempe reſtricta ad actum aliquem v.g. diſpenſo ad hoc vt poſſis matrimonium inire (quo caſu ſi is fornicetur peccat cõtra votum) quia iam diſpenſatio eſt abſoluta quoad matrimonium ineundum; ergo tollit vinculũ obſtãs matrimonio

3 At ſi diſpenſatio ſit partialis reſtricta ad perſonam; vt diſpenſo vt contrahas matrimonium cum Berta, tunc ſi cauſa diſpenſationis ſe tenet ex parte perſonæ, cum qua ineundum eſt matrimonium, vt ſi dicat Pontifex, ineas cum Berta, quia eam defloraſti ne remaneat ſic defiorata, vel ex alio capite conijci poſſit, quod Pontifex eam diſpenſationem concedit in fauorem Bertæ; non poterit aliud matrimoniũ cum alia perſona contrahi. Si vero cauſa non ſe tenet ex parte perſonæ cum qua debet iniri matrimonium, ſed ex parte illius, qui matrimonij diſpenſationem petit, vt ſi quis petat diſpenſationem in voto ad hoc vt Bertam ducat, tunc poteſt per illam diſpenſationem, quodcumque aliud matrimonium inire; ratio eſt, quia in hoc caſu nullo modo attinet ad diſpẽſationem expreſſio perſonæ, cum qua debet cõtrahi. Contra vero in priori caſu.

4 Vnde ſi duo ſint voto caſtitatis ligati, & petant diſpenſationem, vt ineant matrimonium poſſunt quodcumque aliud inire, quando vnus independenter ab alio petit.

5 Quæ omnia temperanda ſunt primo. niſi cauſa diſpenſationis omninò ceſſauerit iuxta *diſp. præce. n. 4.* vt ſi diſpenſatum ſit cum aliquo religioſo, vt vxorem ducat ea cauſa, vt habeat ſucceſſorem; ſi habet filios; aut ſit fiuctus impotens: mortua vxore, non poteſt aliud inire matrimonium. Secundo niſi poteſtas concedentis diſpenſationẽ ſit limitata, vt ſi Epiſcopus ratione neceſſitatis diſpẽnſet in voto caſtitatis abſoluto ad hoc vt ineatur matrimonio eo diſſoluto aliud non poterit iniri.

QVAERES.

An diſpenſatio proſit illi, qui egreditur territorium diſpenſantis, vt ſi Titius obtineat diſpenſationem voti, non nubendi, ab Epiſcopo Panormitano, poſſit ea diſpenſatione vti ducendo vxorem Meſſanæ.

6 REſpondeo talem diſpenſationem vbique prodeſſe, atque adeò Titius, cum quo eſt in voto diſpenſatum vbique terrarum poteſt vxorem ducere. ratio eſt, quia per illam diſpenſationem tollitur incapacitas perſonæ, ad matrimonium ineundum, nam diſpenſans habet iuriſdictionem cum eo, cũ quo diſpenſat, vt ſupponitur in caſu poſito; ergo illa perſona cum remaneat capax matrimonium ineundi, poteſt vbique illud contrahere, quod ſecus eſſet; quando diſpenſaretur circa materiam ſubditam prælato vnius diœceſis, tunc ea diſpenſatio non valet extra territorium prælati concedẽtis, vt aduertunt Domin. Dec. Franc. *cap. cum ex eo de elect. in 6.* vt ſi quis petat à proprio v.g. ab Epiſcopo Panormitano diſpenſationem ad obtinenda duo beneficia, quorum vnum eſt Meſſanæ; tunc requiritur etiam diſpenſatio Epiſcopi Meſſanenſis, vt docent Gloſs. Domin. Franc. *loc. cit.* quamuis Rebuff. *in concord. vbi de forma man. Apoſ. v. diſpenſatio-*

tationum Dec *con.*207. *vol.* 2. Probus. *addi. ad Monac. cap. off. n.*17. *de off. legati in* 6. putent ſatis eſſe diſpenſationẽ à proprio Epiſcopo, quia putãt impedimentum oriri ex parte perſonę, quę cum habet vnum beneficium eſt incapax aliud obtinendi. ita docent Inno. Card. & Io. Andr. *cap. per venerab. qui filij ſint legit.* Idem etiam docet Nauar. de eo qui à proprio Epiſcopo habuit diſpenſationem edendi lacticinia põt enim vbique ea edere. *lib.* 5. *conſ. tit. de priui. iu* 1. *edit. conſ.* 15. *iu* 2. 6.

DISPVTATIO XXXII.

An qui impetrauit diſpenſationem, & poſtea illi renunciauit, poſſit ea vti in poſterum.

1 REſpondeo ſi renunciatio eſt acceptata ab eo; qui conceſſit diſpẽſationem, non poteſt amplius qui eam renunciauit tali diſpenſatione vti, ſi vero ſuperior non acceptauit, tũc poteſt renuncians ea gratia &c. iterum vti, vt ſiquis obtinuit diſpenſationem ad ducendam Bertam vxorem ſibi conſanguineam, & poſtea ea relicta aliam duxit, poterit nihilominus illa mortua Bertam ducere ex vi primæ diſpenſationis; quia non officit tacita illa renũciatio gratię, quæ à Pontifice nõ fuit acceptata ita habetur *cap. literas de procurat. in* 6. & ratio eſt, quia ius priuilegij, & gratiæ pendet à volũtate ſuperioris concedentis, & à voluntate eius cui conceditur; ergo dum ſuperior manet in eadem voluntate (quod præſumitur quamdiu non acceptauit renũciãtionem *l. eum ff. de probat.*) poteſt renunciãs vti tali gratia conceſſa. ita Io. Andr. Anch. Domin Francus *cap. ſi tibi abſenti de præb. in* 6. loquentes de electo, qui electionem renunciauit, & de arbitrio, vel delegato, qui delegationem renunciauit. *d. c. per literas.* ita Soares *de matr. Reg. Angliæ dub.* 2.

2 Excipe tamen niſi diſpenſatio fuerit circa votum, aut iuramẽtum; quia tunc ea perfectè conceſſa. non poteſt qui illi renunciauit etiamſi actu mere interno id fecerit *illa.* vti, quia &c. quia poſtquam diſpenſatio fuit cõſummata, iterum ſe obligauit ad votum, vel iuramentum per illam renunciationẽ factam: nam non eſt aliud renunciare diſpenſationi conceſſæ, niſi velle ſi iterum ligare eo voto, quod per obligationem extinctum erat. & cum hoc pendeat à ſola voluntate vouentis põt ſe obligare etiamſi ſuperior renunciationem non acceptauit. Contra verò ſi diſpenſatio non ſit perfectè cõceſſa, quia v. g. Pontifex commiſit ordinario & ille nõdum diſpenſauit, tũc renũciãs poteſt iterum vti tali diſpenſatione, quia adhuc extat priuilegium, quod non extinguitur niſi poſt acceptationem ſuperioris, nempè cõcedentis diſpenſationem, nam ſi acceptat ordinarius, aut confeſſarius cui facta eſt cõmiſſio à Pontifice; nulla eſt talis acceptatio, quia excedũt limites ſuæ poteſtatis, quę ẽ vt cognita veritate diſpẽſẽt non vt renunciationem acceptent.

DISPVTATIO XXXIII.

An diſpenſatio ſemel conceſſa, aut priuilegium poſſit à concedente reuocari, itavt prorſus extinguatur.

1 DIco 1. quãdo priuilegiũ gratis cõceditur põt ad libitũ prĩceps, aut eius ſucceſſor illud reuocare, quia talis cõceſſio pẽdet a ſola eius volũtate.

2 Si vero per priuilegiũ illud ẽ aliqd de iure gẽtiũ acquiſitũ, vt ſi donet alicui cſtrũ; aut cõceſſũ ẽ per modũ cõtract' vt ſi pretio recepto priuilegiũ concedat, aut ſi in remunerationẽ meritorũ aut ſi concedat nõ ſubdito, & ille acceptauit (in quibus caſibus videtur talis conceſſio facta per modũ contract' non põt prĩceps abſq; iuſta cauſa illud reuocare, quia per illũ cõtractũ ius alteri acquiritur; quod nõ põt princeps auferre ſine iuſta cauſa, quæ ẽ, quãdo reſpicit bonũ publicũ, nec preſumitur in Principe, vt probat Matienzo *l.* 5. *recop. t.* 10. *l.* 9. *glo.* 1. *n.* 16. ſic tradũt Alex. *conſ.* 101. *vol.* 1. Ruin. *conſ.* 130. *vol.* 5. *n.* 19. Ant. Gab. *t.* 3 *com. l.* 3. *ti. de iur quæſi. con.* 6. Bolognetus *con.* 3.

3 Immò quãdo princeps tale priuilegiũ vult reuocare, nõ ſufficit reuocatio generalis, ſed debet eẽ ſpecialis licet facta

cta verbis generalib⁹ v.g. cui⁹uis ĩdulti cõceſſi per modũ cõtractus, & præterea debet dare æquiualens illi, quod ipſi datum eſt; vnde ſi tempore iubilæi Pontifex ſuſpendat omnes facultates, & indulgentias, niſi exprimat etiam eas per modum contractus conceſſas, & iubeat fieri recompenſationem pro data eleemoſina non cenſentur ſuſpenſa bullæ priuilegia; quia conceduntur per modum contractus vt docet Henriq. *l. 7 de indulg c.* 21. Manuel. *in bulla* §. 12.

4 Excipe tamen in hac re quando Princeps concedit ſuam iurisdictionem, quia tunc poteſt ſine cauſa eam reuocare, vt docet Baldus *l. qui ſe patris. n.* 24. *C. de bon. poſſ. vnde lib.* Felinus *cap. nouit n.* 8. *de iudic.* quare ſuperior, qui delegauit ſuam facultatem, abſq; vllacauſa poterit illam reuocare, quia vtitur iure ſuo, non tamen poterit ſine cauſa illam reuocare ſuperior ipſius delegantis; quia iniuriam facit ipſi deleganti, ita vt etiam inualida videatur talis reuocatio. Vide de hac materia reuocationis priuilegiorum Felinum, & Doctores *cap. nouit de iud. & l. quid ſemel ff. de decretis ab ordin. & l. qui ſe patris c. de poſſeſſ. vnde liberi.* præſertim Bolognetum, & Natienzo.

5 D co tertio quando ſuperior diſpenſat in lege propria, tunc poteſt validè ad libitum reuocare; peccabit tamen venialiter ſi nulla ſit cauſa reuocationis; immò etiam poterit peccare mortaliter, quando illa diſpenſatio eſſet valdè neceſſaria ſubdito, ita, vt ipſe ſub
6 mortali teneretur illam concedere.

At ſi quis diſpenſet in lege ſuperioris, vt Epiſcopus, qui diſpenſat cum ſubdito ad non reſidendum cauſa ſtudiorum, aut cum pœnitentiarius diſpenſat in foro conſcientiæ, tunc non poterit valide talis diſpenſatio ab ipſo reuocari abſque iuſta cauſa, quia per eam diſpenſationem abſoluit ſubditum à vinculo legis: ergo non poteſt deinde per reuocationem de nouo legem illam imponere, quia non habet facultatem legem ponendi; quando verò eſt cauſa legitima, poteſt reuocare, quia duratio illa diſpenſationis ſicuti pendet à iuſta cauſa, ita etiam pendet à non reuocatione ex iuſta cauſa facta. Vide Francum Archid. Domin. *c. cum ex eo de elec. in* 6. Romanum *ſtug.* 517.

7 Vbi etiam nota diſpenſationes pro foro externo, quæ conceduntur non poſſe ad libitum reuocari, ſed ex iuſta cauſa, & tunc debet reſtitui quod acceptum eſt incompoſitionem iuxtà ſupradicta.

DISPVTATIO XXXIV.

Explicantur clauſulæ, quæ appo nuntur à ſacra Pœnitentiaria in diſpenſationibus matrimonij pro foro conſcientiæ conceſſi.

VAriæ ſunt clauſulæ, quæ in his diſpenſationibus ſolent apponi aliæ enim ſunt communes omnibus diſpenſationibus; aliæ propriæ aliquibus, nimirũ quãdo diſpenſatur in voto caſtitatis, aut religionis, in affinitate, ex fornicatione occulta, aut in reſtaurando matrimonio cum impedimento prædicto inito, quas omnes eodem ordine ponemus.

Prima clauſula omnibus diſpenſationibus communis eſt, vt delegatus, qui illas debet impedire habeat duas conditiones, vt ſit Doctor in Theologia, aut canonibus, & vt ſit approbatus ab ordinario.

1 HAEc clauſula habetur ibi (*diſcreto uiro confeſſori magiſtro in theologia, vel decretorum Doctori ex approbatis ab ordinario*) Hinc deducitur circa primam conditionem requiſitam in delegato, quod non poteſt has literas expedire ille, qui publicè legit, ſed adhuc non eſt ad gradum Doctoris promotus, nec qui eſt licentiatus; nec regularis qui in ſua religione eſt magiſter; ſed non acquiſiuit talem gradum in aliqua Academia. Ratio horum eſt, quia in communi modo loquendi ſolum dicuntur magiſtri vel Doctores,

qui

qui in publico alicuius Academiæ teſtimonio gradum illum ſunt adepti.

2 Immo ſi quis per errorem ſit publicè æſtimatus doctor nõ poteſt has litteras expedire, quia non fauet publicus error, quando non eſt titulus collatus; at ſi eſſet ignauus, & haberet gradum doctoratus collatum ab eo, qui poteſt illũ conferre, & ſi talis gradus ob vitium occultum eſſet irritus poteſt has literas expedire, quia iam habet titulum, & eſt communis error ex *l. Barbarius ff. de off. prætor.*

3 Vbi nota primo quod religioſi Societatis Ieſu per conceſſionem à Gregor. XIII. factam poſſunt has litteras expedire, ſi ſint à ſuis ſuperioribus deſignati ad id, & ab ordinario approbati quod etiam habent exteri mendicãtes, qui fruuntur communicatione priuilegiorum.

Nota ſecundo quod ſi quis aperiat litteras, non propterea amittunt hæ litteræ ſuum vigorem, vt non poſſint ab alio Doctore expediri, error enim eſt vulgi contrarium aſſerere.

4 Quod attinet ad aliam conditionem, nimirum, vt doctor ille ſit confeſſarius approbatus ab ordinario. Aduerte quod non ſufficit ad hoc vt has literas expedire poſſit, ſi ſit approbatus publico teſtimonio alicuius Academiæ; contra verò ſufficit etiamſi approbatus ſit indoctus, aut ſi approbatio ſit irrita ob defectum occultum aut fuit reuocata occultè; communiter tamen reputatur approbatus poteſt has litteras expedire iux. *l. Barbarius* d. valent. n. tunc geſta ipſius, ita vt etiam per *Bullam* poſſit eligi ad confeſſiones audiendas.

Et idem erit ſi non ratione ſcientiæ
5 ſed ſolum ratione ætatis, vel alterius rei ſit talis approbatus cum limitatione ad audiendas ſcilicet confeſſiones virorum poterit expedire has literas, quia in his litteris ſcientia potius attenditur, dum petitur approbatio ab ordinario; quamuis multi idem dicãt in *Bulla* Cruciatæ, nimirum approbatum ad viros, poſſe etiam à mulieribꝰ eligi, ita Henr. *de pœnit. l. 6. c. 6. num. 8* Petr. Ledeſm. *ſum. ſacrar. vbi de pœn. cap.* 13. & alij contra Manu. *l. t. ſum. 2. edit. cap. 60. num. 4. concl. 4.* de Ledeſ. & alij contra Manuelem. Cætera vide in diſp. 22. lib. 3. & apud Suar. Henriquez, & alios, qui de hac re tradunt circa Bullam Cruciatæ, aut Iubilæum.

Secunda clauſula eſt cauſa diſpenſationis, in voto religionis, aut caſtitatis, nempe periculum incontinentiæ.

6 Hæc clauſula habetur in formula literarum pro diſpenſatione in voto religionis (*cũ autem ſicuti eadem petitio ſubiungebat, lator prædictus ob ſtimulos carnis continenter viuere poſſe non ſperet*) & in voto caſtitatis (*oratorem ſtimulis carnis adeò agitari vt maximè dubitet continere poſſe*) ex quibus verbis deducitur quod ad hoc, vt ea clauſula verificetur, requiritur maximum frequentis lapſus periculum; nã qui ſemel, aut bis labitur non dicitur incontinenter viuere, ſiuè proueniat ex fragilitate, ſiuè ex malo habitu vouentis, vt diſp. 20. dictum eſt.

Tertia clauſula tradit confeſſarium debere indagare precum veritatem.

7 Hæc clauſula habetur ferè in omnibus diſpenſationibus, & quidẽ in diſpenſatione voti religionis, & caſtitatis fere eſt ijſdem verbis. *Diſcretionis tuæ committimus quatenus ſi ita eſſe per diligentem oratoris examinationem, ac poſt monita & conſilia opportuna illi præſtita, inueneris, eundum, &c.*

Hæc clauſula duas continet partes prima eſt vt confeſſarius teneatur diligenter indagare veritatem precum, examinando ipſum, cum quo eſt diſpenſandum, abſque eo quod teſtes adhibeat, aut notarium petat, aut eas repreſentet ordinario, quia hoc requirit Trid. *ſeſſ. 22. cap. de refor.* pro diſpenſationibus in foro externo. Nec debet iuràmentum petere, quo ille iuret ſe veritatem dicturum, quia hæ diſpenſationes committuntur pro ſolo foro conſcientiæ; ergo debent ſeruari

uari in ijs leges fori conſcientię, in quo pœnitenti fides eſt habenda ſine teſtibus &c. verum tamen eſt quod ſi confeſſionis ſacramentum ſcit preces eſſe falſas, & petens diſpenſationem dicat eas eſſe veras, non debet diſpenſare, vt optimè aduertit Gallego. *de cogn. ſpirituali c.23.n.2.*

8 Eſt autem adeò neceſſarium vt cõfeſſarius antequam diſpenſet (quando ſibi non conſtat de veritate precum, ſi enim conſtat non debet illam præmittere) præmittat examen veritatis precum, vt ſi illam omittat quamuis veræ in ſe eſſent preces, nulla erit diſpenſatio, nam in hoc caſu indagatio veritatis precum ponitur pro forma, & conditione ſine qua coruit diſpenſatio, ratio eſt quia hæc clauſula non intelligitur iure communi, vt intelliguntur illæ, *ſi ita eſt, ſi preces veritate nitantur*, ſed exprimitur alio modo, ac iure ineſt; ergo importat formam, & conditionem, vt latè dictum eſt *lib.3. diſp.33.* ita docent Guttieres, *quæſt. can. l.2.c.15.n.112.* & fauet Bald. *l.neque natales 10.n.7. c.de probat.* Felin. *c. fin. n.33. de præſump.*

At ſecunda pars huius clauſulæ (*poſt monita, & conſilia opportuna*) ſolum inſtruit confeſſarium, vt antequam præmittat examen, admoneat pœnitentem, vt verum dicat, vnde poterit illa confeſſarius omittere, & validè diſpenſare; immo etiam abſq; eo quod aliquod peccatum committat in illorum omiſſione, quia non eſt præceptum præmittendi hæc monita; ſed ſolum conſilium, & inſtructio; vt habetur in ſimili in diſpenſatione cum illegitimo, ibi (*dummodò paternæ incontinentiæ imitator non ſit*) quæ verba ſolum important inſtructionem, vt docent Iacob. de puteo *deciſ.256. num.1. lib.1.* Mandoſius *in ſignat.grat.tit.diſpenſationes ſuper def. nat.*

††

Quarta clauſula apponi ſolita in voto eſt hæc. Eundem a mutatione propoſiti abſoluas hac vice in forma Eccleſiæ conſueta, iniuncta ei pœnitentia ſalutari.

9 VBi nota ſenſum huius clauſulæ eſſe hunc ſi forte is cum quo es diſpenſandum faſſus tibi fuerit voti tranſgreſſionem, eum abſoluas iniuncta pœnitentia ſalutari in forma Eccleſiæ conſueta, quod quia forte eius voti tranſgreſſio poterat eſſe reſeruata, in diœceſi illius, qui petebat diſpẽſationem; non autem ex eo quia neceſſe ſit vt hæ diſpenſationes exequantur à confeſſario intra confeſſionem ſacramentalem. ſeu prius audita confeſſione; quia nullum verbum ponitur in prædicta clauſula id explicans, nam non eſt idem committere facultatem diſpenſand. pro foro conſcientiæ, ac pro foro pœnitentiæ, in ſecundo enim caſu intelligitur intra confeſſionem ſacramentalem, in primo vero extra illam, vt docet Manuel. *reg.t. 1.q.61.ar.10.* & patet *ex Trid. ſeſſ.24. c.6. de reformat.* vbi concedit epiſcopis abſoluere in ſolo conſcientiæ foro à caſibus occultis: a quibus extra confeſſionem abſoluunt vt conſtat ex praxi, & Nauar. *con.11.n.2. lib.5.2.edit.*

Immo Religioſi Societatis Ieſu, & alij regulares per priuilegium à Greg. XIII. conceſſum has litteras expedire poſſunt extra ſacramentum confeſſionis; quia ablatiuus abſolutus poſitus in bulla conceſſionis, auditis confeſſionibus, refertur ad abſolutionem à peccatis non autem ad diſpenſationẽ, & quamuis verba hæc, auditis confeſſionibus, ponantur in principio clauſulæ, tamen non referuntur ad omnia contenta in tali clauſula, quia non eſt eadem ratio de omnibus, vt docet Menochius cum alijs multis citatis, quod etiam docent grauiſſimi Doctores de abſolutione à cenſuris conceſſa religionis, poſſe ſcilicet fieri extra confeſſionem, quamuis ibi dicatur, auditis eorum confeſſionibus.

Doctrinam n. 9. traditam ex Sancio in hac diſp. n. 29. nimirum aliud

eſſe

eſſe, cum in conceſſione diſpensandi voti ponitur *pro foro conſcientiæ* aliud verò cum ponitur *pro foro pœnitentiæ* hoc enim importat diſpenſandum eſſe intra Sacramentalem confeſſionem, illud vero minimè; quod etiam confirmatur ex Conc. Trid. *lo. ci.* vbi dum vtitur *pro foro conſcientiæ* intelligitur communiter, pro foro interno etiam extra confeſſionem doctrinam inquã illam impugnare contendit Pontius *l. 8. c. 11. num. 17.* quamuis enim ſententiam Sancij proqua allegat etiam Salas *diſ. 20. ſec. 10. num. 98* probabilem putet: tamen diſtinctionẽ traditam de foro conſcientiæ, ac foro pœnitentiæ aggreditur hoc argumento (*in primis, ea diſtinctio fori pœnitentiæ, & fori conſcientiæ non eſt ſatis firma, & facile conuellitur ex Trident. ſeſſ. 24. cap. 6. de refor. vbi forum conſcientiæ ex ipſius Sancij ſententia ſignificat forum pœnitentiae, quãdo quidem cenſet poſſe eam diſpenſationem dari extra Sacramentum confeſſionis, quare ex eo, quod in his literis vtatur pœnitentiarius ea voce in foro pœnitentiæ non poteſt vlla firma ratione colligi fieri debere extra Sacramentum*) ex quibus Pontij verbis duo mihi difficilia ſunt. Primum eſt vnde habeat hic Auctor, quod forum conſcientiæ ex Sancij ſententia ſignificet forum pœnitentiæ? alterum eſt vnde ſupponat Pœnitentiarium vti verbo *in foro pœnitentiæ*, & ex hoc Sancium colligere fieri debere extra Sacramentum. & quoad primum pro monſtro mihi eſt hoc tanti Doctoris dictum, ſcilicet ex ipſius Sancij ſententia forum conſcientiæ ſignificare forum pœnitentiæ; cum ipſemet nouem lineis antẽ hæc verba, quæ ex ipſo retuli, hæc habeat, dum refert Salas ſeu Sancij argumentum (*deinde quia in his literis non vtitur verbo fori pœnitentiæ; ſed fori conſcientiæ forum autem conſcientiæ, aliud eſt à foro pœnitentiæ, illud confeſſionem poſtulat: hoc non vt probat Sanchez. ex Præp. in C. præterea el. 2. numero quinto de ſponſalit. Emm. Rodriqu. t. primo qu. reg. qu. 60. ar. 10.*) ſi ergo fatetur Pontius Sancium facere differentiam, ac ponere, vt diuerſum forum conſcientiæ, à foro pœnitentiæ: cur immediate poſt ait forum conſcientiæ ex ipſius Sancij ſententia ſignificat forum pœnitentiæ. Dices Pontium primam propoſitionem ex Sancio, vt iacet ibi, accepiſſe: ſecundam verò infert ex eius dictis; in explicatione Tridenti. *ſeſſ. 14 cap. 6. de reformat.* & ſic implicite arguit Sancium contradictionis, ſic enim Pontius videtur diſcurrere: ex ſententia Sancij cum Trident. conceſſit Epiſcopis, vt à caſibus, quibuſcumque occultis in ſolo conſcientiæ foro abſoluant: intelligitur de abſolutione extra Sacramentum confeſſionis; clauſula item illa, quæ ponitnr à pœnitentiario *in foro poenitentiae*, intelligitur etiam extra Sacramentum confeſſionis, ergo in ſententia Sancij idem eſt, ſeu idem ſignificat conſcientiæ forum, ac pœnitentiæ forum. Conſequentia eſt euidens. Antecedens, quoad ſecundam partem, probat Pontius ex eo, quia Sanchez dicat poſſe fieri diſpenſationem voti extra confeſſionem; cum tamen à pœnitentiario dicatur *in foro poenitentiæ* quod autem hæc ſit probatio huius ſecundæ partis, allàta implicite à Pontio, patet ni fallor euidenter; ex verbis ſupra à me ex ipſo poſitis, quæ ſunt (*vbi forum conſcientiæ ſignificat forum poenitentiae: quandoque cenſet poſſe eam diſpenſationem dari extra Sacramentum confeſſionis*) vbi niſi ſupponatur à Pontio, quod in diſpenſatione voti, dicatur à pœnitentiario in foro pœnitentiæ, & quod id etiam ſupponat Sanchez. non bene inferret, nihilque concluderet, vt patet conſideranti. immò ipſe Pontius ſatis ſe explicat, quod hoc intelligat ibi (*quare ex eo, quod in his literis vtatur poenitentiarius ea voce, in foro poenitentiæ, non poteſt vlla firma ratione colligi, fieri debere extra Sacramentum*) en quomodo ſe explicet hic Auctor, quod ſentiat pœnitentiarium vti poſſe ea voce

in foro pœnitentię; & ex ea Sancium inferre, quod diſpenſatio debeat fieri extra confeſſionem. probata eſt igitur ſecunda pars antecedentis: quod pro Põtio fuit propoſitum. probatur iam prima luce clarius ex ipſius Sancij verbis *eod. nu.* 29. vbi hæc habet (*quod etiam inde conſtat, quia Epiſcopis concedit Trid. d. c. 6. de reform. abſoluere in conſcientię foro à quibuſcumque caſibus occultis & tamen praxis habet vt extra confeſſionem abſoluant*) ergo ſentit Sanch. ly *forum conſcientię* non importare Sacramentũ confeſſionis; quæ eſt prima pars ãtecedentis probanda. Ingenioſum ſane reſponſum, & ni fallor Pontij mentem ac diſcurſum omninò aſſequitur: verum corruat neceſſe eſt; cum tam falſo fundamento nitatur: nunquam enim Sanch putauit a pœnitentiario in illa clauſula diſpenſatiua voti poni *pro foro pœnitentiæ*, & multò min' ex hoc verbo intulit, quod debet fieri extra Sacramentum confeſſionis talis diſpenſatio vt illi tribuit Põtius tam aperte; vt ex ſupra citatis eius verbis verbis clarum eſt: immò planè oppoſitum docet, & ex eo; quod pœnitentiarius nõ vtitur ea voce *pro foro pœnitentię* infert poſſe fieri diſpenſationẽ voti extra Sacramẽtum confeſſionis; Sancij verba nõ ſunt adeò obſcura, vt Pontius merito deciꝑi in hoc potuerit, nam *eod. num.* 29. à Pontio citato hæc habet (*cum ergo non habeatur in literis facultatem exequendi has diſpenſationes committi in foro pœnitentiæ, ſed in foro conſcientiæ, non deſideratur confeſſio*) hæc Sanch. ex quibus iã aduertet lector iure optimo me dixiſſe, duo in Pontij dictis eſſe difficilia; primum, quod dixerit forum pœnitentię idem ſignificare ac forum conſcientiæ in ſententia Sancij, cuius tamen ille cõtrarium docuit; neque ex eius doctrina colligi, aut inferri poteſt, vt vidimus; & mox etiam apparebit aperte: ſecundum, quod putauerit Sancium ex eo inferre non requiri confeſſionem in diſpenſatione voti: quia pœnitentiarius vtitur verbo *pro foro pœnitentiæ*, quod Sanchez non docuit, ſed oppoſitum adeò aperte, vt vel dormitans aduertere poterit lector. at qua fide Pontius aſſeruerit Sancium putare ly *pro foro conſcientiæ*, ſignificare Sacramẽtum confeſſionis, ſeu quod diſpenſatio debeat fieri intra Sacramentum; *pro foro vero pœnitentię* intelligi extra Sacramentum; cum ipſe omninò oppoſitum doceat: audiamus vtrumq;. Pontius ait dum refert Sancij argumentum., vt ſupra diximus (*cuius fundamenta hęc ſunt, ſi pœnitentiarius vellet hanc executionem fieri in foro pœnitentiæ, & confeſſionis id exprimeret. deinde quia in his literis non vtitur verbo fori pœnitentiæ, ſed fori conſcientiæ, forum autem conſcientiæ aliud eſt à foro pœnitentię, illud confeſſionem poſtulat, hoc non, vt probat Sanchez ex Prępo. &c.*) vbi ly *illud* refertur ad forum conſcientiæ: & ly *hoc* ad forum pœnitentiæ, quod proximè præceſſit, & facit hunc ſenſum, vt ex communi loquendi modo conſtat: *forum conſcientiæ* poſitum in reſcriptis requirit, vt diſpenſatio fiat intra confeſſionem, *forum vero pœnitentiæ* hoc non requirit ex Sancij ſententia: hoc autem vt dixi falſum eſt; oppoſitum quippe ipſe docet eodem loco, quem Pontius citat.

En Sanclj verba (*ſecundo aliud importat conſcientię forum, & aliud pœnitentiæ forum, hoc enim eſt ſolum forum Sacramentale; illud autem tantum vt diſtinguatur contra forum exterius, quod optime ſignificat Pręp. C. prętera el 2. numero quinto de ſponſal. quare optime dixit Manuel qu. reg. t. primo qu. 61. ar. 16. facultatem abſoluendi in foro pœnitentiæ intelligi intra confeſſionem: ſecus de facultate abſoluendi in foro conſcientię*) quo modo clarius ſuam ſententiam potuit exprimere? illam tamen mutauit Pontius, & contrariam attribuit eo modo loquendi, vt vidimus. illud etiam valde mirandum puto in eo Auctore alioqui accuratiſſimo: nimirum tam ſubito eodem numero, paucis lineis interiectis obliuiſci ſui dicti; ac contrarium dicere. nam in ſecunda ratione, quam affert pro con-

tra-

traria ſententia fatetur pœnitentiariũ non vti verbo *fori pœnitentię* in eorum ſaltem ſententia, idq; ipſe videtur ſupponere: deinde poſt 14. lineam aſſerit pœnitentiarium vti verbo *pro foro pœnitentiæ*. rurſus prius dixit Sancium docuiſſe aliud eſſe forum pœnitentiæ, aliud forum cõſcientiæ, & tamen fere immediatè videtur aſſerere, idem ſignificare forum pœnitentiæ, ac forum conſcientiæ ex Sancij ſententia; adeoque variatin confutanda eius ſententia, vt non facile ſit, quid is velit, lectori colligere: quæ ne gratis à me obiecta, quis putet, licet ſupra ſparſim Pontij dicta retulerim: tamen volui vnico lectoris obtutui omnia ſubijcere: ait igitur *nu.* 17. citat. *(ſed hic potiſſima difficultas verſatur, an ea diſpenſatio fieri debeat audita confeſſione, & in Sacramento confeſſionis* Thomas Sanchez *in hac diſput. num.* 29. *negat, ſequitur* Salas *cuius fundamenta hæc ſunt. quia ſi pœnitentiarius vellet hanc executionem fieri in foro pœnitentiæ, & confeſſionis id exprimeret, deinde quia in his literis non vtitur verbo, fori pœnitentiæ, ſed fori conſcientiæ. forum autem conſcientiæ aliud eſt à foro pœnitentię, illud confeſſionem poſtulat, hoc non, vt probat Sanchez. ex Præp. in cap. præterea el. 2. num. primo de ſponſ. Emm. Rodr. t. 1. q. reg. qu.* 60. *ar.* 10. *ego quidem eam opinionem exiſtimo eſſe probabilem; probabiliorem tamen eam, quæ requirit, vt fiat in Sacr. confeſſionis, & in primis ea diſtinctio fori pœnitentiæ, & fori conſcientiæ, non eſt ſatis firma., & facile conuellitur ex Trident. ſeſſ.* 24. *cap.* 6. *de refor. vbi forum conſcientiæ ex ipſius* Sancij *ſententia ſignificat forum pœnitentiæ, quant doquidem cenſet poſſe eam diſpenſationem dari extra Sacramentum confeſſionis. quare ex eo, quod in his literis vtatur pœnitentiarius ea voce foro pœnitentiæ, non poteſt vlla firma ratione colligi fieri debere extra Sacramentum*) hæc verba Pontij perpendat lector, cum his, quæ ex Sancio *n.* 9. *in diſp.* dixi, & in præſenti notatione, & forte vix reperiet aliam excuſationem; præter illam, quã propoſuimus dum explicauimus; quonam pacto, potuit Pontius ſine mendacio affirmare; idem eſſe forum conſcientiæ, ac forum pœnitentiæ, in ſententia Sancij. Nec ſine animaduerſione prætereundum puto vltimum Põtij verbum. nimirum *fieri debere extra Sacramentum*, namly *debere* quo vtitur dum Sancij refert illationem; quid lõge diuerſum dicit à ſententia, quam Sanch. ſuſtinet, & cæteri, qui eam amplectuntur. nam is tãtum cõtendit poſſe fieri diſpenſationem extra Sacramẽtum confeſſionis, & ſi ita fiat valere talem diſpenſationem: neq; dicit, quod ſit neceſſarium, aut ſaltem ſit de honeſtate, vt ita fiat extra confeſſionem, at ly *debere* quo vtitur Pontius, importat neceſſitatem, vel ſi impropriè accipiatur debitum honeſtatis, vt probat Tiraq. *lib.* 1. *de retrac.* §. 1. *gl.* 15. cum multis ibi Iaſon *l.* 1. *n.* 3. *ff. de iur. om. iud.* Bertach. *repert. v. debet* Dict. *iuris v. debet* Auendãno *reſp.* 14. *num* 2. Barth. *l. creditores num.* 3. *C. de pign.* Abb. *c.* 1. *nu.* 7. *de ſpon. imp.* vbi Præp. *nu.* 4. Rebuff. *de verb. ſign.* 37. *ver. idem dicerem Lexicon. Thel. v. debet.* Deniq; concludit Pontius *d. n.* 17. his verbis (*atque ex his ſoluta manent Sancij argumenta*) quod tamen verum non eſt: cum omiſerit primum, ac præcipuum illius argumentum, quod eſt huiuſmodi. (*Ducor, quod licet ea verba importarent abſolutionem Sacramentalẽ, non ponuntur per modum conditionis, vt ex eorum tenore conſtat*) Supple ex dictis *l.* 3. *diſ.* 33. Et ſic valet diſpenſatio vo ti facta extra confeſſionem, nec ad eius valorem requiritur vt fiat in confeſſione. quare etiam ſi ſoluta eſſent pœnit' illa duo argumenta; quæ Pontius ex Sãcio attulit, adhuc remanet eius ſententia, vnico hoc argumento ſtabilita. cur ergo Pontius dixit ſoluta eſſe Sancij fundamenta, cum de præcipuo mentionem non fecerit, ſed illud omninò tacuerit.

† †

Quinta clauſula continet opera, in quæ confeſſarius debet commutare votum caſtitatis, & religionis.

10 HAEc clauſula in diſpẽſatione voti religionis. ita habet (*tibi votum prædictum ad hoc vt matrimonium legitime contrahere poſſit, in frequentiam ſacramentalis confeſſionis peccatorum ſuorum, ſingulis ſcilicet menſibus ſemel; aut quoties tibi videbitur, & in alia pœnitentiæ opera perpetua per te iniungenda, inter quæ ſint aliqua religionis, quæ quotidie facere tenearur &c. diſpenſando commutes in foro cõſcientiæ tantum*) clauſula verò in diſpenſatione voti caſtitatis eſt eadem, & ſolum in diſpenſatione voti religionis petit aliqua opera religionis; at in diſpenſatione voti caſtitatis aliqua opera pietatis, quotidie exercenda ab eo, cum quo diſpenſatur.

11 Eandem confeſſionem menſtruam petit iniungi, quando matrimonium fuit contractum cum impedimento occulto, & eſt inſtaurandum (*ac confeſſione ſacramentali peccatorum ſuorum, ſingulis ſcilicet menſibus, vel quoties, animarũ ſuarum ſaluti expedire iudicaueris.*

12 Circa quam clauſulam nota primo quod quamuis non poſſit confeſſarius non imponere aliquas confeſſiones, & aliqua opera pœnitentiæ perpetua, inter quæ, aliqua debent eſſe quotidie, quia ea opera expreſſa ſunt à ſacra pœnitentiaria, vt vidimus: tamen quantitas horum operum remittitur arbitrio confeſſoris, qui alicui plura, alicui pauciora poteſt imponere, non ad libitum: ſed ſecundum regulas prudentiæ ob iuſtas cauſas; nam in forma ſupradicta, vbi hæc opera aſſignantur; concluditur hoc pacto (*prout ſecundum Deum ipſius animæ ſaluti expedire iudicaueris*) quæ verba ſignificant arbitriũ ſecundum regulas prudentiæ, vt docet Menoch. *de arbitr. lib. 1. q. 8. à n. 1.* & idem videtur de confeſſione menſtrua, quæ ponitur in his literis, poterit enim confeſsarius imponere min⁹ frequentem, prout iudicauerit expediens; & ratio eſt, quia clauſula dicta, quæ ponitur in fine debet intelligi de omnibus operibus à confeſsario impoſitis; præſertim cum pœnitentiarius, quando dicit imponendas eſse confeſſiones ſingulis menſibus addit vel *quoties tibi videbitur*, quæ verba debent intelligi in ſenſu fauorabili, nempe ſi noueris non expedire animæ illius ſingulis menſibus confeſſionem facere; impone quoties tibi videbitur, nempè, vel quater in anno, vel pluries, ex quo à fortiori patet non poſſe confeſſariũ imponere frequentiorem confeſſionẽ quam ſingulis menſibus, quia eſt onus nimis durum etiam viris bonę conſcientiæ, nec debet præſumi eam fuiſſe pœnitentiarij mentem, dum diſpenſat cum perſona, quæ ob ſtimulos carnis ſe continere non poteſt.

13 Nota ſecundo, quod poteſt ille, cui imponitur confeſsio ſingulis menſibus eam facere quocumq; die illius menſis, v.g. vigeſimo Febr. & primo Martij, nec eſt neceſſarium vt inter vnam, & aliam confeſsionem intercedãt 30. dies, vt eſt neceſſe in confeſsione annua, quæ præcipitur ab Eccleſia. ratio eſt, quia in literis pœnitentiariæ dicitur, ſingulis menſibus, quod verificatur in qualibet die menſis. In præcepto verò Eccleſię dicitur, vt ſemel in ãno ſaltem fateatur. *cap. omnis vtriuſque ſexus de pœnit. & remiſſ.*

14 Vnde deducitur, quod ſi in vno mẽſe confeſsionem non facit, non tenetur in alio duplicare, quia eſt cõfeſsio addita ſingulis menſibus, nec in illo menſe, in quo cõfitetur, vt ſatisfaciat Eccleſiæ præcepto de confeſsione annua, quia iam pœnitentiarius ſciebat in aliquo menſe anni concurrere etiã confeſſionem ex Eccleſiæ præcepto.

Contra verò ſi pœnitens ex alio voto tenetur confeſſiones menſtruas facere non poteſt vnica confeſſione in menſe ſatisfacere obligationi impoſitæ per pœnitentiarium, vt ſingulis mẽſibus confiteatur, nec ipſe confeſsor poteſt iniungere illas confeſſiones, ad quas pœnitens aliundè tenetur, debet enim eſse noua, & opus ſupererogationis, poterit tamen prudenter iuxta dicta

cta ſupra minuere frequentiam confeſſionis, quando diſpenſat.

15 Nota tertio, quod quando imponitur confeſſio illius, qui cum impedimẽto contraxerunt matrimonium, tunc debet imponi vtrique coniugi, ſi ambo fuere participes doli, alias illi ſolũ, qui ſciebat impedimentum.

16 Nota quarto pro praxi, quod opera pœnitentiæ iniungenda poſsunt eſse aliqua ieiunia, vt à carnibus ſe abſtineat aliquoties in menſe, verberet ſe &c. opera verò religionis, quæ in diſpenſatione voti religionis iniungenda ſunt vt quotidie exequantur, poſsunt eſse, recitare quotidie litanias, pſalmos pœnitentiales, & pro voto dicere quotidie quinquies Aue Maria, dare aliquam eleemoſinam. &c.

Reliqua, quę in hac re quæri poſſunt vide ſupra *diſp.* 30. & 31.

Sexta clauſula eſt, vt hæ literæ dilanientur.

17 HAEC clauſula aliquando ponitur ſub pœna excommunicationis, aliquando vt ſi parti reſtituãtur nihil proſint (*his verbis quas lacerare tenearis, neque latori reſtituas, quod ſi reſtitueris nihil illi præſentes literæ ſuffragentur.*

18 Ad quam clauſulam verificandam ſufficit ſi amiſsæ ſint literæ, ita vt inueniri non poſſint, & ſi parti prius fuerunt reſtitutæ poſsunt deinde reſcindi & diſpenſatio valebit à tempore reſtitutionis, immò etiam ſi apud partem manebunt, adhuc valida erit diſpenſatio pro foro interno; ſed ſolum in foro externo nil iuuabunt literæ. Vide etiam *lib.* 3. *diſp.* 15.

Septima clauſula eſt vt talis diſpenſatio proſit pro ſolo foro interno, & vt proles legitimetur.

19 HAEC clauſula, quatenus dicit, quod diſpenſatio proſit pro ſolo foro conſcientiæ in omnibus diſpenſãtionibus ſolet apponi, de qua ea, quæ poſsent quæri, nimirum quid faciendum, quando parochus nouit impedimentum iuridicè: an poſſit diſſimulare ſi ſciuit diſpenſationem eſse impetratam pro foro conſcientiæ, & an diſſoluendum ſit tale matrimonium, ſi detegatur. Vide *lib.* 3. *diſp.* 15. & vtrum illi qui ſciunt impedimentum, teneantur illud denunciare, ſi ſciant diſpenſationem fuiſse impetratam. *eod. lib.* 3. *diſp.* 13. & an ſi ipſimet interrogentur teneantur illud fateri *diſp.* 13.

20 Quatenus vero dicit prolem ſuſcipiendam legitimam denunciandam eſse, vt dicitur, quando diſpenſatur ad iueundum matrimonium cum affine, aut inceſtu occulto, aut prolem, tam ſuſceptam, & ſuſcipiendam legitimam eſse decernendam, vt dicitur quando conceditur diſpenſatio ad hoc vt cõualidetur matrimonium initum cum impedimento occulto.

21 Nota primo, quod ea proles, quę ex eo matrimonio inito cum hac diſpenſatione naſcitur erit legitima in foro conſcientiæ tãtum, tum quoad ſpiritualia, tum quoad temporalia, quod etiam verum eſt de filijs natis ãtequã matrimonium fuerit validè initum, ſi enim poſtea poſita diſpẽſatione inſtauretur, erunt legitimi: non ſolum, quia ita decernitur in his literis; ſed etiam quia tales filij nati poſt matrimonium cum diſpenſatione initum ſunt vere nati ex legitimo matrimonio; ergo ſunt naturales, & legitimi in foro conſcientiæ. Similiter qui nati erant ãtea ſi matrimonium reſtauretur in foro cõſcientiæ legitimãtur per ſubſequẽs matrimonium ſolum quoad forum internum, ſicuti matrimonium eſt validum ſolum quoad forum internum.

22 Immò ſi matrimonium cum impedimento initum fuit cum bona fide ex parte vtriuſque contrahentis, vt ſcilicet ignari fuerint impedimento dirimenti, aut ſaltem ex parte alterius, tãtum cõiugis, tunc filij erunt legitimi in vtroque foro, non ſolum reſpectu parentis, qui fuit in bona fide; ſed etiã reſpectu alterius, licet parens, qui fuit in mala fide non erit legitimus reſpectu filij, ne ex ſuo delicto commodum re-

reportet,vt putant Acoſta *cap. ſi pater n.21. de teſt. in 6.* Barboſa *l. ſi cum dotem 23. §. fin. n.11. ff. ſol. matr.* Matienzo *l. 5. recopil. ti. 1. rub gloſſ. 1.* quamuis etiam probabile ſit,vt vterque parens ſit legitimus,& ſuccedat filijs,quod probat Rojas *epit. ſucceſ. c. 30. n. 38.* Auendanno *l. 6. Tauri gl. 1.*

Conſtant hęc ex cap. ex tenore cap. cum inter & *cap. peruenit, qui filij ſint legitimi*, & tradunt multi Doctores apud Matienzo. alia circa hanc materiam diximus hoc libro diſp. 6. & 7.

Octaua clauſula, quæ ponitur in diſpenſationibus ad ineundum, vel inſtaurandum matrimonium inualidè prius initum eſt, dummodo impedimentum ſit occultum.

23 Circa hanc clauſulam nota quod in hac materia impedimentum occultum dicitur illud, quod ignorat maior pars ciuitatis, viciniæ, aut monaſterij, aut Parochiæ, dummodo in eo monaſterio &c. ſaltem decem perſonæ inueniantur; quia hoc modo obuiatur ſcandalo iuxta mentem pœnitentiarij. ita docent Nauar. latè probans *in ſum. cap. 27. n. 254.* Immo erit occultum etiamſi omnes ſciant, ſed non ſciunt ſub hac formalitate, quod ſit impedimentum, vt ſi omnes ſciant Titium,& Bertam eſſe affines, at neſciant affinitatem eſſe impedimentũ matrimonij, vt docent multi in ſimili Nauar. *l. cit. n. 255.* Henri. *l. 14. de irr. c. 20. n. 4* Sayrus *The. Saur. caſuum t. 1. l. 7. c. 13.* & alij.

24 At ſi ſit deductum ad forum contentioſum ſiue iuſtè, ſiue iniuſtè, & pars iam fuerit citata (nam ſi iudex retinet apud ſe non intimata parte erit occultum) tunc tale impedimentum non dicitur occultum, niſi prius reus abſolutus ſit à Iudice, ſiue ex eo quia nullo modo probatum ſit,vt vult Suarius *de cenſuris diſp. 41. ſec. 2.* ſiue etiam quia fuit ſemiplena probatio non ſufficiens ad condemnationem, tunc .n. redit iterum ad priſtinum ſtatum, & dicetur impedimentum occultum, quamuis reus pœnitens ſe defenderit falſis teſtibus, *vt l. 2. diſ. 37.* dictum eſt.

Nona clauſula, quæ ſolet poni quando conceditur, vt reſtauretur matrimonium irritè contractum. eſt ſequens.

25 (Diligenter experiantur an ſine ſcãdalo poſſint ſeparari; quod ſi fieri poteſt, fiat omninò, ſin autem fieri poteſt, experiantur ſaltem an cohabitantes tanquam frater,& ſoror continenter viuere valeant; quod ſi neutrum fieri valeat cum ipſis latoribus diſpenſa: muliere de nullitate prioris conſenſus certiorata; ſed ita cautè,vt ſi illa adhuc ignorarit latoris delictum nuſquam detegatur.)

26 Circa quam clauſulam aduerte quod rariſſimè,aut nunquam erit neceſſarium experiri an poſſint ſeparari coniuges, vel honeſte viuere tanquã frater & ſoror, quia ſæpè ex ea ſeparatione oriuntur ſcandala, & periculum incontinentiæ ſicuti etiam ex co habitatione; & ſacra pœnitentiaria eam clauſulam apponit, quauis cauſa allegata; vnde nec præſumitur ita certum eſſe ſcandala oriri, & periculum incontinentiæ; quia poteſt ex cõiugum ætate, aut alijs circumſtantijs talis experientia prætermitti arbitrio viri prudentis.

27 At in quantum ea clauſula petit,vt prius coniux ſit certior facta de prioris conſenſus nullitate; aduerte non eſſe niſi meram inſtructionem, quia nulla verba ponuntur, quæ denotent eſſe conditionem neceſſariò requiſitam, & ſepè ſi id eſſet neceſſarium, fruſtrarentur ſuo valore hæ diſpenſationes, quia multoties non poteſt cõiux ignarus certior fieri, ſine periculo alterius coniugis, vt alias dictum eſt.

Denique nota quod à tergo literarum ponitur (*gratis vbique*) quia per has literas nihil poteſt peti, nec per modum compenſationis, nec etiam Pœnitentiarius poteſt aliquid acceptare ſponte datum in ſignum gratitudinis,vt teſtatur Nauarr. haberi in facul-

cultatibus pœnitentiario conceſſis *li. 4.conſ.in 1.edit.tit.de ſponſ.conſ.* 50. *n.* 3.

DISPVTATIO XXXV.

Qualiter intelligi debent clauſulę diſpenſationum, quę committuntur ordinario exequendę in foro externo.

28 PRima clauſula continet perſonã, cui committitur diſpenſatio expedienda ſcilicet officiali diœceſis eorũ, quibus facienda eſt diſpenſatio, & ſufficit ſi ſit ordinarius diœceſis alterius ex coniugibus, vt ſi vnus ſit ex diœceſi Panormitana, ſufficit ſi committantur Epiſcopo Panormitano; quia ita conſtat ex praxi, nunquam enim ponitur ordinarius vtriuſque contrahentis: verum tamen eſt quod ſi committatur à Pontifice ordinario vnius coniugis v. g. Panormitano non poterit has literas expedire ordinarius alterius v.g. Meſſanenſis, quia illi fuit facta commiſſio, non huic.

Secunda clauſula continet cauſas diſpenſationis.

29 CIrca quam præter ea, quæ diximus diſp. 19. & 25. nota quod in numeratione cauſæ ob defectum dotis additur (*& dictus N. illam cum dicta minus competente dote ducere in vxorem, & illius dotem vſque ad quantitatem ſecundum qualitatem dictę M. competentem augere intendat*) ex qua clauſula neceſſe eſt ad valorem diſpẽſationis vt maritus, aut alius nomine ipſius augeat dotem vſque ad quantitatem competentem, quod ordinarius diligenter examinare debet: nam non ſufficit implere hanc clauſulam ſi aliquid detur, quod iudicio, prudentis ſit alicuius momenti, ſicuti ſufficit, quando ponuntur hæc verba (*dotem iuxta ſtatus ſui conditionem augere vult*) Ratio eſt, quia in hac ſecunda clauſula hæc verba non ſignificant integram quantitatem dotis, at in prima ſignificant integram quantitatem completam.

30 Tertia clauſula eſt (*volumus autem quod ſi ſpreta monitione noſtra eiuſmodi aliquid muneris, aut prętnij occaſione dictæ diſpenſationis exigere, aut oblatum recipere temere præſumpſeris excommunicationem latæ ſententiæ pœnam incurres*) Quare per hanc clauſulam non poteſt ordinarius accipere munera, neque exculenta, aut poculenta, quæ paucis diebus conſumi poſſunt; quia licet delegatus ad lites poſſit hæc recipere *ex cap. ſtatutum §. inſuper de reſcrip. in* 6. id fit, tum quia delegatio eius durat longo tempore, tum etiam quia non poteſt recipere ſtipendium à partibus; at ordinarius diſpenſans breui ſuum munus explet, & poteſt recipere ſtipendium debitum, vt docent multi Doctores, quos tacito nomine refert Sanch. hic *n.* 10. quia prohibitio huius clauſulę loquitur de munere, & non de ſtipendio debito pro labore.

31 At quamuis hic ordinarius recipiẽs munera incurret excommunicationẽ vt dictum eſt; tamen non tenetur reſtituere id, quod accepit ſpontè oblatũ, quia clauſula non facit mentionem huius reſtitutionis. & *ca. d. ſtatutum*, quod præcipit reſtitutionem loquitur de delegato ad lites.

32 Immò ſi poſt expeditam diſpẽſationem aliquid muneris accipiat, non incurret excommunicationem; quia iam ceſſat prohibitionis cauſa, ne ſcilicet ob munera malè ſuum munus exequatur, vt notarunt in iudice delegato Dom. & Frãcus *d.c. ſtatutum.*

Quarta clauſula eſt, ſi per informationem preces veritate niti repereris, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus.

33 CIrca quam nota hanc informationem non debere fieri iudicialiter dato iuramento teſtibus & coram notario, ſed ſufficere extra iudicialiter, vt *lib. 3. diſp.* 8. probatum eſt. Immò ſi ordinarius aliundè ſciat preces eſſe veras nulla opus eſt informatione. cõtra verò ſi ignorãs precum veritatem

diſ-

diſpenſet, nulla erit diſpenſatio, quamuis preces veræ ſint, vt *diſput. præced.* dictum eſt.

Quinta clauſula eſt, conſtitutionibus, & ordinationibus apoſtolicis, cęteriſque contrarijs quibuſcumque non obſtantibus.

34 QVæ clauſula quamuis ſit generalis, tamen derogat decreto Concilij generalis interdicenti matrimonium inter gradus conſanguinitatis, & affinitatis; quia quando Pontifex diſpenſat in ſpeciali, & certo caſu contra diſpoſitionem generalis concilij non requiritur ſpecifica mentio talis concilij, ad hoc vt ipſi derogentur, vt docet Loarez *de matrimonio Regis dubio* 16.

Sexta clauſula eſt, vt matrimonium inter ſe publicè ſeruata forma Concilij Tridentini contrahere valeãt diſpenſa

35 VBi nota primo non poſſe matrimonium iniri validè, niſi prius ordinarius diſpenſarit. Secundo non ſolum debet ſeruari forma eſſentialis in Tridentino requiſita, vt ſcilicet fiat coram parocho, & teſtibus, quando matrimonium eſt ineundum, aut ſi initum fuit irritum, & conceditur in foro externo diſpenſatio, vt iterum ineatur, ſed etiam debent præmitti denũciationes conſuetæ; niſi forte pauloãte (quod arbitrio prudentis viri v.g. non dum elapſo trimeſtri) fuiſſent præmiſſæ. benè verum eſt, quod ſi omittãtur hæ denunciationes, adhuc erit valida matrimonium, quia etiamſi in diſpenſatione peteretur, vt conditio (quod non eſſe verum dixi *diſp.* 33. *lib.* 3. tamẽ debet intelligi iuxta diſpoſitionem Trid. quod petit denunciationes tanquam formam accidentalem.

Sptima clauſula eſt, prolem ſuſcipiendã exinde legitimam denunciando.

36 QVę clauſula etiam ſi non ponere retur adhuc proles nata, & naſcitura eſſet legitima quoad omnia, tam in foro interno, quam externo, quia diſpenſatio eſt obtenta pro vtroque foro, etiamſi matrimonium fuerit irritè initum cum dolo vnius partis tantum. ſi verò cum vtriuſque partis, tunc erit legitima quoad ſpiritualia in vtroque foro; niſi in terris iurisdictioni temporali Pontificis ſubiectis, & Pontifex exprimeret ſe velle quoad omnia legitimare. hæc patent ex dictis diſp. 7. & diſp. præcedenti.

Septimam clauſulam nimirum (*dummodo propter hoc ipſa M. rapta non fuerit*) omiſimus. cum *lib. 7. d. 27.* ſit explicata.

37 Nona clauſula apponitur in diſpenſationibus conceſſis abſque cauſa ſpeciali (*ipſi ex certis rationabilibus cauſis eorum animum mouentibus cupiunt inuicem matrimonio copulari*) ob quam nõ debet ordinarius inquirere de veritate harum cauſarum, ſiue ab alijs, ſiue ab ipſis contrahentibus, quia hæc verba ſunt generalia, appoſita non vt probentur, ſed vt ſciatur Principem honeſtam cauſam habuiſſe in illa gratia concedenda, vt docet Oldradus *conſ.* 5 *fine.* Staphilæus *de lit. grat. tit. de vi, & effectu clauſul.* Rebuff. *praxi benef. ti. de clauſ. mandatorum*, quod verũ eſt quãuis in his literis addatur (*de præmiſſis te diligenter informes*) quia ponitur Notariorum ſtylo.

Vltima clauſula continet contrahẽtium qualitatem, quæ ſolet apponi duplici modo. primo (*quod ipſi qui ex principalioribus ciuitatis exiſtunt*) Secũdo modo (*aſſerentes ſe ex principalioribus ciuitatis exiſtere.*)

38 Circa quas clauſulas præter ea, quæ *diſp.* 19. diximus aduerte, quod ſi primo modo ponatur, non eſt verificanda, quia ponitur merè per modum narrationis, ſicuti nec eſt probanda quando ponitur imperſonaliter, *vt aſſeritur.* Si verò ponitur ſecundo modo, tunc qualitas eſt verficanda, quia ponitur per modum cauſæ, quæ debet verificari cum alijs cauſis, ſicuti etiam verificari, & probari debet, quando po-

ponitur nõ impersonaliter, vt si dicat, *vt asseris nobili genere natus exiſtis*, vt probat Mascardus *de probat. conſ.* 888. *num.* 40. cum alijs apud ipsum.

DISPVTATIO XXXVI.

Explicatur quisnam ex coniugibus teneatur expensas dispensationum soluere, & quid quando alter non vult contrahere matrimoniũ post obtentã dispensationẽ.

1 DE hac re actum est lib. 5. disp. 5. si enim mutuo consensu tacito, vel expresso ambo petierũt dispẽsationẽ, amborum expensis est impetrãda; nisi alter occasione alicuius legati sit graua tus petere dispensationẽ; sin minus is soluit expẽsas, qui petit dispensationẽ.

2 Si verò postquam dispensatio obtẽta est alter resilit à fide matrimonij no lens illud contrahere; tũc in triplici casu distinguendum est: primò si iustè resilit absq; alterius cõiugis culpa, & nõ habebat animum resiliẽdi, quãdo fidẽ dedit tenetur solũ partem cõtribuere expensarum: secũdo si habebat animũ aut dubius erat resiliẽdi à fide matrimonij; tũc tenetur oẽs expensas soluere, quia decepit aliũ, nec cõtractus est æqualis. Deniq; si culpa alterius resilit casu quo nõ posset matrimoniũ sine dedecore, aut damno perficere, quia v.g. sponsa fornicata est: tunc resiliens nullas debet dare expensas, sed illa cuius culpa matrimoniũ nõ est sequutũ.

3 Contra verò si nullũ dãnũ ex eo matrimonio sequitur, vt si spõsus fornicetur; debet spõsa resiliẽs partem soluere expensarum, quia liberè resilit à cõtractu is tandem qui fuit in culpa ne sponsalia perficerentur in casu quo tenetur procurare dispẽsationẽ (de quo *lib. 1. diſ.* 55. dictũ est) tenetur suis expensis illam impetrare.

QVAERES.

Quid dicendũ sit, quando vir virginẽ defloratit, & postea ingreditur religionem.

4 REsp. quoties ingrediendo religionẽ cõmittit culpã, ex eo, quia tenetur inire matrimoniũ cũ defforata, debet is soluere oẽs expensas dispensationis, vt si vir defforauit virginem, vel mulierẽ bonæ famæ iub spe futuri matrimonij iuxta dicta *lib. 1. diſ.* 44.

Aut si defforauit virginẽ violẽtia, dolo, aut precib⁹ violẽtiæ æquipollẽtib⁹; & postea spõte promisit cũ illa matrimoniũ inire debet ẽt soluere expẽsas, tũc. n. nõ põt licite ad religionẽ trãsire, cõtra obligationẽ; quã libere sibi egit in recõpẽsatione iniurię; nã cũ ex *c. 1. de adult.* teneatur virginẽ defloratã ducere, aut dotem augere, & ipse iam elegit ducere, ad id tenetur.

5 Immò ĩ foro externo, qui virginẽ ẽt cõsentiẽtẽ defforauit, & postea dedit fidẽ matrimonij, cõpellẽd⁹ est ne transeat ad religionẽ; nisi probet aut illam nõ fuisse virginẽ, aut spõte cõsensisse, aut deniq; nisi ĩter defforatẽ, & virginẽ esset ĩpedimẽtũ dirimẽs; quia tunc promissio illa processit ex mera liberalitate, quę ĩcludit cõditionẽ nisi placuerit trãsitus ad religionẽ, nec obligare poterat promissio matrimonij, quod ob impedimẽtũ cõsentire nõ poterat

6 At si ĩgrediẽdo religionẽ nõ cõmittit culpã (quod accidit in seq. casibus) tũc nõ tenetur soluere ĩtegras expẽsas sed tm̃ suã partẽ. prim⁹ est si nulla data fide matrimonij vir virginẽ defforauit ipsa cõsẽtiente, & postea matrimoniũ promisit, aut aliquã pecuniã v.g. dare cẽtũ, & postea loco illi⁹ pecunię ꝓmittat matrimoniũ inire. Ratio ẽ, quia ea promissio cũ nõ sit facta ob recõpẽsationẽ iniuriæ, sed ex mera liberalitate ĩcludit tacitã cõditionẽ: nisi ad religionẽ trãsiero, & quãdo facta est promissio loco pecuniæ solum tenetur illam soluere, & expectare donec sit soluta, quando in sæculo remanens poterit habere commoditatem soluendi.

7 Secũd⁹ cas⁹, quo nõ peccat ĩgrediendo religionẽ, est, quãdo is, qui virginẽ defforauit, & si fuerit dolo, aut vi, postea metu ẽt leui iuxta dicta *lib. 4. diſp. 9.* promisit inire matrimoniũ, tũc licitè põt ĩgredi religionẽ, quia promissio coacta nõ obligat: aut si viduã honestæ famę, vel aliã nõ virginẽ per iniuriã uiolauit, ẽt si postea ĩ satisfactionẽ promiserit matrimoniũ, adhuc tm̃ licitè põt ĩgredi religionẽ, quia ea promissio est õninò volũtaria, & gratis: cũ *ca. 1. de adult.* loquatur solũ ĩ defforatione uirginis, iniuria vero violentæ uiolationis poterit alio modo resarciri. Deniq; nota, quod spõsalia nõ probãtur testib⁹ sĩgularib⁹, nec ex ĩperfectis ꝓbationib⁹ integra ꝓbatio fit. ut ꝓbat An. Gabr. *to. 3. lib. 1. tit. de prob. con.* 1. cũ alijs multis.

LIBER NONVS

DE REDDITIONE DEBITI CONIVGALIS.

Agitur in hoc libro de obligatione quam habent coniuges ad reddendum ſibi inuicem debitum, & ſimul cohabitandum; quibus modis, & caſibus in his peccetur; etiam varia tractantur quæ pertinent ad ſextum præceptum Decalogi.

DISPVTATIO I.

An actus coniugalis ſit ex genere ſuo bonus, ac meritorius.

1 REſpondeo affirmatiuè, nimirum de fide eſſe actum coniugalem eſſe ex ſe licitum, & fieri poſſe ſine vlla culpa, quia ſi non poſſet ſine culpa exerceri matrimonium, ex quo per ſe ſequitur talis actus, eſſet malum, quod eſt hæreticum dicere, nam à Deo eſt inſtitutum, *vt lib.* 2. *diſ.* 4. dictum eſt & præterea eſt actus virtutis nempe iuſtitiæ, quia redditur id, quod debetur ex contractu matrimonij.

2 Immo ſi talis actus fiat in gratia cum debitis requiſitis, erit meritorius & in eo confertur gratia non ex opere operato; quia nec eſt ſacramentum nec pars Sacramenti, ſed ex opere operantis; niſi fortè in aliquo caſu quando eſſet perfectiuum matrimonij, vt *lib.* 3. *diſp.* 40. dictum eſt.

3 Nota tamen hic quod Patres, qui dicunt in actu coniugali eſſe peccatũ non loquuntur per ſe, & ex natura ipſius; ſed per accidens attenta hominũ malitia ob propensionem ad voluptatem veneream, vel loquuntur de nuptijs ſacrilegis.

DISPVTATIO II.

An actus coniugalis quoad petitionem, & redditionem debiti ſit ſub præcepto, ita vt peccet coniux negans debitum alteri petenti.

1 DIco primo nunquam eſt ſubpræcepto petere debitum, ratio eſt quia quilibet poteſt iure ſuo cedere quando tale ius pro ſe tantum eſt introductum *c. ad apoſtolicam de regul. & cap. ſi de terra de priuil.* ita Riccard. 4. *d.* 32. *a.* 2. *q.* 2. & omnes.

At ſi alter ex coniugibus ex aliquibus ſignis cognoſceret alterum eſſe in periculo incontinentiæ, tunc ſi ſpes eſt, vt tali copula periculum ceſſet (quod in dubio debet præſumi) tenetur cõiux debitum petere, ſiue is, qui laborat tali periculo ſit vxor, ſiue vir. Probatur quia tũc moraliter loquendo eſt reddere; ergo ſicuti tenetur ad reddendum debitum, tenetur etiam ad petendum in hoc caſu: Secundo quia vnuſquiſque tenetur lege charitatis ſubuenire proximo in periculo animæ conſtituto, quando poteſt ſine ſuo magno incommodo; ergo multo magis coniuges ad inuicem tenentur ſibi ſubuenire ſiue vir ſit in periculo incontinentiæ ſiue vxor vt tradit Nauar. *c.* 16. *nu.* 26. D. Ant. 3. *p. ti.* 1. *c.* 20.

Ma-

Manuel. 1. *t. ſum.* 2. *edit. c.* 243. Sylu. *matr.* 7. *q.* 4. ita præter DD. citatos D. Thom. 4. *d.* 32. *q.* 1. *a.* 2. *quæſtiu.* 1. vbi Riccard. *ar.* 1, *q.* 2. Cordu. *ſum. q.* 136. *pun.* 2. Petr. Ledeſm. *de matr. q.* 53. *a.* 1. Lud Lopez. 1. *p. inſtr. c.* 8. Turrecrem. *cap. ſciatis* 33. *q.* 4. *a.* 2. Viguer. *lib. inſt. c.* 26. §. 7. Palacios 4. *diſ.* 32. *diſp.* 2. *f.* 716.

2 Hinc patet hanc obligationem petendi debitum in prædicto caſu eſſe propriè ex charitate, licet aliquo modo ſit etiam ex iuſtitia. Ratio eſt quia ſi eſſet propriè ex iuſtitia, ſemper teneretur coniux petere etiam quando videt non eſſe profuturam illam petitionem ad remouendum periculum incontinentiæ, cuius contrarium diximus num. præcedenti. ita Paludan. 5. *d.* 31. *a.* 3. vbi Durand. *q.* 4.

3 Dico ſecundo coniux reddere alteri debitum petenti ſiue expreſsè, ſiue tacitè, ſiue petens ſit vxor, ſiue vir. Ratio eſt quia licet in actu coniugali vir agat potiores partes, & etiam in domeſtica gubernatione, vnde coniuges ſunt inæquales in hoc; tamen proportionaliter loquēdo ſunt æquales, quia D. Paulus 1. ad Corint. 7. dixit nec virum habere poteſtatem ſui corporis, nec vxorem ſui. eſt communis. & D. Thom. l. cit.

4 Duo tamen hic nota. primum eſt quod petitio tacita regulariter accidit in fœminis, quæ ſunt verecundæ vnde vir qui ex aliquibus ſignis cognoſceret mulierem velle petere; ſed ob verecundiam non petere, tenetur petere; & idem dicas de muliere, quæ tenetur etiam petere quando eadem ſigna videret in viro, & præ pudore non peteret; verū cū talis verecundia rarò accidat in viris; ideo rarò fœminæ tenentur petere à viris. ita D. Thomas, Palacios, Nauar. D. Ant. Manuel. Sylu. n. 1. cit.

5 Nota ſecundo, quod licet regulariter ſit peccatum non reddere debitum coniugi petenti, vt dictum eſt, & omnes docent; tamen non ſemper eſt mortale, quod accidit primo quando coniux aut non petit tanquam debitum ex iuſtitia, ſed tanquam ſignum amicitiæ coniugalis (quo caſu nec veniale eſſet negare debitum, vt docent Sotus, Palacios, Capua) vel quando remiſsè petit, & rogatus precibus non importunis facilè cedit, nec eſt periculum incontinentiæ, vt patet à paritate in alijs debitis ita Sotus 4. *d.* 32. *quæſ.* 1. *ar.* 1. vbi Palac. *diſputat.* 1. *fol.* 703. Capua 1. *par. deciſ l.* 2. *cap.* 83. Ludou. Lopez 1. *p. inſtr. cap.* 80. Enriq. *l.* 11. *c.* 15. *n.* 7. Manuel. 1. *t. ſum.* 2. *edit. c.* 243. *n.* 1. Secundo non eſt mortale debitum negare ob paruitatem materiæ, vt ſi ſemel, aut bis negetur coniugi, qui petit ſepties in menſe, aut ſi nō ſtatim reddatur, etiamſi ob debitum negatum patiatur coniux petens periculum pollutionis inuoluntariæ, vt ſi eſſet in ſomnis, vel in vigilia ſine periculo conſenſus; quia non eſt tanta obligatio vitandi pollutionem inuoluntariam, vt dicemus in fra diſp. 45. & idem dicas ſi pateretur morbum, modo non ſit alicuius momenti; tunc enim eſſet mortale negare debitum, quando morbus grauis accideret ob debitum negatum.

Sicuti nec peccatum erit negare debitum aliquando, quando coniux nimius eſt in petendo quia debet eſſe modus in rebus, vt docent Henr. *l. ci. c.* 15. *n.* 7. Ludo. Lopez. Sotus. *l. c.* Em. *Sà ver. debitum coniugale.* præſertim ſi reddendo immineat magnum damnum ſaluti corporis, tunc enim etiam ſi in petente ſit periculum incontinētiæ poterit adhuc coniux negare vt dicam diſp. 24. infra. Contra vero mortale erit reddere debitum rariſſimè, & cum magna difficultate, aut negare debitum ſine iuſta cauſa, quando diſcordiæ graues oriuntur, aut quando petens rogatus non vult cedere iure ſuo, quia in his caſibus iniuſtè negatur debitum. ita D. Anton. 3. *p. tit.* 1. *c.* 20. §. 7. Viual. *cand.* 1. *p. de matr. num.* 257. Lud. Lopez. *l. c.* Bart. à Ledeſm. *dub.* 71. *de matr.*

DISPVTATIO III.

An coniux qui ſcienter reddit ſe impotentem ad reddendum debitum coniugale peccet mortaliter, vt ſi ſciat ieiunando ſe non poſſe reddere debitum, & ieiunet vel ſi crebrò ſe polluat.

1 REſpondeo affirmatiuè; quare non ſolum peccat mortaliter cõtra iuſtitiam coniux reddens ſe notabiliter impotentem ad debitum reddendum medijs illicitis v. g. multis fornicationibus, aut pollutionibus, ſed etiam ſi id faciat aduerter̃ter medijs licitis, vt ieiunijs &c. Ratio eſt, quia lex iuſtitiæ, quæ præcipit finem, nempè redditionem debiti in caſu noſtro, obligat etiam ne quis ſe reddat impotentem ad illum reddendum; vnde in confeſſione non ſolum quis debet pollutionem confiteri; ſed hanc circumſtantiam, nimirum per eam ſe redditum fuiſſe impotentem ad debitum reddendum. ita Palud. 4. *d.* 32. *q.* 1. *ar.* 2 D. Ant. 3. *p. t.* 1. *c.* 20. §. 10. Riccar. 4. *d.* 32. *a.* 1. *q.* 1. Roſella *v. debitum nu.* 2. Angel. *n.* 6. Sylu. *q.* 1. Capua 1. *p. dec. l.* 2. *c.* 83. Cannedo *ſum. ſacr. de matr. c.* 8. *num.* 71.

2 Poſſunt tamen coniuges bona fide, & abſque fraude ieiunare, & alia pia opera exercere; quibus attenta eorũ complexione aliquanti ſper debilitantur, vt docent Doctores citati; ita tamen vt vir poſſit moderatè debitum reddere, & vxor non reddatur deformis, ac viri exoſa; quia tunc daretur anſa peccati; vnde D. Ant. Sylu. & alij dicunt non eſſe vxoribus eas abſtinentias conſulendas.

3 Immo lege iuſtitiæ licet non teneatur maritus vti calidis, vt efficiatur potentior ad copulam, quia ſatis eſt ſi ſe non reddat impotentem vt docet Palud. cum cit. DD. tamen aliquando lege charitatis tenetur ſe potentiorẽ reddere, ſi poteſt abſque notabili detrimento ſalutis; vt ſi vxor graue periculum incontinentiæ pateretur, niſi crebius copulam habeat quia lex charitatis obligat vt alteri ſubueniamus, quando ſine proprio magno incommodo poſſumus.

4 Hinc infertur primò non poſſe vxorem ſine viri conſenſu, nec virum ſine vxoris licentia vouere abſtinentias, & ea, quæ ſunt in præiudicium debiti coniugalis; quia licet in alijs rebus vir ſit caput vxoris ad Corint. 11. & poſſit vota emittere ſine conſenſu ipſius; tamen in debito coniugali ſunt pares; neuter enim habet poteſtatem ſui corporis; ſic Hoſt. *ſum. ti. de voto* §. *quis vouere poſſit.* Abbas *c. chariſſimus num.* 4. *de conuerſ. coniug.* Palud. *d.* 33. *quæſ.* 3.

Verum tamen eſt quod ſi voueant, non peccant. nec eorum vota ſunt ipſo iure irrita, ſed non poſſunt poni in exequutione ſine uxoris licentia, & ſi ipſa velit, poterit illa vota irritare; Ratio eſt quia ſicuti Religioſus poteſt validè vouere aliquam rem v. g. peregrinationem, & votum tenet ſed non poteſt illud exequi ſine licentia Prælati, & ſi prælatus velit, poterit illud irritare, vt docent communiter DD. in materia de voto; ita etiam in caſu poſito videntur ſentire Tabiena Angles Flori. Nauarr. & alij apud Sanchez hic n. 8. contra Sotum, & Manuelem putantes eſſe ipſo iure irrita, & coniuges vouentes peccare mortaliter. Similiter nec vterque coniux poteſt habitum mutare ſine licentia alterius, vt accipiendo veſtem tertij ordinis D. Franc. &c. ſic Nau. *c.* 12. *n.* 62.

5 Secundo infertur excuſari coniuges ab obſeruatione ieiuniorum Eccleſiaſticorum, ſi per ea reddantur notabiliter impotentes ad debitum reddẽdũ v. g. vir ieiunãdo diebus quadrageſimę reddit ſe notabiliter impotentem ad reddendum vxori debitum, poterit ieiunia omittere non ſolum quãdo vxor patitur periculum incontinentiæ, aut uon vult rogata deſiſtere à debiti petitione; aut ægreferet (tunc enim tenetur non ieiunare, quia fortius eſt vinculum iuſtitiæ, ad quod tenetur in reddendo debito) ſed etiam ſi poſſet precibus, aut verbis blandis illam auertere, quia ad id non tenetur

ſicut

ſicut nec Faber tenetur die Ieiunij ceſſare ab opere fabrili,etiam ſi non indigeat illo opere ad ſuſtentationem;atq; adeò hanc illationem tradunt Caiet. *ſum.v.ieiunium c.3. de perſonis,quas obligat ieiunium.* Nauar. *c.21.u.16.* Ledeſ. *2.p.4.q.17. ar.3.* Valent.*2.2.dis.9.q.2 pun.3.* Philiar. *de off.Sac.t.1.p.1.l.3.c.25*

Similiter excuſabitur vxor à Ieiunio,ſi ob id non poteſt viro placere, à quo valdè deſpicitur ,aut quod vir id præcipit, quia anteponi debet mutuꝰ amor coniugum præcepto Ieiunij. Modo vir præcipiens non faciat id in contemptum Eccleſiæ; tunc enim potius tenetur mori,quam non ieiunare ita Metina *Cod.de ieiun.q. de his; qui ad ieiun.teneantur.* Nauarr.*c.11.n.19.* Ledeſm.*lo.ci.* Viguer.*l.inſt.c.7.§.3* Philia. *loc. ci.* Nauarr. Vigu. Angl. Flor. Palaci.& alij. Immò excuſabitur à Ieiunio ab Eccleſia præcepto fœmina,quę vult nubere, ſi per ieiunium fiat deformis,ita vt multò difficilius maritum inueniat, quia non tenetur cum tãto damno.ita etiam Ludou. Lopez. *2.p. inſt. cap. 111. fine.*

DISPVTATIO IV.

An Coniuges teneantur ſimul cohabitare & alimenta ſibi neceſſaria mutuo præſtare.

1 REſp. ad primum quæſitum coniuges tenentur ſimul cohabitare, non ſolum in eadem domo, ſed etiam in eodem lecto, & menſa. vt omnes docent. Quæ obligatio oritur ex ipſa natura contractus matrimonialis, vt patet ex eius definitione ibi(*indiuiduã vitæ conſuetudinem retinens*) & ipſa cohabitatio oritur ex naturali hominis inclinatione, & propenſione, vt docet Ariſt. 8. *& hic cap.* 12. (*viro, & vxori ſecundum naturam amicitiae videtur ineſſe, homines enim coniugium ſubeunt non ſolum procreationis,ſed eorum etiã gratia, quae ad ipſam conferunt vitam*) & docet D. Thom. *ibi lect.* 12. *in commento li. T.*

Vnde coniuges iure naturali,& diuino tenentur cohabitare,ſicuti eodẽ iure tenentur debitum reddere,vt omnes docent, & patet ex illis verbis Gene. *2.erunt duo in carne vna.*

2 Poſſunt tamen coniuges mutuo, quoad torum ſe ſeparare ob amorem continentiæ ex D. Paulo 1. ad Corint. (*nolite fraudare adinuicem, niſi ex conſenſu ad tempus, vt vacetis orationi*) modo in tali ſeparatione non ſit periculum incontinentiæ,tunc enim Iudex Eccleſiaſticus poteſt ex officio illos compellere ad cohabitandum, & ex lege charitatis tenetur alter coniux alteri in tali periculo ſubuenire.ita Hoſt. Ioa. Andr. Alex. de Neuo, & alij. *C. veniens de regular.*

3 Hinc fit vt ſi coniuges ſeparentur, poſſint ab Eccleſiaſtico Iudice compelli ad cohabitandum, etiam inuocato brachio ſæculari ex *cap. li. de reſti. ſpol.* ibi.(*ad reſtitutionem plenariam debet Eccleſiaſtica cenſura compelli*) quod etiam poterit Iudex ſæcularis, & etiam põt compellere, vt debitum ſibi mutuo reddant,quando valor matrimonij eſt certus;ratio eſt, quia matrimonium eſt etiam contractus ciuilis; ergo põt Iudex ſæcularis cogere contrahentes, vt ſeruent fidem datam in illo contractu.ita Abb.*d.c. lit. & c.non eſt de ſponſ.* Præp.*n.9.* Io.Andr.*n.10.* Brun.*de ſpon. conc.1.* Couarr.*4.decr. 2.p.c.7.* Anton. Cucus *l.5.inſt. maior.t.11.n.126.* Matienzo *lib.5.rec.t.1.rubr. gl.1. n.90.*

4 Immò maritus poteſt vindicare vxorem ab alio detentam adiecta cauſa iuris Canonici,& Diuini, quia mulier non poteſt ſimpliciter vindicari;nam vindicatio proprie eſt de ſeruis *l. in rẽ ff. de rei vendic.* ſed ſolum ob poteſtateſn, quam vir habet in ipſam,quæ exprimitur per dictam cauſam, & filius fam.licet litem non poſſit habere cõtra patrem, tamen poteſt agere cõtra ipſum ad vxorem repetendam.ita *c.p. non eſt de ſponſ.* vbi Abb. Alex.de Neuo Præp. & alij. Couarr. Matienz. Anto. Cucus *loc. ci.*

5 Hinc infertur non poſſe virum ab vxore abeſſe niſi modico tẽpore,quod prudentis arbitrio determinanduũ eſt attẽ-

attento incontinentiæ periculo in vtriſque ; neque contra hoc poteſt valere ſtatutum , aut conſuetudo,quia ius diuinum præcipit cohabitionem, contra quod non poteſt ſtatutum induci.ita Menoch.*de arb.l.2.cent.5. caſu 456. nn-2.* Abb· Prep. Alex. de Neuo *c.1. de coniug. leproſ.*

6 Quod intellige, ſcilicet vt non poſſit longo tempore abeſſe ab vxore , ẽt ſi votum peregrinationis longę emiſerit.nam licet vir poſſit breuem peregrinationem vouere,& exequi,lõgam tamen non poteſt vouere ſine vxoris conſenſu,quod Deo nõ placẽt hęc vota, quæ implenda ſunt cum damno vxoris,cui debetur cohabitatio cum viro , nec illa tenetur virum ſequi in peregrinationibus iuxta dicta *lib. 1. diſp. 41.*

7 Verum excipies votum peregrinationis in ſubſidium terrę ſanctæ , quod poteſt vir emittere , & exequi vxore innita.ita habetur *c.ex multa §. in ſancta de voto.* & cum hic textus ſolum loquetur de voto in ſubſidium, ſi fiat deuotionis cauſa,requiritur vxoris cõſẽſus,quia in hoc non militat ratio boni communis,ſicuti in illo facto in ſubſidium.ita Gabr. *4.d.32.q.1.ar.2.conl.7.* Stun· *q.3. de voto n. 69.* Gregor. Lop. *l.9. v. Ira Ieruſalem t.8.p.1.*

8 Vbi nota nõ eſſe eãdem rationem de vxore, hęc enim nõ poteſt nec breuem peregrinationem vouere ſine viri conſenſu,ne dum longam etiam in ſubſidium terræ ſanctę;quia ipſa debet regi à viro;nec diſpoſitum in viro,cenſetur diſpoſitum in vxore.ita D. Tho. *4.d.32.q.1.ar 2.* vbi Palud. Duran.Gabri. Sotus cõtra Capuam *p. 2. de li 2. c.2.* Ludo. Lop.*p.1.inſtr.c.46. §. penul.* Nauarr.*ca.12.num.27. ſum.* qui putãt vxorem,si nõ sit periculum incontinẽtiæ & sit diues,poſſe vouere votum in ſubsidium terrę ſanctę. Verum tamen eſt quod vir tenetur vxorem ſecũ ducere , si illa velit ipſum ſequi , dum proficiſcitur in ſubsidium ; sicuti etiã tenetur s ab vxore recedit moratur' diu in aliquo loco , eam volentem ſecum ducere ; quia rationabiliter vult vxor virum comitari. Contra verò non tenetur illam ducere ſecum ſi nullibi, eſt diu moraturus,nec expenſæ ſufficiunt quia tunc irrationabiliter vult vxor virum ſequi . An autem vxor teneatur virum comitari vide *li. 1.diſ.40.*& quænam obſequia tenetur illi præſtare *lib.6 diſp.6.* ad ſecundum quæſitum, nempe

An coniuges teneantur ſibi mutuo alimenta præſtare .

1 REſpondeo ſi maritus non ſit inops tenetur vxorem alere,quia ideo dotem accipit , vt onera matrimonij ſuſtineat (ſi enim dos non habetur dicemus diſp. ſequenti) at ſi ſit inops, non tenetur vxorem alere,nec filios ex *l.ſi quis a liberis ff. de liber.agnoſcend.* quia non tenetur vxori, niſi in quantum facere poteſt *l. maritum ff. ſolut. matr.* immo in hoc caſu ſi vxor diues ſit illum debet alere.ita Specul. *tit. qui filij ſint leg.§.vnico nu.* 40. Bart. *de alim,n.*49.Caſtillo *l.61.Tauri n.* 23. vbi lo.Lupus *n.*11.Lara multos citans *d. l. ſi quis a liberis.* & caſu quo bona dotis non ſufficiunt , debet expendere bona para phernalia. ita Surdus *de alimentis tit. 1. qu. 35. & qu. 36.* vbi
2 multos citat.

Quod adeò verum eſt vt extra caſum neceſſitatis extremę ſi mariti parentes,& filij &vxor indigeant alimen 1
tis , potius vxori ſunt præſtanda, quã illis;quod in his,quæ pertinent ad ęconomicam rationem extra extremam neceſſitatem potius tenetur vir vxori , quam alijs ſuccurere : at in extremã neceſſitate potius ſubueniendum parentibus quam vxori. quia eſt debitum antiquius erga parentes , & parentes , & filij ſunt ſubſtantia patris. ita Caet. *qu.26.ar.12. in 2. 2.* vbi
3 Bannes,& Aragon.

Intellige tamen tunc teneri maritum alere vxorem quando ipſa habitat cum viro ; nam ſi abſque viri culpa ab eo ſeparatur propria temeritate , non tenetur maritus illam alere etiam ſi dotem habuerit ,

quia

quia qui non facit; quod debet, non recipit, quod oportet *l. ſi ea c. de cond. incert.* ergo dum mulier recedit à cohabitatioue viri ſine eius culpa, nõ debet ab ipſo ali.

4 At ſi vxor recedit à cohabitatione culpa viri, quia v. g. nimium illam caſtigat, & limites multum excedit; tunc debet à viro ali: quia non poteſt ſibi imputari, quod nõ ſit in obſequio mariti, ſed potius ipsi, qui nimium excedit modum caſtigandę vxoris; nam viro ſolũ licitũ ẽ moderatè uxorẽ punire vt patri, filiũ *l. rei vindicatæ ff. ſolu. matr.* ita Ioa. Lupus *C. per veſtras de donat. inter vir. & vxor. notab.* 3. Matienzo *l.* 5. *recopil. t.* 9. *l.* 2. *gl.* 1. *nu.* 50. ubi multos refert Lara *d. l. ſiquis à lib. nu.* 110. Aut si culpa propria cogitur recedere à uiro, ut si ob proprium delictum in carcerem perpetuum includatur, quia culpa illa uxoris non tendit directè ad ſeparationem habitationis, sicuti quando timore aufugit. ita Simanchas sibi contrarius *in Catholic. inſtitu. in* 2. *edi. tit.* 16. & Surdus *loc. ci. ti.* 7. *qu.* 16. *uu.* 14. qui concedit aliquid dandum eſſe ſecundum regulas eleemoſynæ. Si verò ob delictum dos publicetur dicemus diſputat. ſeq.

Similiter ſi vxor prius propria culpa receſſit à viro, & poſtea vult ad illũ redire, ſi vir illam nolit acceptare; tenetur alere, quia ſemper attenditur vltima culpa *l. illud* 17. *ff. de peric. & commodo rei venditæ*; vnde quamuis mulier receſſerit culpa ſua, nunc non abeſt culpa ſua, ſed viri, qui illam non vult acceptare. ita Ferret. *conſ.* 34. *n.* 18. Barboſa 2. *p. rubr. ff. ſol. matr. n.* 44.

5 Deniq; alenda eſt vxor ſi nullius culpa à viro ſeparata habitat v g. ob furorem viri, aut lepram ipſius, &c. quia vbi non eſt culpa non debet eſſe damnum priuationis alimentorum vt docet Lara cum multis apud ipſum. *l. ſiquis à libr. §. ſiquis n.* 36. *ff. de liberis agnoſcendis.*

† †

Ex dictis infertur ſolutio caſus ſequentis.

Quidam volens alere vxorem, filios, & familiam, cum eſſet pauper, mutuo accepit magnam pecuniam, deinde antequam eam ſolueret creditoribus, mortuus eſt, quæritur an vxor teneatur de bonis dotalibus, & filij teneantur debitum patris, quod conuerſum eſt in eorũ ſubſtentationem, ſoluere.

6 REſpondeo probabilius eſt nõ teneri, & ratio eſt, quia mutuum illud verè non poteſt dici conuerſum in vtilitatem vxoris, ac filiorum, ad quam pater non tenebatur, nec illi ex eo mutuo locupletiores effecti ſunt ex cauſa lucratiua; ergo nullo modo tenetur ſoluere debitum contractum à viro, aut patre ad ipſos alendos; cõſequentia eſt certa: nam hoc eſt caput vnde deducit contraria ſententia, vt videbimus, eos teneri ſoluere debita. antecedens ergo probatur, quia pater pauper licet ob paupertatem non teneatur vxorem, & familiam alere: tamen ob ligatio alendi illos non extinguitur. ſed ſuſpenditur donec ſit dives ergo dum ipſe ex illa pecunia mutuo accepta alit vxorem, & filios facit id, ad quod tenetur ex obligatione, & ipſi accipiunt id, quod ſibi debetur. ſic confirmatur ex *l. non aduerſus* 15. *c. ſi certum petatur* & *l. eum, cui* 13. *c. de acti. & oblig.* hinc conſtat hanc actionem mutui eſſe perſonalem, at dari ſolum contra mutuatarium. Et confirmatur ſecundo hoc exemplo: Petrus debet centum Titio, & cum ipſe non ſit ſoluendo, nec teneatur ob inopias, accipit illos mutuos à Meuio, & dat Titio, ſi non poſſit Petrus Meuio ſoluere, nõ proinde tenetur Titius illos centum reſtituere Meuio, quia Titius eſt creditor anterior, & nullum contractum inijt cum Meuio, ſed accepit id, quod ſibi debebatur a vero Domino. Nam Petrus erat verus Dominus pecuniæ mutuo acceptæ; ergo ſimiliter in caſu noſtro, nec filij, aut vxor cum ſint creditores anteriores tenentur ſoluere

nam

nam acceperunt alimenta, quæ ſibi debentur à marito, & patre (cum obligatio non fuerit extincta ob paupertatẽ ſed ſuſpenſa) qui fuit verus Dominus pecuniæ; quas mutuo accepit; nã per mutuum transfertur dominium in ipſum mutuatarium, nec vllum contractum iniere cum creditoribus mariti, & patris. ita Alcia. loquens de filijs *l. ſi eum ſericum n. 27. ff. ſi cert. pet.* vbi Dec. *nu. 1. add. ad Decium lit. A.* & loquens de vxore Molina *t. 2. de iuſt. diſ. 435. §. tertium eſt.* Decius cum ſuo additionatore Mol. & alij.

7 Quod verum eſt etiamſi res, quę fuerunt emptæ pecunia mutuo accepta à viro extent; non enim eas tenetur mulier dare creditoribꝰ nec filijs, quia creditores nullam habent ſuper eas actionem.

Immo addo, quod ſi maritus dederit centum, vxori vt reſtitueret creditoribus, & illa in graui neceſſitate conſtituta expenderet in ſubſtentationem familię; Non tenetur reſtituere illis creditoribus, quia accepit à vero Domino (nam maritus illius pecunię Dominus erat donec non erat ſoluta creditoribus) & ipſi debebantur ob alimenta, vt in ſimili docet Naua. *cap. 17. n. 268.* & Mol. *t. 2. de iuſt. diſp. 350.* nimirum vxorem, quæ accipit ad ſui ſubſtentationem de bonis mariti acquiſitis per vſuram, non teneri ad reſtitutionem; Contra vero ſi non ſit grauis familiæ indigentia, tenetur ſoluere creditoribus illa centum, quia dedit cauſam ne à creditoribus debitum recuperaretur. ita etiam pro hac vltima parte Lud. Lopez *1. p. inſtr. c. 161.*

8 Cõtraria tamen ſententia, quæ putat in prædicto caſu teneri vxorem, & filios ex propꝛijs bonis ſoluere creditoribus debita à marito, vel patre contracta ad eorum ſubſtentationem, quãdo ipſe non erat ſoluendo; eſt ſatis probabilis. Ratio præcipua eſt, quia ea pecunia mutuo accepta ceſſit in vtilitatem vxoris, & filiorum, & habita fuit ex cauſa lucratiua; ergo cum maritus non poſſit illam ſoluere creditoribus, tenetur uxor, & filij in eius ſubſidium ſoluere ex *l. ei, qui 7. §. alioquin c. quod cum eo.* ita Io. Lupus *l. 61. Tauri nu. 11.* vbi Caſtillo *n. 24.* Baeza *de inope debit. c. 1. nu. 54.* Lara *l. ſi quis à liberis §. ſi quis ex his n. 115. ff. de lib. agnoſ.* Gama. *1. p. dec. 366. n. 7.* Barboſ. *l. ſi conſtante n. 25. ff. ſol. matr.* Surdus *de alim. ti. 8. priuil. 48* & alij apud ipſos.

9 Ex qua ſequitur, quod etiam ſi filij paternæ hæreditati renunciauerint, tenentur tamen ſoluere prædicta debita, ſi quando pater ea contraxit, erat pauper, quia id mutuum fuit verſum in eorum vtilitatem. Et ſi vxor, & filij tempore cõtractę obligationis ſint pauperes, tunc non tenentur niſi pro rata, quia ea ſolum ceſſit in ſuam vtilitatem, ſi vero erant diuites, tenentur integrum debitum ſoluere, quia vxor diues tenetur marito inopi familiã alere, & ſimiliter filij diuites tenentur parentes ſuos alere. Quæ tamen in noſtra ſententia non ſequuntur.

DISPVTATIO V.

An ſi Dos viro non ſoluatur, poſſit vir negare vxori alimenta, & cohabitationem.

1 REſpondeo ad primam partẽ quæſiti circa alimenta: ſi Dos fuit promiſſa ſiue ab ipſa vxore, ſiue à patre, aut ab extraneo, qui ſcilicet non habet vxorem in ſua poteſtate, & tempore conſtituto non ſit ſoluta; non tenetur vir alimenta illi præſtare, & ſi pars dotis ſoluta eſt, ſolum partem alimẽtorum præſtare tenetur; etiamſi vxor ſit in viri obſequio. Ratio eſt, quia dos datur veluti in pretium, vt ex eiꝰ fructibus vxor alatur; ergo ea omninò non ſoluta, vir non tenetur alere. Et ſi in parte ſoluatur, in parte ſolum tenetur, etiam ſi vxor ſeruiat viro; quia ipſa & dotem, & obſequia tenetur viro præſtare; ergo dote deficiente etiamſi præſtet obſequia, vir non tenetur illã alere, ſed ſolum ſi illam alat dote nõdum ſoluta, & nõ proteſtetur, non poterit alimenta re petere, quia videtur affectu coniugali ea dediſſe *ex l. ſi quis libe-*

liberis §. ſi mater ff. de liber. agnoſcendis. ita Gloſſ. *auth. de non elig. ſecun. nuben. §. fin.* quã reliqui ſequuntur Bald. *l. qnod in vxorem c. de neg. geſt.* vbi Paul. *n.* 4. Salic. *fin.* Ruin. *conſ.* 144.

2 Limitatur tamen concluſio, quãdo vxor, aut pater dotem bona fide promiſerunt: ſed poſtea ob inopiam non ſoluunt, tunc enim maritus tenetur alere vxorem, quia hi quando bona fide & non animo decipiendi virum proceſſerunt, gaudent beneficio, vt non poſſint cogi, niſi in quantum facere poſſnnt, vt docet cum multis Surd. *de alimentis tit. 7. qu.* 17.

3 Limitatur ſecundo concluſio, quãdo vxor dotata ducta eſt, ſed deinde aliquo caſu fortuito dos amiſſa ẽ, tũc enim vir tenetur illam alere *l. ſi cum dotem* 23 *ff. ſolu. ma.* ibi (*quid enim tam humanum eſt, quam fortuitis caſibus mulieris maritum, vel vxorem viri participem eſſe*) Idem etiam dicas; quando dos ob delictum fœminæ confiſcata ẽ, tũc enim vir tenetur alere, quãndo parentes vxoris ſunt inopes, quia id exigit amor coniugalis. Contra vero ſi parẽtes diuites ſunt, ipſe non tenetur, quia ipſe ob dotem ſolutam tenetur alere, ergo dum dos non eſt ſoluta ob culpã vxoris, illam alere non tenetur, quãuis aliqui doceant virum teneri vxorem alere, qnando admiſſa eſt ad eius conſortium. ita Ant. Gom. *l. 78. Tau. nu. 6.* Surd. *q. 21. ti. 7.* at Royas *de Hære. 2. p. n.* 325. putat non teneri.

4 Si vero dos non fuit promiſſa: ſic diſtinguendum eſt ſi vxor eſt pauper; tenetur maritus illam alere, quia ſibi imputare debet dotem nõ exegiſſe. ita In noc. cum alijs *cap per veſtras de don. int. vir. & vxo.* Surd. *ti. 1. q. 32. de alim.* vbi alios refert. Petr. Greg. *ſyntag. iuris l. 9 c. 19. n. 4.* & idem dicas quamuis pater vxoris eſſet diues; poterit tamẽ vir petere dotem à patre, vt docet Mol. *t. 2. de iuſt. diſ.* 425. *pag.* 1130.

5 At ſi vxor ſit diues, non tenetur vir præſtare alimenta ſi vxor nolit dotem conſtituere; quia tacitè videtur actum eſſe, vt dos conſtituatur, vt dixi *libr. 1. diſp.* 19. ita Iaſon. *l. ſi donaturus §. ſi quis debitam ff. de con. cau. da.* Gomez. Arias *l. 27. Taur. n.* 130. & alij.

6 Denique hic aduerte, quod in quocunque caſu dos non ſoluatur, non poteſt tamen ob id maritus debitum vxori negare, quia hæc obligatio conſurgit ex ipſo matrimonij contractu, non ex traditione dotis. eſt communis omnium, nunc ad ſecundam partem quæſiti, ſcilicet.

An vir poſſit negare cohabitationem vxori in caſibus, in quibus illam alere non tenetur.

1 REſp. probabilius eſt nõ poſſe; quare etiamſi dos non ſit ſoluta, tenetur vxorem in ſuam domum traducere, nec poteſt traductam expellere; ſed debet cum illa cohabitare. Ratio eſt, quia obligatio cohabitandi oritur ex iure naturali, & diuino, & ex ipſa natura contractus matrimonij, vt *diſp. præc.* dictum eſt; ergo etiamſi dos non ſit ſoluta, tenetur vir habitare cum vxore confirmatur, quia Chriſtus Matt. 5. prohibuit diuortium, excepta cauſa fornicationis; ergo & ſi dos non ſoluatur nõ poteſt haberi diuortium. ita Couarr. 4. *dec. 2. p. c. 7. oct. deciſ.* Pedem. 132. *n.* 18. Ant. Cucus *l. 5, infilti. 11. nu.* 127. Surd. *t. 7. q.* 17. Mol. *lo. ci.* Baez. *de non mel. cauſa dotis c.* 32.

2 Quare neque ex iudicis ſentẽtia, nec quando coniuges impediti ſunt à petitione debiti ratione voti, aut affinitatis &c. poteſt vxor expelli ob dotẽ nõ ſolutam; quia Chriſtus ſola fornicationis cauſa conceſſit ſeparationem thori; Immò ẽtſi cõiuges nec petere, nec reddere poſſent, tñ non põt vxor à cohabitatione expelli, ſed tantum tenentur à thoro ſe ſeparare ad vitãdum periculũ peccati. Vide Turrer. *c. quod Deo 33. q. 3. n. 2.* Abb. *c. ſi iur. fine de cogn. ſpi.*

3 Sunt tñ in hac re duę ſentẽtiæ. Prima dicit, quod in ijs caſibus, in quibus maritus vxorẽ alere nõ tenetur ob dotẽ nõ ſolutã ſiue ea promiſſa ſit ab vxore, aut parẽtibus eius, ſiue ab extraneo, ſiue nõ fuerit promiſſa iuxta ſuperius dicta, põt vxor nõ traduci ĩ domũ viri, & ſi ea ſit traducta, poteſt expelli, probat ex *tex. ca. per veſtras de don. int.*

virum; & vxorem, & l. fin. c. ad Senat. Conc. vell. vbi ſupponitur licitum eſſe viro expellere vxorem ob dotem non ſolutam, & ratio eſt, quia vir non tenetur onera matrimonij ſubire ſi dos non ſoluatur; ergo neque tenetur cũ vxore habitare. ita Alex. de Neuo, Abbas, Paulus, & alij multi, quos refert Sanch. *n.* 11. quod etiam dicunt Auctores huius ſententiæ, ſi pars dotis non eſt ſoluta, nam licet vir tunc teneatur partem alimentorum præſtare, nõ tenetur tamen cohabitare, quia ea eſt in diuidua: immò addunt etiam poſt expulſionem poſſe virum dotem petere quia paratus eſt illam accipere ſi dos
4 ſoluatur.

Secunda ſententia dicit ſi vxor non ſit traducta non teneri virum traducere illam; ſi vero eſt traducta, non poſſe expelli, quia *c. porro de diuor.* dicitur nec vxorem adulteram poſſe dimitti propria authoritate. ſic Barboſa *l. 1. p. 3. num. 55. ff. ſol. ma.*

DISPVTATIO VI.

An quando coniux petens peccat debitum petendo, ſimiliter alter peccat reddendo.

1 REſpondeo negatiuè, non enim sẽper peccat coniux, qui debitum reddit alteri coniugi petenti cum peccato, vt ſi vir affectu fornicario petat debitum, ac per hoc peccet, non peccabit vxor reddens bona intentione, ratio eſt, quia reddens nõ cooperatur peccato alterius formaliter, ſed tãtum reddit id, quod debet. ita Abulen. *cap.* 5. Matt. *q.* 224 Sotus 5. *d.* 31. *q. vni.* Couar. 4. *decr.* 2. *p. c.* 3. §. 1. *n.* 6.

2 Et quamuis ex præcepto correctionis fraternæ teneatur cõiux, à quo debitum petitur alterum illicitè petentem auertere à tali petitione: tamen quoniam rariſſimè id poterit commodè fieri abſq; eo, quod oriantur odia, ſuſpiciones, & periculũ innocentiæ in coniuge petẽte, & ad Venerẽ irritato ideo rariſſimè ad id tenebitur.

QVAERES I.

Vnde ſciri debeat, quando ſit peccatum nec ne reddere coniugi illicite petenti.

3 REſpondeo duas circa hæc habes regulas. Prima eſt quotiescumque petẽs peccat venialiter petendo, aut mortaliter, ſed non ob aliquam circumſtantiam, quæ ſit intrinſeca in actu coniugali, ſed ſolum ob aliquam circumſtãtiam perſonalem, quia malo fine petit vel quia habet votum caſtitatis, nec per hoc amiſit ius petendi, tunc non ſolũ non peccat coniux reddendo, ſed etiã tenetur; itaut peccet contra fidem matrimonij ſi non reddat. & ratio eſt, quia cum ſolum in petente ſit peccatum ueniale, aut mortale non ob circumſtantiam actus coniugalis, ſed ob prauum animum petentis, poterit licitè exerceri ab altero coniuge, qui nõ habet illam circumſtantiam, quæ vitiat talem actum ex parte alterius petẽtis; ergo nullum erit peccatum reddere: & poſito quod petens non amiſit ius petendi, alter tenetur reddere ex iuſtitia. Confirmatur, quia reddens debitũ non cooperatur formaliter peccato alterius; ſed tantum actui ex natura ſua licito coniugatis, nec cooperatur petitioni illicitæ alterius, ſed ea poſita reddit id, quod à fortiori patet, quãdo petens ſolum peccet venialiter. nam etiamſi eſſet peccatum veniale reddere ob cooperationem ad peccatũ; tamen cum reddens habeat cauſam iuſtam, ſcilicet ne diſpliceat alteri excuſabitur etiam à culpa hac veniali. ita Petrus Soto *lect.* 16. *de ma.* Io. de Neapol. *quodl.* 8. D. Ant. 3. *p. t.* 1. *c.* 22. Medina *lib.* 1. *ſum. c.* 14. §. 6 *fol.* 86. Henriqu. *l.* 11. *c.* 15. *n.* 8. Manuel 2. *to. ſum. c.* 90. *n.* 4. Petr. Ledeſ *de ma. q.* 53. *ar.* 1. *dub.* 2. *poſt ſecundum dubium principale* Veracrux. 1. *p. ſpecul. ar.* 15.

4 Dixi, quando petens peccat, & non amiſit ius petendi, teneri alterum reddere, quia ſi petens amiſit ius petendi v. g. ex eo, quod vir votum amiſit per modum pactus intimãs vxori ſe votum caſtitatis emiſiſſe;

ita

ita vt nullum deinceps ius haberet in corpus ipſius, & ipſa illam promiſſionem acceptauit, aut quia contraxit affinitatem per copulam habitam cum conſanguinea vxoris, quo caſu in pœnam delicti priuatur iure petendi, nec diſpenſationem obtinuit, tũc non peccabit vxor negans debitum: ratio eſt, quia cum Actor amittit ius petendi, reus habet ius denegandi. ita Sotus Suppl. Gabr. Palud. Onand. Almain. 4.*d.* 32.*q.* 1. Victoria *fnm. de ma. n.* 288. Emm. Sà. *ver. deb. coniug.* Petr. Ledeſ. *q.* 55. *lo. ci.* Palac. 4.*d.* 31. *diſp.* 2 *fol.* 777. & multiſcribentes *c. tranſmiſſa de eo, qui cogn. conſ.*

5 Quod, ſcilicet; vt non teneatur coniux reddere, quãdo alter amiſit ius petendi ob affinitatem contractam, verum eſt ſi innocens petierit multoties debitum ab inceſtuoſo; adhuc enim poteſt illi negare, quando petet, quia priuatur iure petendi ab Eccleſia inceſtuoſus in pœnam delicti; ergo coniux innocens non poteſt remittere illam pœnam: ſecundo, quia cõiux innocens vtitur iure ſuo petendo; ergo ex eo, quia aliquando petijt, non debet priuari iure, quod habet negando debitum. ita Anto. Abb. Alex. de Neuo Præp. *c. c. tranſmiſſæ.* Gaet. *opuſ. t.* 1. *trac.* 31. *in* 4. *reſp.*

6 Secunda regula eſt, ſi petẽs peccat Mort. ob aliquam circumſtantiam, quæ eſt in ipſo actu, vt ſi petat in loco ſacro, aut cum periculo abortus, tunc eſt peccatum reddere, quia ſicuti petitio habet illam prauam circumſtantiam, ita & redditio. ita Petr. de Soto *lect.* 16. *do ma. fine.*

QVAERES II.

An in caſu quando coniux innocens non tenetur reddere, quia ſcilicet alter amiſit ius petendi, vt nu. 4. *&* 5 *dictum eſt, peccet ſi reddat coniugi illicite petenti*

REſpondeo non peccare, ſed poſſe reddere. ratio eſt, quia vt dictum eſt non cooperatur formaliter peccato alterius. Nec debet iniquitas alterius officere coniugi Innocenti, ita ut ſit ipſi neceſſarium ſemper petere, & non poſſit reddere ſine peccato ex *c. tranſmiſſæ*, & *cap. cum de eo, qui cognouit conſanguineam.*

Vnde infertur in prædicto caſu ſi ſit periculum incontinentiæ in coniuge qui amiſit ius petendi, teneri alterum Innocentem reddere, & etiam petere lege charitatis ad vitandum illud periculum, cum ex vna parte ipſe nõ peccet, nec aliquod damnum patiatur, & poſſit alteri ſubuenire; modo alter nõ amiſerit ius ob fornicationem commiſſam, tunc enim non tenetur innocens reddere, quia per illam copulam amittit ius celebrandi diuortiũ, quod eſt graue damnum; nec lex charitatis obligat cum graue damno ad ſubueniendum alteri.

Oppoſitum tamen docent Palud. 4.*diſ.* 34. *q.* 2. & Petrus de Led. *d. q.* 55. cum quibus etiam alij videntur ſentire validis innixi rationibus, nimirum coniugem innocentem peccare mor. quando reddit debitum alteri, qui amiſit ius exigendi, ratio eſt, quia videtur conſentire peccato petentis, & cooperari culpæ ipſius dum reddit illi debitum, quod non tnnetur reddere, tamẽ concedunt poſſe innocentem petere quia vtitur iure ſuo.

QVAERES III.

An coniux, qui amiſit ius petendi ex eo, quod contraxit affinitatem, vel cognationem, vel non potuit petere ob votum caſtitatis, poſſit reddere alteri coniugi, qui ius petendi non habet v. g. adulterium commiſit vel petit intra Bimeſtre aut conſummationem.

1 REſpondeo negatiuè, ſed peccabit mortaliter reddendo, quia copula illa eſt illicita, vtpotè inceſtuoſa, ſi habet affinitatem, vel ſacrilega ſe habet votum caſtitatis, nec poteſt excuſari ob fortitudinem iuſtitiæ, quod obligat ad reddendum, nam ſupponimus alterum non habere ius petendi, ſi enim haberet ius petendi, quia nimirũ iam tranſactum eſt bimeſtre, vel

quia remiſſa fuit iniuria adulterij, aut fuit compenſatum delictum ob aliud adulterium à ſe admiſſum, tunc poteſt reddere, ut dictum eſt n. 4. & 5. verũ debet in confeſſione hanc circumſtantiam aperire, ſcilicet ſe cõmiſiſſe adulterium, uel quid ſimile; unde aduertit ſe cogi ad reddendum debitum cõtra uotum emiſſum, uel contra præceptum abſtinendi ab actu coniugali.

2 Denique hic nota, quod in tali caſu ſi fœmina teneatur non reddere, ſi uir inſtet petendo debitum, poterit illa reddere ſine peccato; quia nec impedimentum Eccleſiaſticum nec uotum obligant cum tanto diſpendio, orirẽtur enim in uiro odia, ſuſpiciones &c. quando non poteſt adiri prælatus, ut in uoto diſpenſet.

3 Quatuor Sancius propoſuit regulas ut explicaret accuratius, quãdo nã coniux peccaret reddendo debitum nec ne, quas ego breuitatis cauſa ad duas reduxi. Has tamen Pontius *lib. 10. cap. 3.* impugnat utpote falſas, & ſibi repugnantes, nam cum *à num. 2.* eas ex Sancio retuliſſet, concludit in hæc uerba (*cæterum iſtæ regulæ neque ſolidæ ſunt, neque veræ, neque ſatis inter ſe cohærentes, vt ex dicendis conſtabit*) at quoniam mihi ſatis inter ſe congruentes, & veræ videntur nec ex doctrina Pontij contrarium oſtendi, proferam ea, quæ Pontius affert ad ſui dicti confirmationem, & Sãcij noſtri impugnationem, ut inde qua ueritate hic auctor Sancium reprehendat conijci poſſit. ait igitur *num. 3* (*Quare ego vnicam tantum conſtituo vniuerſalem regulã, quarem iſtam definio: Quicunque petens debitum peccat in petitione ſiue ratione circumſtantiæ ſe tenente ex parte actus, ſiue ex parte perſonæ petentis ſi non eſt in poteſtate petentis ſe ab ea circumſtantia, quæ reddit illicitam petitionem prout tũc erat illam, liberare, eſt peccatum in reddendo, Actum petitio mala eſt ex circumſtantia à qua ipſe potens ſe [illegible] inſa petitione perſeuerante, liberare, non eſt peccatum reddere*) & poſtquam hanc concluſionem auctoritate DD quos, & multò plures excepto Comitolo affert Sãch. nu. 7. addit probationem his verbis (*ratio huius regulæ quoad primam partem hæc eſt vnica, & manifeſta; quia reddens debitum illi quem ſcit cum peccato petere ob impedimentum, quod ab eo actu, hic & nunc exercito ſeparabile non eſt, cooperatur peccato alterius coniugis; ergo non licet. Antecedens probo, quia vt ſic reddẽs dicatur cooperari peccato non eſt neceſſarium intendat ruinam proximi; ſed ſatis ẽ cooperetur ad actum, qui hic & nunc non poteſt fieri benè, vel malè; ſed neceſſario malè, at vſus illius corporis hic, & nunc prout eſt ab eo homine impedito voto, vel impedimento non poteſt benefieri, neque enim in eius poteſtate eſt nunc tollere impedimentum, ergo cooperatur illi, & explicatur, quia ſi ille poteſt reddere licitè petenti eo modo, quo diximus non ſolum poterit; ſed etiam tenebitur, & ex conſequenti non reddens peccaret; ergo contra virtutem aliquam non contra iuſtitiam, quia petens iniquè nullum habet ius iniquè petendi, id enim poſſumus, quod iure poſſumus, quare licet ille, qui impedimentum habet voti, vel loci, vel aliud habeat dominium eius corporis, cuius vſum exigit, id tamen dominium quoad vſum impeditum eſt v. g. ex voto, & non habet ius niſi ad vſum licitum, ille autem ſub ea circũſtantia eſt illicitus; ergo non facit contra ius illius qui negat in eo caſu*). Hæc eſt Pontij doctrina & eius argumenta.

Ex quibus tria mihi facili negotio poſſe colligere videor. Primum eſt nõ eſſe verum, quod Pontius aiebat nu. 2. fine, quatuor regulas Sancij non eſſe ſolidas, & veras, cum tres ab ipſo Pontio admittantur, & ſolum in vna eſſe poſitam controuerſiam. Secundum eſt hanc ipſam, de qua eſt controuerſia rectè à Sancio eſſe poſitam, & à Põtio ſuam non probari niſi argumentis iam à Sancio ſolutis. Tertium deniq; tertiam regulam falſo referri à Pontio & Sancio imputari, quod ille expreſſe negat.

Ergo igitur primo ex quatuor regulis quas Sanch. lib. 9. diſp. 6. à n. 4. 6. 7. 16. & Pontius ponit dicto cap. 3. n. 2. tres ab ipſomet Pontio defendi; ergo male dixit quatuor regulas noſtri Sancij neque veras eſſe &c.)

Vt

Vt autem probem antecedens, nimirum tres Sancij regulas à Põtio defendi, prius proferam eas ijsdem verbis quibus ipſemet Pontius refert n. 2. ibi (*Thomas Sanch. lib. 9. diſp. 6. qui rem hãc præ ceteris diſtinctius, & exactius explicare conatus eſt, quatuor regulis vtitur. Prima regula, quam tradit n. 4. eſt negatiua, non quoties peccat coniux petens debitum peccat alter reddendo, neque eximitur ab obligatione reddendi. Secunda regula eſt, quam habet n. 6 quoties exigens ſolius culpæ venialis reus eſt exigendo, reddens vacat culpa, teneturque reddere; quia ex iuſta cauſa poterit excusari ab ea culpa. Tertia regula eſt, quam habet num. 7. quando exigere debitum eſt culpa lætalis non ob aliquam circumſtantiam, tenẽtem ſe ex parte actus; ſed ob circumſtantiam perſonalem, vt ſi malo fine petat, vel alligatus voto, vel impedimento affinitatis, tum abeſt, vt reddens peccet, vt potius reddere teneatur. Quarta regula, quam habet nu. 16. quando petens deliquit mortaliter ob aliquam circumſtantiam illius actus, & non ſolum ob circumſtantiam perſonalem tunc etiam reddere eſt mortale, vt ſi petat in loco ſacro, aut cum periculo abortus*) Hę ſunt Sancij regulæ, ex quibus primam negatiuam apertè tenet Pontius nu. 3. vbi ait (*at cum petitio mala eſt ex circumſtantia, à qua ipſe petens ſe poteſt liberare ipſa petitione perſeuerante non eſt peccatum reddere*) & n. 5. probat hanc partem (*at quando is, qui petit male, ideo male petit ex aliqua cauſa quam ipſe tollere, & remouere poteſt ab eadem petitione licitè reddo, vt cum petit ex prauo fine licitè reddo, & peto, quia cooperor actui, quem ille hic & nunc poteſt bene exercere, & ſua culpa facit male, & ideo mihi non imputatur eius peccatum*) & tandem concludit (*at cum poteſt fieri bene & culpa facientis fit male non peco neque cooperor*) ergo vera eſt regula prima negatiua, quam ponit Sancius, nimirum *non quoties peccat coniux petens, peccat alter reddens*, & ab ipſomet Pontio, qui dixerat regulas illas eſſe falſas approbatur, eſtque ſecunda pars ſuæ regulæ vnicè, quam tradit nu. 3. nã concedit poſſe coniugem petere cum peccato, & poſſe alterum reddere ſine peccato, vt cum petit malo fine v. g. quod eſt exemplum ipſius Sanch. neque in illa prima regula aliud intẽdit niſi hoc: aliquando peccare petentem, non autem reddẽtem; quod ego nolo aliorum plurium auctoritate cõfirmare; ſatis enim mihi erunt ea, quæ ipſemet Pontius affert ad illam ſtatuendam.

Secunda regula à Sancio tradita, nimirum, quoties exigens culpæ venialis tantum reus eſt reddens vacat culpa; amplectitur vtique ab ipſo Pontio eodem *lib. 10. cap. 11. num. 4.* his verbis (*at quando tantum eſt peccatum veniale in eo copulę modo iuxta dicta exiſtimat Thomas Sanch. lib. 9. diſp. 16. n. 8 nullum eſſe peccatum in reddendo, quia cenſetur excuſari a veniali culpa ex alterius petitione. At iuxta principia tradita ſupra cap. 3. cenſendum eſt cum eodem in hoc caſu non eſſe peccatum veniale ex parte reddentis, non quidem &c.*) vbi videtur apertè amplecti regulam ſecundam noſtri Sancij, licet in ratione diſcrepet, de qua nunc ego non curo: nam ſatis eſt oſtendere non benè à Pontio appellari falſas abſolutè regulas poſitas à Sancio, cum ipſe tres amplectitur & quòd magis mihi fauet, eſt, quod Pontius in hoc cap. 11. citet Sancium iuxta dicta cap. 3. & ait (*iuxta principia tradita ſupra c. 3. ſentiendum eſt cum eodem*) ideſt cum eodem Sanch. in hoc caſu, & quã uis hic ſit ſermo de petitione cum varietate quoad ſitum, idem eſt intelligendum in alijs; nam exempla non reſtringunt regulam: regula *exempla de reg. iur.* & ſic Diana *tract. 4. de Sacram. p. 3. reſ. 296.* Quærens vtrum coniux teneatur reddere debitum alteri petẽti cum peccato veniali; affert pro sẽtentia affirmatiua Pontium, ibi: (*verum ego puto contrarium aſſerendum eſſe*) nempe non eſſe peccatum (*cum Sanch. cui addo Baſilium Pontium de matr. lib. 10. cap. 11. num. 4.*

Confirmatur, quia Põtius tenet tũc poſſe reddere, quando petens poteſt hic, & nunc ex illa mala circumſtantia quæ actum reddit illicitum, liberare

quod

quod quidem vt cogitanti patet, ſemper euenit, quando ſolum eſt peccatū veniale, nam naſcitur ex aliquo fine deordinato, vel ex prauo affectu vehementioris voluptatis, & ſimilium; ergo abſolutè putat poſſe licitè reddi cum eſt tantum veniale in petente. Quarta regula à Sancio poſita, ſcilicet quando petens delinquit mortaliter ob aliquā circumſtantiam perſonalem, tunc etiā reddere eſt mortale, vt ſi petat in loco ſacro, vel publico, non poteſt à Pontio, nec ab alio negari, & militat a fortiori ratio ipſius, nam ille actus vt hic & nunc exercitus in loco ſacro, vel publico, aut cum periculo abortus ē malus, etiam ex parte reddentis, cum malitia ſe teneat ex parte ipſius actus, vnuſquiſque enim tenetur vitare actū malum, & ab eo abſtinere; ergo non poteſt licitè exerceri, neque ex parte reddentis, & hæc regula eſt communis Doctorum teſte Bonac. *de Sacra. qu. 4. pun. 3. nu. 4.* remanet ergo probatum antecedens poſitum, nimirum ex quatuor regulis à Sancio poſitis tres à Pōtio defendi. primam, ſecūdam, & quartam, malè ergo dixit regulas illas non eſſe veras, nec ſolidas.

Tertia regula defenditur, & Pontij rationes perpenduntur.

Secundum, quod ex Pontio collegeram id erat; nimirum tertiam regulā Sancij, ſcilicet *quando exigere eſt culpa lætalis ex parte ſolius petentis, tunc non eſſe mortale reddere, immo & debitum*) optimè tradi à noſtro Auctore, & cōtrarium à Pontio probari argumentis quibus iam Sancius reſponderat patet apertè ex ipſius argumentis nu. 4. & 7. poſitis ab ipſo, & à me nu. 1. & 3. præſertim ex eo, quod nō eſt amiſſum dominium in corpus alterius à coniuge, per votum nō mutuo factum, nec per modū contractus; aut ex eo, quia petit illicitè, quod tamen argumentū nunquam eſt à Pontio debilitatum, nedum ſolutum, vt mox oſtendam: atque hanc regulam præter Adrianum Petrum Soto, D. Ant. Angelum, Tab. Couarr, Veracrux. Medinam, Angles, quos citat Sanch. n. 7. tradunt Conin. *diſ. 34. dub. 4. n. 18.* Bonac, *q. 4. p. 3. n. 5. de matr.* Rodriq. *c. 90.* Rebell. 2 *p. lib. 3. q. 17. n. 10. de oblig. iuſt.* qui citat Maio. *in 4. d. 31. q. 1.* Et loquentes quando coniux petens habet votum caſtitatis præter eos, quos affert Sanch. docent Leſſius *lib. 2. de iuſt. cap. 41. n. 53.* Turri. *de iuſt. diſ. 54. n. 13.* Bonac. *q. 4 p. 3. n. 2. addito. 3.* Filiucc. *t. 1. tract. 10. p. 1. c. 9. n. 309. & 300.* Diana *reſ. 296. tract. 4. p. 3. v. notandum* Coninch *diſ. 34. concl. 1. & 2* & alij recentiores communiter: Pontij verò argumentum non eſſe nouum, nec Sancio ignotum videri pōt ex dictis in hac noſtra *diſp. n. 3.* Nam is *hac. 6. diſ. n. 1.* proponit ſententiam Guillelmi de Rubion. quem Pontius ſequitur, & ait (*hanc regulam quamuis non ita diſtincte, concedunt tamen qui docent peccatum eſſe reddere debitum petenti coniugi, cum eſt voto impeditus. hi sūt Ricca. Guillel. de Rubion*) profert etiam Sanch. argumentum à Pontio nunc allatum addens varias confirmationes & tandem ſoluit ſuis rationibus nu. 4. ibi (*reddens debitum non cooperatur peccato exigentis formaliter loquendo; quia tantum cooperatur actui ex ſua natura licito coniugatis, & quem ipſe debet alteri reddere, quamuis aliunde ſit peccatum exigere; at rēddens non cooperatur petitioni alterius; ſed ea ſuppoſita cooperatur copulæ, quæ licita eſt, & à ſe debita, & confirmatur, quia nec cooperatur directe, cum non incitet petentem, nec indirecte cum nec poſſit, nec teneatur vitare peccatum exigentis, quæ ambo deſiderantur ad indirectā cooperationem, & non poſſe inde conſtat, quia cum res propria à vero domino petatur, lex iuſtitiæ adſtringit coniugem exactum, quod non teneatur ſic probo, quia prauus finis, vel malitia alterius petentis, nec vitiat in ſe actum nec redditionem*) & n. 7. loquens de voto in petente, quæ eſt circumſtantia, àqua petens hic, & nunc non poteſt ſe liberare ait: (*quia voto caſtitatis adſtrictus non amiſit dominium corporis alterius coniugis, ſed tantum peccat contra Deum*) propoſuit, ergo iamdudum Sanch. argumentum,

quod

quod Pontius affert, & alia efficaciora & ſoluit his rationibus, quas modo vidimus; negat enim generaliter ſiue ſit circumſtantia maſa, à qua petens potuit ſe liberare, vt prauus affectus, ſiuè votum, à quo hic, & nunc non poteſt ſe ſoluere, vel impedimentum affinitatis. Negat inquam hoc eſſe cooperari peccato alterius ob diuerſas rationes: id vero, quod addit Pontius ad maiorem ſui argumenti explicationem initio per extenſum poſiti à me, vbi aiebat, quod ſi poſſet reddere teneretur ſi teneretur peccaret cõtra aliquã virtutẽ, non contra iuſtitiã &c. iã Sanch. poſuerat n. 1. ſuæ diſputationis, & ſoluit n. vlt. ibi (*ad argumenta nu. 1. poſita dic ad primum non habere ius, ſeu iniuſte petere vſurpari dupliciter, aut enim id euenit, quia petens non habet ius in re petita, vt ſi petat alienum, & tunc non debet reddi, aut quia debitum modum non ſeruat, licet ius habeat in re petita, & tunc reddendum eſt, nec eſt cooperari, vt probaui n. 4.*) Conſtat ergo Pontij argumẽtum ſolutum fuiſſe à Sancio, ex quo etiam patet falſum eſſe, quod Pontius ſub illa formula verborum addit, nimirum coniugem non habere ius niſi ad vſum licitum, adhuc enim diſtinguendum eſt hoc pacto: non habet ius, niſi ad vſum licitum ob circumſtantiam ſe tenentem ex parte petentis, & nego, quis enim negabit Petrũ, qui mutuos dedit centum aureos Franciſco habere ius ad illos aureos petendos, quamuis petat, vt donet meretrici. Immò, quod maius eſt reliqua, quæ addit Põtius n. 4. ad impugnandam Sancij regulam ipſius argumentis ſupra poſitis facile ceſſant, ac minorem habent vim quam ipſe forte putet: nam quod ait (*circumſtantia illa, quę ſe tenet ex parte perſonæ vitiat actum prout hic & nunc ſit iuxta principia vera Theologica*) verum eſt de actu prout ſe tenet ex parte exigentis, non autem prout ſe tenet ex parte reddentis, in quo nulla reperitur circumſtantia vitians, quod eſt argumentum Sancij ſupra poſitum.

Exemplum vero de confeſſione, quod ponit his verbis (*ſicut & actus ipſe confeſſionem adminiſtrandi vitiatur excommunicatione, qua tenetur Sacerdos, quamuis ſecundum ſe actus ille ſit bonus, & non afferat ſecum eam circumſtantiam & alias licitum eſſet petere Sacramentum ab excommunicato, qui abſolui non poteſt quod tamen falſum eſſe docet Vaſq. ar. 8. ci.*) exemplum inquam hoc non videtur ad rem, cùm ſit manifeſta diſparitas; nam pœnitens non tenetur confiteri Sacerdoti illi excommunicato, & ſicſi petat inducit illum ad peccãdum quando non poteſt haberi abſolutio excommunicationis; at in caſu noſtro tenetur coniux debitum reddere, cũ alter habeat ius ad petendum ob dominium corporis, quando non eſt malitia in ipſo actu. Cætera etiam exempla, quæ hic Auctor addit, de eo, qui miniſtrat carnes ĩ die Veneris, vel Cœnam ieiunanti, aut ſcienti habere votum ieiunandi, vel qui miniſtrat carnes Carthuſiano (in quibus caſibus ait Pontius miniſtrantem peccare, cum tamen ille actus ſit malus ſolum ex circumſtantia perſonæ) facile quiuis põt ex dictis refellere: nam eſto hi peccent miniſtrantes cœnam, negandum tamen eſt conſequentia; cùm in noſtro caſu ſit debita illa redditio ex iuſtitia, quod ſi ob aliquod lucrum poſſunt taberna rij, & alij hos cibos vetitos ijs, quos ſciunt fracturos ieiunium miniſtrare; vt docent Ledeſma *in ſum. t. 2. trac. 27. ca. 2. concl. 6. diff. 4.* Salon. *2. 2. q. 77. ar. 4. controu. 6.* Manuel. *t. 1. ſum. in 2. edi. ca. 25. n. 8.* Mart. Ledeſ. *2. p. 4. q. 17. ar. 6. dub. 3.* Fauſt. *in Theſ. Relig. lib. 1. q. 178. n. 1.* & alij multi cum Leſſ. *lib. 4. de iuſt. cap. 2. dub. 4. n. 24.* & Valent. *2 2. diſp. 9. q. 2. punct. 3.* qui intelligunt alios Doctores contra ſentientes, quando poſſunt abſque vllo incommodo à fractione ieiunij illos auertere: multo magis poterit vxor ad vitandam viri iracundiam, & ad reddendum illi, quod ſuũ eſt, tradere ſuum corpus, quæ omnia ſolidiſſimo Sancij fundamento debilitata ne ſint, lectoris iudicio relinquo, nolo enim fines propoſitæ breuitatis, & iuſtæ defenſionis tranſilire.

San-

Sancij ſententiã non eſſe à Pontio fideliter relatam oſtenditur.

Sed ſi Pontius ſe ipſum offendit dum Sancij regulas falſitate notat; certe veritatem lædit, dum aſſignans tertiam regulam dicit, Sancium docere, teneri coniugem reddere alteri petenti cum impedimento affinitatis, vt ſupra referentes verba ipſius Pontij quibus ipſe Sancij ſentẽtiam retulit aperte vidimus ibi (*vt ſi malo fine petat vel alligatus voto, vel impedimento affinitatis tantum abeſt, vt reddens peccet vt potius reddere teneatur &c.*) verum Sãcius nõ dicit, quod quando impeditus affinitate petit, alter teneatur reddere, vt illi tribuit Pontius; immò oppoſitum, ita aperte vt nullus detur Põtio locus excuſationi: nam in hac diſp. nu. 8 ait (*ab hac tamen regula quoad reddendi obligationem excipiendus eſt caſus, quando vitiũ perſonale priuat coniugem iure debitum exigendi, tunc enim reddere non tenetur; ſed iuſte poteſt denegare, vt ſi coniux contrahat affinitatem cum altero*) & circa finem ait (*quare non eſt credendum Vgoni &c. docentibus coniugem ratione cognationis arceri à debito petendo, verum ipſi exigenti teneri alterum reddere, nec etiã credendum eſt Greg. Lopez & Led. vbi dicunt viro inceſtuoſo petenti teneri vxorem reddere non obſtante affinitate contracta*) & n 9. poſtquam refert placitum quorundam doctorum volentium coniugem innocentem teneri reddere coniugi inceſtuoſo ob contractam affinitatem, quando petijt ab inceſtuoſa ait (*cæterũ omnino dicẽdum quamuis ſemel, & ſæpe coniux ſciens, & prudens debitũ petierit ab inceſtuoſo, non cenſeri remiſſionem, ac proinde non amittere ius negandi debitum*) quæ loca nõ adeò ſunt obſcura, vt Pontius habeat excuſationem tribuendi Sancio ſententiam, quam ipſe diſertiſſime negat tribus in locis varijs rationibus, & auctoritate doctorum. ſunt igitur regulæ à Sancio traditæ ſatis firmæ, & cohærentes; nec Pontius videtur adhuc oppoſitum probaſſe, vt contendebat.

DISPVTATIO VII.

An coniux, qui non poteſt petere ob affinitatem votum caſtitatis &c. poſſit, & teneatur aliquando petere.

1 REſpondeo affirmatiuè. quare Titius v.g. qui habet votum caſtitatis, quo non poteſt petere; ſed tenetur reddere, poterit toties, quoties honeſtum ipſi videbitur attenta complexione vxoris, & eius propenſione ad venerem, vel quoties aduertit voluntatem petendi in vxore, inſinuare ſe, & petere ab illa debitum vt illi ſatisfaciat, ne matrimonium ſit grauoſum, ſi vxor ſemper teneatur petere, & quia hęc non eſt petitio; ſed redditio debiti, nam ſit ſolum in gratiam vxoris, quę etiam ſi deſideret copulam, ob verecũdiam non ſolet petere. ita videtur expreſsè ſentire D. Thom. 4. *d.* 38. *q.* 1. *ar.* 2. Aſtenſ. 2. *p. ſum. l.* 8. *tit.* 16. *ar. vlt. qu.* 5. Turrec. *c. nos nouimus* 17. *q.* 2. *ar.* 3. & docent Victoria *ſum. de ma. n.* 295. Capua 1. *p. de lib.* 2. *c.* 80. Auguſ. de Anch. apud Roſell. *imped.* 4. *n.* 7. Nauar. *ſum. c.* 16. *n.* 30. & idem dicas de vxore reſpectu viri, quando is verecundus eſt & petere non ſolet, quod rarò accidit: quæ vera ſunt; quamuis ambo coniuges vouiſſent mutuo conſenſu ſe non petituros poſſunt nihilominus in prędictis caſib⁹ petere, quia non eſt petitio, ſed redditio. Excipe tamen quando vir votum emiſit de licentia vxoris, tunc enim nõ tenetur aliquoties petere ne reddat onerosum matrimonium; quia vxor ceſſit iure ſuo; & debet petere tacitè, vel expreſsè. ita Angel. *ma.* 4. *n.* 7.

2 Immo tenetur coniux, cui petitio ẽ prohibita, petere, quando aduerteret periculum incontinentiæ in altero ¦cõiuge, & ſua petitione poteſt illi periculo obuiare iuxta dicta diſpu. 2. etiam ſi ille non appeteret copulam, aut ẽtſi licentiam vouendi conceſſerit, quia hæc obligatio oritur ex ipſa matrimonij natura, non ob præiudicium coniugis.

3 Circa hæc nota primo, quod coniux cui petitio prohibita eſt, non poteſt pete-

petere ſolum ob hoc, quia timet lapsũ alterius in incontinentiam remotè v. g. ex eo, quia ipſe eſt diu abfuturus, nã tali copula non ſubuenitur illi incontinentiæ.

4 Secundo nec poſſe petere ad vitandum periculum incontinentiæ in ſeipſo v.g. quia ſe videt ſtimulis carnis vrgeri, ſed ſolum habet cauſam iuſtã obtinendę diſpenſationis impedimenti, docent Couarr. 4. *decr.* 2. *p.c.* 7. §. 2. Gutier. *l.* 1. *q.cã. cap.* 23. *n.* 6. Matienzo *lib.* 5. *cres. ti.* 1 *rubr. gl.* 1. *n.* 103. contra Viguerium, qui id nullo ſolido fundamento affirmat.

5 Tertio nec poſſe incitare alium ad hoc vt petat debitum; quia iſtanõ eſſet redditio, ſicuti etiam peccabit cõiux, qui non habet impedimentum petendi, ſi alteri habenti impedimẽtum ſuadeat vt petat etiam ſi timeat eius lapſum; ſed tunc ipſe poteſt petere.

6 Quarto ſi ambo votum caſtitatis emiſerint per modum pacti mutuo cõſenſu, nõ poſſe dicto modo petere, quia non habent facultatem nec petendi; neque reddendi. contra vero ſi ambo abſque mutuo conſenſu caſtitatem voluerunt, qui dat ſigna petitionis peccat Mor. quia petit; qui vero aduertẽs illa ſigna, petit, non peccat, quia ea petitio eſt redditio, vt dictum eſt.

7 Nota denique coniugem, cui petere prohibitum eſt, nõ teneri ſuum impedimentum fateri alteri ad hoc vt ille non petat, etiam ſi ſciat fore, vt ille non petat eo manifeſtato, vt docent Sotus *lib.* 7. *iuſ. q.* 3. *ar.* 1. Lud. Lop. 1. *p. inſtr. c.* 48. §. *vtrum quando*; quin immo poteſt ſuum impedimentum alteri ſignificare ne expectet petitionem, quia hoc non eſt petere debitum. ſic Palud. 4 *d.* 38. *ar.* 5 *qu.* 3.

DISPVTATIO VIII.

An, & quod peccatum ſit exercere actum coniugalem ſolum ad ſignificandum vnionem verbi cum carne, vel cum Eccleſia, aut ad alios fines extrinſecos ipſi matrimonio.

1 Dico primo nullum eſt peccatum exercere actum cõiugalem ob bonum prolis, non in ea ſiſtendo; ſed ad amplificandum cultum Dei, ſiue actu talis concubitus ad prolem referatur, ſiue habitu vt ſi à principio coniuges matrimonium inierint propter hunc finem, vel alios honeſtos, nec intentionem mutauerint, vel ſi nil de prole cogitantes, nec illam excludẽtes copulẽtur tanquam coniuges, quia in his caſibus intenditur proles virtute, & cum coniuges ſint in gratia, proles etiam virtute refertur in Deum; quamuis ipſi ſolum actu cogitarent de habendo ſucceſſore, eſt communis.

2 Dico ſecundo actus coniugalis relatus in finem malum mortaliter, ẽ mortale peccatum, ſi relatus in finem ſolũ venialiter malum eſt tantum peccatũ veniale; quia actus relatus in malum finem eſt talis, qualis eſt finis *c. cum miniſter* 23. *q.* 5. verum ſi refertur ad finẽ malum mortaliter duplex eſt peccatũ vnum mortale nempe deſiderium obtinendi finem illum malum, vt docet D. Ant. qui refert Palud. 3 *p. ti.* 1. *c.* 19. & aliud veniale nempe priuatio debiti finis, ſi vero referatur ad finem venialẽ duplex eſt culpa venialis, vna eſt defectus debiti finis, vt ſi quando finis eſt ĩ ſe bonus, ar extraneus illi actui, altera deſiderium obtinendi finem illum malum venialiter.

3 Duo tamen hic nota: primũ eſt poſſe euenire, vt aliquando actus coniugalis licite incipiatur, at deinde vitietur, vt ſi in ipſo actu coniux dirigat intentionem ad aliam fœminam; modo id nõ fiat tempore deciſionis ſeminis, ita vt mens abſorbeatur, vt omne conſilium deficiat, quia non eſſet peccatum; deficit enim deliberatio requiſita.

4 Secundum eſt ſi in actu coniugali expreſsè proles excludatur, non tamen aliquid efficitur; quo ea impediatur non eſſe peccatum mortale, immo nec veniale ſi bono fine veſtiatur, vt ob defectum diuitiarum ita Palud. 4. *d.* 31. *qu.* 3 *ar.* 3. Duus Anto. *lo. ci. cap.* 20. *Marg. confeſſorum.* 6. *præ. fol.* 85.

5 Dico tertio eſt veniale referre actum coniugalem ſolum ad ſignificandam vnionem verbi cum carne, aut cum Eccleſia ; Ratio eſt, quia eſt aliqua deordinatio finis ; nam finis intrinſecus matrimonij eſt bonum prolis, extrinſecus eſt illa ſignificatio, ergo prius debet referri ad finẽ intrinſecum, quam extrinſecum. ita *D. Tho. 4. d. 31. q. 2. ar. 2.* vbi Riccar. *ar. 3.* Enriq. *l. 11. c. 15. n. 2.* & ſic culpa nulla erit ſi actus coniugalis ſecundario referatur ad finem extrinſecum alijs nõ excluſis, quia virtualiter intelliguntur, vt docet Petr. Ledeſ. *q. 49. ar. 5. dub. 1. de ma.* Deniq; quãuis coniux peccet petens debitum ob malũ finem, ille qui reddit bono fine non peccat immò tenetur reddere, vt dixi diſp. 6. quod ẽt dicas in ſequentibus diſput.

* Circa ea, quæ diximus in hac diſput. num. vltimo notandum eſt Pontium *lib. 16. cap. 8. n. 4.* non aduertiſſe ſenſum noſtri Auctoris, nam ait (*ſed rurſus quærit idem Auctor* (*nempe Sanch.*) *n. 13. & 14. an ſi quis vellet expreſſe conſummare ad ſignificandum vnionem verbi cum humanitate eſſet in eo actu peccatum aliquod Reſpondet n. 14. eſſe peccatũ veniale, quia peruertit ordinem in fine, rectus enim ordo poſtulat, vt actus ſit propter finem intrinſecum primo, & deinde propter extrinſecum. At mihi videtur in eo nullam eſſe culpam, quia operari propter bonum Sacramenti eſt operari propter ipſam perpetuam vnionem, in quo non video quid peccati ſit deinde quia qui ex pluribus finibus licitis & honeſtis, quos poteſt actui præfigere, conſtituit ſibi aliquem, non ideò excludit aliũ finem intrinſecum, niſi expreſſe reijciat, & ita conſtitutione alterius boni finis licet extrinſeci nõ eſt actus vitioſus. Nec video fundamentum, quo probet Tho. Sanch. ſemper eſſe conſtituendum finem intrinſecum prius quam extrinſecum, dummodo intrinſecus non excludatur neque tacite, neque expreſſè. at in iſto caſu non excluditur expreſſe, vt ſuppono, neque tacite, quia finis extrinſecus non opponitur intrinſeco fini*) ex quibus verbis apparet iã, quod dixi Pontium ſcilicet non ſatis attendiſſe ſenſum noſtri Auctoris non eſſe quod tunc, eſt peccatum veniale actum coniugalem exercere ob bonum Sacramenti, quando alij fines etiam intenduntur, ſed quando alij fines excluduntur, quod tamen Pontius debebat aduertere ſtatim ex ipſa quæſtione à Sancio propoſita, nam num. 13. (*An ſolum Sacramenti bonum ſit ſufficiens ad excuſandum à culpa actum coniugalem, & in* reſponſione n. 14. ſæpius repetit illam particulam *ſolum* ibi (*dicendum eſt non ſufficere, ſed eſſe veniale actum coniugalem in eum finem ſolum referre*) & in ſecundo argumento concludit (*ergo culpa eſt vſum referre ad ſolum finem extrinſecum* Secundo debuit aduertere ex eo, quod citat Sanct. Thom. & Palud. qui tunc dicunt eſſe peccatum veniale, cum alij fines excluduntur, vt aduertit Filiucc. *tract. 10. cap. 10. num. 318.* his verbis (*quare erit contra rectũ ordinẽ vti matrimonio ob Sacramẽtũ, non ob prolem. ſi tamen non excludatur bonũ prolis, nullũ eſt peccatum ex S. Tho. di. 39. q 2. ar 2. & Palud. q. 2. ar. 1. n. 5.* & præterea citat etiam Petr. Lede. *q. 49. ar. 5. dub. 1.* qui expreſsè docet tũc eſſe peccatum veniale exercere actum cõiugij ob bonum Sacramenti, quando excluditur alius finis prolis, & ĩ hoc sẽſu intelligit D. Th. & Palud. loc. cit. verba Petri de Ledeſ. ſunt hæc (*ad hoc dubiũ dicendũ eſt, quod actus ille matrimonialis non excuſatur propter aliquã ſignificationem. Hæc eſt mens Sancti Doctoris in hoc articulo, hoc etiã docuit Palud. in 4. diſ. 31. q. 2. ar. 1. dicit enim quod ſicuti ſi quis baptizaretur ſolũ ad ſignificandam Chriſti ſepulturã, non caret culpa, ita ẽt nõ caret aliqua culpa, qui accedit ad vxorem propter ſolã ſignificationẽ. verum eſt quod ſi aliquis non excludens alios fines in actu coniugali intenderet hoc ſignificare non peccaret venialiter, nam ſi quis non excludens alios fines baptiſmi intenderet repreſentare mortẽ Chriſti non peccaret venialiter; ergo etiã non peccaret in noſtro caſu*) hęc Ledeſma, quẽ citat Sancius *n. 4.* ꝓ ſua ſentẽtia. Ex quibus luce clarius eſt ipſũ tũc ſolũ velle eſſe peccatũ veniale exercere actũ cõiugalẽ ob finẽ Sacramenti

menti, ſeu ad ſignificandam vnionem Chriſti cum Eccleſia, quando alij fines excluduntur, quod aduertiſſet Pontius ſi illam particulam, *ſolum*, notaſſet, quã ab eius calamo excidiſſe dicendum eſt non enim puto data opera illam omiſiſſe, dum refert Sancij ſententiam, & illam non ponit, vt vidimus, ſed quid opus eſt ex Auctoribus, quos citat, aut ex modo loquendi Sancij mentem indagare. Si Pontius legiſſet duas tantũ lineas poſt n. 14. nempè n. 15. non laboraſſet Sancium impugnando, nam apertè noſter auctor ait. (*tandem fatendum eſt cum Petro de Ledeſ. prixime citato vacare culpa vſum matrimonij ad eam ſignificationem relatum non excluſis alijs finibus bonis prolis, aut fidei, probaturque ex dictis n.* 4.) quo in numero ait (*hinc deducitur coniugem vtentem matrimonio nec expreſſe intendentem, nec excludentem prolem, ſed illius immemorem, intendentẽque ſolum copulari coniugi tanquam coniugi minime peccare, quia licet non intendat formaliter prolem, at virtute intendit cum actus ille ſuapte natura ad prolis generationem tendat, nec ex operantis intentione ad alium finem refertur*) ergo Sancius tunc dicit eſſe peccatum veniale quando quis in vſu coniugij eligit ſolũ ſignificationem vnionis verbi cum carne, & excludit alios fines. vnde patet ſuperfluum fuiſſe Pontij ſecundum argumentum, probat enim quod Sãcius intendit. Primum verò non ſolũ ſuperfluum, cum nec contra Sãcium ſit, ſed nec quod ipſe Pontius intendit, cõcludit. Pontius enim eo argumento vult probare nullum eſſe peccatum, quando actus coniugalis fit ob ſignificationem Sacramenti: & ſic probat (*operari propter bonum Sacramẽti eſt operari propter ipſam perpetuam vnionem, in quo non video quid peccati ſit*) at vidit Sancius vt ex argumento poſito n. 14. & à nobis in fine huius diſp. relato patet; nimirũ peccatum nõ eſſe operari propter ipſam perpetuam vnionem, ſed peccatũ eſſe dum operatur propter ipſam perpetuam vnionem, accipere pro medio vſum matrimonij, qui non reſpicitur, primo & per ſe à bono Sacramenti; ſed vinculum, & eſſentia ſic reſpicitur quare Pontij argumentum non eſt cõtra Sancium, nec quod ipſe intendit, concludit, ex illo enim ãntecedente operari propter bonum Sacramenti eſt operari propter ipſam perpetuam vnionem: deducitur ni fallor hæc conſequentia, ergo debet aſſumi medium quod primo, & per ſe reſpicitur à bono prolis: quod eſt vinculum & eſſẽtia matrimonij, cum non poſſit aliud aſſignari. non ergo ex illo Pontij antecedẽte concluditur non eſſe peccatum veniale vti matrimonio ſolum ad ſignificandam vnionem verbi cum carne; ad vltimum denique quod Pontius addit nimirum ſe non videre fundamẽtum, quo Thomas Sanch. probet ſemper eſſe conſtituendum finem intrinſecũ prius, quam extrinſecum.

Reſpondeo Sancium hoc non dicere, ſed ſolum in ſecundo argumento docere, quod rectus ordo poſtulat, vt vſus Sacramenti referatur ex intentione miniſtrantis ad finem intrinſecum, & non ad ſolum extrinſecum. Sancij verba ſunt hæc (*ſecundo, quia cum in omni Sacramento duplex reperiatur finis, alter extrinſecus, & alter intrinſecus, rectus ordo poſtulat, vt Sacramenti vſus referatur ex intentione ſumentis, & miniſtrantis ad finem intrinſecum, nam ad extrinſecum ſufficit inſtituentis ordinatio. finis autem intrinſecus matrimonij eſt bonũ prolis, & fidei, extrinſecus autem ſignificatio Sacramentalis, culpa ergo eſt vſum referre ad ſolum finem extrinſecum.*)

Ex quo patet Sancium non docere peccatum eſſe, quando prius ad vnũ finem, quam ad alium ordinatur vſus matrimonij, vt putat Pontius; ſed quando ſolum ad extrinſecum finem ordinatur, & vt in ſimili ſupra vidimus *lib. 2. diſ. 9.* vbi docet peccatum veniale eſſe relinquere finem primarium, & accipere ſecundarium, quia eſt aliqualis ordinis peruerſio, vt de ſe patet.

† †

DISPVTATIO IX.

An ſit peccatum exercere actum coniugalem ſolum ad vitandum periculum incontinentiæ in ſeipſo, vt ſi quis tentetur ad fornicandum, aut ſi probabiliter timet tentationes, & ad vitandum periculum lapſus exerceat actum coniugalem cum propria vxore.

1 REſpondeo cum hac diſtinctione ſi poteſt carnis ſtimulos alijs medijs ſedare, tunc eſt peccatum veniale exercere actum coniugalem ſolum ad vitandum fornicationem, quia vbi poſſunt haberi alia remedia ad aſſequendum finem nempe vitare periculum incontinentiæ, eſt aliqua leuis peruerſio medium ordinatum ad prolem, & fidem ſeruandam ordinare ad alium finem. ita Palud. 4. *d.* 31. *q.* 2. *ar.* 2. vbi Suppl. Gabr. *q. vni.* Capreol. *di.* 30. Victoria *ſum. de ma. n.* 272. Greg. Lopez. *l.* 9. *t.* el otro *ti.* 2. *p.* 4. Henriq. *l.* 11. *c.* 15. *n.* 4. Si vero non poteſt alijs medijs ſedare tentationem, nec habere ſpem prolis, tunc nulla eſt culpa exercere actum coniugalem in hunc finem. Contra verò erit venialis ſi proles haberi poteſt. Probatur concluſio, quia ordinare vſum matrimonij ad eum finẽ, ad quem inſtitutus eſt, nulla eſt culpa, ſed poſt lapſum Adæ vſus matrimonij eſt inſtitutus ad ſedãdum ſtimulos carnis, quando alia media non occurrunt ergo. quod autem ſit veniale, ſi poteſt haberi proles. & ad illam primario nõ referatur, patet, quia poteſt haberi ſedatio tentationum &c. ſeruato ordine finis.

Sunt tamen duę ſententiæ ſatis probabiles: prior docet abſolute eſſe peccatum veniale, quia D Paulus 1. *ad Corint.* 7. dicit ſecundum indulgentiam concedere vſum matrimonij ergo vbi eſt indulgentia aliqua eſt culpa. ita D. Thom. D. Bonau. Abulenſis, & alij multi apud Sanch. n. 2. Poſterior vero docet nullam eſſe culpam, quia lex explicata per D. Paul. loco cit. permittit actum coniugalem ad vitandam fornicationem; ergo nullum eſt peccatum eam exercere ad hunc finem, quia nil poteſt eſſe peccatum, quod à lege permittitur, niſi ab alia ſuperiori prohibetur. ita Riccar. Durand. Maior. Nicol. de Orbellis. Celaja. Palac. 4. *d.* 32. Em. Sà *matr. ver. copulam ſi fiat* Cañedo *sũ. Sacram. de ma. t.* 8. *n.* 76. & alij.

* Hęc Sancij argumenta nullius momenti putat Pontius *lib.* 10. *c.* 8. *n.* 7. per totum: ſed mihi ſatis firma videntur cum ab ipſo, quem ſatis conſtat ſapiẽtia, & ingenio pollere, vix debilitata nedum proſtrata fuerĩt. ponam ego vtriuſque argumenta, vter vincat legentis iudicio committo. Primum Sancij argumentum eſt, *vbi alia media conueniẽtia ad finem conſequendum occurrunt, venialis peruerſio eſt debiti ordinis medium de ſe ordinatum ad prolis generationem & fidem ſeruandam in illum finem referre*; hoc argumentum refert Pontius, & ad eius ſolutionem ait (*non percipio huius rationis vim, ſi remedium concupiſcentiæ, ad quod etiam ordinatur matrimonium, vt ad finem extrinſecum opponeretur fini intrinſeco matrimonij in toto aut in parte forſitan argumentum eſſet nõ omninò malum, at cum non opponatur, neque excludantur alij fines neque tacite, neque expreſsè nulla in hoc ordinis peruerſio eſt*) Hæc Pontius. ſed reuera vtrumque caput non eſt ſufficiens ad infringendũ Sancij argumentum. Non primum, quia ſi opponeretur fini primario, eſſet magna peruerſio, & peccatum mortale, ad hoc autem vt ſit peccatum veniale ſufficit ſi id quod eſt per ſe ordinatum ad prolem, & fidem, ſumatur ad aliud extrinſecum nempe ad remediũ concupiſcentiæ, in quo non oppoſitio, ſed aliqualis deordinatio reperitur, vnde ſolum eſt peccatum veniale. Neq; ſecundum, quia quæſtio eſt, quando quis ſolum ad uitandum fornicationẽ in ſe potens alia via vitare eligit vſum matrimonij, quod benè explicuit Petrus de Ledeſm. *quæſ.* 49. *ar.* 5. *dub.* 3. ait (*in moralibus non ſatis eſſe, vt opus ſit bonum; quod ordinetur in debitum finem, ſed oportere, quod tali fini ſit debitè proportionatum, nam medium ſe habet ad finem, ſicuti ſpecies ad genus. in naturalibus*

au-

autem ſpecies non collocantur in quolibet genere, ſed in eo, cui ſubordinantur, ita in moralibus non eſt aptum medium ad quem eumque finem voluerit ordinare, ſed oportet habere proportionem ad illum; ad propoſitum vero actus coniugalis per ſe ordinatus eſt ad prolem, vel ad fidem, & cum his habet proportionem, vnde ſi velit ordinare ad ſedandum appetitum libidinis nõ eſt finis legitimus, intellige, quando alia media ſuppetunt, per quæ ſedetur libido. Hæc Ledeſma.

Secundum Sancij argumentum à Pontio etiam relatum eſt, coitus rationem abſorbet, ergo imprudenter eligitur; vbi medium facilius adeſt, ſicuti quis eligeret potionem amaram ad ſalutem obtinendam, ſi eam conſequi alia via faciliori poteſt. Hoc tamen Pontius diluere iam nullo negotio putat, dicit enim (*ſed neque hoc argumentũ eſt alicuius momenti, certum enim eſt cã priuationem vſus rationis, quæ contingit in actu venereo, & coniugali ex ea parte preciſe nullum eſſe peccatum neque veniale ex genere ſuo, quod ex doctrina D. Thom. docuit Raynerius v. matrimonium non eſt aut peccatum, quod aliquis actus melior ſecundum genus ſuum quandoque interrũpatur aliquo actu minus bono; magis tamẽ neceſſario, ſicuti & vita contemplatiua interrumpitur actibus vitæ actiuę minus bonis. Exemplum autem nullius momenti eſt, quia ſciſſio venæ non habet alium finẽ, quam reſtitutionem ſanitatis, at matrimonij actus habet alios fines bonos præter remedium concupiſcentiæ, quos non excludit tacitè, neque expreſſe, qui in remediũ concupiſcentiæ coniugio vtitur*) Hęc Pontius. Verum non video quo pacto Sancij rationem infringant; & probent nõ eſſe peccatum veniale vti coniugio ſolum ob vitandam fornicationem, quã do alijs medijs poteſt tali periculo occurri. vltrò enim concedet Sancius vsũ coniugij culpa vacare præciſe ex hoc, quod voluptas mentẽ abſorbeat. vltrò ẽt dabit poſſe interrumpi actum, ſecũdum genus meliorẽ ob minus bonum magis tñ neceſſarium, ſed non ſumus i caſu, ipſe enim non probat peccatum eſſe veniale vti actu coniugali ex eo, quod priuetur vſus rationis, ſed ex eo, quod imprudenter quis priuatur tãto bono, nẽpè vſu rationis, quãdo poteſt id periculum incõtinentiæ vitare medio faciliori, in quo non ſit aliqua turpitudo, vnde ẽt vltro concedet, vt vult Põtius poſſe interrũpi aliquẽ actũ meliorẽ ſecundum genus ſuũ aliquo actu minus bono, quando is eſt magis neceſſarius, ſed quod aſſerit & optime eſt nõ debere interrũpi talẽ actum nempè vſum rationis actu coniugali, quãdo talis actus non eſt neceſſarius ad vitandã fornicationem, ſed põt alio modo periculum incontinentiæ vitari. Deniq; quæ adducit Pontius cõtra exempla Sanchez. non maius pondus habẽt, quã prẽcedentia, nã noſter Auctor ſolũ loquitur, vt ſæpè dixi, quando actus cõiugalis refertur in ſolũ fornicationis vitãdæ finem, vt patet ex titulo diſputationis, & ex his, quæ ſupra notauimus, ſi enim quis eligat actũ coniugalẽ ob bonum prolis, fidei, & ẽt ad vitandam incontinentiã nullũ erit peccatũ. Quare Pontius argumẽta Sancij, quæ nullius roboris putat nec attingere videtur, nec id quod intendebat ſuis argumentis concludit, ſed quod Sancius non negat, vt legenti patet.

DISPVTATIO X.

An ſit peccatum exercere vſum matrimonij ad tuendam corporis ſanitatem.

REſp. cũ diſtinctione ſi alia sũt remedia eſt tñ culpa venialis; ſi vero nõ sũt alia remedia ad tuẽdã ſanitatẽ, vel reſtaurãdã nulla ẽ culpa, quãdo nõ eſt ſpes prolis: ſi verò ẽ ſpes prolis ẽ venialis culpa, patet ex dictis *diſp. præced.* ita Vict, *ſum. de ma. n. 272* Led. 2. *p.* 4. *q.* 51. *ar.* 5. Henr. *l.* 11. *c.* 5. *n.* 5. Man. 1. *t ſum.* 2. *edi. c.* 243. *n.* 20. ſunt tñ multi cũ D. Tho. 4. *d.* 31. putantes sẽper eſſe veniale, nã Sãcti Patres ſolũ dicũt licere vsũ cõiugalẽ ob prolẽ, vel ad debitũ reddẽdũ. Alij vero vt Almai. 4. *d.* 31. *q. vn.* Emm. Sà *v. deb coniug. verſ. co.* Cela. *d.* 31. multos citãs dicũt nullã eſſe culpã, quia ſcilicet ob bonũ prolis multo magis licebit ob propriã ſalutem.

DISPVTATIO XI.

An Act' cõiugalis exercit' ob ſolã declarationẽ ſit peccatũ Reſ-

Resp. cũ hac distinctione: si declaratio excedit limites matrimonij, quia scilicet coniux ita voluptate captus accedit ad vxorẽ, vt etiam habeat actualem voluntatem accedendi ad illam quamuis esset non sua, tunc est mortale. ita D. Th. 4. *d.* 31. *q.* 2. *ar.* 3. quem vniuersi sequuntur. Si vero voluptas nõ excedit finem matrimonij, tũc est solum peccatum veniale exercere actũ ob voluptatem, aut vti aliquibus cibis calidis, vel manibus se prouocare ad actum coniugalem exercẽdum ad explẽdam voluptatem, ratio quod non sit mortale est, quia in eo accessu est bonum sacramẽti, & coniux vtitur re sua: quod autẽ sit veniale patet quia est aliqua peruersio finis nam delectatio instituta est adhoc vt sit medium ad exercendum actum ad bonum prolis; ergo est peruersio vti illa pro fine. ita D. Tho. D. Bonau. Duran. Alb. Magnus, Nicol. de Orbellis, Sup. Gabri, & alij. *in* 4. *d.* 31. Henriq. *l.* 11. *c.* 4. *n.* 2. Bart. à Ledesma *dub.* 27. *concl.* 2. Manuel. 1. *tom. sum.* 2. *edit. c.* 243. *n.* 20. Capua *p.* 1. *dec. li.* 2. *c.* 82. Cannedo *sum. sacr. de matr. c.* 8. *n.* 76. & alij contra Sanchez *n.* 4. & 5. contra Hostiens. *in sum. tit. de matr.* §. *quis sit effectus n.* 23. Hugon. *c. origo* 33. *q.* 4. putantes esse mortale.

2 Verum si quis coeat prolis gratia, nullam committit culpam accipiendo illam delectationem moderatam, quæ sequitur ex actu coniugali. nam illa delectatio in se non est mala, sed à natura procurata adhoc, vt actus coniugalis exerceatur. ita Maior. 4. *d.* 31. *q. vnic. concl.* 6. Sotus *a.* 3. Veracrux 3. *p. specu.* & alij.

DISPVTATIO XII.

An actus coniugalis sit illicitus ratione temporis sacri v. g. si fiat die festo, vel ieiunij, aut processionis.

1 Respondeo negatiuè nullam nimirum esse culpam copulam exercere his diebus siue petendo, siue reddendo, sed solum esse consilium non petendi. ratio est quia nullum est præceptum Diuinum prohibens petitionem debiti his diebus; præceptum .n. colendi festos dies solum ab operibus seruilibus iubet nos abstinere, neque est præceptum humanum. nam textus in Decreto inserti, & alij, qui communiter afferri solent, loquũtur solum de consilio, vt docent ibi glossæ *cap. proposuisti d.* 82. *& cap. si causa* 33. *q.* 4. *& cap. fratres eadem quæst.* nec præceptum ieiunij obligat ad aliam carnis macerationem, quam ad abstinentiam à pluribus comestionibus, & alijs cibis vetitis. ita D. Bonau. 3. *d.* 32. *ar.* 3. *q.* 2. *fine* vbi Sotus *q vn. ad* 3. Ricc. *as.* 3. *q.* 1. Gullelm. Vosillong. *q. vni. ar.* 2. *conc.* 3. Guill. Rubion. *q.* 2. *ar.* 2. *fine*. Palacios *disp.* 1. *f.* 171. Bassol. *q vni. ar.* 3. Pedraza *sum. præc.* 6. §. 18. Caetan. *sum. matrimonium c. vlti.* Manuel. 1. *t. sum.* 2. *edit. c.* 243. *n.* 18.

Excipe tamen nisi fiat in contemptum horum dierum, nam tunc erit mortale; tunc autem dicitur copula fieri in contemptum quando peten debitum faceret hunc actum: non cessarem a copula hodie, licet Deus præcepisset, vel si petat vt diem illum festum parui pendat, quod non accidit nisi infideli.

Sunt tamen in hac re duæ sententiæ satis probabiles. Prior dicit esse culpam venialem, & affert textus supra adductos, quibus prohibetur copula his diebus. ita Magister, Duran. D. Tho. *in* 4. *d.* 32. Rayner. 2. *p. ti. de matr c.* 13. Viguer. *lib. inst.* Gerson. 2. *p. in compend. Thol. alph.* 27. *lit. P.* Soto *lec.* 16. *de matr.* §. *sequuntur circumstantiæ.* Posterior vero distinguit in festis solemnioribus vt Pascha, Hebdomada sancta &c. ait esse peccatum veniale ob indecentiam, & ineptitudinem ad orationem; in alijs vero esse solum consilium. ita Henriquez *lib.* 11. *c.* 16. *n.* 5. Sotus 4. *d.* 32. *q. vni. a.* 3.

Nota tamen quod reddere in talibus festis non est peccatum etiam si petere esset peccatum; immo tenetur coniux exactus reddere. ita Palud. 4. *d.* 32. *q.* 1. Gerzon. *l. c.* Soto Enriq. Veraeruz. *loc. ci.* & alij.

DIS-

DISPVTATIO XIII.

An ſit peccatum exercere actum coniugalem die, quo ſanctiſſima Euchariſtia recipienda, aut recepta eſt.

1 REſpondeo & dico primo licet ſit ſanum conſilium, at conuenientius poſt copulam habitam ſiue reddendo, ſiue petendo abſtinere à ſacra communione, quia non adeo commodè poteſt vacare orationi, vt docent S. Hierony. in ſerm. in vigilia Paſchatis de eſu Agni, S. Aug. ſerm. 216. & alijs SS. Patres; tamen ſi bono fine, ſiue ob bonum prolis, ſiue ad uitandum incontinentiæ periculum petatur copula, nulla eſt culpa accedere poſt illam ad Euchariſtiam, quia finis ille eſt honeſtus, cum voluptas non dominetur, ſed amor prolis, aut continentiæ præponderet immunditiæ, quæ eſt in illo actu, & etiam alicui peccato veniali, quod forte interueniret; ergo non eſt prohibendus ab Euchariſtia coniux ob copulam taliter habitam. ita docent quando finis eſt prolis D. Greg, *in c. vir cum propria* 33. *q.* 4. D. Thom. 3. *p q.* 80. *a.* 7. *ad* 2. D. Bonau. 4. *d.* 12 Palud. 4. *d.* 9. *q.* 3. Ledeſ. 1. *p.* 4. *q.* 21. *ar.* 7. Suar. 3. *p. q.* 80. *ar.* 8. *diſ.* 68. *ſec.* 2. Beia *ſum. caſu* 8. & alij.

2 At ſi copula petatur ex nimia carnis concupiſcentia, & vt voluptati ſatisfiat, tunc erit peccatum veniale ſtatim poſt illam ſumere Euchariſtiã, quia oritur magna mentis euagatio, niſi aliqua iuſta cauſa adſit, vt ſi ſit magna feſti ſolemnitas, vel quid ſimile, non. n. requiritur vrgentiſſima cauſa, ſed ſatis eſt mediocris ad excuſandum à peccato ita DD. citati.

3 Quare in prædicto caſu coniux poſt copulam debet expectare aliquod tempus antequam ſumat Euchariſtiam, quod præſcribi non poteſt; ſed debet reputari attenta complexione illius, qui copulam habuit an ſtatim recolligat mentem, nec ne. quamuis alij dicant expectandas eſſe 24. horas, alij dicunt ſatis eſſe vt copula non fuerit intra eundem diem naturalem, in qua re etiam varij ſunt modi dicendi. Vide Nauar. *ſum. c.* 21. *nu.* 51. *D.* Anton. 3. *p. ti.* 13. *c.* 6. §. 20. Caetanum *ſum. v. communio c.* 1. *de requiſi. ex parte ſumentis* Petrum Ledeſ. *ſum. de ſacr. tra. de Euch. c.* 13. *conc.* 1. Paludanum. *l. c. agentem de poll. noctur.* Angel. *v. euchariſtia* 3. *n.* 29. noſtram ſententiam tradunt Gabr. *l.* 10. *in cano. miſſæ* Gerſo. 2. *p. tra. de præpar. ad miſſam, & pollut. noctur. conſid.* 7. Suar. *l. c.*

4 Dico ſecundo poſt communionem nulla eſt culpa ad copulam accedere quia nullibi eſt prohibitum hoc, ſed ſolum eſt ſanum conſilium vt dictum eſt. ita victoria *ſum. de euch. n.* 91. Tabiena *ver. communicare q.* 37. quamuis putent veniale Palud. Beia, & alij.

5 Nota hic non poſſe debitum negare coniugem ex eo quia eo die recepturus eſt, vel recepit Euchariſtiam; poterit tamen alterum monere ne petat, ſed ad hoc non tenetur quia obligatio reddendi eſt ex iuſtitia; neque vlla lex id præcipit. ita Palud. *q.* 3. *ar.* 2. Suar. *l. c.* Sotus 4. *d.* 32. *a.* 3. *& d.* 12. *q.* 1. *a.* 7. Alex 4. *p. q.* 47. *membr.* 2. *&* 2. *p. q.* 166. & alij.

DISPVTATIO XIV.

An quando vnus, vel ambo coniuges ſunt excommunicati, ſit peccatum habere inter ſe copulam.

1 REſpondeo negatiuè; quare poterit licitè coniux non excommunicatus petere debitum ab excommunicato, & hic tenetur reddere, vt omnes docent: immo excommunicatus poteſt licitè petere à non excommunicato, & hic tenetur reddere. Probatur quia ex quadam æquitate, & Chriſti beneficio ſtatutum eſt ne coniuges teneantur ſeuitare quando ſunt excommunicati vt periculum animarum vitetur *cap.* 1. *de ſent. excomm. in* 6. ergo etiam poſſunt petere ne incurrant magnum periculum animarum, & ſicuti ſerui, Domino excommunicato tenentur obſequia præſtare *cap. inter alia de ſent. excom.* & is poteſt à

ſeruis

ſeruis ea exigere, ita coniux non excommunicatus tenetur debitum reddere alteri excommunicato, & illic poteſt petere; & dato quod eſſet peccatum in petente, alter tamen tenetur reddere, quia excommunicatio eſt circumſtantia ſe tenens ex parte perſonæ vt diſp. 6. dictum eſt. ita Vgolinus *de excomm. tab.* 2. *c.* 23. §. 6. Henr. *l.* 13. *de excom. c.* 22. & fauent Doctores n. 10. citandi. quamuis alij negent apud Sanch. n. 19.

2 Ex his patet quando ambo coniuges ſunt excommunicati poſſe ad inuicem petere, & teneri reddere. Verum ad plenam intelligentiam horum quæ dicta ſunt.

QVAERES I.

An, & in quibus rebus poſſint coniuges excommunicati participare ſecum.

3 REſpondeo ſi vir eſt excommunicatus, certum eſt poſſe vxorem etiamſi ſit excommunicata participare cum eo in omnibus humanis obſequijs, & commercijs ſiue tempore quo cum viro nupſit, ſciuerit excommunicationem, ſiue non. ratio eſt quia *cap. quoniam multos* 11. *quæſt.* 3. *& cap. cum deſideres de ſententia excomm.* generaliter conceditur participare cum viro excommunicato, nec vlla in eo fit exceptio. ita Hoſt. *ſum. tit. de ſent. excom.* §. *quæ ſit pœna parti.* Nauar. *ſum. c.* 28. *addit n.* 27. Enriq. *l.* 13. *c.* 21. *n.* 2. Vgolinus *de excom. tab.* 2. *c.* 23. Viual. *Candel. p.* 2. *de excom. n.* 100. Immo tenetur ad præſtanda ea obſequia, ad quæ ante excommunicationem tenebatur, vt docet Innoc. Abb. Felinus, Io. And. *d. c. inter alia.*

4 Poteſt etiam participare in Diuinis, quia conceſſio eſt generalis; quamuis Caetanus, & Armilla *v. excommunicatio* oppoſitum ſentiant, & licet poſſit Iudex excommunicans interdicere vxori participationem cum viro quoad humanum conuictum, non quoad debiti petitionem; quia hoc eſt de iure naturæ; tamen ſi excommunicat virum, & cum eo participantes, non cenſetur vxor excommunicata quia ipſi permittitur à iure participatio, vt docet Vgolinus. *l. c. n.* 6.

5 Quod dicimus de vxore, intellige etiam de ſponſa de præſenti etiam ſi non dum ſuſceperint benedictionem Eccleſiæ, quia in fauorabilius, vt eſt in caſu noſtro nomine vxoris venit ſponſa de præſenti, *vt lib.* 1. *diſp.* 1. dictum eſt, nec ante benedictionem mulier arcetur à cohabitatione cum viro, ſed ſolum à copula iuxta dicta *lib.* 3. *diſp.* 12.

6 Si vero loquamur quando vxor eſt excommunicata licet multi ſententiant non poſſe virum participare cũ vxore, niſi in debito coniugali. ita Goffred. *ſum. tit. de ſen. excom. n.* 10. Io. Monac. *ca. ſtatuimus n.* 2. *v. contradic. de ſent. excom. in* 6. Hoſt. Aſtenſis apud Sanch. n. 14. Aliqui etiam addunt in ijs ſolũ, quæ vir tenetur præſtare vxori.

Tamen dicendum eſt poſſe participare cum vxore excommunicata eo modo, quo diximus vxorem poſſe participare cum viro excommunicato Gloſſ. *cap.* 1. *verb. viuit* 41. *diſt. & cap. ſi vere verb. in excommunicatorum de ſent. excomm.* ergo multo magis vxor & vir, quæ ſunt correlatiua vt diſpoſitum in vno cenſeatur diſpoſitum in alio. *l. fin. c. de indi. viduitate.* ita Ouand. 4. *d.* 18. *q. vni. prop* 80. Felic. *in Enchirid. de cenſ. trac. de excom. c.* 38. Vgolinus *l. c.* Enriq. *l.* 13. *c.* 22. *n.* 2. Capua *p.* 1. *dec. l.* 4. *c.* 13. Couar. *c. alma mater* 1. *p.* §. 1. *n.* 8. Ledeſm. 2. *p.* 4. *q.* 25. *a.* 1. *f.* 346. Phili. *de off. ſac. t.* 1. *p.* 1. *l.* 3. *c.* 16.

7 Verum tamen eſt quod maritus cũ ſit caput vxoris ſi videt ſpem emendę, tenetur illam corrigere; tamen ſi non corrigat, peccat mortaliter; ſed põt cũ ea communicare abſque excommunicatione minori. ita Vgolinus. *de exc. cap.* 23. *tab.* 2. §. 6.

8 Excipe tamen tres caſus, in quibus non poteſt vxor participare cum viro excommunicato (idem dicas de viro reſpectu vxoris in noſtra ſententia) primus eſt quando excommunicatio eſt lata in cauſa matrimonij, de

cuius

cuius valore lis pendet : ſecundus quando vxor vellet participare in crimine, ob quod vir fuit excommunicatus. ita habetur *cap. inter alia de ſententia excomm.* Tertius eſt quando vxor ob diuortium eſt ſeparata cum viro, tunc enim iam eſt libera à præſtandis obſequijs ipſi viro: poterit tamen cum illo non obſtante excommunicatione reconciliari, & ſic communicare.ita multi ex cit.DD.

9 Denique hic nota non eſſe permiſſum vxori participare cum excommunicatis, qui ſunt ſimul cum viro, vt accumbere in eadem menſa cum viro, in qua ſunt aliqui excommunicati,quia priuilegium conceſſum eſt ſolum ad hoc vt cum viro excommunicato participet ob vinculum matrimonij.ita Aſtenſ. *p.2. l. 7. ti. 12.quæ. 5.* Monald.*de excomm.tit. in quib.cauſis quis.* Enriq.*l.c.* Vgol.*n.4.*

QVAERES II.

An coniux excommunicatus poſſit in iudicio petere, vt ſibi reſtituatur coniux quo ſpoliatus eſt, vel dos poſſit repeti, quando maritus eſt contumax in excommunicatione.

10 REſpondeo negatiuè; quare non poterit maritus v.g. excommunicatus, qui fuit vxore ſpoliatus, agere in iudicio ad hoc vt ſibi reſtituatur vxor;quamuis illa ab eo recedens peccat,quia generaliter decernitur in *ca. intelleximus de iudic.* & *cap. decernimus de ſententia excomm.*non poſſe excommunicatum agere.ita docent Specul. *ti.de petitorio & poſſ.§.quoniam n.3.* Calder.C.*fin.de ord.cog.*vbi Ant.*n.13.* Abb. *n.12.* Contra Hoſt *ti.de reſſpol.§.quando facienda* Io.Andr.C.*inter alia nu.2.de ſen.excom.*&Vgol.*tab.2.c.15.§.3 excom.*

11 Nec vxor ob contumaciam viri in excommunicatione poterit petere dotis reſtitutionem; quia non obſtante perſeuerantia viri in excommunicatione tenetur vxor habitare cũ viro, vt dictum eſt *n.1.fine*,ergo non poteſt repetere dotem,niſi fortè tanta eſſet viri contumacia,vt tanquam hæreticus damnatus ſit, tunc enim repetet vxor dotem ex *cap.cum ſecundum legem de hæret.in 6.*sic Io.Campe *de dote p.3.q.24* Vgol.*lo.ci.cap.23.§.6.n.5.*

DISPVTATIO XV.

An ſit peccatum mortale actum coniugalẽ exercere in loco publico, aut ſacro.

1 REſp.affirmatiuè,& quidem quod ſit peccatum mor.exercere actũ coniugalem ſiue petendo,ſiue reddendo coram alijs nemo dubitat, nam eſt contra decentiam, & humanam honeſtatem,& eſt occaſio ruinæ alijs;vnde etiam tactus aliàs liciti inter coniuges ſi coram alijs fiant,erunt peccata mortalia;quando valdè incitarent adſtantes ad venerem,attenta eorum fragilitate.ita Emm.Sà *ver. peccatum.*

2 Quod autem ſit peccatum mort.& ſacrilegium exercere actum coniugalem ſiue petendo,ſiue reddendo in loco ſacro (extra caſum neceſſitatis de quo infra)Probatur,quia per eam copulã polluitur ecclesia, ita ut in ea nõ poſſint diuina officia celebrari, donec iterum reconcilietur.vt conſtat ex *ca. fin.de conſecr.eccl.* & *cap. eccl. de conſecr. diſt.1.& diſ.68.* vbi generaliter dicitur eccleſiam pollui ſanguinis aut ſeminis effuſione,& tradunt DD.mox citandi. ergo talis copula directa opponitur ſanctitati loci : nam per eam locus Sacer prophanatur , ita docent ex iurisperitis Nauarr.*ſum. cap.16 numero* 32. Couarr. *4.decret. 2.par cap. 7. §.ſecundo, numero tertio.* Perez. *libro quinto ord. ti. 1. l. 1. §. quæri poteſt.* Matienzo *l. 5. rec. t. 1. rubr. glo.1. numero 99.* Salzedo *in pract.* Bernard. Diaz. *cap. 39. lite.* B. & ex Theologis Sotus *4. qu. vni. d.32. art. 3.* Ouand. *qu. vnica poſt ſecundam propoſit.* Suar. *tertia parte, quæſ. 83. artic. 3. diſ. 81. ſect. quarta.* Enriquez. *l. 9. cap.27.numero quinto.* Ledeſma *prima parte 4. quæſ. 24. art. 3. dub. 7.* Abulenſis *cap. 5.* Matth. *qu.237.* Capua *parte prima*

decis. lib. 2. cap. 48. nume. 16. Viuald. *cand. sacr. p. 1. de matr. n. 262.* Petrus Ledes. *de matr. q. 64. ar. 7. conc. 1.* Bart. a Ledes. *dub. 40. de Euch. post 3. concl. & de pœnit. dub. 12. circa 6. præc.* Manuel. *1. t. sum. 2. edit. c. 253. & 243.*

3 Quod verum est quamuis concubitus sit occultus; quia per eum ex natura facti, & per se polluitur Ecclesia, licet non teneantur abstinere à celebratione missarum in ea, dum occultus manet coitus, sed si fortè fit publicus absque noua culpa, Ecclesia incipit esse polluta. ita D. Anto. 3. *p. ti. 1. c. 10* §. 2. Nauar. *sum. c. 16. in 2. edi. n. 32.* Tabien. *matrimoniam 3. q. 0 n. 10.* contra Sotum Manuel. *l. cit. n. 2.* Vegam *1. t. l. 1. c. 78. casu 1. in 2. edit.* & alios quorum sententia Vasqu. *1. 2. quæst. 62. artic. 6. dis. 98. num. 6.* putat probabilem putantes non esse sacrilegium, quia per occultum coitū non polluitur.

4 Vbi nota quod quamuis sint alia peccata multò grauiora, quæ fieri possunt in Ecclesia absque speciali malitia sacrilegij, vt est odium Dei, si quis enim in Ecclesia Deum odit non cōmittit nouam culpam ratione loci sacri; tamen sanguinis, & seminis effusio etiamsi fiant aliàs licitè, vt si à Iudice reus interficiatur, aut si vir cum vxore concubat, habet malitiam sacrilegij, quia ius Ecclesiasticum statuit *cap. vnico de consec. eccles. in 6. & ca. ecclesiis de consec. d. 1.* Deo tribui cultum per munditiam loci sacri ab his rebus nempe à semine, & sanguine effuso, & statuit his profanari locum sacrum, ita vt reconsecratione indigeat, non autem ob alia crimina; quod totum consurgit ex mero iure ecclesiastico, vt docent Valentia *2. 2. d. 6. q. 15. pu. 1.* Vasq. *l. c.* Enriq. *l. 5. de pæn. c. 6. n. 5.* Nider. *sum. præc. 6. c. 4.* Petr. Ledes. Manuel. *l. c. cap. 243.* Cannedo *sum. sacr. de matr. c. 8. n. 71.* Nauar. *l. cit. ver. 4.* Victoria *sum. de matr. n. 299.*

5 Vnde accipe hanc regulam generalem pro materia confessionis quando peccatū est lege aliqua prohibitū v. g. tum naturali, & Diuina, si lege alia prohibeatur, nempe humana respectu eiusdem virtutis, tunc vnicam tantum habet malitiam, vt si fures excommunicentur, tunc si furatur quis, illud peccatum non habet nouam malitiam ob præceptum humanum cum excommunicatione datum; quia prohibitio furti tam lege diuina, quam humana est ad hoc vt virtus iustitiæ seruetur. Similiter si in eodem die concurrat duplex festum, qui missam non audit, vnum peccatum committit, ita vt nec species varietur, neque nouam, & notabilem circumstantiam necessario fatendam addat, quia præcipitur auditio missæ intuitu eiusdem virtutis, nempe religionis; vnde satis erit dicere, non interfui sacro die festo.

6 At si aliquod est prohibitum respectu vnius virtutis, & deinde alia lege prohibetur respectu alterius virtutis; aut si est prohibitum respectu vnius virtutis, & ab alia lege prohibetur respectu eiusdem virtutis; sed sub diuersa ratione formali; tunc addit nouam malitiam specie diuersam vel numero necessario confitendam. Exemplum sit in casu nostro, fornicatio est prohibita lege Diuina ratione intemperantiæ, & lege ecclesiastica, vt dictum est, interdicitur fieri in loco sacro ob reuerentiam loci sacri. ergo habet nouam malitiam sacrilegij. quia ab ecclesia prohibetur, ob reuerentiam loci sacri.

Similiter si quis votum transgrediatur, & iuramentum de eadem re, tenetur vtrumque fateri; quia licet tam votum, quam iuramentum respiciant virtutem Religionis; tamen ad illam pertinent sub diuersa ratione formali; votum enim debet seruari, vt fides debita Deo seruetur; iuramentum vero ne Deus in falsum testem accipiatur; & idem dicas si coniugatus cum coniugata rem habet; debet enim vtramque cir-

circumſtantiam aperire, quia eſt duplex iniuſtitia, quod ſi actus non ē ex ſe malus, vt eſt in caſu noſtro copula inter coniugatos, quia tamen prohibetur in loco ſacro fieri ob reuerētiā loci ſacri; habet ſolum hanc malitiam quæ eſt ſacrilegij. ita Vaſqu. 1 2. *qu.* 72. *ar.* 6. *diſ.* 98. *n.* 8. Emm. Sà *v. confeſſ.* §. *quidam putant* Henriq. *de pœn. lib.* 5. *cap.* 5. *numero ſexto.*

7 Dixi num. 2. eſſe ſacrilegium copulam coniugalem i loco ſacrō extra caſum neceſſitatis, quia ſi eſt neceſſitas; v. g. quia ita diu ſunt in Eccleſia detē ti vt ad alia loca non ſacra exire non poſſint, nulla erit culpa habere copulam coniugalem in loco ſacrō, ſiue reddendo, ſiue petendo debitum. Ratio ē quia neceſſitas perueniens ex periculo incontinentiæ, quam paterentur coniuges diu ſeparati à copula, omnē irreuerentiam aufert. ita Riccard. Sotus, Maior, Mayron. Nicol. de Orbel. Guil. Vorillong. Ouandus *in* 4. *d.* 32. Monal. *ſum. tract. de ma. ti. de effectu ma.* Ant. Cucus *l.* 5. *inſt. maior. ti.* 11. *n.* 121. Caſtro *l.* 1. *de lege pœn. ca.* 7. *docum.* 2, Sa rez Enriqu. Pēt. Lodeſ. *n.* 2. *cit.* Alcocer. *ſum. cap.* 20. *fol.* 75. *col.* §. *los tocamientos echos*

8 Immò hoc verum eſt quamuis concubitus ſit publicus, nā Doctores præ dicti non faciunt hanc diſtinctionem nec ad hoc vt copula ſit licita, & non ſit ſacrilegium, neceſſe eſt vt ſit periculum præſens incontinentiæ, nam aliter multis ſcrupulis coniuges implicarentur, ſed ſufficit ſi humana fragilitate attenta, & moraliter loquendi adſit communiter tale periculum ob longum tempus, quod erit ſpatium vnius menſis attenta communi fragilitate, nam ſex aut octo dies non ſufficiunt ad hoc vt dicatur longum tempus, quia lex ad ea, quæ frequenter accidunt attendit *l. nam ad ea ff. de legibus.*

Vnde ſi conſtat fore vt maritus v. g. diu detinendus ſit in Eccleſia, poterit ſtatim copulam habere in ea; nā non eſt neceſſe vt expectetur periculum innocentiæ. ſic tenent pleriq; ex citatis Doctoribus demptis Nauarr. Ouando, & Margarita *Confeſſ.* 6 *pra. fol.* 86. quibus fauere videntur Enriquez, Victoria, & Caſtro. volentibus licere ad vitandum præſens periculum incontinentiæ.

Neque Eccleſia per eam copulam polluitur, ceſſat enim irreuerentia. Maior. Ouandus, Ant. Cucus, Ledeſma, Henriqu. & alij cit.

Contra Tabienam *matrimo.* 3. *quæ.* 9. *num.* 10. D. Anto. 3. *p. ti.* 1. *cap.* 20. §. 2. Caetanum *ſum. matrimonium cap. vltimo v.* 6. *caput.* Suppl. *piſ. ver. debitum* & alios putantes eſſe peccatum talem concubitum, & per eum pollui Eccleſiam; quia dicunt ipſi non eſt mirum vt coniuges ob loci reuerētiam teneantur à copula abſtinere ēt ad longum tempus.

QVAERES I.

An aſpectus, cogitationes, deſideria, tactus inhoneſti tam inter coniuges, quam inter ſolutos, ſi fiant in Eccleſia ſint ſacrilega, ita vt ea circumſtantia ſit neceſſario confitenda.

9 REſpondeo, ſi hæc omnia fiant abſque periculo pollutionis; etiam ſi verba turpia altiori voce proferantur; non ſunt ſacrilegium. Ratio eſt, quia his tactibus & cæt. abſque pollutionis periculo non violatur Eccleſia; nec eſt periculum violationis, cum neque ſit periculum pollutionis, per quam ipſa violetur, & interdicantur Diuina Officia; ergo neque hi tactus, aſpectus & cæt. habent peculiarem malitiam ſacrilegij; nam ideò copula habet peculiarem malititiam ſacrilegij, ſi fiat in Eccleſia, quod per eam Eccleſia polluitur, & ſic directe ea copula opponitur loci ſanctitati, quod non accidit in his tactibus, & cæt. quando non eſt pollutionis periculum, & ſi fiant coram alijs poſſunt eſſe peccata ſcandali; iam dictum eſt, non autem ſacrilegium, ita Alcocer infra.

10 Vnde ſi quis in Eccleſia deſideret copulam cõiugalem, vel fornicariam non erit peccatum ſacrilegij; neque debet illam circumſtantiam confiteri dicendo v. g. ſe deſideraſſe intra Eccleſiam mulierem, niſi expreſſe velit illam copulam exercere in Eccleſia, tunc .n. debet hanc circumſtantiam manifeſtare; ratio eſt quia tunc actus internus eſt eiusdem ſpeciei cum externo quando eſt circa idem obiectũ cum ijsdem circumſtantijs, ſed deſiderium copulæ extra Eccleſiam non habet eandem circumſtantiam loci, quam habet copula exercita in eccleſia; ergo deſiderium copulæ exercendæ extra Eccleſiam non eſt eiuſdem ſpeciei cum copula habita in Eccleſia Contra vero deſiderium habendi copulam intra Eceleſiam erit eiuſdem ſpeciei cum copula habita in Eccleſia. ita Nauarr. *c. conſideret n.* 21. *de pœn. d.* 5. Viuald. *cand.* 1. *p. de conſ. n.* 6. Petrus Ledeſ *de pœni. c.* 19. *circa loci circumjtãtiam* Alcocer. *ſum. c.* 20. *f.* 74.

QVAERES II.

Quid veniat nomine loci ſacri ad hoc vt copula in eo habita ſit ſacrilegium.

11 IN hac re locus ſacer non ita largè accipitur, ſicuti accipitur ad gaudendum immunitate Eccleſiæ, nã omnia habitacula Eccleſiæ monaſteriorum gaudent immunitate Eccleſiaſtica, non tamen pollutio in ijs eſt ſacrilega.

12 Dico igitur primo nomine Eccleſiæ quoad hunc effectum vt copula in ea habita ſit ſacrilegium intelligitur ſola Eccleſia conſecrata, aut benedicta etiam ſi ſit cœpta ædificari, & non dum finita; modo ſit auctoritate Epiſcopi cæpta, & ab eo benedicta. Ratiõ eſt quia tunc locus ille eſt ſacer, & in eo poſſunt ſepeliri fideles, ita de Eccleſia finita docent Sotus 4. *d.* 32. *q. vni. ar.* 3 *col.* 3. Nauar. *c.* 16. *n.* 32. Enriq. *l.* 9. *de miſſa. c.* 27. *nu.* 5. Graff. 1. *p deciſ. l.* 1. *c.* 20. *n.* 28. Manuel. 1. *t. ſum.* 2. *edit. c.* 154 *n.* 13. aut etiam ſi diruatur in aliqua parte, & reficiatur, aut etiam ſi addatur aliqua capella, quia pars addita efficitur vnum cum parte, quæ erat antea, & ſic ſi copula in ea parte habeatur, erit ſacrilega, ſicuti ſi altari conſecrato additur aliqua pars, altare non amittit conſecrationem, ſed potius facit vt illa pars gaudeat priuilegijs rei ſacræ, dum ſic vnita manet, *ex c. quod in dubijs de conſecr. eccleſ.* quamuis ibi ſermo ſit de liquoribus, vt dum oleum non conſecratum additur conſecrato.

13 Vbi nota non omnia domicilia talis Eccleſiæ venire nomine Eccleſiæ in hoc, ſed ſolum illud ſpatium, quod pertinet ad corpus interius Eccleſiæ a tecto interiori, ſeu fornice vſque ad parietem oppoſitum. quo clauditur Eccleſia.

14 Vnde ſi quis copulam habeat in capellis Eccleſiæ, aut in propylæis, quæ ſolent appellari (corniciuni) aut in choro (modo chorus sit contentus in eccleſia, nec ſint parietes intermedij, qui quaſi cameram diſtinctam efficiant) ſiue de cætero ſit in ipſo ſolo eccleſiæ, vt eſt in matrice Panhormi, & in alijs Parochijs, ſiue ſit è terra erectus, vt eſt in monaſterijs quibusdam aut in loco Organi, quando organum eſt in aliqua chori parte, aut ĩ cellulis vbi fæminæ peccata aperiunt, quæ ſunt ex ipſo pariete eccleſiæ concauatæ, non tamen in loco, vbi eſt confeſſarius audiens confeſſiones, quia in aliquibus eccleſijs, quæ ſolent eſſe ex parte interiori habitaculi domus non intra eccleſiam, vt eſt Panormi in eccleſia Patrum reformatorum B. Mariæ Redemptionis captiuorum, aut in porta eccleſiæ, ita vt vergat ad partẽ interiorem, in his inquam omnibus locis, ſi copula habeatur, aut homo interficiatur, erit ſacrilegium, & eccleſia polluitur.

15 Contra vero locus ſub eccleſia conſtructus, aut cameræ eccleſiæ adhætentes aut ſupra eccleſiam vulgo, tetto morto, aut ſacriſtia, aut cameræ inſtar odæi ex aduerſo aræ maximæ, vt plurimum ædificatæ ad audiendum ſa-

ſacrum,non veniunt nomine Eccleſię ita vt copula in his habita non ſit ſacrilega,nec polluat *Eccleſiam*. Vide de his Sotum 4.*d*.33. *q.vn.ar.*3.*concluſ.* 3.Nauarr.*lo.ci.* Suar.3.*p. q.* 83. *diſ.* 81. *ſect.*4. Manuel.Graff. *Enriqu.* Cañedo *locis cit.*

16 Simliter nec erit ſacrilega copula habita in clauſtris religioſorum ſi ea non ſint benedicta, & ſepulturis deſtinata, nec etiam habita in habitaculis religioſorum, officinis &c. etiāſi prior ea benedicat quotidie aqua benedicta aut ſit altare ad miſſam deputatū;quia e a non veniunt nomine loci ſacri.ita Corduba *ſum.q.*12.Nauarr.*c.*16.*nu.*3. Enriq.*l.*5.*de pœn.c.*6.*n.*5.*in com.li.H.*

Nec etiam erit ſacrilega copula habita in Eccleſia diruta auctoritate ſuperioris,ratio eſt,quia tunc nō gaudet priuilegijs Eccleſiæ,vt docent Domi. *C.ſtatutum de elec.in* 6.*n.*3.Franc.*reg.priuileg.de reg.iur.in* 6.*n.*3 Innoc.*c.*2.*de nō ui operis nunc.n.*2. vbi Ant. *nu.*4.& alij. ibi Iul.Clar.*q.*30.*n.*6.*prac. crim. l.*5. §. *fin.* Farinac.*in praxi q.*18. *n.*70. Alex. *l.inter ſtipul.ff.de verb. oblig.* Felin. *C.cū dilecta de reſcr. n.*21.Iaſon.*d.l.inter ſtipulantem nu.* 30. Intellige tamen non gaudere priuilegijs Eccleſiæ, quando deſtruitur,ita vt non ſit iterum reædificanda in eodē loco, vt docent Alex. Iaſon, Felinus loc.cit. Immò etiamſi diruta ſit abſque ſuperioris auctoritate,& non eſt ſpes reædificationis,non gaudet priuilegijs eccleſiæ, quia nullo modo poteſt dici eccleſia. ita Baldus *in proœm. ff.vete.n.*5.Felin.*lo.ci.*

Dico ſecundo,oratoria,quæ ſunt in domibus priuatorum , vel Hoſpitaliū erecta,quamuis ex Epiſcopi licentia in ijs celebratur, tamen non dicuntur quoad hunc effectum ſacra,itaut pollutio in ijs habita,vel ſanguinis effuſio non ſit ſacrilega. Nam non veniunt nomine eccleſiæ,& ad nutum fundatoris poſſunt ad profanos vſus reduci.eſt communis , nec gaudere eccleſiæ immunitate docent Inn.Abb.Ang.Sylu. Armilla,Iulius Clarus,& alij apud Sanchez *n.* 30.Felinus alios refert C. *d.* 4. *n.*9.*de præſ.* Greg.Lopez*l.*4.*v.a la Igleſia t.* 11.*p.*1. Paz *pract. t.*1.*p.*5. *cap.*3. §. 3. *numero* 30.

At Eccleſia Hoſpitalium,vel Heremitorum,quæ Epiſcopi authoritate ſunt erectę,& ad diuinum officium deſtinatæ, quamuis nec conſecratæ ſint nec benedictæ, veniunt nomine loci ſacri,itaut copula in eis facta,ſit ſacrilega. Ratio eſt, quia hęc loca gaudēt immunitate Eccleſiæ tanquam ſacra, & Religioſa ex cit. Doctoribus; atque adeò ſi is, cui interdictus eſt ingreſſus Eccleſiæ, in ea celebret,eſt irregularis vt docent Calder. *de eccleſ. interdicto. mem.*2. *v.ſed quid ſi is.* Nauarr.*ſuper* §. *in leuiticum notab.*32.*n.*3. Sylu.*interdi.* 6.*q.*5. quamuis putent ea non dici loca ſacra quoad hunc effectum Henri. *l.*5.*de pœn.t.*6.*n.* 5. *in li. H.* Emm. Sà §. *polluitur Eccleſia. ver.Eccl.*

Si vero ſit dubium an hæ Eccleſiæ erectæ ſint authoritate Epiſcopi tunc ſi ſit cymbalum ſuper tectum erectū, & publicè pulſetur, aut ſi ibi publicè celebretur, & omnes ad diuina officia admittantur,aut denique decēnio fuit publicè celebratum , præſumitur talē Eccleſiam eſſe erectam,ac deſtinatam cultui diuino authoritate Epiſcopi. vide Menoch.*de præſum.lib.*3. *de præſum.* 132. Maſcard.*de prob.concl.*869 *a n.* 3. *late tractan.* Felin. *C.de* 4. *n.*12. *de præſcrip.* Contra verò non ſufficit ad præſumendum eſſe authoritatem Epiſcopi,quod talis Eccleſia nomine alicuius ſancti appelletur,aut ī ea ſit campana.

Dico ſecundo Cæmiterium ab Epiſcopo benedictum eſt locus ſacer itaut copula in eo habita ſit ſacrilega;nam polluitur per ſeminis, aut ſanguinis effuſionem ex *cap.vni. de conſecr. Eccleſijs in* 6.iuxta dicta *nu* 2.

Si vero in aliquo loco fidelis ſepelia tur , non ideò is fit Sacer de iure Canonico, aut aliquo gaudet priuilegio; quamuis attento iure ciuili fiat religioſus *l.*2. *C.de relig.& ſump funerum.*ita Abb. Archid.Decius,& alij multi

C. in Eccleſ. qu. 2. *&* C. *pen. de ſepul.*

† †

DIS-

DISPVTATIO XVI.

An, & quale sit peccatum habere copulam coniugalem intra vas naturale, sed diuerso modo, & situ, quo solet fieri naturaliter.

1 REspondeo licet naturalis modus copulæ sit vt vir supra vxorem,& vxor sub viroponatur,quia modus hic est aptior affusioni seminis,& receptioni intra vas fœminarum,tamen si talis situs mutetur, & habeatur copula à latere sedendo,aut stando,vel præpostere, ita tamen vt in vase fœmineo exerceatur, aut viro succubo,& mulier incuba; qui duo vltimi modi sunt omnium pessimi,nunquam erit peccatum mortale; sed solum veniale graue si fiat ad percipiendum maiorem voluptatem,& non obiustam causam, & coniuges à tali modo coeundi debent deterreri.Ratio est, quia his modis nõ impeditur effusio seminis intra vas legitimum. Nam semen non recipitur per immissionem in vas,sed per attractionem,vt docet Arist.*lib.2. de gener. anim.cap.*4 ergo nullus ex prædictis sitibus obstat generationi sed solum est inordinatio quædam quærẽdi delectationem intra limites matrimonij,quæ est culpa venialis vt dixi *disp.* 11. ita Alber. Magnus 4.*d.*31.*ar.*24. Gaet.2. 2.*q.*154.*ar.*1. *D.* Ant.3.*p.t.*1.*ca.* 20.*§.* 3.Nauarr.*c.*16.*n.*42. Victor.*sum.de matrim.n.*273.Alcocer *sum.c.*20*f.*71.Petr.Ledes.*q.*49.*de ma.ar.*6.*dub.*2. Vega 1.*t.sum.c.*78 *casu*2. Emm.Sà *v.deb coniugale* Gerson.*comp. Theol. tract. qui sit confess. faci.alpha.*27.*li.G.* Supp. Gabr. 4.*d.*31.*q.vn. ar.* 2.

2 Contra sentiunt aliqui, qui putant probabiliter esse mortale præsertim quando fœmina est incuba.Ratio eorum est, quia hi modi naturali ordini aduersantur,nec ita est certa proles. ita Alens. 2.*p.q.*171. Astens.*sum.*2.*pa. l.*8.*ti.*9.*q.*2. Nicolaus de Orbellis 4.*d.* 32.*qu.vn.§.*7.*&* 8.

3 Nota tamen duo in nostra sententia; primum est, quod licet sit peccatum mortale si his modis conueniant vt generatio non sequatur, aut si habeant animum impediendi generationem illo modo congressus, vt docet Supp.Gabr. & alij, aut denique si cõstet experientia eo modo concubendi semen effundi secũdum omnes Docto. tamen non erit mortale si cõueniant variato situ ne ita certa sit proles, quod non tenentur certiorem modũ eligere,vt docet Palac. 4.*d.*32.*disp.*1. *fol.* 709. Similiter si sequatur effusio seminis extra vas ex alio capite,& non ex modo concubendi v.g. ex aliquo morbo, non erit peccatum mortale; quia id non excidit ex situ;sicuti neque erit peccatum si aliqua pars seminis effundatur,quia matrix semper attrahit id, quod est necessarium generationi,& rarissimè accidit vt semen ex sit variatione proijciatur: vnde non sunt de hac circumstantia interrogandi pœnitentes.sic Sylu. *ver.deb.q.*4 Humad. *super l.*2.*ti.*1.*p.*1.*gl.*2.*n.*16. Nota secũdo, quod tenetur coniux reddere petenti copulam situ variato,quia vt diximus *disp.*6. tenetur coniux reddere, quando petens solius culpæ venialis reus est in petendo,sic docet Per.So. *lect.*16.*de ma.* & videtur sentire Gaet. *lo.ci.* licet etiam possit probabiliter nõ reddere,quod probabile est esse mortale variare situm, vt aduertit Henriquez *l.*11. *c.*16.*n.*6.ita tenent Bartho. à Ledes.*de ma.dub.*71.*con.*4. D Anton. 3.*p.t.*1. *c.*20. §.7.

At si concubitus ille esset peccatũ mortale ob seminis effusionem, non posset coniux reddere etiam si non reddendo haberet vitæ periculum, vt dicam *disp.sequ.* Vbi caue Pontium *lib.* 10.*c.*11.*n.*3.qui dicere videtur Sanciũ putare non esse peccatum mortale, si experimento cõstaret ex aliquo modo concubendi semen effundi, quando accideret præ debilitate &c.nam ait Pontius(*rursus si experimento constaret fœminam aliquam ratione suæ debilitatis, complexionis & temperamenti semẽ non retinere si aliquo certo modo copulæ coniugatur, cum tamen retineatur alio eẽ peccatum mortale vti illo modo, quamuis ex se non esset impeditiuus generationi. sa-*

tis

tis enim eſt ad malitiam peccati in hac fœmina experimento compertum generationem impediri, cuius oppoſitum ſine fundamento docet Thom. Sanch. diſ. 16. num. 5.) Nam Sancius apertè habet hæc verba *nu. 5.* (*quare ſi experientia conſtaret in eo concubendi modo ſemen minime retineri, ſed effundi ob fœminei vaſis humiditatem, vel laxitatem eſſet peccatum mortale iuxta omnes, vt bene aduertit Ludo. Lop. 1. par.*) Sentit igitur eſſe mortale, quãdo conſtat ex tali modo concubendi ſemen effundi eſſe præ humiditate matricis, & ſolum dicit; ſi effuſio ſeminis conſurgit ex aliquo morbo, & non ex modo cõcubendi non eſſe peccatum mortale, quia ſitus ille non eſt in cauſa effuſionis ſeminis, quę per accidens accidit, & præter intentionem coniugum dantium operam rei licitæ & hoc ipſum vult intelligi ijs limitationibus, quas ponit diſpu. ſeq. ad quam hic ſe remittit dicens (*de qua re latiꝰ dicemus diſp. ſeq.*) quam mox ſubdam non ergo Pontius debebat ea verba proferre, nam valdè dubia ſunt, & imputare videntur Sancio, quod nunquã dixit; vtrum autem Sancij dictum fuerit ſine fundamento patet legenti, ipſe enim attulit rationem hic & latius probat *dij. ſeq. nu. 22.* Pontius verò ſui dicti nullam affert rationem, ſed ſolum verba, ait enim (*ſatis enim eſt ad malitiam peccati in hac fœmina experimento, compertum generationem impediri*) quod probare debebat, & Sancij rationes *diſpu. ſeq.* allatas impugnare.

DISPVTATIO XVII.

Explicantur aliqua ſcitu digniſſima circa modum coeundi coniugum.

QVAERESI.

An ſemper ſit peccatum mortale vti copula coniugali extra vas legitimum, & naturale.

1 REſpondeo eſſe peccatum mortale contra naturam conſummare copulam extra vas legitimum, quia aduerſatur fini naturali copulæ, qui eſt prolis generatio tã ex parte viri, quã ex parte fœminæ, quæ nullo modo debet aſſentiri viro volenti extra vas legitimum copulam habere. Nam ea copula eſt intrinſecè mala & nullo bono fini poteſt cohoneſtari. ita Alenſis *2. p. q. 166. mem. 3.* D. Ant. *3. p. ti. 1. cap. 20.* Margar. *confeſſ. 6 præc. fo. 86.* Verum ſi vir velit habere copulam intra vas legitimum; ſed ſoleat deinde membrum extrahere, & ſeminare extra vas, vxor non peccabit ſi aſſentitur copulæ, non autem membri extractioni, quod ipſa dat operam rei licitæ.

2 Immo eſſet etiam mortale, & ſodomia incõhata ſi vir ad hoc vt ſe excitet ad copulam conſummandam intra vas legitimum, immittat membrum intra vas præpoſterum mulieris etiamſi in illo nolit conſummare, quia tactus ille nec ex ſe, neque ex intentione tangentis poteſt ad actum coniugalẽ referri, & medium illud eſt alterius ordinis luxuriæ, nempe ſodomiæ, ita etiam aliqui viri doctiſſimi. Contra Nauar. *lib. 5. conſil. ti. de pœn. & remiſſ. conſil. 7.* dicentem ſolum eſſe peccatum tactus illiciti, vnde ſentit eſſe ſolum peccatũ veniale, cui fauet etiam Ouandus *4. d. 31. q. vn. propoſ. 3.*

Verum tamen eſt, quod nõ eſt mortale ſi vir membrum inos mulieris immitteret, vel ſolum refricaret ſuperficiem vaſis præpoſteri abſque periculo pollutionis; quia hi tactus ſunt ſicuti alij tactus impudici inter coniuges, qui ſunt ad ſummum peccatum veniale. Denique ſi coniux in actu cõiugali delectetur in cognitione alterius viri, vel fœminæ carnaliter dilectorum eſt peccatum mortale; niſi delectetur in cognitione viri alicuius &c. non in aliqua re turpi, ſed ſolum ad hoc vt ſic excitetur ad actum coniugalem, ſicuti delectaretur cogitatione arboris pulchræ, non erit culpa læthalis; quamuis ratione periculi debet hoc valde diſſuaderi.

QVAE-

QVAERES II.

An ſit peccatum mortale, quando coniuges data opera non emittunt ſimul ſemen vel illud extra legitimum coitum proijciunt.

1 DIco primo non eſt peccatũ mortale, quando coniuges in actu cõiugali non emittunt ſemen data opera ſimul; vt ſi maritus tactibus ſe irritet ſciens citius fœmina ſe emiſſurum ſemen. Ratio eſt, quia licet ſit ſanum conſilium curare, vt vtriuſque ſemen ſimul effundatur, quia fœmineum ſemen valdè vtile eſt generationi; tamẽ non eſt neceſſe. nam fœmineum ſemẽ non eſt neceſſarium ad generationem nec incurrit ad eam actiuè, vt docet Galenus ſibi contrarius 1. *lib ſani. tuen.* Auicenna *l.9. de animal. c.*1. Ariſt. *l.* 1. *de gener. an. c.*2. Hugo Senenſis *ſuper libros Tegni Galeni l.* 2. §. *frigidum vero* & omnes Theologi, Scotiſtis exceptis 3. *p. q.*31. *ar.*4. D. Thomæ. ita viri ſapiẽtiſſimi è Soc. Ieſu cum Henriq. *l.*11. *ca.* 16. *nu.*7. Poteſt tamen maritus poſtquam ſeminauit, copulam continuare donec fœmina seminat. Et ſimiliter poſtquam ipſe ſeminauit, & membrũ extraxit; poterit vxor, quæ nondum ſeminauit tactibus ſe excitare ad ſeminandum; quia illa seminatio eſt perfectio actus coniugalis, & ſi hoc ipſi non eſſet permiſſum, erit magna occaſio peccati, nec virile ſemen ſtatim corrũpitur, ita vt addito illo fœminæ, non poſſit ſequi generatio, vt conſtat ex experientijs, quas refert Petrus Mato *tr. curationum medicin. curat.* 18.

2 Dico ſecundo, ſi tamen data opera extra vas emittatur, aut illo modo cõiuges coeant, vt extra vas proijciatur erit peccatum mortale, ſiue in toto actu coniugali proijciatur, ſiue in parte, aut in illius fine, ſiue totum ſemen ſiue pars aliqua notabilis. Conſtat ex *Gen.*38. vbi Onas fuit interfectus à Deo quia ſemen proiecit extra vas; niſi id accidat præter intentionem, v. g. ex quadam feſtinatione &c. tunc enim nõ erit peccatum. ita Sotus 4. *d.*31. *q. vni. ar.*4. Bar. à Ledeſ. *de ma. dif.*28. *dub. vl. concl.*1. Petr. Ledeſ. *de matr. q.*49. *ar.* 6. *dub.*2. Lud. Lopez. 1 *p. inſtr. c.*79. Vega *ſum. t.*1. *c.*78. *caſu* 7. & alij.

3 Dico tertio nemo poteſt pollutionem procurare, quamuis id faciat medicamentis, & ad hoc vt teneatur, vel acquirat ſanitatem, neque notabilem ſpirituum vitalium deſeruientium generationi commotionem, aut notabilem diſtillationem; quia licet homo ob ſanitatem corporis poſſit manum, vel aliud membrum ſibi amputare; tamen non poteſt pollutionem extra vas, aut prædicta, quæ ſunt via ad pollutionem procurare quocumque fine bono. Ratio eſt, quia in ſeminis emiſſione adeo vehemens ſentitur delectatio vt merito natura in omni caſu illã denegauerit fieri extra copulam ad vitanda multa adulteria, fornicationes, &c. quæ contra commune bonum sũt ſi enim ob iuſtam cauſam v. g. ad tuendam valetudinem conceſſiſſet polluti onem voluntariam homines ob delectationem, & paſſionem, quam habẽt ſemper putarent illis licere pollutionem. quod cum non accidat in amputatione membri; ibi enim maximus ſentitur dolor, natura conceſſit membrorum amputationem ob aliquam iuſtam cauſam; nunquam autem pollutionem voluntariam; aut ea, quæ ſunt via ad ipſam. huic concluſioni nemo aduersatur licet varient DD. in reddẽda ratione.

4 Nota tamen hic duo. primum eſt licere vbi pollutio eſt in naturali fluxu, nec eſt periculum conſenſus in delectationem (ſiue cæperit ſine culpa, vt in ſomno ſiue cum culpa) illam non impedire, ſed manibus quietis Deum orare, & culpæ præteritæ ſe pœnitere; quia in hoc caſu non eſt procurare pollutionem, aut ſeminis iam è lumbis deciſi emiſſionem, quod eſt peccatũ mortale, ſed ſolum eſt pati emiſſionem illã ne corruptus ille humor noceat ſaluti ita Gerſon. *tract. de pollu. diur. alphab.*38 *li. I.* Sotus 4. *d.*12. *q.*1. *ar* 7. Lud. Lopez *lo. ci. cap.*74. Emm. Sà *v. luxuria* Vega *t.*2. *ſum. c.*67. *caſu* 1.

Nota

5 Nota ſecundo, quod quando ſemen eſt corruptum, ex quo variæ, & venenoſa accidentia proueniunt. præſertim mulieribus, vt docet Galenus *lib. 6. de locis patientibus cap. 5.* & ibi Valles. *in additionibus ſuper §. cogitãti mihi*, & Albertinus Bottonus *c. 41.* licere medicamentis cooperari ad illi⁹ expulſionem. Ratio eſt, quia medicamenta illa, quæ adhibentur ad expulſionem ſeminis corrupti non tendunt ad expulſionem veri ſeminis, ſed corrupti, & iam degenerati in prauã qualitatem, etiam ſi ſequatur per accidens veri ſeminis effuſio, ergo licita eſt; ſicuti etiam licet aliqua medicamenta adhibere, vt alias prauas corporis qualitates expellant, etiam ſi ſequatur per accidens pollutio. Adde quod fœmina patiens illa ſymptomata, eſt mentis inops. Verum ſi ſemen peccaret in quantitate, & cauſaret illas paſſiones ob abundantiam; non eſt licitum pollutionem procurare, quia tunc eſt verum ſemen, & prolificum. Et idem dicas nimirum non poſſe expelli, quando dubium eſſet an peccaret in quantitate, an vero in qualitate, quia ſemen eſt in poſſeſſione. Contra vero ſi probabiliter exiſtimarent medici illud peccare in qualitate, poterit expelli, quia tutum eſt amplecti opinionem probabilem. ita ſentiunt viri doctiſſimi Societatis Ieſu de hac re conſulti à Sancio.

QVAERESIII.

An ſi poſt contractũ matrimoniũ vir fiat impotens ob ſenectutem, vel aliquod aliud ad ſeminandum intra vas fœmineum, vel fœmina adeo arcta fiat, vt non poſſit ſemen recipere, liceat copula coniugali cũ tali periculo ſemen proijciendi.

6 REſpondeo cum hac diſtinctione ſi certi ſint coniuges ſe non poſſe intra vas ſeminare; quia v. g. viro membrum truncatum eſt, vel præ ſenectute omnino impotens ad ſeminandum intra vas eſt effectus, nullo modo poſſunt copulam habere, quia copula coniugalis permiſſa eſt ſolum vt fiat intra vas legitimum ſeminatio ergo vbi id fieri non poteſt, non licet talis copula. poſſunt tamen ſi non eſt periculum pollutionis, habere inter ſe tactus, oſcula & cæt. quia hæc omnia poſſunt haberi ad ſedandam carnis concupiſcentiam, & mutuum amorem oſtendendum inter coniuges ita ex Angles floribus 1. *par. de matr. qu. 8. de imped. ar. 1. poſt 1. differen.* Ludouic. Lopez. *1. par. inſtitut. cap. 79.* Manuel. *1. t. ſum. ſecunda edit. c. 243* Cañedo *ſũ. ſacr. de matri. cap. quinto numero 37.* Henriquez. *l. 11. cap 15. nu. quarto in. N.* Gaetan. *2. 2. queſ. 154. articulo primo.*

7 At ſi probabilis ſit ſpes ſeminandi intra vas, licebit copula, quamuis per accidens ſemen effundatur, licet vix maritus ob debilitatem, aut ſenectutem poſſit ſeminare intra vas. Ratio eſt, quia dat operam rei licitæ procurans copulam ſibi poſſibilem, ac permiſſam, immò licebit non ſolum reddere, ſed etiam petere, quando eſt dubium de impotentia, aut ẽt quando putat ſe hac vice non poſſe intra vas ſeminare; quia eadem militat ratio, dum non conſtat de impotentia. ita Henriquez, & alij allegati cum Caetano, qui refert aliquam non potuiſſe ſex annis continuis intra vas ſeminare, deinde potuiſſe.

8 Vnde patet non poſſe præſcribi tẽpus intra quod liceat conari adcopulam, ſed tamdiu licebit, quamdiu remanet ſpes ſeminandi intra vas; quando vero omninò eſſet dubium de impotentia poterit tempus ad conandũ copulæ eſſe ſpatium trium annorum, quod præſcribitur *cap. laudab. de frig. & malef.* quod tamen in ſenibus debet eſſe arbitrio iudicis, quia hi per longum tempus magis debilitantur, vt *l. 7. d. 18.* dictum eſt, vbi etiam multa habes circa hanc rem, & *Diſ. 102.*

9 Denique hic nota, quod ſi fiat ſe-

minatio intra vas; ſed fœmina non poſſit ſemen retinere licebit copula, quia effuſio illa eſt per accidens: adde, quod matrix ſemper tetinet ſemen neceſſarium. ita Manuel, Vega, & Ludou. Lopez. *lo.ci.*

Diſputationem hanc non legit fortaſſe attente Pontius in Sancio, & ideò *l.* 10. *cap.* 12. *nu. quarto*, dum quærit rationem vnde ſumenda ſit turpitudo in pollutione voluntaria ait hæc (*Neque vero quis pro ratione merito reddiderit voluptatẽ, ſic Sanchez l. 7 d.* 17. *cap.* 5. vult dicere *libro nono diſ.* 17. *nu.* 16. *voluptatis enim ſtudium raro ad peccati mortalis rationem perueniet, niſi ratione materiæ, cum qua coniuncta eſt, maiorem inordinationem habeat. quamuis enim ſolius voluptatis gratia acceſſus ad coniugem peccatum veniale eſſet ex aliorum ſententia; attamen mortale non eſt ſolius voluptatis ſtudium niſi quatenus, vel nocumentum inde ſequitur corpori, vt in voluptate cibi, & potus; vel quatenus auocatur ab alijs ſtudijs, aut operibus, quæ ex præcepto deberent fieri, vel quatenus eſt materia prohibita. neceſſum ergo eſt ſi dicamus hanc voluptatem venereamm eſſe in materia illicita & debito ordine carere aſſignemus rationem cur illicita ea materia ſit.*)

Non inquam attente hic Auctor Sancium legiſſe videtur. nam is non dicit ideò malam eſſe pollutionem; quia habet adnexam voluptatem, vt illi Pontius tribuit; nouit enim optime delectationem, seu voluptatem non poſſe eſſe culpam; niſi actus de quo capitur ſit peccaminoſus, & id probat ex Diuo Auguſtino *l.* 12. *de Trinitate c.* 12. *t.* 3. ex Ariſtotele *l.* 10. *Chi. cap.* 4. quod Pontius debuerat aduertere in hoc *lib. diſ.* 44. *nu.* 3. sed ideò malam, & in nullo caſu, etiam ob vitam conſeruandam licere, quia natura in omni euentu ſeminis adminiſtrationem, extra legitimum concubitum denegauit, quod ſi vlterius quæras cur natura denegauit pollutionem etiam quando ea eſſet neceſſaria ad uitam tuendam; & non denegauit amputationem manus, teſticulorũ &c. quando opus eſt ad conſeruationẽ indiuidui, reddit hanc rationem; quia adeò vehemens voluptas in ſeminis expulſione ſentitur: vt ſi in aliquo id permiſſiſſet, homines ea voluptate excitati, paſſim ſibi perſuaderent habere cauſam legitimam, quando ea vere non adeſſet; & ſic ſemen deſtinatum ad cõſeruationem ſpeciei prodigeretur, quod in obſciſſione aliorum membrorum non accidit, ob dolorem enim rariſſime homines patiuntur talium membrorum amputationem. & non ſine vrgentiſſima cauſa, vide quam diuerſa ſit Sancij ſententia; ab ea, quam Pontius illi tribuit, & ne quis putet eam non benefuiſſe perceptam, Sancij verba referam, dicit itaque cod. *nu.* 16. vt debebat Pontius citare; nam alibi hanc rem non tractat (*legitimam rationẽ eſſe cenſeo cur in nullo euentu, & vbi ad vitam tuendam neceſſarium eſſet liceat ſeminis effuſionem procurare, quia adeò vehemens in ſeminis emiſſione delectatio ſentitur, vt illã teſte Abulenſ. cap. quinto Matth. quæſ.* 184. *ad primũ, homines tanquã ſummũ bonũ proſequantur, illique veluti ſuæ fœlicitati adhæreant; quare ob id natura in omni euentu ipſius adminiſtrationem homini denegauit, ea enim in aliquo caſu conceſſa euidentiſſimũ ſubeſſet periculũ vt homo poſſione libidinis excecatus paſſim ſibi perſuaderet cauſam effundendi iuſtam adeſſe, atque ita ſemen prodigeret, indeque fornicationes adulteria, aliaque innumera luxuriæ vitia aduerſus cõmune bonũ pullularent, quibus, vt obuiaret natura merito ac iure optimo prædictam adminiſtrationem negauit. & c.*) vbi noto vltima verba, quæ euidenter oſtendunt Sancium nec dicere naturam prohibuiſſe effuſionem ſeminis extra coniugium ob voluptatem; ſed vt obuiaret malis, quæ ex prodiga ſeminis effuſione procedunt, hæc autem prodigalitas habet

occa-

occaſionem à voluptate, ſi enim ea non eſſet; non eſſet tantum periculum etiam ſi natura ſeminis effuſionem permiſiſſet in alquo caſu, quam doctrinam repetit *diſ. 20. huius libri numero* 12. dum reſpondet ad ſecundum argumentum clariſſimis verbis, & ſe remittit ad hunc locum, eamque optimè aduertit Delugo *d. 10. de iuſt. ſect. quinta numero* 131. ibi.

Reſpondet Sanchez rationem, ob quam ſeminis effuſio nunquam liceat non eſſe damnum generationis; ſed quia natura omnimodam ſeminis adminiſtrationem negauit extra coitum propter periculum imminēs ob niniam delectationem. Non poterit ergo excuſari Pontius, qui ait à Sancio reddi pro ratione voluptatem, ſed multo magis Pontius videre debuit à Sancio iam traditam, & oppugnatam fuiſſe rationem, quam ipſe veluti nouā videtur tradere dum nu. 6. volens pro poſitæ à ſe quæſtioni ſatisfacere poſtquam aliorum dicta impugnauit, ait (*ego vt legitimam huius peccati, ac turpitudinis inordinationem &c.*) & poſtquam aſſignat rationem vnde deſumatur malitia fornicationis ſimplicis n. 8. subdit (*hinc etiam facile aſſignatur ratio malitiæ pollutionis voluntariæ, ea certe in eo conſiſtit, quod vtitur quis ea voluptate abſque naturali fine, & modo præternaturali ſeminis enim, & actus generationis eiuſque voluptatis nullus alius finis eſſe poteſt, quia alium vſum non habet ſemen, quam quod ſit genitale; & generationis Dux, & Princeps, in quo valde differt ab emiſſione Sanguinis, ſanguis enim cum ſit alimentum; non mirum ſi iuſte minuatur per inciſionem venæ, quando fini, hoc eſt, nutritioni animali obeſt; ſicuti ex eodem fine abſtinemus à ciborum copia; at ſemen eſt ſuperfluum alimenti generationi tantum deſtinatum vnde niſi in ordine ad eum finem ea emiſſio ſeminis, eaque voluptas quæri non poteſt.*)

En rationem, quam Sancius nu. 16. vt communem affert, & impugnat, quam Pontius veluti nouam tradit; nec reſpondet Sancij rationibus: nam idem eſt dicere *ſemen eſt ſuperfluum alimenti, generationi tantum deſtinatum: vnde niſi in ordine ad eum finem ea emiſſio ſeminis ac voluptas quæri non poteſt.*) Quod alij apud Sanchez. dicunt his terminis (*ſeminis autem vt pote à natura inſtituti non ad ipſius individui bonum; ſed ad ſpeciei conſeruationem medio coniugali congreſſu nullatenus dominium, aut adminiſtratio ipſi homini conceſſa ſunt: ac ſubinde eius effuſionem extra coniugalem copiam in nullo euentu procurare poterit.*) & quod Pontius dicit, quod ſemen nullum habet vſum quam ſit genitale, & dux generationis: iſti dixerunt, ſemen non eſſe à natura inſtitutum ad individui conſeruationem; ſed ad ſpeciei medio coniugali congreſſu, vnde rationes quas Sancius contra illorum attulit ſententiam, contra Pontium militare quis non videat. his igitur reſpondere opus fuerat Pontio, & non Sancium impugnate, tribuens illi ſententiam; quam nunquam docuit, vt iam oſtenſum eſt. Omitto autem hic Sancij argumenta contra eam ſententiam referre, aliaque addere: tum quia ex dictis numero tertio facile colligi poterunt; tum ne videar Pontio infenſus; ingenioſus tamen lector facile poterit multa adinuenire.

Oſtenditur quam immerito imputetur Thomæ Sanchez. à Fr. Lopez. de Texeda falſa ſententia.

DAbit, & in hoc libro veniam Lector, ſi aliorum præter Pontij dicta, qui merito ab omnibus ingenio, & ſapientia plurimi fit, in hoc opere perpendo. Cogor enim ſtudioſorum hominum vtilitati conſulere: qui ſi forte in Texedam recentiorem quemdam incidant errandi occaſionem habebunt: nam cum ex vna parte is tribuat Sancio falſam, & valdè periculoſam ſententiam; ex alia vero minus efficaciter illā impugnare videatur, facile quilibet,

eius rationibus poſtpoſitis: ſequetur doctrinam illam, quam à Sancio tradi tam eſſe, teſte Texeda, putat. Cogor in uitus ſane materias haſce fuſius exagitare, a quibus abhorreret mens, & cala mus, ni confeſſariorum vtilitati conſu lere deberē: nec medico vulnera, quā uis fętida tractare indecorum eſt. ait igitur Texeda *l.2.tr.3.contr.21.n.194. de relig.* Sancium putare licitum eſſe marito intromittere mebrum in vas præpoſterum vxoris, vt ſe excitet ad copulam conſummandam in vaſe legitimo, quod ſane falſiſſimum eſt, cum id expreſſiſſime negatum ſit à noſtro Sancio, vtrumque patet, & quod Texeda id aſſerat, & ob id Sancium carpat, patebit ex illius verbis, ait enim *lo. cit.* poſtquā retulit Sancij verba, quæ mox ſubdam. (*Circa quæ verba primum pondero modam dicendi huius auctoris, & inquiro ab illo, ad quam bonam fidelium inſtructionem ſpectet hæc doctrina, & ad quam ſalubrem morum reformationem, cum tribuat coniugatis occaſionem peccandi, & deſiderium experiendi curioſitatem excuſabilem, nam multi libidinoſi coniugati, dum ſciant vſum illius modi non eſſe mortalem culpam abſque vlla neceſſitate abutuntur vxoribus, & credentes non eſſe pollutionis periculum intra os vaſis poſterioris vxoris intromittendo virile mēbrum, cum confricatione tandem ſeminabunt, & ſic conſummabunt perfectam ſodomiam, & nō peccabunt mortaliter, quod aſſerere eſt contra legem naturalem & diuinam &c.*) vide quomodo Texeda dicat Sancium putare non eſſe mortale ſi intra vas præpoſterum vxoris mem brum virile immittatur. id etiam nu. 199. explicat addens (*quia ex doctrina Sancij ſequeretur non peccare mortaliter, quemcumque alium, qui coniugatus non eſſet, ſi verenda ſua confricaret ad os fœminæ meretricis, intromittendo membrum intra illud ſi abſit pollutionis periculum, probatur, quia maritus non habet magis ius ad confricanda verenda, vel intra os vxoris membrum intromittendo, quam quicumq; alius concubinarius ad confricanda verenda intra os præpoſterum concubinæ*) ex quibus vltimis verbis apertè patet hunc auctorem accipere ly *os* pro ore vaſis præpoſteri, quod etiam apertiſſime tradit nu. 201. ibi (*nec ratio qua præfatus Sancius probat id, quod affirmauit, ē alicuius momenti; immo eſt falſa, & contra ipſum, ſcilicet cum os non ſit vas ordinatum ad copulam ſodomiticam, hoc enim eſt falſum, nam loquitur de ore vaſis innaturalis præpoſteri*) planum eſt ergo Texedam putaſſe: quod Sancius concedat licitum eſſe, & non mortale, mem brum intra uas præpoſterum vxoris immittere, quando abeſt periculum pollutionis in illo. quod propoſui primo loco oſtēdere; iam videamus, quod ſecundo loco propoſueram: nimirum hoc falſum eſſe, & Sancium contradictorium tenere. Verba Sancij *in diſ. 17.l.9.in reditione Venetijs habita*; quæ per extenſum ponit ipſemet Texeda ſunt hęc (*Rogabis forſan qualis culpa ſit ſi vir volens legitime vxori copulari, quo ſe excitet, vel maioris voluptatis captandæ gratia; inchoet copulam cum ea ſodomiticam non animo conſummandi intra vas legitimum, nec cum periculo effuſionis extra illud*) & cum retuliſſet quid videatur ſentire Nauarr. Ouandus, atque aliquas rationes dubitandi addidiſſet: ſuam ſententiam proponit n. 5. verbis quæ refert etiam ipſe Texeda nu. 397. (*Cæterum uiris doctiſſimis à me conſultis viſum eſt culpam eſſe lethalem ſodomiæ inchoatæ, idque merito, quia ille tactus nec ex ſe, nec ex tangentis intentione poteſt ad actum coniugalem referri, eo quod mediū improportionatum, & alterius ordinis luxuriæ ſit, ſicut eſſet mortale diſtincte ſpeciei inter ſolutos habentes animum intra vas debitum conſummandi, atque hinc ſoluuntur facile obiecta. Quoniam non dicitur vas legitimum ſeruari, quando vſurpatur illegitimum ad alterius luxuriæ ordinem tendens. licet intra illud non conſūmetur. Quod ſi vir ſuperficie dumtaxat vaſis præpoſteri vxoris refricaret ſua verenda; vel in os eius intromitteret, ceſſante omnis pollutiouis periculo, non crederē eſſe lethale. cum os non ſit vas ordinatum ad copulam ſodomiticam, nec intra vas præpoſterum ad eam tendens virile membrum, includatur; ſed ſolam ſuperficiem*

eius

eius externam tangat.) Quibus poſitis: inquiro à Texeda ũde collegit ex his verbis Sãciũ docere poſſe ĩmitti mẽbrum intra vas præpoſterum vxoris. cum Sancius expreſſiſſime id neget, & tantum putet non eſſe mortale refricare illud in orificio, vt aduertit Ieſualdus a Bononia *p. 1. theol. mor. t. 3 5. ca. 3. n. 8. & 9* Pontius *l. 10. c. 11. n. 5.* Diana *tr. 4. de ſacr. reſ. 204. & reſ. 37. trac. 3. miſcel.* Caſtropalaus *de matr. diſp. 3. pun. 4. §. 2. n. 6.* qui illum ſequitur quo ad immiſſionem membri in os vxoris & alij.

Certe ſi attentius legiſſet, vidiſſet profecto, vt vidit Diana *l. cit. reſ. 204. cum* Caſtrop. quod quando Sanchez dicit poſſe immitti membrum in os vxoris: intelligit de ore, quo comedimus: quæ nequitia dicitur apud latinos irrumatio, quando habetur ſeminit effuſio. quod genus libidinis turpiſſimum, ac valde deteſtandum eſt. & ſane magna fuit huius auctoris inaduertentia. excripſit verba Sancij, & in ſuum librum tranſtulit, & tandem non vidit diſtinctionem Sancij, qui in prima parte dicit eſſe mortale immittere membrum intra vas præpoſterum: in ſecunda putat non eſſe mortale genus illud tactus. prima eſt ibi *cæterum &c.* Secunda *quod ſi &c.* & quod peius eſt ait *n. 204.* ſe id facere vt veram, & ſanam doctrinam in eccleſia Dei introducat, ne fideles errent: cum maximam det occaſionem errandi: dum illam ſententiam falſo tribuit Sancio, & non tam efficaciter illam impugnet, vt diximus. & patet conſideranti: dato enim, quod non eſſet mortale peccatum modus ille, non eſt inconueniens dicere, quod ſi præter intentionem, & abſque vlla præuiſione illius, ſequatur pollutio. non ſit tunc imputanda in peccatum ſicuti ſi coniux oſcularetur vxorem non præuidens pollutionem extra vas, nec illam intendens, non peccabit ſi illa ſequatur. pari ratione dato quod tactus ille, ſe haberet ſicuti cæteri tactus: parum vrget argumentum Texedæ. & multo minus ſecundum ſupra poſitum: negatur enim ſequi: quod nec peccare: ſolutus ſi haberet illos tactus: quia inter ſolutos non ſunt liciti tactus impudici, ſicuti inter coniuges, & ſic probanda eſt illa propoſitio à Texeda, & non ſupponenda nempe *maritus non habet magis ius ad confricandam verenda, vel intra os vxoris membrum intromittendo quam quicumque alius concubinarius* id enim negabitur ab eo, qui tenet hos tactus eſſe ſicuti ſunt cæteri tactus inter coniuges, debuitque aduertere hoc argumentum innuiſſe Sancium l. c. & vim habere in modo illo immiſſionis membri intra vas præpoſterum. dato quod ille modus non eſſet ſicuti cæteri tactus. Vnde oculatiſſimus Sanchez volens illam ſententiam reprobare, & omnino euellere a mente alicuius doctoris. totus eſt in probando, quod ille modus non ſe habeat ſicuti cæteri tactus. & Doctores recentiores, qui Sancium non ſequuntur, quoad partem ab ipſo toleratam, vt non mortale crimen, ex eo mouentur; quia illi tactus non ſunt, ſicuti cæteri inter coniuges permiſſi, vt videre eſt apud Dianam l. c. & alios paſſim: quos ſi Texeda conſideraſſet, imitatuſque fuiſſet. non incideret profecto in illam notam, quam in *d. contr. 12. n. 193* præſertim contra Sancium videtur imponere. ibi *perniciosum eſt in eccleſia Dei tradere doctrinam, quæ potius eſt cauſa peccandi* & in corpore ſtatim initio ait exceſſiſſe in hoc Sancium, ſubiugens verba ſupra a me relata. nam longe pernicioſius erit doctrinam talem tribuere viro, & doctrina, & pietate inſigni, & pro portento in re morali habito, qualem eſſe Thomam Sanchez nec inuidus negabit.

Sancius vero hæc, & alia accurate ſcripſit, vt publicum doctorem decet, dum ex profeſſo aliquam materiam ſuſcipit tractandam. præſertim cum non erat ad populum verba facturus: ſed confeſſarios, ac cæteros doctores inſtructurus; cum ſimilia paſſim experientia ipſa teſte, in confeſſionibus occurrant. imitatus D. Thomam *opu-*

ſc. 64.

ſc. 64. c. de flaxu libidinis, & alibi, Gerſon *tract. de poll. decima.* Clemen. Alexand. *l. 2. pedagogi c. 10.* Baſilium Magnum *l. de vera virginitate & lib. de inſtit. monachor. c. 4. epiſ. 87.* Auguſt. *lib. de bono coniug. c. 3.* Abulenſ. *c. 5. Matt. q. 227. & alijs capit.* & alios ſanctitate, ac ſapientia eximios. nec ſi quis adeo intemperans eſt, vt in his legendis ſcandalum incurrat, Doctoris vitio id eſt tribuendum; nam vtilius ſcandalum naſci permittitur, quam veritas relinquatur *cap. qui ſcandalizauerit de reg. iur.* vnde D. Ambroſius ſapienter ait *ſerm. 83. ego interdum parcens vobis tacere vellem; ſed malo vos contumaciæ cauſas reddere quam negligentiæ ſuſtinere iudicium:* quis enim non diceret ſuo muneri ſibi deeſſe Doctorem, qui multa, quę ab alijs ſunt prętermiſſa, aut leuiter tacta; ſeu improbabiliter dicta, ad veritatem indagandam pro materię qualitate, quam prę manibus habet non accurate exagitet. quare non fuerat reprehendendus à Texeda Sancius ob id, quod nullum fere lectoribus in re valdè neceſſaria ad inſtruendas animas dubitandi, aut inquirendi locum reliquerit. vt omnes qui poſt ipſum de matrimonio ſcripſerint, putantes forte nil accuratius dici poſſe, vt plurimum eadem exagitent, vel ad illum ſe remittant. Videatur Hurtadus, Goninch, Ieſuald. Pontius, Ochagauia, Filiuccius, Layman, Reginal. Bonacina Auerſa, Caſtropalaus in præſenti: ſed potius fuerat ob tantam diligentiam valde laudandus, vt ſane fere omnes Doctores fecerunt. inter quos Baſilius Pontius in prœmio ad lectorem in opere de matr. ait (*exiſtimabit fort ſe aliquis fruſtra a nobis laborem ſuſceptum in tractatione de ſancto matrimonij ſacramento: cum in ea fœliciter laborauerit Thomas Sanchez. Tanti Patris diligentiam agnoſcimus, laborem admiramur veneramurque. &c.* & Ioannes Sancius *in ſelect. diſ. 43. n. 16.* poſtquam permultos, & inſignes doctores retuliſſet, citans Thomam Sanchez ait (*cui cedãt omnes ſcriptores rerum moralium, ſemper namque quod huius tanti Doctoris curam in perquirendis auctoribus, tam Theologis, quam iuriſperitis intueor, & rerum examinatarum copiam in admirationẽ rapior, & contineri non poſsũ quin cupiã omnia oſſa mea in linguas verti peritas, quibus exacte, ſi poſſẽ laudes dignas tanto viro manifeſtas orbi vniuerſo tradere rẽ; mirabilẽ Deum in ſanctis ſuis Regius Propheta pſal. 67. eſt teſtatus, mirabilem quoque fieri in doctis ſuis nullus dubitabit, mira e go Dei largitas lucẽ, & ſapientiã cõmunicantis huic Doctori oſtenditur modo dilectio excedens erga ſacratã religionẽ Societatis Ieſu elucet, cũ tot tantoſq; viros ſapientia, & literis præditos ei præſtiterit & inter illos hunc Thomã Sanchez. gigantẽ exhibere fuerit dignatus. O maxime dilecta à Deo religio intende proſpere, procede & regna*) Hęc dictus Ioannes Sancius. verum hęc dicta ſufficiant (ne apologeticum videamur conficere) ad hoc vt Texeda aduertat nullam Sancium dediſſe occaſionem peccandi, dum ea tractat; quę ipſa Theologię, ac Chriſtianę diſciplinę lumina docuerunt: & ex illis multa alia ad materię integritatem ſatis digna deducit. quorum quæſtiones ab doctis recentioribus non ſine plauſu ſunt receptę, & in ſuis ſcriptis translatę. at potius ipſum Texedam defeciſſe, dum falſam tribuit Sancio ſententiam, ex qua alij errare poſſent; immo quod ſupra innui, non potuiſſet hanc quæſtionem Sanchez inegrauí nota omittere; nam cum Nauar. *li. 5. conſ. tit. de pœnit. & remiſſ. conſ. 7.* id quærat ibi (*ſecundo quæritur Vxor tacuit dum vult ab vxore debitum exigere, vtrum magis delectetur incipit cum vxore actum ſodomiticum citra animũ illud perficiendi &c.* & n. 2. reſpondeat *ad ſecundam quæſtionem reſponditur, quod in caſu illius videtur & tantum eſſe peccatum tactus illiciti*; nec aliud addat, apertè videtur oſtendere eſſe veniale. ſi Sanchez illam prætermiſſiſſet, aut non accurate impugnaſſet, viſus eſſet illam approbare. ex *cap error. d. 83.* vbi dicitur approbari errorem, cui non reſiſtitur.

tan-

tantum ergo abeſt, vt exceſſerit in ea doctrina tradenda, vt putauit Texeda vt etiam neceſſarium fuerit illam examinare, & reprobare valido argumẽto, & authoritate Doctorum.

Sententia quam Sancius dif. 17. n. 19. docuerat non eſſe dignam cenſura a Texeda impoſita comprobatur

EXceſſiſſe etiam grauiter puto hũc auctorem dum *l. 2. con. 13. tract. 3. n. 60.* ait Sententiam, quæ dicit poſſe confricationibus ſemẽ corruptum ex pelli eſſe alienam à ſana, & catholica doctrina. licet enim Sanch. illam *in ſumma l. 5. c. 6. n. 12.* retractauerit. non tamen id fecit; quia quod in hac diſp. *de matr.* docuerat eſſet contra fidem. cum illam poſt ipſum docuerint Doctores pij, & Catholici Bonacina *de matr. q. 4. pun. 10. n. 11.* Sancius *dif. 21. n. 30.* vbi dum citat Villelobos *2. t. sũ. tract. 40. diff. 16. n. 4.* videtur illi conſentire, & ſic illum citat Diana *tract. 5. reſ. 85. miſcella.* debebat etiam notare illam ſeutentiam non poſſe iam Sancio tribui, cum eam in *ſum. lo. ci.* mutauerit. quapropter eius argumentorũ inefficaciam accuratius perpendere libenter omitto: præſertim cum quiuis mediocriter ĩ rebus moralibus verſatus ſoluere poterit. negatur enim hunc non ſe abſtinere ab immunditia cum pollutionem nullo modo intendebat, nec procuret, ſed ſolum morbidam qualitatem expellere. neque illa confricatio eſt actio per ſe tendens ad pollutionem, ſed per accidens: per ſe enim tendit ad qualitatem venenoſam expellendam: ſicuti nec tactus, quibus chirurgus medetur, vel matrone per tractant partes pudendas ad cognoſcendam virginitatem, aut potentiam poſſunt dici per ſe tendentes ad pollutionem. vltimum denique argumentum, quod aliquam vim præſeferre mirabar, & tandem aduerti eſſe Salas *l. ci.* à quo nomine desũpſit Texeda tacito corruit, negatur. n. ſequela, ſcil. poſſe Eunuchos procurare pollutionẽ etiam ſi illud ſemen non ſit verum. diſparitas eſt; quia hi facerẽt ad veneream delectationem, quæ ex illa ſeminis expulſione ſequitur; cum alium finem habere non poſſint, quę tamen in nullo caſu licet. vt omnes tradunt. at mulier patiens venenoſa accidentia ob corruptum ſemen, id non facit ad delectationem captandam, ſed ad ſalutem procurandam: neque veneream delectationem intendit, aut admittit vllo pacto, aliàs mortale eſſet. deficit ergo Texeda tum in verbis: quia atrocem irrogat iniuriam Sancio; nec aduertit cæteros Doctores, qui merito illam non ſequuntur ab omni cenſura ſe abſtinere, inter quos Salas *p. 2. t. 2. q. 74. t. act. 13. diſp. 6. ſect. 15. n. 90.* ait *mihi magis placet illicitum eſſe ſemen quantũcumque corruptũ cũ venerea voluptate emittere.* tum etiam deficit in rationibus quæ minus ſolidæ ſunt ad probandum, quod intendit, & eas nos ſoluimꝰ quatenus contra id quod n. 9. diximus pugnare videntur, & ad hoc vt cognoſceret Texeda argumenta efficacia ad impugnandam hanc ſententiam, quã ab omnibus in praxi reijciendam puto eſſe; quia in re tam lubrica ab his tactibus omninò eſt abſtinendum, cum maximum ſit morale periculum prolabendi in conſenſum, vel paſſim putãdi humorem eſſe corruptum, & ſicuti vt ſupra diximus natura denegauit in omni caſu ſeminis expulſionem extra legitimum vſum ne fortè ſi in aliquo neceſſitatis caſu illam conceſſiſſet homines ducti ea dilectatione, illum adeſſe falſo putarent. ita dicendum eſt non licere confricationibus corruptũ ſemen expellere. ne hac via detur occaſio expellendi verum ſemen; quod non accidit dum medicamentis natura iuuatur ad illud expellendũ, & ideò hoc licere probauimus. at quamuis nõ perpenderim accuratius Texedæ argumenta, cum maiori diſcuſſione non indigeant neceſſarium tamen duxi hic ea ſubſcribere ne lector ſolum meis dictis fidem habere cogatur.

Pro-

Proponuntur Texedæ argumenta.

HAbet igitur hęc l. c.(*cæterum huius auctoris ſententiam alienam eſſe à ſana & Catholica doctrina mihi perſuadeo propter multa. primo quia in concilio Hieroſol. ſtatutum eſt, vt non ſolum abſtinendum eſſet à fornicatione; ſed etiã ab omni immunditia; exiſtimabant enim gentes illius temporis ad exonerandam naturam licitum eſſe aliquando ſe polluere, & hoc à magiſtris illius temporis non exiſtimabatur peccatum: ſed ſi eſſet licitum conſricationibus vti ad expellendum ſemẽ corruptum quando quis ſentit in ſe venenoſa accidentia, etiam cum excuſſione veri ſeminis eſſet licitum non abſtinere ab immunditia: quod eſt contra concilium, ergo.*

Circa quod argumentum illud noto.qua veritate hic auctor dicat in Concilio Hieroſolymitano.(intellige in 1.nam in 2. quod fuit celebratum ſub Iulio 1. tantum actum eſt, vt S. Athanaſius reſtitueretur ad priſtinam dignitatem en *l.4.c.34.hiſt.trip.*) ſtatutum eſſe, vt non ſolum abſtinendum ſit à fornicatione; ſed etiam ab immunditia? Cum ibi numquã hoc verbum *immumditia* nominetur vt patet ex cap. 15. *Actum Apost.* vbi illud concilium, & eius geſta ponuntur, nam Iacobus poſt variam diſcuſſionem reſpondit.(*propter quod ego iudico non inquietari eos, qui ex gentibus conuertuntur ad Deum: Sed ſcribere ad eos vt abſtineãt ſe à contaminationibus ſimulacrorum, & fornicatione & ſuffocatis, & ſanguine*) & infra(*viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis nihil vltra imponere vobis oneris, quam hæc neceſſaria, vt abſtineatis vos ab immolatis ſimulacrorum, & ſanguine, & ſuffocato & fornicatione*) vnde ergo habet Texeda quod in Conc. Hieroſolym. prohibeatur immũditia ſeu pollutio,non percipio, & multa minus intelligo vnde collegerit gentes putaſſe licere pollutionem ad naturam exonerandam, cum illud concilium coactum ſit ob diſceptationem, quæ erat inter Iudæos volentes, vt qui ex Gentibus conuerterentur ad fidem circumciderentur, & diſcipulõs id nolentes. & hac occaſione arrepta poſt quam Petrus ſuam edixit ſententiam *Nunc ergo quid tentatis Deum imponere iugum ſuper ceruices diſcipulorum &c.*) Iacobus ait *propter quod ego iudico non inquietari eos &c.* quibus verbis dum iugum illud circumciſionis, quod valde timebant gentes,aufert: inſinuat, ea quæ ſeruare debent, vt auidius, & propitius amplectantur, vt pote faciliora nempè abſtinentiam à carnibus, & cibis idolis immolatis,ab eſu ſanguinis,vt ſic à fœrino barbarorum more recederent, iuncta Iuſt. Mart. *quæſt. c.* 145. nam ferinum eſt ſanguinẽ vel animalium,vel hominũ lambere. qui tamen mos non ſolum adud barbaras extitit gentes iuxta Claud. in Rufin.

Et qui corripedes in pocula vulnerat audax.

Meſſagetes.

Sed etiam apud Roma nos, vt tradit Salluſtius Catalinam patriæ proditorem impium cæteris coniuratis propinaſſe. quamuis Cornel. à lapide *in Gen.q.*4. dicat omnem eſum ſanguinis quomodocumq; fiat hic prohiberi. ſed quiquid ſit de hoc.præcepit denique,vt à fornicatione ſe abſtinerẽt, quia gentes putabant non eſſe mortale ſimplicem fornicationem, vt tradit Corn. in acta Apoſt. *c.*15. qua autem ratione Texeda dixerit non ſolum in illo Concilio prohiberi fornicationẽ; ſed etiam immunditiam, & gentes putaſſe mollitiem non eſſe peccatum ad naturam exonerandam, non video, vt paulo ante dixi. Melius dixiſſet pollutionem eſſe peccatum grauiſſimum, haberi Gen.38. vbi Onan Iudæ filius à Deo interfectus dicitur, eo quod fudit ſemen extra vas vxoris;quam pœnam ob idem delictum ſenſit etiam frater eius Her. & clarius ex D. Paulo *ad Galat.5. & Eph. 5. & 1. ad Corin.c.* 6. ibi. *neque fornicarij, neque idolis ſeruientes, neque adulteri, neq; molles, neque maſculorum concubitores, &c.* Vbi per ly molles intelligit ex communi Doctorum ſenſu, pollutionem admittentes

tentes:vnde peccatū hoc dicitur molli ties;ex quo validū argumētum deſumi poſſet cōtra Texedā,non.n.idē eſt,for nicatio, ac pollutio.nec tāquā idē putabāt Gētes, alias fruſtra *D.*Paul.diſtīxiſſet;quare neq;ex eo,quod prohibetur in Conc. Hier. fornacatio, potuit bene Texeda dicere prohibitā eſſe mōl litiē,&m ulto min⁹ potuit dicere prohiberi nō ſolū fornicationē.ſed ēt īmū ditiam: cū de hac nulla ſit facta mētio, & poti⁹ ſe habet,vt genus ad ſpecies:neque potuit,aut debuit dicere Gētes illius tēporis putaſſe nō eſſe peccatum pollutionē ad exonerādā naturā, quia Apoſtoli in illo Conc. nō adhibuiſſent remediū ſufficiēs prohibēdo fornicationē:cum hac.n. ,phibitione adhuc poſſet ille error ſtare,vt patet:ſecundo,qa ſi conciliū prohibuiſſet īmunditiā, vt dicit hic Auctor neq;poſſet īde cognoſcere,& inferre,quod Gentes putabāt licere pollutionē ad naturā exonerandam,quia vt docet S.Th.2.2.*q.*154.*ar.* 1.*ad* 5.*ex* 2.*ad Corinth.c.*12.veniunt nomine īmunditiæ oſcula,& tactus ex venerea delectatione habita,&ſic poſſet dicere,quod Gentes putabāt ea omnia pertinentia ad īmunditiā non eſſe peccatū:ſiue ad exonerādā naturā, ſiue ad quoduis aliud.Hæc dicta ſufficiant circa primum argumentum, vt aduertat Texeda oīa attente à Docto. eſſe cōſideranda,&multo magis dū profitetur occaſione controuerſiarum cæteros inſignes verbis carpere. Proſequitur Texeda ſua argumenta.ibi (*Secundo in nullo caſu licitum eſt ſeminis effuſionē procurare:cuius duplex pōt aſſignari ratio,prima, quia talis ſeminis effuſio eſt intrinſecè malū,& peccatū contra naturam, quod ob nullam causā honeſtari pōt. ſecunda,quia, vt bene Abul.Matt.*5.*q.* 184. *in ſeminis effuſione voluntaria &c. Sed vti confricationibus in partibus obſcænis &c. & ſemē corruptum,quod in qualitate peccat,cum præuiſione effuſionis ſeminis veri eſt procurare pollutionem:ergo.Quarto, quia ſicuti ob nullam cauſam licitum est procurare pollutionem:ità propter nullam licitum eſt exercere actionem per ſe tendentem ad illam: ſed vti confricationibus eſt actio per ſe tendens ad pollutionem*) vbi v des omnia hæc argumenta in minore deficere:quę accuratius fuiſſet probāda; vt ſupra diximus,& paucis verbis ni fallor,ſoluimus.addit etiam (*Quinto quia ſi vera eſſet huius auctoris ſententia ſequeretur Eunuchos poſſe procurare ſeminis effuſionem nec peccare mortaliter,quia ideo Sanch. dicit poſſe tunc ; quia iam transijt in veneficam qualitatem,& verum ſemen non eſt; nec proficuum:ſed ſemen Eunuchorū uō eſt verum ſemē nec ad generationem aptum; ergo*) huic argumento iam ſupra ſatisfecimus aſſignata diſparitate, quam etiam Sancius ſignificare videtur cum ait (*eo vti maxime, quod in hoc caſu procul abeſt,quoduis conſenſus periculum ac delectationis.*)& in Eunuchis ea delectatio primario intēditur,quæ cum ſit venerea capi nullo modo,nec admitti poteſt:nedum quæri data opera. concludo igitur ex dictis , duo, quæ propoſueram,Texedam nimirum exceſſiſſe in cenſuranda ſententia illa;quam & ſi putem cum Sancio falsā tamen volui argumenta eius afferre , vt iudicet lector:an verum ſit,quod ſupra diximus potuiſſe Texedam cenſuras omittere , & potius efficacioribus vti argumentis, quæ nunquam modeſtiæ derogant.

DISPVTATIO XVIII.

An Titius , qui habuit ſodomitice rem cū propria vxore , vel cum ea pollutionē extra vas grauius peccatum committit quam ſi ſimile peccatum contra naturā haberetur inter ſolutos,ita vt debeat fateri circumſtantiam hanc.

1 REſp.affirmatiuè.ita D.Aug *de bono coniugali c.*11.*to.*6. & refertur *cap.adul.*32.*q.*7. & eſt adulterium tam ex parte viri, quam ex parte fœminæ conſentientis.ratio eſt , quia ad bonū fidei ſpectat , vt ambo coniuges adinuicem ſibi ſuum corpus ſeruent caſtè : ſed in hoc caſu neuter ſeruat ſuum corpus alteri caſtè,ergo &c.minor patet,quia non ſunt coniuges niſi ad copulam naturalem vide Sotum 4. *d.*31.*q.vn.ar.a.ver.append. autem* Petr. Ledeſm.*de matr.qu.*49.*ar.*6.*dub.*2. di-

cunt enim esse contra fidem matrimonij, ac per consequens adulterium.

2 Vnde in confessione non solum debet dicere se peccasse cõtra naturã, & adulteriũ cõmisisse cũ coniugata, sed debet exprimere fuisse cũ propria vxore; nã alias plura peccata confitebitur ijs, quæ cõmisit; non refert talẽ copulã fuisse mutuo consensu ne sit adulterium; quia coniuges non possunt cedere bono fidei, ad quod se adstringũt per matrimonium.

DISPVTATIO XIX.

An sit mortale si coniuges desistant à copula inchoata antequam seminauerint, præsertim quando alter v.g. vxor seminauerit.

1 DIco 1. si vxor nõ seminauit, nec periculũ seminandi in ea sit, nec in marito extra vas. & illa consentiat, nõ erit, spectata re natura, mort. peccatũ retrahere membrũ ante seminationẽ quãuis id fiat ad impediendã generationẽ prolis, immò quãdo esset iusta causa, vt ne filios plures habeãt, quia sũt pauperes, nec erit peccatũ veniale. rõ est, quia nemini iniuria infertur ex illa non seminatione. Coniuges enim sicut possunt cõmuni consensu abstinere à copula, & sic impedire generationẽ, ita vt possunt abstinere cõi cõsẽsu à seminatione. ita D. Ant. 3. *p. t.* 1. *c.* 20. *§.* 6. Gaet. 22. *q.* 154. *ar.* 11. Armil. Tab. Ros. *ver. deb.* Emm. Sà *ibi vers. inchoatam copulam.* contra Sylu. *v. deb. q.* 7. Graff. 1. *p. dec. l.* 2. *c.* 82. *n.* 16. Henriq. *lib.* 11. *c.* 15. *n.* 4. & alios. Dixi attenta rei natura nõ esse peccatum mortale. quia cõmuniter ob periculum effundendi semen in altero cõiuge; est mortale, vt docet Veracrux. 3. *p. spec. ar.* 15. *concl.* 5. Vnde a tali modo sũt arcendi coniuges, nisi expti fuerĩt se hoc periculũ nõ habere

2 Si vero vxor dissentiat, tũc erit mortale, & contra iustitiã nõ seminare. ratio est, quia cõiuges lege matrimonij habent primo, & per se dominiũ seminis alterius, per quod fuerint vna caro ergo iniustitia est negare semen in illo actu coniugali. ita Caetanus l. c. & colligitur ex Doctoribus citatis.

3 Intellige esse peccatũ, quãdo vir nõ haberet causã iustã non seminandi, nã si habet iustã causã v. g. quia videt ob seminationẽ illã grauedamnũ saluti imminere, & quãuis si ante coitũ aduerterit, teneatur nõ coire; tũ si coiuit, poterit à seminatione abstinere, vel si fœta ipsũ aggrediatur, aut aliquis superueniat, tunc n. potest mẽbrum retrahere sine peccato, ẽtsi fœmina iã seminauerit, aut ipse adeò irritatus sit, vt extra vas seminaturus sit, quia præter voluntatẽ, & per accidens illa seminis effusio accidit, nec tenetur generationi plis puidere cũ tãto suo dispẽdio.

4 Dico 2. quãdo non esset aliqua grauis causa ex dictis *nu. præc.* si vxor seminauit, aut periculũ sit seminandi, erit peccatũ mort. si vir extrahat mẽbrum ante seminationẽ data opera, quia iam est peccatũ cõtra naturam, nam se mẽ fœminę prodigeretur, cum ex eo non possit sequi generatio. ita DD. cit. cum Sylu. & alijs. Contra vero si vir semina uit non erit mortale si fœmina nõ seminet ẽt data opera, quia semen mulieris generationi necessarium non est vt patet ex dictis *disp.* 17. *supra*, & colligitur ex Doctoribus allegatis.

5 Dico 3. si coitus est fornicarius tũc põt tã vir, quã fœmina ante seminationẽ recedere; immò ẽt tenentur, & si seminant, debent hãc circũstantiã aperire, nisi intelligatur, quãdo fatẽtur copulã. Ratio est, quia ille actus est illicitus, ergo ẽt seminatio est illicita intrinsecè, nec vllo bono fine cohonestari potest; & sic impotens emittere verũ semen, vt est Eunuchus, duplex peccatũ fornicando admittit. primum ẽ fornicationis. secundum contra naturam ex eo, quia fœmineum semẽ prouocet inutiliter effundendum.

6 Contraria tamẽ sententia dicẽs fornicantẽ teneri seminare quãdo fœmina seminauit, est probabilis, quia inter duo mala min⁹ malũ ẽ eligẽdũ; ergo cũ sit fornicatio si seminet, si vero nõ seminet, muliere iã irritata, itaut mox seminet sit peccatũ cõtra naturã, debet eligi min⁹ malũ, nẽpe fornicatio. ita cẽsẽt quidã viri docti, qui addũt virũ teneri postquã fœmina seminauit, seminare non animo libidinoso, sed vt compleat actum.

DIS-

DISPVTATIO XX.

Quod peccatum ſit impedire conceptionẽ fœtus in actu contugali, vel procurare abortum etiamſi opus ſit ad tuendam vitam matris.

1 REſpondeo ad primum caſum impedire generationem prolis, copulam habendo eo modo, quo generatio ſubſequi nequeat; qualis tantum eſt, quando non ſeruatur legitimum vas vt *diſp.* 16. diximus, eſt peccatum mortale cõtra naturam. Similiter peccatum contra naturam eſt, ſi fœmina ſumat aliquam portionem, quę impediat generationem, vel ſi ſtatim poſt coitum, vrinam emittat, aut aliquid faciat, quo ſemen receptũ expellet, quia impeditur ſemen à ſuo naturali fine, qui eſt generatio, ita S. Thom. 4. *d.* 31. *fine.* Gaet. 2. 2. *q.* 154. *ar.* 1. *circa ſol ad* 4. Nauarr. *ſum. c.* 16. *n.* 33. Philiar. *de offic. Sac. t.* 1. *pa.* 2. *l.* 4. *ca.* 19. §. 5. *peccat* & alij. quamuis non teneatur mulier anxia, & diu ſupina manens ſuſceptum ſemẽ conſeruare, quia recepto ſemine matrix ſtatim os claudit. ita vt nec acus cuſpidẽ capiat. ita Hẽr. *lib.* 11. *c.* 16. *n.* 8.

2 Ad ſecundum caſum; reſpondeo ſi ex ipſo modo coeundi eſt periculũ abortus, erit peccatum contra naturam; at ſi ex alio capite ſit periculum; v. g. quia fœmina eſt debilis complexionis, non eſt peccatũ, quia nulla datur cauſa abortus. ita etiam Henr. *c.* 15. *n.* 4.

QVAERES I.

An liceat procurare abortum medicinis &c. ſaltem quando eſt neceſſarium ad matris vitam ſeruandam.

3 REſp. cũ hac diſtinctione, ſi fœtus eſt animatus, aut dubitent periti nũ ſit animatus nec nè, itaut nullũ poſſint proferre iudiciũ, tunc certũ ẽ eſſe pecc. mortale procurare illius abortũ, quod eſt intrinſecè malũ procurare necẽ innocẽtis. ita oẽs: ſi vero fœtus nõ ẽ animatus, aut prababiliter iudicatur non eſſe animatus, tunc licet procurare abortũ ad matris vitã tuendã; quia fœtus ille ẽ pars viſcerũ: ergo ſicuti ad vitã tuendã põt mater amputare ſibi manũ, &c. ita poteſt illã partem viſcerum nondũ animatũ proijcere. ita Armillae *vr. aborſus n.* 2. Nauar. *c.* 25. *n.* 62. *ſum. biſp.* Cord. *q.* 173. *dic.* 4. Enriq. *l.* 11. *c.* 16. *n.* 8. Palac. 4. *d.* 31. *diſp.* 2. *fin.* Emm. Sà *v. homicidium.*

4 Non tamẽ ſi fœmina timeat vitę periculũ ex partu, aut famæ vitæq. iacturã ex conſanguineis, ſi fortè crimẽ detegatur. nõ poterit procurare abortũ quia periculũ non eſt præſentaneũ, & poterit alia via occurri. quãuis licite poſſet fœmina, quę fornicata eſt ſtatĩ antequã concepit, vel poſt conceptionẽ nubere ſi probabiliter timeat mortem ob cõceptionẽ ſequutã; aut ſi ſpõſalia contraxit vnde cogatur ſuppone re marito filiũ alterius; poterit potius, vt famæ ſuæ conſulat alienũ filiũ marito ſupponere; quã abortũ procurare

QVAERES II.

An ſaltem poſſit fœmina accipere ea medicamenta, quæ ſunt neceſſaria ad ſuam ſalutẽ liceat inde ſit periculum abortus animati.

5 REſp. cũ diſtinctione quoties medicamenta ſunt per ſe ordinata ad fœtus occaſionẽ, vt eſt venenũ, dilaceratio; percuſſio, & alię ſimiles, nõ poteſt mater ea accipere, nec medicus, & alij præcipere, qa cooperantur directè neci innocẽtis, quod ẽ intrĩſecè malũ.

6 At ſi medicamenta per ſe, & directè ordinãtur ad morbũ pellendũ, vt ẽ medicina, ſanguinis emiſſio, &c. põt prægnans ea accipere, licet non teneatur quia põt iure ſuo cedere, & medici poſſunt illa applicare; immo ſi exiſtiment neceſſaria ad ſalutẽ matris tenentur; quia ex officio debent eius ſaluti cõſulere. Ratio cur mater in tali caſu poſſit ijs medicamentis vti ẽt cũ probabili periculo fœtus animati eſt, quia principalis intentio horũ medicamentorũ & eorũ inſtitutio ac natiua proprietas tendit, vt reſtituatur mater ſaluti, & fœtus mors per accidens ſequitur, neque intenditur: ergo hæc sũptio nullã dicit malitiã; confirmatur, quia ſicuti iniuſto poſſumus per accidens occidere

innocentem, vt cũ in bello iuſto pueri comburuntur vna cum ciuitate, & mater ſi à fera inuadatur poterit fugere cum periculo abortus, vel ſi iam proles ſit nata poterit denegare lac, quãdo ad propriã vitam neceſsè eſſet vbera exiccare: ergo etiam ſimiliter poterit medicamenta accipere ad propriam ſanitatem acquirendam, & medici ea poſſunt applicare; quamuis ſit periculum abortus. ita Nauarr. *l.2.de reſt.c.3.diff.1.in nou.edi.n.*131. D. Anto.3.*par.t.*7.*c.*2.§. Palacios *l. c. nu.*3. Enriq.*n.*8.*c.*16. *l.*11. Rutil. Benzorius *tract.de fuga l.*3.*q.*3.*dub.*2.§.2. *licitum ẽ* Arag.22.*q.*64. *ar.* 7.*fol.*385. Ludo. Lopez.1.*p. inſtr.c.*63. Corduba *lo. ci. dicto.* 1.*&* 2. Vega *t.*1.*ſum.c.*5 *caſu*3. Manu. 1.*s.ſum.c.*5.*n.*1. Palacios, Armilla, Sylueſter, Vega, Lud. Lop. & Manuel in hoc caſu negent, nec vllam afferunt rationem.

8 Excipe tamen quando probabiliſſima eſſet ſpes, vt matre mortua fœtus viuus naſceretur ad hoc vt poſſit baptizari, tunc enim peccaret mater, & medicus contra charitatem ſi ea medicamenta accipiat, quia vnuſquiſque tenetur magis ſubuenire ſaluti ſpirituali alterius extremi indigenti, quam propriæ corporis. ita Nauarr. *l.2.de reſtitu.c.*3. *diff.*2. vnde ſi clericus afferat aquam ad puerum baptizandum, tenetur ire etiam ſi timeat mortem, quia aliter ille moreretur non baptizatus, vt docet Armilla *v. defenſio n.*3.

Petes.

An liceat dare medicamentum anceps, quo prorſus dubitamus an mortem potius, quam vitam ſit daturum.

9 REſpondeo regulariter eſſe peccatum mortale dare hoc medicamentum; at quando nulla ſpes eſſet vitæ tunc erit licitum, quia de duobus malis minus eſt eligendum. ita docet Adrianus 4.*q.de correc.frater ar.*3.§. *ex quoad* 2. *p.* Almainus relatus à Corduba; Lud. Lopez. Manuel contra ſentientibus. Immò medicus in tali caſu tenetur talia medicamenta dubia dare; quia ex officio debet medicamenta apponere; quæ prudentia dictat, & leges medicinæ præſcribunt: at vbi deſperata ſalus eſt ægroti, medicina præcipit talia medicamenta applicare, vt docet Cornelius Ceſu. *de re medica lib.* 2.*c.* 10. *ad medium.*

* Contra dicta n.4 Pontius *l.*10.*c.*13. ait nullo ſufficienti aſſignato diſcrimine Sancium negaſſe licitam eſse euacuationem fœtus animati ad vitam matris tuendam, quandoex partus difficultate periculum vitæ experta eſt, vel ex conſanguineis mortem timet, aut famæ iacturam, cum tamen conceſserit licere ad morbum matris curandum. inquit enim Pontius (*ſi liceret ea euacuatio fœtus non dum animati ad vitandam mortem matris,& reſtituendam ſanitatem liceret etiam procurare abortũ non dum animatũ cum ad famã, & ſtatũ conſeruandũ opus erit; caſus enim ſeſe offerre poteſt adeo prẽmẽs, vt nullo alio medio poſſit mulier eripi niſi abortus fœtus nondũ animati, quod tamen ipſe Thomas Sanchez non vult admittere n.*10. *ſed nullo cõuenienti aſſignato diſcrimine.* At ego puto ſufficiens diſcrimen aſſignatũ nimirum: quia in primo caſu (*fœtus non eſt aggreſſor, & periculũ non eſt adeo præſentaneũ, ſed diſtans, illique alijs quæſitis coloribus, mediiſque adhibitis occurri poteſt, in noſtro autem casu fœtus inuadit, periculumque eſt præſentaneum, ac iudicio medicorum alia via euitari nequit*) quam diſparitatem noluit Pontius attingere, nedum impugnare vti debebat, ſed ſolum ait non eſse aſſignatum ſufficiens diſcrimen. Cæterum noſter Sanch. vt potè oculatiſsimus ſuppoſuit periculum non eſse præſentaneum vt alia via occurri non poſſit, & noluit ponere in terminis, quibus Pontius poſuit, quando ſcilicet nulla alia via poſsit conſuli famæ, vel vitæ puellæ, niſi per fœtus inanimati euacuationem: nam id reliquit iudicio prudentum, & conſultationi Doctorum, cuius prudentiam imitatus eſt Eminentis. Del Vgo *diſ.*10. *ſec.*5.*n.*30. vbi referens ſententiam affirmantem ait (*ſcio non deeſſe qui dicant ante fœtus animationẽ licere procurare abortum, quando euidens periculum appareret, vel quod in puerperio ſo-*

leat

leat mater ad extremũ reduci, aut nimis arcta ſit, aut fama eius lædatur. aut aliter vitæ diſcrimen; vel exiſtimationis poſſet ſubire. ita Torrebianca de magia l. 2. c. 34. *n.* 10.) nec addit circa hanc ſententiam cenſuram vllam: ſed ſolum Sancij ſententiam refert eiuſque diſparitatem affert, ac impugnat ſupplens Põtij defectum, quas tamen impugnationes refellere à noſtro inſtituto, vt ſæpè monuimus alienum eſſet, in re probabili, nam Sancius dicit: *Probabilius eſt licere, &c.* Delugo num. 131. *Melius ergo negatur vniuerſaliter &c.* & ſic vterque contrariam ſententiam commẽdat. & rationibus pro vtraque parte pugnant, at Pontius ſolum ait non eſſe conueniens diſcrimen aſſignatum cum nullam ſui dicti afferat probationem, nec loquitur in caſu: in quo Sanchez diſparitatem aſſignauit: in quo ſufficiens eſt diſcrimen ad rem probabiliter defendendam. Sed in alio quãdo nulla alia ſpes eſſet puellæ, quem Sancius prudenter tacuit, vt diximus. Non tamen admirari deſinam, neque in hac diſp. Pontium germanam rationem voluiſſe attendere: quam tradit Sanchez 1. n. 12. reſpondendo ad ſecundum arg. circa malitiam pollutionis, de qua videte diſ. 17. huius libri.

DISPVTATIO XXI.

An tempore menſtrui fœminei ſit peccatum debitum petere, & reddere.

REſpondeo in primo caſu quoad petitionem ſi menſtruum eſt perpetuum ex aliquo morbo tunc licitum eſt petere, nec poteſt ea cauſa iuſte debitum negari; quia tunc fœmina eſt inepta conceptioni, & nimis durum eſſet à coitu perpetuo abſtinere, & idem dicas ſi vir fluxum ſeminis patiatur ob eaſdem rationes. ita omnes cum D. Thom. 4. *d.* 32. *q. vnica.*

Si vero menſtruum non eſt ex morbo, ſed naturale, quod accidit quibuſdam tertio quoque menſe, communiter ſingulis menſibus, & aliquibus frequentius, ſicuti alijs nunquã, vt docet Plinius *lib.* 7. *naturalis hiſtoriæ cap.* 15. tunc erit culpa venialis, niſi iuſta adſit cauſa, petere debitum, quia eſt aliqua turpitudo, & indecentia in tali coitu. nam tunc fœmina eſt immunda ob purgationem; quæ ratio militat etiamſi nullum prolis damnum ex illo coitu timeretur, vt ſi coniuges eſſent ſteriles, nunquam tamen erit mortale, etiamſi coniuges putent ex illo coitu tempore menſtrui habito monſtrum fore gignituros; quia melius eſt proli ita eſſe monſtruoſam, quam nullo modo eſſe, ita Palud. 4. *d.* 32. *q.* 1. *artic.* 3. D. Anton. 3. *p. t.* 1. *c.* 20. §. 5. Nauarr. *ca.* 16. *n.* 32. Matien. *l.* 5. *recop. ti.* 1. *rub. glo.* 1. *n.* 111. Philiar. *de off. ſac. tit.* 1. *p.* 2. *l.* 4. *cap.* 19. Vega 1. *t. ſum. c.* 78. *caſu* 3. Henriq. *l.* 11. *c.* 15. *n.* 7. Gaeta *repet. cap. ad liminb* 30. *q.* 1. §. 4. *n.* 178. Contra Alenſem D. Bonauentura, S. Thom. de Argentina, & alios plures Theologos, & Canoniſtas quos citat Sanch. *n.* 2. putantes eſſe peccatum mortale tunc petere, quia Leuitici 20. mortis pœna puniuntur coniuges tempore mẽſtrui coeuntes ob damnum. quod proli timetur, ſi illo tempore concipiatur, & contra Sylu. *verb. Debitum q.* 6. Bartol. à Ledeſm. *dub.* 12. *de pœni. circa* 6. *præc.* qui dicit virum non peccare mortaliter, quando timet incontinentiæ periculum ſi petat; fœminam vero ſemper peccare mortaliter ſi petat; quia eo tempore non vrgetur grauiter tentationibus carnis.

In ſecundo vero caſu de redditione dico non ſolum poſſe vxorem debitum reddere, ſed etiam teneri quãdo vir petit, quia tenetur debitum reddere ex debito iuſtitiæ, nec eſt cauſa excuſans à tali obligatione. nã nullum ſequitur damnum prolis, vel rariſſime ſequitur. ita D. Thom. 4. *d.* 32. *q. vni. ar.* 2. vbi Palud. *q.* 1. *a.* 3. *n.* 13. Sotus *q. vni. a.* 2. Ledeſ. 2. *p.* 4 *q.* 66. *a.* 1. §. *hæſitabis* Nider. *ſum. præc.* 6. *c.* 4. poterit tamen vxor prius virum admonere, ſi commodè fieri poteſt, ſed non teneatur, ne odium mariti contra ſe prouocet, vel ad alia peccata illum inducat. ſic Petr. Tarantaria *d. diſt. q.*

3. *ar.*

3. *art.* 4. vbi Palac. *diſp.* 1. *fol.* 707.

Atſi (quod moraliter eſt impoſſibile) coniuges exiſtiment probabiliter ex tali coitu monſtrum naſciturum, non tenetur vxor reddere, quia damnum magnum habet vxor ex tali redditione; ergo ad illam non tenetur; quamuis poſſit reddere; vir enim nõ peccat petendo, vt dictum eſt *n.* 2.

DISPVTATIO XXII.

An tempore, quo vxor eſt grauida, aut poſt partum ante purificationem, aut tempore, quo puerum lactat ſit peccatum petere, & reddere debitum.

REſpondeo in primo caſu quando mulier eſt grauida, & eſt periculum abortus, tunc eſt peccatũ mortale petere, & reddere; quia aduerſatur prolis bono: eſt communis; ſi vero non eſt periculum abortus, certũ eſt nõ eſſe vllum peccatum reddere; imo tenetur, quia nullam habet iuſtã cauſam denegandi, vt docẽt D. Ant. Aſtẽſ. mox cit. ita Palud. 4. *d.* 32. *q.* 1. *a.* 1. *n.* 12. Monal. *ſum. de mat r. ti. de effect.* Sylu. *v. debitum q.* 5. Carthuſ. *d. diſ.* 32. *q. vni.*

Immo probabilius eſt, nec eſſe peccatum veniale in petente (nam quod non ſit mortale omnes fatentur) ratio eſt quia nulla eſt in hac re prohibitio. ita Abulenſ. *c.* 5. Matt. *qu.* 243. Suppl. Gabr. 4. *d.* 32. *q. vn. ar.* 2. Nicol. de Orbellis § 4. Veracrux 3. *p. ſpec. ar.* 17. *con.* 3. Henriqu. *l.* 11. *c.* 15. *n.* 7. Hier. Zetinis *tract. de foro conſc. & conten. n.* 141 habes *t.* 3. *tract. nouior. p.* 2. & alij. Quãuis D. Ant. 3. *p. t.* 1. *c.* 20. §. 4. Gerſon. 2. *p. com. Theol. alphab.* 27. *li. P.* Artenſ. *ſum.* 2. *p. l.* 8. *t.* 10. Sotus 4. *d.* 31. *q. vnic. ar.* 3. vbi Palacios *diſp.* 2. *fol.* 692. & alij putent eſſe peccatum veniale.

3 In ſecundo caſu ante matris purificationem probabilius etiam eſt non eſſe pecc. veniale, & textus qui id videntur prohibere, vt *cap. ſi causa* 33. *q.* 4. quod eſt D. Ambroſij, & *c. origo*, ibi quod eſt D. Hieron. loquuntur de conſilio, ita Riccar. 4. *d.* 32. *ar.* 4. *q.* 1. vbi Palacios *diſ.* 1. *fol.* 711. Aſtenſis *l. c. ar.* 4. *q. vl.* D. Anton. Henriq. *loc. cit.*

Et quamuis pretere eſſet veniale, vt docent permulti apud Sanch. *n.* 10. tenetur tamen fœmina reddere, vt dixi in ſimili *n.* 2. Excipe tamen niſi eſſet periculum grauis morbi, vel notabilis aggrauationis morbi ipſius fœminæ, tunc enim eſſet peccatum mortale reddere; nec fœmina cum tanto diſpendio tenetur, vt docet D. Anto. *l. c.* Sylu. *v. deb. q.* 5. immò peccaret ſiue petat ſiue reddat. ſic cit. Doc.

4 Idem dicas in vltimo caſu, quando fœmina puerum lactat: nullum enim eſt peccatum petere aut reddere; quia durum eſt à copula abſtinere tẽpore lactationis, quod longum eſt. ſic Doctor. cit.

5 Tenetur autem mater eo tempore reddere, niſi forte ſit adeo pauper, vt non poſſit dare puerum nutrici: & experta ſit vbera exiccari per conceptionem, quia nõ tenetur reddere cum tanto dolore: qualis foret vidẽdo prolem lacte carentem, vt tradit Pet. Ledeſm. *de ma. q.* 64. *dub.* 4. At vir non peccat petendo cum habeat iuſtam cauſam exponendi prolem illi periculo: cogetur enim longo tempore à copula abſtinere.

6 Non deſunt tamen qui putent eſſe mortale petere tum tempore quo mater lactat, tum quando non eſt purificata ſic Anto. *de ſpons. n.* 14. vbi Alex. de Neuo *n.* 21.

* Videtur hic Pontius *l.* 10. *c.* 14. *n.* 8. aut in argumentatione contra Sancium deficere: aut nõ attendiſſe, qualis fuerit eius ſententia in reddenda ratione cur acceſſus tempore mẽſtrui ſit peccatum veniale, de qua *diſp. præc. n.* 2. vtrumque autem à tanti ingenij viro alienum puto: at quę mea imperitia eſt, quo pacto illum excuſem non video: patent enim clariſſime eius verba *eod. n.* 8. *(ſecundo colligitur quid dicendum de copula ſtatim poſt partum ante purificationem ex ſanguine. in hoc enim caſu eodem modo iudicandum eſt, atque de ea, quæ eſt cum vxore menſtruata, & Ioannes Azor capitulo citato qua.*

15. re-

15. regulariter existimat esse veniale. Nec video quo fundamento Thomas Sanchez cum agens de accessu ad menstruatam agnoscat culpam venialem in hoc casu negat disp. 22. n. 11. nam & proli, & fœtui si concipiatur eo tempore, damnum inferri cõstat ex Galeno lib. 1. de sanitate tuenda.

Hæc Pontius, nec circa hanc quæstionẽ aliud addit: nã data opera integrũ transcripsi paragraphũ, ex quibus sic quod proposui ostendo. ad hoc vt argumentũ Pontij contra Sanciũ concludat: sic est ponendũ in forma syllogistica (vt patet considerãti. est. n. argumentũ ad hominẽ, & habet pro medio termino *prolis damnũ &c.*) ideo est peccatũ veniale accedere ad coniugẽ mẽstruatã per Tho. Sanch. quia infertur damnũ proli: sed etiã per accessum ad fœminã ante purificationem, infertur damnũ proli, ergo si accessus ad menstruatam est peccatum veniale: debet etiam per ipsum esse peccatum veniale accessus ad mulierem ante purificationem ex partu. Vbi vides consequentiam: quam Pontius ex dictis præmissis intendit inferre seu debet inferre: non posse recte deduci, ni si tum maior: tum minor sit vera, vt de se patet, & minorem quidem bene is probat auctoritate Galeni: de maiore autem propositione redit difficultas: nam si putat concedendam fore à Sancio, seu vt melius dicam, & eiusdem Pontij verbis conformius, iam fuisse concessam: planè falsum supponit, ostenditque se non legisse, quæ docet Sanchez, *n. 7. & 5. disp. 21.* quam ipse Pontius *n. 5.* citat, vbi tam aperte negat hanc maiorem Pontij propositionem, vt quiuis aduertere poterit; ne dũ oculatissimus Basilius. ait enim Sanchez nu. *7. ex his sententijs existimo has duas vltimas esse probabiliores. atque ita dico ex se, & vt plurimum culpam esse venialem debitum eo tempore exigere. nec ducor adidr. tione damni prolis. eius enim incertitudo, & raritas quam num. 5. probaui, & experientia testatur, innumeri enim tempore menstrui cocunt, & rarissime perspicimus hæc damna in prole, & pariter melius ipsi ita gigni esse, quam non gigni vt d. nu. 5. explicui. arguunt ex hac parte nullam esse culpam. Sed ratio peccati venialis est turpitudo, & indecentia in eo coitu vt n. 5. probaui. atque ita his rationibus amplector eam sententiam.* quid clarius dici poterat ad ostendendum, qua ratione Sancius motus sit ad asserendum esse peccatum veniale accedere ad menstruatam ait enim posituè; & expresse se non moueri ob damnum prolis: sed alia ratione: & tamen Pontius supponit Sancium illam sententiam sustinere ob damnum prolis, nam vt dictũ est. ad hoc, vt eius argumentum vim habeat, debet illa maior esse vera; ac per cõsequens supposuit illam à Sancio doceri, quod falsum esse vidimus. quod si dicat Põtius se non supponere Sancium docere accessum ad menstruatam esse peccatũ veniale ob damnum prolis; incidit in aliam partem nostri argumenti, nimirum non bene contra Sancium insurgere, quod neget esse veniale accedere ad mulierem ante purificationem, cum concesserit esse peccatũ accedere ad menstruatam, & illum tacite reprehendere hoc medio termino: quod accessus ad mulierem ante purificationem inferat damnum proli. Sancius enim vltro dabit damnum proli inferri: negabit tamen cõsequentiã, quam Pontius infert, nimirum esse peccatũ veniale: quod stat optimè cum sententia quam *disp. præc.* de accessu ad menstruatam tenuit, ibi enim dixit esse veniale non ob damnum: quod proli sequeretur, sed vt num. 5. addit (*quia est quædam turpitudo, & inhonestas: cum tunc fœminea natura vacet consuetæ purgationi immundaque sit mulier, & aliqua liter inepta cõmodæ seminis retentioni, ac receptioni: atque ita minus conueniens generationis fini.*

Ex quibus ni fallor apertè ostensũ à nobis est, quod initio proposuimus probandum: nimirum hoc loco Pontium, aut non rectè argumentari, si, dũ supponit Sancij rationem, ob quam dicit esse culpam accedere ad menstruatam, non esse ob prolis damnum; contra ipsum arguit; quod etiam debeat

beat dicere esse peccatum ad non purificatam accedere,& ad hoc probandum vtitur hoc medio:*quod etiã in accessu ad nõ purificatã, est damnum prolis*, quod certè mediũ non sufficit ad inferendam illã conclusionẽ, posito quod Sancius ibi in accessu ad menstruatam dicat esse peccatũ non ex dãno ,quod proli infertur,vt vidimus illũ docere, aut non attendisse Sãcij rationẽ. illiq; attribuisse contradictoriũ eius ,quod ea *disp.21. n.7.* tradidit de accessu ad menstruatam,vtrumq; tamen à tanto Doctore, qualis est Pontius alienum puto , sed nescio quo pacto ab alterutro illum extricem. proposui eius dicta: & rationes , quę illa difficilia reddunt ; paratus ab alio veritatem docere;si in ea aſsequenda deceptus fuerim hoc libro excusari etiã à peccato mortali coniugem;quando haberet copulã in Ecclesia si moraturus sit ibi per longũ tẽpus,quod diximus esse vnum mensẽ quã sententiã erudite satis ,& ingeniosè exagitans,approbauit in facti cõtingẽtia P.Georg.TagliauiaSoc. Iesù dum in Collegio Panormitano Theologiã doceret,multo ergo magis cessabit turpitudo quatenus inducit peccatũ veniale: ab eaque excusabitur maritus ob longũ tẽpus;cõtra vero in muliere mẽstruata,menstruũ non durat nisi per duos dies, vel tres in quibusdã ad summũ octo;& sic facilè poterit maritus tã breui tẽpore à copula abstinere;eritq;quędã inhonestas & turpitudo si eo tẽpore accedat ; vt ex ipsa hominum existimatione constat, & sic merito in hoc casu Sãcius agnoscit venialẽ culpã:non autẽ in accessu ante purificationẽ nã licet materialiter,vt sic dicã eadẽ sit turpitudo,& inhonestas in vtroq; casu:non tamen est eadẽ formaliter,& quatenus inductiua est moralis culpæ, vt diximus . quã responsionẽ videor aperte accipere ab ipso Sancio,nã is *dis.21.n.5.* post verba superius relata ait(*adde aliquam esse incontinentiam , debitiq; ordinis peruersionem non expectare tempus generationi aptius maxime cum breui affuturum sit* .

Tacitæ lectorum obiectioni occurritur.

Video Pontiũ potuisse alio medio termino vti ad argumentandũ contra Sanciũ ad hominẽ, vt aiunt, quod tamen non fecit: proponã ergo illud ingeniosi lectoris gratia,& est huiusmodi: etiã in accessu ad mulierẽ ante purificationem est quędã turpitudo , & inhonestas cũ tunc pariter fœminea natura vacet cõsuetę purgationi,post partum immundaq;sit &c.vt de menstruata dictũ est: ergo si ob eam rationem Sancius putauit esse peccatũ veniale ad mulierem menstruatã accedere; debet etiã fateri similẽ culpã in coitu cũ vxore ante purificationis tẽpus.est sane ad rẽ argumentũ;at facilis mihi erit solutio, nego.n.antecedens quatenus dicit esse,turpitudinem & inhonestatẽ in accessu ad non purificatam.& ratio est quialicet tunc mulier sit immunda,ac eius natura vacet expulsioni sanguinis; vt accidit etiã quãdo est menstruum : tamẽ vacat turpitudine accessus ad illã,; quia cũ ea purificatio duret per quadraginta dies vt aduertit Henriq.*l.11.c.15.n.7.* nimirũ durum esset marito per id tẽpus à copula abstinere,& sic ratione talis necessitatis illa copula excusatura turpitudine aliqua ; sicuti diximus *disp.* 15.

At dum assignat rationem cur non sit peccatum accedere ante purificationem ad coniugem ait *ducor ratione proposita nu.*6.vbi hęc habet *vbi necessitas non cogit multiplicare culpas non oportet, eo vel maxime quod matrimonium laqueum iniiceret, si hæc esset culpavenialis cum enim magna temporis matrimonij parte vxor grauida sit,vel abstinendum esset coniugibus fere semper à debiti exactione,vel innumera essent venialia)*quę ratio accepta in sensu accomodo præsenti quæstioni,sic debet applicari.: *eo vel maxime quia matrimonium laqueum iniiceret si coniuges eo tempore deberent a \petitione debiti abstinere cum per longum tempus vxor vacet purificationi post partum* . Vnde vides ingeniosissimum virum suis rationibus responsionem annuisse : nam

in ac-

in acceſſu ad mẽſtruatam de temporis breuitate meminit: hic autem longitudinem inſinuat. cæterum non eſt vſus Pontius hoc argumento, vt dixi: quare nõ eſt quod in eo immoremur.

DISPVTATIO XXIII.

An tempore furoris vtriuſque coniugis, vel ſolum alterius licitus ſit actus coniugalis.

1 REſpondeo quando vtrique coniuges ſunt amentes, ſeparandi ſunt donec ſani fiant, & qui illos ad copulam incitaret peccaret, quia cõcurrit ad euidens damnum prolis, quæ educatores non haberet. Immo ſi quis amentes non coniugatos ad copulam incitaret teneretur fateri circũſtantiam copulatorum: v. g. ſi ſunt conſanguinei, & alias, quæ fatendæ ſunt quando ſoluti copulam habent inter ſe; quia talis circumſtantia eſt volita ab eo, qui illos amentes incitat ad illã copulam. ita docent Sotus. 4. *d.* 34. *qu. vnic. a.* 4. Petr. Ledeſm. *de matr. q.* 58. *art.* 3 *dub.* 2. Lud. Lopez. 2. *p. inſtru. de matr. cap.* 52. vbi *de imp. furiæ* Henriq. *l.* 11. *cap.* 15. *num.* 10.

Si vero ſolum alter cõiux eſt amẽs
2 per ſe eſt licitus coitus inter eos, quia proles poteſt ab altero educari; dixi, per ſe, quia aliquando poteſt eſſe periculum abortus, vel alicuius damni notabilis, & tunc non eſt licitus, præſertim ſi vxor eſt amens furioſa. nam regulariter eſt periculum, vt prolẽ enecet, niſi ſit mitis.

3 Contra vero ſi maritus eſt amens nullum eſt tale periculum, & licitus eſt coitus; quamuis ſit periculum, vt amens ſeminet extra vas; quia, id eſt per accidens, nec intenditur à coniuge ſano. ita Sotus, Lud Lopez, & Petrus à Ledeſm. *loc. cit.*

4 Aduerte tamen non teneri coniugem ſanum reddere amenti petenti; quia illa debiti petitio non eſt actus humanus, & ſicuti ſi vir in ſomnis peteret, non tenetur coniux reddere; ita neque tenetur ſi ſit amens. ipſi enim eſt adminiſtratio bonorũ interdicta.

5 Excipe tamen niſi ſit periculum effuſionis ſeminis. vel quia ad aliam vir furioſus accederet; tunc enim vxor ad hoc periculum vitandum tenetur reddere quamuis ſit periculum incontinentiæ in illa, quia præponderat periculum abortus, vt docet Ludou. Lop. *loc. cit.* hanc concluſionẽ trahũt Henriq. Sotus Lud. Lop. *l. c.* Em Sà *v. debitum coniug.* Vega 1. *p. ſum. d.* 78. *caſu* 12. Aſtenſis 2. *p. l.* 8. *ti.* 10. *ar.* 3. contra Angel. *v. Debitum, n.* 5. vbi Sylu. *q.* 1. Nauarr. *c.* 16. *n.* 27. *ſum.* Cordu. *l.* 3. *quæ.* 8. *f.* 186. & alios putantes teneri coniugem ſanum reddere quando nõ eſt graue periculũ, quia retinet amens dominium corporis alterius.

6 Idem dicendum eſt de Ebrio, ſi enim petat tempore ebrietatis alter non tenetur reddere, quia non petit actu humano, niſi ſit periculum incontinentiæ; tunc enim tam vir, quam vxor tenetur reddere, quia ceſſat periculum abortus; nam ebrietas ſtatim deſinit, etiamſi ambo eſſent ebrij, licitus eſt concubitus eorum.

7 Denique nota ſi coniuges non ſint amentes, ſed ſolum fatui, vel ſi ſint amentes in aliqua re tantum, & non in matrimonio, tunc licitus eſt concubitus, & tenentur ad inuicem reddere debitum. & idem dicas ſi tempore lucidi interualli petant, quia tunc actu humano petunt vnde compos mentis tenetur reddere niſi adſit periculum abortus, &c. quia tunc dicendum eſt iuxta ſuperius dicta. vide citat Doctores.

DISPVTATIO XXIV.

Explicantur caſus aliqui, in quibus non tenetur reddere coniux debitum ob periculum propriæ ſalutis, &c.

QVAERES I.

An cum detrimento propriæ ſalutis teneatur coniux debitum reddere, aut ſi aduertat detrimentum ſalutis in petente.

1 REſpondeo negatiue quãdo dãnũ eſſet magnũ; imò reddẽs in hoc

caſu peccaret mortaliter, niſi inaduertentia excuſet; & quidem quod non teneatur reddere cum propriæ ſalutis detrimento probatur; quia lex iuſtitiæ non obligat cum graui damno proprio ſoluere, quod debetur, ergo non tenetur coniux cum graui damno propriæ ſalutis reddere; vt ſi maritus febri laboret, aut ſit vulneratus aut aliquo dolore, cui copula vehementer noceat(dolor enim capitis,aut molis non excuſabit à debiti redditione, quando non eſt febris) aut ſi nuper poſt prandium petatur, aut in balneis, vel poſt illa ſtatim; quia teſte Vega *de arte med. l.2.c.4.* imminet periculum ſaluti, aut denique ſi immoderatè nimis petat itaut reddenti vires debilitentur; tunc enim licet vir petens crebrius non peccat mortaliter, niſi aduertat graue damnum ſibi imminere; non tenetur coniux reddere ob proprium damnum. ita D. Thom. quem omnes ſequuntur 4. *d.* 32. *q u. vn. ar.* 1. Quod autem peccat reddendo cum propriæ ſalutis detrimento probatur. nam coniuges non habent dominium vitæ, & obligantur ad illam conſeruandam niſi aliqua iuſta cauſa adſit. ita Sotus 4. *d.* 32. *qu. vn. ar.* 1. vbi Celaia *qu.* 1. Ledeſm. 2 *p.* 4. *q.* 66 *ar.* 1. Petr. Soto *lect.* 16. *de ma.* Immò hoc verum eſt quamuis petens pateretur periculum incontinentiæ,ad huc tamẽ nõ tenetur cõiux reddere cũ graui damno, quia ordo charitatis poſtulat, vt tunc præferamus ſalutem ſpiritualem alterius noſtræ corporali; quando ille extreme indiget, at coniux poteſt alia via periculo incontinẽtiæ obuiare, nec coniux lege iuſtitiæ tenetur reddere debitum cum proprio damno,quia ad id non ſe obligauit.ita Maior. 4. *d.* 32. *qu.* 1. *argu.* 1. & colligitur ex Soto *d. lect.* 16.

2 Denique quod non teneatur coniux exactus reddere, quando aduertit graue damnum ſalutis petentis,ſed potius peccet mortaliter. probatur, quia non tenetur quis reddere gladiũ Domino petenti, quod ille vellet ſe occidere, & ſicuti peccat reddendo in damnum propriæ ſalutis, ita etiam in damnum ſalutis alterius, quod eadem militat ratio. ita Sylu. *verb. deb. qu.* 5. Armill. *matrim. nu.* 67. D. Anto. 3. *p. t.* 1. *c.* 20.

3 Intellige peccare mortaliter reddendo cum graui damno proprię ſalutis, aut petentis, niſi excuſet inaduertentia, vt diximus, aut niſi bonum vniuerſi, aut Regni id exigat: nam bonum vniuerſale debet præponi bono particulari. Vnde non peccant reddẽdo, ſed tenentur ad copulam. ita Petrus de Ledeſm *q.* 64. *de matr. ar.* 1. *dub* 2. nec aliquis contradicit; vel niſi morbus ſit valdè diuturnus, nec ad mortem tendens, tunc enim non peccaret reddendo, vt infra dicemus.

QVAERES II.

An coniux ſanus teneatur reddere coniugi leproſo, vel morbo gallico laboranti, vel ſimili cum periculo propriæ infectionis.

4 REſpondeo negatiuè, quando iudicio medicorum notabilis infectionis periculum adeſſet. Ratio eſt, quia nemo ſe obligat per matrimonij contractum ad reddendum cum detrimento indiuidui, nec *tex. cap.* 2. *de coniug. leproſ.* obſtat, vbi dicitur (*quod ſi virum, ſiue vxorem leproſum fieri contigerit, & infirmus à ſano carnale debitum exigat, generali præcepto Apoſtoli, quod exigitur eſt ſoluendum*) quia debet intelligi; quando ea redditio non cedit in damnum notabile reddentis: ita intelligi etiam debent D. Tho. D. Bonau. Riccardus, & alij *in* 4. *d.* 32. qui dicunt abſolutè in tali caſu teneri cõiugem reddere alteri leproſo. Noſtrã ſententiam docent ex Theologis Durandus 4. *d.* 31. *quæſ.* 1. Maior. *ibi ar.* 1. Quand. *poſt ſecundam propoſit.* Victoria *ſum. de matrim. nu.* 275. Metina *Cod. de reſt. qu.* 19. Henriqu. *l.* 11. *cap.* 15. *n.* 7. Lud. Lop. 1. *p. inſtr. c.* 83. *n.* 6. Vega Nauar. Gregor. Lopez. & alij apud Sanch. *num.* 17.

4 Excipe tamen niſi lepra, aut morbus contagioſus fuerit ante contractũ ma-

matrimonium, & alter talem morbũ ſciuerit, tunc enim tenetur reddere petenti leproſo, & ratio eſt, quia in ceteris contractibus ſi detegatur vitiũ rei, oritur obligatio ac ſi vitium non eſſet; ergo ſi coniux ſciens morbum alterius contraxit matrimonium tenetur reddere, & cum illo habitare, ad id ſe obligauit. ita Palacios 4. *d.* 32. *diſpu.* 1. *fol.* 703. Bart. à Ledeſ. *dub.* 71. *poſt* 1. *concluſ.* Manuel. 1. *t. ſum.* 2. *edi. c.* 243. *n.* 2. Vega 1. *t. ſum. c.* 78. *caſu* 3.

6 Immo etiamſi non ſit periculum infectionis; tamen ſi adeò vehemens eſſet nauſea, & horror; quem habet coniux ſanus accedendi ad coniugem leproſum, &cæt. Non tenetur reddere. Nam licet horror ſolum communiter non ſit ſufficiens ad hoc, vt coniux ſanus non teneatur reddere, vt docent Sotus, Henriquez, & alij cit. tamen quando eſt adeò vehemens eſſet moraliter impoſſibile illum cogere ad reddendum, ſunt enim aliqui adeò ad Nauſeam propenſi, vt mortem potius, quam ad leproſum accedere paterentur. Quod ſi tantus eſſet horror in viro ſano, vt membrum erigere non poſſet, certum eſt tunc excuſari, & quamuis ab Eccleſia excommunicaretur, nullam incurret excommunicationem coram Deo, quia nullam habet culpam. ita Hoſt. Io. Andr. Alex. de Neuo, Ant. & alij *c.* 2. *de coniug lepr.*

7 Solum hic duo nota, primum eſt, quod licet non teneatur ſanus coniux leproſo, aut habenti morbum gallicũ reddere; tamen opus meritorium exercebit ſi poſtpoſito proprio periculo ex amore matrimonij reddet, & cum eo habitet; poteſt enim in hoc caſu cedere iure ſuo. Nam quod ſupra dictum eſt nimirum peccare mortaliter petentem, & reddentem cum periculo proprię ſalutis, intelligi debet in morbis communibus, non ita diuturnis, & ad mortem tendentibus, in quibus poteſt oſtendi mutuus amor expectando ſalutem alterius, & dilatione copulæ illud malum poteſt caueri.

8 Secundum notandum eſt, quod in morbis contagioſis maius periculum habet infectionis vir; quam vxor quia membrum virile eſt calidæ, & poroſæ complexionis; vnde facilius vir excuſandus eſt ſi non reddit debitum vxori leproſæ, quam fœmina ſi non reddit viro. Similiter ſi vxor cognita fuerit à leproſo, poterit vir negare debitum non ſolum ob adulterium ſed etiam ob periculum infectionis, vt notant Durand. 4. *d.* 32. *q.* 1. *n.* 8. Palud. *ar.* 2. Sotus *ar*, 1. Bart. à Ledeſ. *dub.* 71. *de matrim. conclu.* 1.

QVAERES III.

An teneatur coniux ſanus leproſo reddere quando non timet periculum infectionis in ſe, ſed in prole naſcitura.

9 REſpondeo teneri reddere, quia proli nulla fit iniuria, ſed potius beneficium, melius eſt enim eſſe leproſum, quam abſolutè non eſſe. ita D. Tho. D. Bonau. Palud. Sotus, & alij multi in 4. *d.* 32. D. Ant. 3. *p. c.* 20. §. 10. Bart. à Ledeſ. *dub.* 71. *de matr.* §. *ſed ſolet.* Viguerius *l.* 1. *inſt. c.* 16. §. 7. contra Metinam *Cod. de reſt. q.* 19. Palac. *diſ.* 1. *fol.* 712. *caſu* 7. *in* 4. *d.* 32. afferentes in hoc caſu non teneri reddere; immo Metina ait peccatum eſſe exigere cum periculo infectionis in prole; quamuis lepra ſit perpetua, quia lex iuſtitiæ prohibet damnum inferri præſertim ſi lijs.

QVAERES IV.

An ſaltem coniux ſanus teneatur cum leproſo habitare

10 REſpondeo ſi ex ea habitatione oriatur periculum grauis infectionis iuxta medicorum ſententiam, non tenetur coniux ſanus habitare cum leproſo non ſolum in eodem lecto, in quo caſu ſemper ſequitur periculum infectionis; ſed neque in eadem domo, ſiue leproſus habitet in domo propria, ſiue in loco cum alijs leproſis. Contra vero ſi tale periculum

non erit, tenetur habitare. ratio eſt quia coniuges obligant ſe ad debitum reddendum,& cohabitandum; nec ab ea obligatione liberantur niſi ratione grauis damni,vt dictum eſt ſupra.ita Durand. Palud. 4.*d.* 32. *q.* 1. Alex. de Neuo *c.* 1.*num.* 11.*de con.lepr.* vbi Præp. *num.* 4. Nauar. *cap.* 16.*num.* 25.cum D. Thom. D. Bonau. Cartuſ.Riccar. Maior. Almain. Celada, Soto *in* 4. *d.* 32. Alex. de Neuo, & alij, & D.Thom. D. Bonau. Cartuſianus, & alij multi, qui abſolutè docent non teneri cohabitare,ob periculum infectionis, & text. *cap.* 1.*de coniug.lepr.* vbi dicitur, vt coniux hortetur ad alterum leproſum ſequendum, ibi: *Mandemus quatenus, vt vxores viros,qui lepræ morbum incurrũt, ſequantur, & eis coniugali affectione miniſtrent ſolitis exhortationibus inducere non poſtponas*) & tex. *cap.* 2. *eadem tit.* vbi id præcipitur, ibi: (*Quod ſi mandatum tuum*(ideſt, cohabitandi cum leproſo) *ſeruare contempſerint, vinculo excommunicationis aſtringas*) intelligũtur quando non eſt periculum infectionis. ita vt primo admoneãtur, etſi nolint admonitionibus acquieſcere detur mandatum ſub pœna excommunicationis, vt leproſum ſequantur, vt docet Gloſ. *d.c.verb.Miniſtrent*, & ibi Anton.

Verum tenetur coniux ſanus propè domum leproſi habitare,vt ei debita miniſteria poſſit exhibere, & prolẽ apud ſe retinere ne inficiatur lepra. ita Goffr. *ſum.tit.de coniug.lepr.* Aſten. 2.*p.l.*8.*t.*10.*ar.*3.Sylu.*v. lepra q.* vbi Armilla *n.* 3.

DISPVTATIO. XXV.

An coniux pauper poſſit negare debitum propter inopiam ne plures habeat filios. quos alere non poteſt,aut propter vitãdum notabile detrimentum bonorum, vel famæ,aut ad comparandum magnum lucrum.

1 REſpondeo ad primũ caſum nullo modo peccare coniugẽ qui negat debitum ne filios multiplicet, quos alere non poteſt, ex eo quia facultates non ſufficiunt dum ipſi parẽtes viuunt: niſi ſit periculum incontinentiæ in altero cõiuge: ratio eſt quia etiam in alijs debitis ex iuſtitia non tenetur quis reſtituere cum magno ſuo incommodo. ita Sotus 4.*d.* 32.*q. vnic.* Manuel 1.*t.ſum.*2.*edit.c.*243.*n.*1.Lud. Lop.1.*p. inſtr.c.*80. Em. Sà *v. debitum coniug.*

2 Dixi quando facultates nõ ſufficiũt ad alendos filios dum parentes viuũt: quia ſi ſunt ſufficientes dum viuunt alere filios,licet poſt mortem facta diuiſione bonorum non ſint ea ſufficientia;non per hoc poſſunt debitũ negare.quia filij aliunde quærent ſibi alimenta, vt docet Petrus de Ledeſ. de *matr.q.*64.*a.*1. vnde à fortiori ceſſante periculo incontinentiæ nulla erit culpa ſi ex communi conſenſu à copula abſtineant ne filios multiplicent quos alere non poſſunt, quia nemini fit iniuria,nec malum eſt habere hanc voluntatem non multiplicandi filios, quos alere non poſſunt.ita Palud. Sotus Suppl.Gab. 4.*d.*31. & 32. D. Ant. 3.*p.t.c.*20. §.6.

3 At ſi non eſſent pauperes mortale peccatum eſt negare debitum ſolũ ob hanc cauſam ne proles multiplicetur, quia fit contra finem primarium matrimonij, qui eſt humanæ ſpeciei propagatio,vt docet Ang. *debitum nu.* 15. vbi Sylu.Nauar.*ſum.c.*16.*n.*25. Marg. *confeſſ.* 6. *præc. ver.* 8.Lud. Lop. *c.* 79.

Ad alterum caſum dico licitum eſt debitum negare ad vitandum magnũ detrimentum in bonis fortunæ, aut famæ, vel ad comparandum magnum lucrum patet ex dictis diſp. 4. hoc lib. quãuis ſit mortale negare debitum per ſe ex eo quod coniux eſt de familia Iudæorum,aut è Saracenis ne filij, qui naſcuntur,hanc maculam habeãt, quia poſito quod ſit verum matrimonium coniux habet ius petendi: ita Sotus 5. *c.* Bart. à Ledeſma *dub.* 71. Petr. Ledeſm.*q.*64.*a.*1. vide alia circa hoc lib.2.*diſ.*39. & 41.

DIS-

DISPVTATIO XXVI.

An ſi coniuges contrahant cognationem ſpiritualem poſſint petere, & reddere, vt ſi Titius coniux baptizet filium Bertæ vxoris, aut filium communem, vel in Baptiſmo, aut in confirmatione, vt Patrinus teneat.

1 REſpondeo cum diſtinctione ſi hæc præſtantur tempore neceſſitatis, vt ſi nullus alius, nec Sacerdos, nec laicus fuit præſens, qui puerum baptizaret, vel teneret in baptiſmo, aut in confirmatione, & periculum erat vitæ pueri; tunc poteſt cõiux petere, & reddere, quamuis filium ſuum baptizauerit, aut propriam coniugem, habetur expreſsè *cap. ad limina* 30. *q.* 1. qui textus quamuis loquatur de collatione baptiſmi: tamen, à Doctoribus communiter extenditur ad alios caſus, nempè quando exercet munus patrini; quia licet ad valorem baptiſmi, & confirmationis non ſit neceſſarius patrinus, eſt tamen in præcepto, & in baptiſmo priuatè collato melius eſt patrinum adhiberi, vt ſeruetur ſignificatio ſacramenti de qua *lib.* 7. *diſ.* 54. *num.* 1. ergo coniux, qui hæc præſtat quando non eſt alius, qui id exercere poteſt, bene facit, nec debet incurrere pœnam priuationis exigendi debitum. ita Riccard. 4. *d.* 42. *a.* 1. *q.* 2. Ouã. *prop* 9. Suar. 3. *p. de baptiſmo, q* 67. *a* 8. Bart. à Ledeſm. *dub.* 44. *de matr.* Petr. à Led. ſibi contrarij *in doc. Chriſ. ca.* 2. *de baptiſ.* Canedo *ſum. ſacr. c.* 6. *n.* 48. *hic* Palacios 4. *diſ.* 7. *diſp.* 3. *col. pen.* Veracruz 1. *p. ſpeculi ar.* 57. *con.* 4. & alij per multi.

Quibus poſitis videtur Pontius nõ ſatisfeciſſe ſuo muneri, dum ait ſanctiũ non ſatisfacere rationi oppoſitæ ſententiæ: nã ſi hic auctor intelligit, quod Sancius illi non reſpondeat, falſum eſt. ait enim, vt ex ipſo retuli quod licet non ſit neceſſarius ad valorem ſacramenti patrinus: eſt tamen in præcepto. & ſi priuate conferatur baptiſmus præſtantius eſt patrinum adhibere, vt ſeruetur ſacramẽti ſignificatio, de qua *diſ.* 54. *n.* 1. ſi vero Pontius intelligat, quod adhuc poſitis his reſponſionibus argumentum non remanet ſolutum: ſaltem probabiliter. ita vt poſito fære communi placito Doctorum ſit ea ſententia retinenda: debebat id ipſum oſtendere, vt nos fortaſſe conaremur ipſius ſoluere rationes: at neutrum Pontius præſtitit; ſed tantum *l.* 10. *ca.* 6. *num.* 6. hæc habet (*Hanc prædicti textus deciſionem extendunt nonnulli ad patrinum, &c. ſic multi, quos refert, & ſequitur Thomas Sanch. diſ. cit. num.* 3. *ego tamen non extenderẽ, quia nulla talis patrini neceſſitas in baptiſmo eſt, cui rationi non ſatisfacit Sancius.*) Hęc tantum Põtius. Solum lectorem moneo quod confirmationem à Pontio allatam *l. c.* ibi: (*Cum enim iura ſolunt agant de baptizante in neceſſitatẽ, & alias non ſit æque neceſſitas actus baptizandi, & leuandi vice patrini, non eſt cur ad patrinum eam deciſionem extendamus*) hanc inquam cõfirmationem iam Sancius ſibi obiecit, & pro ſolutione tradidit aſſignatas rationes, vt ex his quæ ex ipſo retulimus videri poteſt: vnde nõ decet Pontium eam iterum repetere, & datas ſolutiones tacere. ſed ad propoſitam diſputationem redeamus.

2 Imò, nec priuabitur iure petendi ſi ex quadam miſeratione commotus videns infantem perire, accurrat, & ipsũ baptizet, quamuis ſint alij, qui id facere poſſint: nam in tanta neceſſitate non habet ſpatium deliberandi, an alius id poſſit facere.

3 Si vero extra caſum neceſſitatis cõiux hæc præſtet ſcienter, & idem à fortiori dices, ſi ex malitia faciat in fraudem matrimonij, peccabit mortaliter: nam prohibetur *c.* 1. & 2. 30. *q.* 1. & docet Suarius 3. *p. q.* 67. *de bapt. ar.* 8. vbi dicit eſſe graue peccatum Henriquez *lib.* 3. *c.* 3. loquens de confirmatione, nec poterit petere debitum, ſed ſolũ reddere. quæ ſententia licet in rigore nullo iure probetur, nam textus, qui afferri ſolent, vel ſunt correcti, vel id non dicunt; tamen amplectenda eſt ex eo quia eam tenent vniuerſi penè Iuriſperiti gloſſam deferentes, & vniuer-

uersi fœrè Theologi, vt Alensis 2.*p.q.* 170 *mem.*3.§.3.*post solu.ad* 2.D.Tho.4. *d.*42.*q.*1.D.Bona.*q.*2. Palud.*q.*1. *ar.*1. Palac.*disp.*3.*d.*7.Enriq.*lo.ci.*Viuald.*can del.jac.*1.*p.n.*149. *de ma.*Em.Sà *v.mat. de imped.dirim.* Cañedo *sum.sacr. c.*6. *n.*48.§. Graff.2.*p.decis.lib.*1.*c.*5. *nu.*31. Bart. à Ledes. *dub.*44.§. *de vsu vero* Victoria *sum.de conf.n.vlt.*Philiar.*de off.sacer.t.*1.*p.*2.*lib.*2.*c.*11.

4 Quamuis contraria sententia, quæ dicit non amittere ius petendi sit probabilissima, & tuta, eam tenent Gloss. *cap.si vir verb.deb. de cogn. spir.* vbi Anchar. Præp.& alij. Ratio eorum est, quia nullibi reperitur expressa in iure & cum sit pœna debet reperiri.

5 At si solum materialiter teneat puerum parens non vt patrinus, sed vt illum sustentet, nullam pœnam incurret; aut peccatum committet, quia nullam contrahit cognationem, vt *lib.* 7.*disp.*10.dictum est.

6 Alia, quæ circa hanc materiam de redditione, & petitione debiti quæri possunt habes disputationibus sequentibus, in quibus simul de Affinitate; & cognatione ea discutiemus.

DISPVTATIO XXVII.

An si coniuges post contractum matrimonium cõtrahant inter se affinitatem, vt si alter copulam habeat cum consanguinea alterius, possint petere, & reddere debitum, & quid si contrahant cognationem spiritualem.

1 DIco primo coniux, qui commisit incestum copulam habẽdo cum consanguinea alterius coniugis, etiam si matrimonium nondum sit consummatum. Modo in copula incestuosa semen intra vas fuerit immissum iuxta dicta *lib.*7.*disp.*64. non potest petere debitum, tenetur tamen reddere petenti.habetur *cap.* 1. *de eo, qui cognouit conjang.*& *cap.discr.eod.ti.* ita Henriqu. *l.*11,*de ma.c.*15.*n.*11.Petr. Ledesm.hic *q.*55.*ar.*6. Manuel 1.*t.sum.*2.*edi.c.*243 *numero duodecimo.*

2 Quod verum est siue copula sit publica, siue occulta, quia textus imponẽtes hanc pœnam solum ponderant affinitatem, quæ contrahitur etiamsi copula sit occulta. ita Sotus 4.*d.*37.*q.vn. ar.*2.Castro *l.*2.*de lege pœn. c.*5. Gutier. *q.cap.t.*1.*c.*23. Contra Angelum *v. incestus* & Sylu.*v.luxuria q.* 4. qui putãt requiri vt constet incestus.

3 Immò non solum, quando coniux committit incestum priuatur iure petendi, sed etiam quando consentit, vt alter per copulam incestuosam contrahat affinitatem, quia *cap. discr.* cit. dicitur *(sed nec affinitas post matrimoniũ iniquè contracta debet officere ei, quæ huiusmodi iniquitatis particeps non extitit, cum suo iure sine culpa priuari non debeat)* ergo à contrario sensu si particeps extitit iniquitatis debet priuari iure exigendi.ita D.Bonau.4.*d.*34 *qu.* 2. *ar.*3. Ricc.*d.*35. *q.*3.*ar.*2. Petr.Led. *lo.ci.* Bart. à Ledes.*dub.*41.§.*scire tamẽ.*

4 Idem dicendum est de cognatione spirituali, nam etiam si occulte contrahatur iuxta dicta *dispu. præced.* contrahens amittit ius petendi, & si consentit vt alter contrahat cognationem spiritualem tenendo puerũ &c. amittit etiam ius petendi.ita Petr. de Soto *lect.*11.*de ma.*§.*secundum de hac.* Barth. à Ledes.*l.*5.*recop.s.*1.*rubr.gl.*1.*nu.*143. Viguerius *l.inst.c.*16.§.7.*ver.*9. loquentes in posteriori casu.

5 Dixi in responsione illum coniugẽ priuari iure petendi, qui commisit incestum cum consanguineis alterius cõiugis. Nam si habet copulam cum affinibus coniugis non priuatur iure exigendi, quia non committit incestum; nec si copulam habeat cum fœmina, cum qua habet impedimentum publicæ honestatis, vt si Titius cõtrahat spõsalia cum Berta, & deinde relicta Berta contrahat matrimonium cum Maria, si postea cognoscit sororem Bertæ sponsę potest petere debitum nihilominus à Maria; quia textus priuãtes iure petendi non loquuntur nisi de copula cum consanguineis alterius cõiugis. Similiter si coniux copulam habeat cum proprijs consanguineis, non incurrit hãc pœnam priuationis iuris pe-

petendi, quia licet grauius sit peccatum, tamen non oritur ex tali copula vinculum affinitatis cum proprio coniuge. ita Riccard. Caet. D. Ant. Rosella, Sotus apud Sanch. *n.* 7. Castro *l.* 1. *de lege pæn. c.* 7. Nauarr. *c.* 16. *nu.* 35. *sum. hisp.* Veracrux. 3. *p. spec. a.* 17. Alex. Carr. *lib.* 5. *de sponsa. c.* 22. Corduba *in qu. lib.* 1. *q.* 12. *ar.* 2. Henriq. *l.* 12. *de ma. c.* 2. *n.* 3. *li. M.* Contra Angelum *v. incestus nu.* 5 Maijoro 4. *d.* 32. *q. vn.* vbi Supp. Gabr. *d.* 34 *q.* 1. *ar.* 1.

6 Deniq, hic duo nota; peccare mortaliter coniugem, qui post contractã affinitatem, aut cognationem spiritulem extra casum necessitatis iuxta dicta *disp. præc.* debitum petit, quia facit contra Ecclesiæ præceptum in re graui. ita docent Emm. Sà *debi. coniuga.* Guiell. Rubiõ. 4 *d.* 32. *q.* 2. *ar.* 2. Couar. 4. *decr.* 2. *p. c.* 7. §. 2. Nauarr. *sum. c.* 16. *n.* 35. Matienzo *l. c. n.* 103.

7 Neque in hoc excusat, quod sit iuuenis expositus periculo incontinẽtię, sed debet petere dispensationem. ita Couarr. Matienzo, & Gutieres citat. nisi in casibus, in quibus non est petitio, sed tacita redditio, vt diximus hoc *lib. disp.* 6. & 7. vbi plura habes de hac re.

8 Secundum est, quod non quoties coniux habet impedimentum impediens, & cum eo contraxit matrimonium toties iure petendi priuatur, ut docent Palud. 4. *d.* 34. *q.* 1. *ar.* 2. D. Ant. 3. *p. t.* 1. *c.* 16. §. 4. Rosella *v. imped.* quia hoc nullo iure probatur. Sed solum quando habet votum castitatis, aut quando coniux committit incestum per quem contrahit affinitatem cum propria coniuge, & deinde eo soluto matrimonio aliam vxorem ducit, tũc enim priuatur iure petendi ab hac secunda coniuge, expresse enim definitur *d. cap. transmissæ*. & docent ibi Ioa. Andreas, Abb. Alex. de Neuo, & alij. Verum cum hodie ex consuetudine impedimentum hoc non duret; vt dixi *lib* 7. *disp.* 17. neque durat pœna priuationis iuris petendi; vnde poterit ẽt petere absque vllo peccato. ex Quando 4. *d.* 41. *q. vn. pro.* 12.

QVAERES.

In quo gradu consanguinitatis debet esse coniuncta cum coniuge persona illa, cum qua alter habet copulam ad hoc vt contrahat hanc affinitatem.

9 REspondeo attento iure Concilij Tridentini *sess.* 24. *de matr. cap.* 4. debet esse in primo, vel secundo gradu; vt si Titius cognoscat matrem suæ vxoris, vel sororem, non poterit petere debitum ab vxore; contra vero si cognoscat carnaliter alias consanguineas poterit petere debitum. Ratio est, quia licet attento iure ãtiquo hæc affinitas extendebatur vsque ad 4. gradum; tamen per Conc. Trident. loco citato fuit restricta ad secundum gradum, ne matrimonium dirimeret vltra eum, & Pius V. declarauit, vt nec impediret; ergo cessat impedimentũ non petendi debitum in alijs gradibus consequentia probatur, quia hoc impedimentum non petendi debitum, non tam oritur ex incestu, quam ex affinitate contracta per talem incestũ vt constat ex *C. disc. de eo, qui cognouit* ibi (*sed nec affinitas, quæ post contractũ matrimonium iniquè contrahitur*) & docent D. Tho. 4. *d.* 34. *q. vn. ar.* 5. Turrecr. *c. quædam cum fratre* 32 *q.* 7. *n.* 2. ergo posito, quod ex incestu cum cõsanguinea vltra secundum gradum nõ oritur affinitas, nec etiam orietur impedimentum petendi debitum, quod ob talem affinitatem cõtrahitur. Adde Congregationem Cardinalium id declarasse; vnde non sunt audiendi quidam iurisperiti apud Lud. Lop. 2 *par. instr. de ma. c.* 50. qui dicebant non posse petere debitum eum, qui cognouit consanguineam in tertio gradu fœminæ, quam postea duxit in matrimonio. hanc sententiam tenent Veracr. *app ad spec. fol.* 77. Quand. 4. *d.* 41. *prop.* 6. Palac. *d.* 34. *disp.* 2. Enriqu. *l.* 11. *cap.* 15. *n.* 11. Viuald. *cand. sacram.* 1. *par. de matr. n.* 209. dicens ita sensisse plures DD. Salmatic. contra Angles *flor.* 1. *p. q.* 14. *de imp. aff. ar.* 1. Cañedo *sum. sacram. c.* 6. *de matr. de imp. aff. nu.* 45. & mul-

multos Theologos Complutenſes, & Salmatinos, qui putant non fuiſſe correctum ius antiquum per Tridentinũ in hac re, ſed ſolum quatenus eſt impedimentum matrimonij; quia hoc ſatisfuerat ad vitanda ſcandala orta ex frequenti irritatione matrimonij.

Petes.

11 *AN Confeſſarius, qui videt coniugem contraxiſſe affinitatem ignorantia inuincibili debeat illũ admonere ne petat debitum.* Reſpondeo retenta opinione, quod tũc incurratur hoc impedimentum, de quo dicemus infra teneri illũ admonere, quando facilis eſt aditus ad Epiſcopum, vt petatur diſpẽſatio, & alia mala non timet iuxta ea quæ dixi *lib. 2. diſ.* 38. & idem dicas ſi videt contraxiſſe cognationem ſpiritualem, in qua tamen facilius poteſt diſſimulare. nam probabilis eſt ſententia, quæ putat non oriri hoc impedimentum.

DISPVTATIO XXVIII.

An ſi vterque coniux affinitatem, aut cognationem ſpiritualem contraxit, priuentur ambo à debiti petitione, & redditione, vt ſi Titius habeat rem cum conſanguinea Bertæ vxoris, & Berta cum conſanguineo Titij mariti, aut ad inuicem puerum baptizent.

1 REſpondeo in tali caſu vtrumque amittere ius petendi, quia hoc eſt pœna culpæ admiſſæ; ergo ſi vterq; committit culpam, debet etiam incurrere pœnas, nec in hac re datur compenſatio ob paritatem delicti, quia cõiux committens inceſtũ nõ priuatur iure petendi in fauorem alterius. ità Gloſſ. *cap. noſſe* 30 *q.* 1. Host. *c. ſi vir*, vbi Ioann. Andreas *de cogn. ſpir.* Nauar. *ſum. c.* 17. *nu.* 34. Gaeta *rep. c. ad limina* 30 *q.* 1. §. 4. Matienzo *l.* 5. *recop. t.* 1. *rubr. gl.* 1. *n.* 143. Ant. *d. ca. ſi vir* Roſella *imp.* 6. *n.* 6. Sylu. *matri.* 8. *q.* 7. *dic.* 2. Lud. Lop. 1. *p. inſtr. cap.* 85. Petrus Ledeſm. *q.* 56. *ar.* 1. *de matr. & alij*, quod verum eſt ſiue contrahant affinitatem animo defraudandi ſe in debiti petitione, ſiue nõ, ſiue vnus copulam habuit, aut baptizauit, & alter conſentit, ſiue ambo copulam habuerint, & baptizauerint, militat enim eadem ratio. ita Petrus de Ledeſma *l. c. q.* 55. *ar.* 6. Viguer. *init. cap.* 16. §. 7. Manuel. 1. *t.* 2. *edi. cap.* 243. *num.* 10.

2 Immo neque poteſt in prædictis caſibus alter cõiux reddere alteri petenti; quia illa copula eſt inceſtuoſa. nam eſt cum affine, vel coniuncto cognatione ſpirituali, nec à culpa excuſat ius iuſtitiæ, nam alter amiſit ius petendi. Addo quod *ca. diſcretionem, & ca. pen. de eo qui cog.* ideo excuſant coniugem, qui affinitatem contraxit, aut cognationẽ à culpa, quando reddit alteri petenti ne innocens priuetur iure ſuo ob alterius delictum. ergo quando alter coniux ſimile commiſit delictum, & amiſit hoc ius culpa erit reddere. ita Alenſis 2. *p. q.* 170. *mem.* 3. Henricus alios referens *c. ſi vir. de cogn. ſpi.*

3 Excipe tamen niſi vterque coniux eam cognationem, vel affinitatem cõtraxerit malitiosè animo defraudandi alterum à debito coniugali, tunc enim peccant ambo petendo, ſed alter tenetur alteri reddere: ratio eſt quia ita diſponitur in iure, quod hanc pœnã poſuit *C. ſi. vir de cogn. ſpirituali.* Secũdo quia malitia, & fraus nõ debet ſibi patrocinari. ita Hoſt. Io. Andr. Ant. Hen. *l. c.* & alij multi loquentes de impedimento cognationis ſpiritualis, ſed idẽ eſt de Affinitate, vt docet Petrus de Ledeſma, *q.* 55. *ar. dub. vlt.*

DISPVTATIO XXIX.

An ſi contrahatur affinitas, vel cognatio ſpiritualis, ab altero coniuge ante matrimonij conſũmationem poſſit illud cõſũmare reddendo, vel potius teneatur ingredi Religionem.

4 REſpondeo hunc non teneri ingredi Religionem, ſed poſſe cõſũmare matrimonium reddendo debitum, quia coniux innocens non amittit

mittit ius petendi per talem affinitatẽ ab altero contractam, vt habetur *cap. diſcretionem, & cap. penult. de eo, qui cognouit*; nec hi textus faciunt differentiam in affinitate contracta matrimonio conſummato; neque obligant ad ingreſſum religionis, quod clarius patebit infra diſp. 34. cum agemus quando coniux ante vel poſt matrimonium ratum emiſit votum ſimplex caſtitatis. ita Angelus *matrim. 3. imp. 15. num. 2.* Petr. Ledeſ. *qu. 55. ar. 6. circa 3. ſtatum affin. dub. 4.* & Neotherici communiter contra Paludanum *4. d. 27. qu. 1. ar. 3.* Maior. *d. 41 qu. 1.* D. Ant. *3. p. t. 1. c. 11. ante* §. 1. qui putant teneri religionem ingredi, aut petere diſpenſationem.

2 Verum antequam elapſum ſit Bimeſtre, aut ſi alter coniux amiſit ius petendi ob adulterium, tunc non poteſt matrimonium conſummare reddendo, vt hoc *libro diſp. 6.* dictum eſt.

DISPVTATIO XXX.

An ad hoc vt coniux, qui affinitatem ob inceſtum, aut cognationem ſpiritualem contraxit priuetur debiti petitione, deſideretur iudicis ſententia.

REſpondeo nullam requiri Iudicis ſententiam; neque etiam declaratiuam criminis, ſed ſtatim ac contrahitur affinitas, vel cognatio ſpiritualis, eò ipſo contrahens amittit ius petendi. nam quamuis ad incurrendas pœnas requiratur Iudicis ſententia ſaltem declaratiua criminis; tamen in hac re ita docent Doctores Caſtro *libro ſecundo de l. pœn. c. 5. §. rurſus.* Gaet. *op. t. 1. tract. 31. reſp. 17. reſ. 4.* & praxis ipſa teſtatur, nam ante omnem Iudicis ſententiam, petitur diſpenſatio ad petendum debitum vt etiam patet in excommunicatione, ſuſpenſione &c.

DISPVTATIO XXXI.

An ſi affinitas vi, aut metu contrahatur v.g. quia vxor à conſanguineo viri vi cognoſcitur, amittat illa ius petendi debitum.

REſpondeo ſi vxor vi præciſa cognoſcitur nullo modo ipſa conſentiente, non priuatur debiti petitione, quia non eſt iuſtum incurri pœnã vbi non eſt culpa. ita Sylu. Roſell. Hoſtiens. Io. Andr. Anch. & alij apud Sanchez. *n. 1.* At ſi metu compulſa conſentit, quamuis is ſit grauis cadens in fœminam conſtantem, amittit debiti petitionem. ratio eſt, quia in hoc caſu mulier conſentiendo copulæ, etiamſi metu grauiſit compulſa, peccat mortaliter. nam potius mori tenetur, quã illi copulę aſſentiri, ergo incurrit pœnam delicti, & ſicuti participans cum excommunicato incurrit excommunicationem, quando eſt culpa, etiamſi participet ob metum, vt ex *cap. ſacris de his, quæ vi*, & docent Doctores cum Abbate ibi. Quod verum eſt quamuis maritus metum inferret, vt cum conſanguineo inceſtum committat; tunc enim priuantur ambo debiti petitione, & redditione, niſi faciant in fraudẽ matrimonij, vt *diſp. 28.* dictum eſt. ita Petr. Ledeſ. *q. 55. ar. 6. dub. 5. de matri. c. 27. num. 63.*

Hinc patet non bene Nauarrum excuſare remigantes Chriſtianos in turcarum triremibus ab excommunicatione, cum ipſe putet peccare mortaliter; bene verum eſt, quod excuſentur ab excommunicatione, communiter enim non peccant. vide Molinam *t. 1. de iuſt. diſp. 115. pag. 658.*

DISPVTATIO XXXII.

Explicatur an coniux, qui ex ignorantia iuris contraxit affinitatem, vel cognationem ſpiritualem priuetur iure petendi, & generaliter an alia pœna incurratur ob tranſgreſſionem ignoranter factam.

IN hac diſputatione varij caſus per vtiles proponentur per ſequentes

quæſtiones,vt tandem ad propoſitum caſum deueniamus; tamen ad maiorẽ intelligentiam eorum, quæ tractanda ſunt.

1 Sciendum eſt primo quod quando dicitur lex obligare ignorantes,quamuis ignorans excuſetur à culpa,& pœna, ſi eam tranſgreſſus eſt; tamen incurrit alios effectus legis.Contra vero ſi dicamus legem non obligare ignorantes,non incurruntur effectus legis: v. g. decretum Tridentini de non cõtrahendo matrimonio Clandeſtino obligat ignorantes; quare ſi quis ignorans contrahat matrimonium Clandeſtinum non committet peccatum, neque incurret pœnas impoſitas; at effectus talis decreti incurret quia matrimonium illud clandeſtinũ nullũ erit.Contra vero ſi hoc decretum nõ obligaret ignorantes, matrimonium eſſet validum,quia in tali caſu nec effectus legis incurritur.

2 Secundo ſciendum eſt quod lex ſufficienter promulgata, ita vt ſcientes obliget obligat etiam eam ignorantes inuincibiliter, quia iam habet completam legis rationem; neque vni cuiq; eſt notificanda. Et in foro externo tranſactis duobus menſibus à promulgatione,vel à receptione vſu ipſo, & in curia promulgatione, præſumitur illius ſcientia cap. 1. §. *verum de poſtul. prælat.* vnde is qui allegat ignorantiam,debet probare; (admittitur enim probatio,vt docet Gloſſ. *cap. 2. de conſtit. in 6.* vbi Abbas, Felinus, & alij,)& quamuis generaliter ignorantia, & ſcientia iuramẽto probentur; quia ea quæ ſunt in corde,teſtib⁹ probari non poſſunt; tamen ignorantia legis poſt ſufficientem promulgationem, non probatur ſolo iuramento ſecundum probabiliorem opinionẽ, quia habet contra ſe vehementem cõiecturam nempè promulgationem,vt latiſſimè docet Menoch. *de arbitr. lib. 2. Centuria ſecunda, caſu* 162.at ea quæ habent contra ſe vehementes coniecturas,non probantur iuramento, vt docet Caſtr.*de leg.pen.l.2.c.* 14. Couar. *reg.poſſeſſor* 4.*p.*§.*n.*4.Gratian.*reg.*207. *n.*7.vbi alij: in foro vero interno ſtãdũ eſt ſoli aſſertioni dicentis ſe ignoraſſe legem, quia ſolum agitur de iudicio conſcientiæ ipſius.

3 Tertio ſciendũ eſt quod ſi lex ſufficienter promulgata non contineat rẽ vetitã alio iure:tunc illi,qui eã inuincibiliter ignorant,non incurrũt illã pœnã ab illa lege impoſitã, neque culpã cõmittunt,& ratio eſt quia non contemnit diſciplinã qui ignorauit *l. ſi ignorans 52. ff. locati*, neque ſine culpa quis puniendus eſt *regula ſine culpa 23. de reg. iur.in 6.*& conſtat apud omnes vide cit.DD.&Menoc.*caſu* 185.Coua. *c.alma mater* 1. *p.*§.10.*n.*8.& 9.his poſitis.

QVAERES I.

An ſi quis ignoret aliquem actum v.g.fornicationem eſſe prohibitã lege noua ſub pœna excõmunicationis,irregularitatis, ſuſpenſionis,& aliarum pœnarũ, ſciat tamen illam eſſe prohibitam iure diuino naturali,aut alio iure poſitiuo antiquiori incurrat excõmunicationẽ,& pœnas latas noua illa prohibitione.

4 REſpõdeo probabilius eſt in hoc caſu nõ incurri excõmunicationẽ,cæteraſque pœnas.Ratio eſt quia quantitas pœnæ debet cõmenſurari cũ quantitate delicti *c. fœlicis ver.Illud autẽ de pœnis in 6.* ſed ignorans ius nouum poſitiuũ offendit ius naturale,& & diuinum ſolum;ergo ſolũ debet incurrere pœnas iure naturali,& diuino impoſitas,non excommunicationem; & cæteras impoſitas iure nouo, cõtra quod non peccabit,quia tale ius ignorabat. Secũdo quia ius nouũ imponẽs nouã pœnã rei prohibitæ iure antiquiori eſt prorſus nouũ circa eã pœnam;ergo ſicuti pœna non incurritur quando ius ignoratur, ita neq; debet incurri quando ignoratur ius nouum imponens pœnã aliquã nouã.ita Hoſt. Dominic⁹ Abb.Fel.Io. Andr. *c. à nobis el 1. docent excõm.& c.2. de conſt. in 6.* Nau.*c.*23.*n.*47. Ledeſ. 2.*p. q.* 24.*a* 6. Henr.*de exc.lib.*13.*c.*23.*n.*2.Leli⁹Cec⁹ *de caſib. reſer. caſu* 1. Suar. 5. *t. diſ.* 4. *ſect.* 8.*n.*2.Azor *l.*1.*inſt.c.*15.*q.*3.Iulius

Clarus

Clarus *l.5.recept.§.fin. q.85. v.ſecundus caſus* vbi dicit non eſſe ab hac ſentẽtia recedendum in iudicando Sylu.*excom mun. 2. not.3.* Manuel *1.t.ſum.2. edi.c. 195.n.3.* Tab.*excomm.7.q.1.n.2.* Bald. *l.1.n.11.ff.deleg.* Maſcard.*de prob. concl. 807.* quamuis omnes loquantur de ex communicatione, & de omnibus pœnis Sylu. Caſtro Nauar. Manuel.*de ſpirit.* Baldus, Maſc.

5 Hinc ſi noua conſtitutione reſerua tur aliquis caſus, ſi quis committat talem caſum neſciens reſeruationem; non erit talis caſus illi reſeruatus, nam reſeruatio eſt pœna in odium delinquentis ex Mol. *t.1.de tuſt.* ſimiliter ſi lex actum annullet non ex defectu ſolemnitatis, ſed ſolum in pœnam delinquentis ignorans talem pœnam non incurrit, atque adeo actus erit validus ita Ant.C.2.*de conſt.n.19.*

6 Dixi non incurri irregularitatem ob ignorantiam quando eſt pœna, nã ea, quæ conſurgit ob defectum ſignificationis, cum contrahatur abſque culpa, etiam ligat quoſcunque ignorãtes, vt docent Gaet.1.2. *q.16.ar.3.* Caſtro *de lege pen.c.14.* Lud.Lop.1.*p.inſtr.c.13 de excom.§.ad arg.3.*

7 Sunt tamen in hac re duę ſententię probabiles. prior vniuerſaliter docet in tali caſu incurri excommunicationem & cæteras pœnas. probatur ex variis iuribus *cap.cum illorum de ſententia excom.* vbi habetur poſſe diſpenſari cũ percuſſoribus clericorum, qui ius ignorabant; ergo non excuſat ab excommunicatione ignorantia iuris eam imponentis. Adde, quod qui vacat rei illicitæ, cenſetur præſtare conſenſum etiam ijs, quæ præter intentionem ei ſequuntur; ergo dum quis ſciens rem aliquam iure diuino, vel naturali ſibi eſſe prohibitum, & illam facit, cenſetur etiam facere; quamuis ſciat ius nouum prohibens ſub excommunicatione, & alijs pœnis ita Gloſ. *cap. à nobis verb.non niſi de ſent. excom.* Sotus 4. *d.6. q.4. in princ.* Couar.*cap. alma. 1.p. §.10.à n.9.* & fauent multi quos citant Sanchez *nn.7.* & loquentes de irregularitate, & alijs pœnis docent Turre. *C. qai bis num 8. de conſ. d. 4* Corduba *quæ. 12. l. 1. ar. 1.* Lud.Lop.2. *p. cap. 13.* Suar. *t.5.in 3.p.diſ.40.nu.9. ſect.5.* Henriqu. *l.13. de exc. cap. 23. num. 2.* Sotus 4.*d. 3.q.vn.ar 9.*

8 Poſterior autem ſentẽtia diſtinguit ſi excommunicatio ſit lata per ius cõmune, ignorantia non excuſat, ſed ea incurritur in caſu poſito. Contra verò ſi ſit lata à prælatis inferioribus, vt Epiſcopus; &c. non incurritur. probãt ex *cap.2. de conſti.in 6.* ibi (*vt animarum periculis obuietur ſententijs per ſtatuta quorumcunque ordinariorum Prælatis ligari nolumus ignorantes*) ergo à contrario ſenſu cum ignorantia excuſet ab excommunicatione lata ab ordinarijs non excuſabit ab excommunicatione lata à Summo Pontifice, & de iure cõmuni. & ratio eſt, quia cum ſtatutis Põtificium maior reuerentia debeatur, minor requiritur cõtemptus ad incurrendas eorum pœnas. ita Gloſſ. *c.2. de conſtit. cit. verb. ſtatuta*, & *verb. ignorantes.* Anchar.*repet.c.canonum ſtatuta à n. 223. de conſt.* Crotus, D.Ant.3.*p. t.24. cap. 33.*

QVAERES II.

Siquis ſciat ius rem aliquam prohibere v. g. percuſſionem clerici, ſed ignoret prohibitionem eſſe ſub pœna excommunicationis ſuſpenſionis, irregularitatis interdicti, & aliarum pœnarum incurrat talem excommunicationem &c. ſi clericũ percutiat.

REſp. negatiuè ſi loquamur de excommunicatione, ſuſpenſione, interdicto, & irregularitate, nimirum nõ incurri excommunicationem &c. ratio eſt, quia excõmunicatio (& idem dicas de alijs, nempè de ſuſpẽſione, interdicto, & irregularitate, vt docent Abb. *C.paſtoralis §.verum n.15.de appell.* & *C. reprehenſibilis eod.ti.* Nauar.*ſum. c.27.n. 257.* Domin. & alij *c.2.de conſ.*) infertur ſolum ob contumaciam, & contemptum *c.nemo Epiſc.11.q.3.* vnde requiritur ad eius valorem, vt præcedat trina monitio ſub pœna excommunicationis, vt docet Sotus 4.*d.22.q.1.a.2.* Henriq.*l.13.c.27.n.3.* ſednulla ẽ cõtumacia

aut contẽptus, niſi ſciatur pœna excõmunicationis, &c. poſita: ergo. ita docent Nauarr. Philiarcus, Manuel. infra citan.

9 Probabile tamen eſt non requiri ad incurrendam excommunicationẽ illius ſcientiam, ſed ſolum ſcientiam quod res ſit prohibita. Ratio eſt quia qui vult antecedens vult neceſſario conſequens, nempè pœnam, quæ ex delicto ſequitur; *l. illud ff. de acqu. hæred.* Adde quod obligatio ad pœnam non conſurgit ex conſenſu delinquentis, vt habetur *inſtit. de oblig. quæ ex delic.* ſed ſolum ex lege pœnam imponente. ita vt admiſſo delicto ſequatur pœna. ita docent Couarr. *cap. alma* 1. *p.* §. 10. *n.* 9. Corduba *in q. lib.* 2 *q.* 25. Metina 1. 2. *q.* 76. *a.* 3. Driedo *lib.* 2. *de lib. Chriſ. c.* 9. *fin.*

Si vero loquamur de alijs pœnis di
10 co probabilius eſt eas incurri quando ſcitur prohibitio, etiamſi neſciatur pœna. Ratio differentiæ eſt quia excommunicatio, & cæteræ cenſuræ cum irregularitate ſunt vltimæ, & ſummæ pœnę, ergo exigunt ſpecialem notitiã, vt docent Sotus, Henriq. *l. c.* & alij loquentes de excommunicatione; at reliquæ pœnæ non ſunt huiuſmodi; vnde ſatis eſt ſi delinquens conſentiat in trangreſſionem iuris eas pœnas imponentis.

Probabilis tamen eſt ſententia Na-
11 uarri, *c.* 23. *n.* 47. *& noua edit. num.* 274. Philiar. *de off. Sacer. t.* 1. *p.* 1. *li.* 3. *c.* 4. §. 3. *obijcitur.* Man. 1. *t. ſum.* 2. *edit. c.* 195. *n.* 3. aſſerentium, neque has pœnas incurri ſi neſciatur prohibitionem eſſe ſub tali, vel tali pœna; quia ad hoc vt incurrat quis in pœnam, requiritur conſenſus in cauſam pœnæ, vt cauſa pœnæ eſt, ad quod requiritur, vt ſciat pœnã.

QVAERES III.

An ignorantia facti excuſet à pœna tali facti annexa, vt ſi Titius percutiat Caium Clericum, quem tamen neſciebat eſſe clericum, excuſetur ab excommunicatione impoſita percuſſoribus Clericorum.

12 REſpondeo affirmatiuè, nimirum ignorantiam facti excuſare à pœnis ſiue temporalibus, ſiue ſpiritualibus illi facto annexis non ſolum quando ignorantia eſt talis, vt à culpa excuſet iuxta ſuperius dicta, ſed etiã quãdo non excuſat à culpa, ſed ſolum à qualitate culpæ, ob quam talis pœna imponitur, vt ſi quis percutiat Titium clericum neſciens eſſe clericum, non incurrit excommunicationem, quia licet ipſe peccauerit percutiendo Titium hominem, & ſciuerit factum illud; tamen ignorauit qualitatem nempè clericatũ, ob quam imponitur pœna excommunicationis. habetur expreſsè *cap. ſi vero* 2 *de ſent. excomm.*

13 Vnde non eſt verum quod docet Gloſſa dicto cap. tunc facti ignorantiam excuſare quando delinquens dat operam rei licitæ. nam in caſu poſito delinquens dat operam rei illicitæ, nimirum percutit hominem. ita Io. Andræas, Ant. Anchar. & alij *d. c. ſi vero* Couarruu. *cap. alma mater* 1. *par.* §. 10. *num.* 15.

14 Excipe tamen niſi clericus det operam rei illicitæ, quæ ſpecialiter illi eſt interdicta, ob periculum homicidij, quod in re illa ſolet eſſe, tunc enim quamuis clericus non committat culpam homicidij, ſi omnem ponit diligentiã, ne quis interficiatur; tamen ſi hominem interficit eſt irregularis: nã ius ſtatuit hãc irregularitatem adhoc, vt clerici abſtinerent ſe à ſimilibus exercitijs, vt notant DD. communiter cum agunt de irregularitate.

15 Immo etiam ſi ignorantia ſit concomitans, quæ eſt quando quis v. g. clericum percutit ignorans eſſe clericum; ſed eo eſt animo, vt quamuis cognoſceret clericum eſſe, adhuc percuteret, non incurret pœnas, quia in hoc caſu eſt ſolum prauus ille affectus non autem effectus, ſed Eccleſia non punit actus internos, ſed ſolum externos; ergo non obſtante illo prauo affectu non incurritur pœna excõmunicationis, neque alia pœna, aut obligatio reſtituendi. ita Vaſq. *diſ.* 126. *n.* 9. *&* 10. *in p.* 2. S. Thom. Nauar. *lib.*

lib.2. de reſt. c.1. dub.7.noua edit.nu. 65. Enriq.*l.*11.*c.*10.*lit.A.* niſi forte percutiẽs dubitaret an eſſet fera, vel homo; clericus,an laicus;& tamen vellet occidere;tunc enim occidendo hominẽ, aut percutiendo clericum incurrit excommunicationem, & irregularitatem.

16 Vnde qui putat feram eſſe hominẽ, & illam occidit prauo illo animo occidendi hominem, peccabit quidem, ſed non erit irregularis, quia opus externum non eſt ſequutum. ita Abbas *d.c.ſi vero n.*7.Aſtenſ.2.*p.li.*7.*t.*3.*art.* 2. 2.*q.*30.Couarr.*l.c.* Sylu. *excommunicatio* 6. §.6. Ludou. Lopez 2. *p. inſtr. de ex.cap.*13.*& alij* debet tamen ſe gerere vt excommunicatus, donec fiat certior eam fuiſſe feram.

Contra vero ſi quis volens percutere Titium clericum percutiat itẽ Paulum clericum,incurrit excommunicationem, quia habet animum percutiẽdi clericum,& de facto percutit clericũ opere illo malo formaliter; ſi vero volens percutere clericũ Titium proijciat lapidem ſi inculpabiliter percuciat Caium clericum, non erit excommunicatus, quia in hoc caſu non eſt opus illud externum malum formaliter.

QVAERES IV.

Qualis debet eſſe ignorantia iuris, vel facti,vt excuſet ab excommunicatione irregularitate,& cæteris pœnis.

17 REſpondeo omnis ignorantia iuris,vel facti etiam vincibilis; modo non ſit craſſa, & ſupina, excuſat à pœna excommunicationis, irregularitatis, interdicti, & aliarum pœnarũ impoſita à Papa,vel ab alijs ordinarijs inferioribus, non ſolum quando talis ignorantia non eſt culpabilis; ſed etiã quando eſt culpabilis mortaliter; atq; adeò ſi Titius: v.g. percutiat clericum ignorans eſſe clericum, quæ eſt ignorantia facti,vel ignorans ius prohibere percuſſionem clerici, & ea ignorantia ſit vincibilis, nimirum quod ipſe potuerit facile ſcire illum eſſe clericum, vel eſſe ab Eccleſia prohibitã clerici verberationem,non incurret excommunicationem probatur ex *cap.*2.*de conſtit. in* 6. vbi dicitur vniuerſaliter excuſare ab omnibus ſententijs quorũcunque ordinariorum ignorantiã, quæ non eſt craſſa,neque ſupina. Sed nomine ſententiarum non intelligitur ſola excommunicatio, ſed etiam aliæ pœnæ ſaltem ſpirituales, vt ſupra dictum eſt;ergo ignorantia, quæ non eſt ſupina, etiamſi mortalis ſit, excuſat à pœnis.quod autem etiam intelligi debet de pœnis à Pontifice impoſitis probatur,quia ratio *d.c.*2.nempe vt obuietur periculis animarum magis militat in conſtitutionibus Pontificijs,quæ minus publicari ſolent, & facilius ignorantur. quam in conſtitutionibus ordinariorum.

18 Hęc ſententia quatenus dicit excommunicationem non incurri,quando ignorantia non eſt mortaliter culpabilis eſt communis.quod vero dicit neque incurri irregularitatem docẽt Sotus *lib.* 5.*de iuſt.q.* 1.*a.*9 Nauarr. *ſum. c.*27.*num.*251. Salon 2.2. *q.*64.*a.* 8.*ante* 4.*contr.* vbi Bañes *tract. de irregul.p.*2.*dub.*2.§.*dicimus vlt.& de irregulari.& ſuſpen.*Enriq.*c.*24. *l.* 13. Em Sà *v.Suſpenſus ab officio.* Manuel 2. *t. ſum. cap.*67.*n.*1.& de omnibus cenſuris tradit Bart. à Ledeſma *dub.*5.*de excomm. con.*1. *col.*994.quia hæ ſunt pœnæ grauiſſimæ; ergo non debent imponi ob culpam leuem. Denique quatenus dicit neque incurri prędictas pœnas niſi ignorantia ſit craſſa, & ſupina docẽt Ioann. Andræas,Syl.*excom.* 7. tractantes de excommunicatione, & de irregularitate docent Nauarr. *ſum. Hiſp. c.* 27. *num.*236. Enriq.*l*14.*c.*3. *num.* 1. Nauarr.*t.*2.*de reſt.c.*1.*dub.* 7.

19 Quod ſi petas quandonam ignorãtia dicatur craſſa,& ſupina. Reſpõdeo tunc dici,quãdo quis latã culpã ponit in adhibendo diligentiã ſciendi ius, & factũ illud; quod tũc eſt quando quis ignorat quod omnes ſciũt, nẽpè cum res adeò eſt clara,vt quiuis eã poſſet intelligere,ſi modicã adhiberet diligẽtiã

ita

ita Gl. Anch. & Frã. *c.2.de cõſt.in 6.* Arias de Valderas *repet.in c.porro n. 52.de ſent.excom.* Specul. *tit.de diſpens.§. iuxta numero 41.*

QVAERES V.

An ſi Canon, vel lex aliqua conſtituit pœnam ſub his verbis, ſi quis ſcienter fecerit, aut ſi quis auſus fuerit, vel ſiquis præſumpſerit auſu temerario facere, ignorantia prædicta excuſet à pœna.

20 REſpondeo non ſolum in his caſibus excuſat à pœna ignorantia vincibilis mortaliter peccaminoſa, vt dixi *quæſt. præced.* ſed etiam excuſat ignorantia craſſa, & ſupina; modo non ſit ingens temeritas, aut affectata. Ratio eſt, quia quoties ad incurrendam aliquam pœnam requiritur dolus. ita vt ſiquis non contraueniat dolosè legi non incidat in pœnam poſitam à tali lege, toties non ſatis eſt culpa lata ad hoc vt talis pœna incurratur. ita *l. ſed & ſi §. ſcire ff. de pet.hæred. & l. igitur 12. ff. de liberali cauſa*, & docent Bart. *l. quod nerua n.20. ff. depo.* Bald. *l plagij la 2. Co. ad l. flauiam de plagia.* Abb. *c.2. de conſt.* ℣ *n.6.* Ant. *n.9.* Imola *nu.12.* ſed quando Canon dicit *ſi quis ſcienter fecerit* aut *auſus fuerit &c.* petit dolum; (ea enim verba dolum, & temeritatem important teſte Gloſſ. *l. ſi quis C. vnde vi* Cardina. *Clem.1. de priu.q.39.* cum D. Ant. *3.p.t.24.c.54.* Nauar. *ſum. c.27. n.155.* & aliis) ergo non ſufficit ad pœnas illas impoſitas incurrendas craſſa ignorantia; neque in pœnis contrahendis idem eſt ſcire, ac debere ſcire, ſed ſolũ quoad peccatum committendum. ita Bart. *l. ſi adulterium n.11. ff. ad l. iul. de adult.* Anchar. *clem. vni. de cog. col.3.* vbi Imola *n.4.* Nauarr. *l.c. in noua edit. nu. 141.* Greg. Lepez. *l. fin. v. aſapiendas ti. 18.p.7.* Couar. *4. decr. 2.p.ca.6. §.8. nu. 21.* loquentes de prima clauſula *ſi quis ſcienter*, & de ſecunda *ſi auſus fuerit* Pet. Ledeſ. *ſum. Sacr. de exc. c. 3.* de tertia denique *ſi auſu temerario &c.* Enriq. Pet. Ledeſ. cit.

Quod verum eſt quamuis quis habens ſuſpicionem, vel dubitationem legis, non adhibeat diligentiam ad eam legem ſciendam, quia iura dum petũt vt pœnam incurrat temerarius violator, aliquid aliud petunt præter id, quod requiritur ad peccatum mortale, ergo licet operari cum dubitatione hac ſit ſufficiens ad peccandum mortaliter, non erit ſufficiens ad hoc vt pœna incurratur; quamuis Suarius oppoſitum teneat loc. cit. Dixi modo non ſit ingens temeritas, aut affectata, qua aliquis eligit rem neſcire, quo libentius peccet; quia hęc ignorantia non excuſat à pœna, nam æquiparatur dolo, & magis auget culpam. ita Henriq. *l.13.c.23.n.3.* Petr. Ledeſ. *lo.ci.* D. Ant. *l.c.cap.34.* Sylu. *excomm.9. caſu 41.* Tabiena ibi *caſu 49. n.3.* Suar. *de cenſ. diſ. 4. ſect. 10.*

21 Nota tamen ad incurrendam excõmunicationem *cap. ſi quis ſuadente* ſufficere ignorantiam mortaliter peccaminoſam; neque requiri ignorantiam craſſam, & ſupinam, quia ea verba, ſuadente diabolo, non ſignificant dolum, ſed ſolum denotant tunc incurrere excommunicationem eum, qui clericũ percuſſit, quando non fuit licita ſibi percuſſio v. g. ad corrigendum clericum, vel ob ſui defenſionem. ita Tabiena *excomm.7. qu. 1. nu. 2.* Couarr. *C. alma 1. par. §. 10. nu. 16.* Contra Abbatem, Alex. de Neuo, Felinum *c.2. de conſt.* Adde, quod percuſſor clerici, qui videt in eo tonſuram, & habitum non excuſatur ab excommunicatione. propter ignorantiam, niſi forte etiam laici illum habitum ferrent.

QVAERES VI.

An coniuges, qui affinitatem, vel cognationem ſpiritualem contraxerunt cum ignorantia facti, vel iuris prohibentis, vel pœnæ, amittant ius petendi debitum

22 DIco primo ſi coniuges habent ignorantiam facti, vt ſi neſciant puerum, quem baptizant eſſe ſuum, vel eſſe ſibi coniunctam perſonam illam, cum qua copulam habent; vel nõ

eſſe

eſſe in eo gradu, in quo contrahitur affinitas, vt ſi putent eſſe in tertio gradu, cum ſit in ſecundo (tunc enim perinde eſt acſi conſanguinitatem ignoraſſent) non amittunt ius petendi non ſolum quando ignorantia hæc eſt ſine culpa, quod eſt certum; ſed etiam quando eſt cum peccato mortali vincibilis, craſſa, & ſupina, modo non ſit ingens temeritas, aut affectata vt *quæſt. præced. n.* 2. dixi. Ratio eſt, quia canones imponentes pœnam priuationis petendi debitum, petunt in coniuge contrahente affinitatem, vel cognationem ſcientiam *cap.* 1. *de eo qui cognouit conſang.* ibi (*ſi quis cum filiaſtra ſua ſciens*) & *cap. ſi vir de cognat. ſpirituali* ibi *ſiue ex malitia*, ſed quando Canones requirunt ſcientiam, excuſat à pœna ignorantia craſſa, & ſupina, modo non ſit affectata, vt dixi *quæſt. præced. nu.* 2. ergo. Immo etiamſi ex conſcientia erronea putaret coniux ſibi debiti petitionem prohiberi ex eo, quod accedit ad conſanguineam in tertio gradu tamen hoc non obſtãte non priuatur petitione debiti, ſicuti neque ille eſſet excommunicatus, qui laicum percuteret putans eſſe excommunicationem latam contra eum, qui percutit laicum.

23 Dico ſecundo ignorantia iuris, vt ſi quis ſciat perſonam illam, cum qua habet copulam eſſe in ſecundo gradu, vel puerum, quem baptizet eſſe ſuum aut vxoris filium, at neſciat ius prohibens ſpecialiter talem copulam, vel collationem baptiſmi, excuſat etiam coniuges à pœna, quamuis ſit craſſa, modo non ſit affectata, & ingens temeritas; quia textus imponentes has pœnas, petunt ſcienter fieri, & cum ſint pœnales reſtringi debent, vt tam facti, quam iuris ſcientia requiratur: atque ita loquentes de ignorantia iuris eam excuſare docent in cognatione Quãd. 4. *d.* 42. *q. vni. prop.* 9, Nauar. *c.* 16. *n.* 34. Philiar. *de off. Sac. t.* 1. *par.* 2. *lib.* 2. *c.* 11. Suar. 3. *p. q.* 67. *ar.* 8. *de baptiſmo* Ludou. Lopez. 1. *par. inſtr. c.* 85. *§. præterea ſi coniux.*

24 Dico tertio ignorantia pœnæ non excuſat, vt ſi coniux ſciat prohibitionem iuris, ſed neſciat eſſe impoſitam pœnam priuationis petendi debitum, non excuſat à pœna; quare in caſu poſito non poterit coniux debitum petere, vt dixi *quæſt* 2. *in fine*, licet oppoſitum ſit probabile, vt ibidem dixi.

DISPVTATIO XXXIII.

Explicatur An, & quomodo ratione voti emiſſi ante matrimonium poſſint coniuges petere, & reddere debitum.

QVAERES I.

An coniux, qui votum caſtitatis ſimplex emiſit ante matrimonium poſſit eo iam contracto petere, & reddere.

REſpondeo ſi matrimonium iam ſit conſũmatum, poterit ille, qui habet votum caſtitatis, ſiue is ſit tantum vnus coniux, ſiue ambo, qui votum emiſerunt, reddere abſque peccato alteri petenti, quia maior eſt obligatio matrimonij, per quam fit corporũm traditio, quam voti ſimplicis per quod ſolum fit promiſſio. non tamen poterit petere, ſed toties, quoties petet peccabit peccato ſacrilegij (niſi ea petitio eſſet implicitè redditio iuxta dicta hoc *lib. diſp.* 2.) nam votum caſtitatis obligat ſemper & quoad ſemper, quia includit rationem præcepti negatiui nempè abſtinendi ab omni actu venereo. ita docent ex Theol. 4. *d.* 38. *q.* 1. *ar.* 3. *quæſtiu.* 2. *ad* 4. vbi D. Bonau. *ar.* 2. *q.* 1. Alber. Magnus *ar.* 15. Scotus *q. vni. fine* Riccard. *ar.* 7. *ad* 2. Carthus. *q.* 2. Bartol. *q. vni. ar.* 1. Guillelm. Rubion. *q.* 1. *ar* 1. *conc.* 3. Nicol. de Orbellis *§.* 3. & alij ibi Salon. 2. 2. *q.* 62. *ar.* 8. *controu.* 2. Toled. *l.* 4. *c.* 18. Barth. à Ledeſ. *dub.* 32. *§. ſed iam quod matr.* Arago. 2. 2. *q.* 88. *ar.* 3. Valentia 2. 2. *d.* 6. *q.* 6 *de voto pun.* 4. *not.* 2. cum alijs multis tã Theologis, quam Canoniſtis, quos citat Sanch. *n.* 5.

2 Vnde qui prius votum ſimplex Caſtitatis emiſit, & deinde contrahit matrimonium, ſi cum alia fornicetur cõmit-

mittet etiam peccatum ſacrilegij;& ſi alter coniux fornicetur, non poterit ob id petere debitum', quia ipſe non eſt impeditus ad petendum debitum ex aliquo delicto, vt poſſit facere compenſationem; ſed ex proprio voto. Et ſi coniux moriatur tenetur omninò caſtitatem ſeruare, quia iam ceſſauit maior obligatio, quam poterat reddere debitum. ita D. Thom. D. Bonau. Cartu. *l.c.* Sylu. *debitum q.*9. Palac. 4.*q.* 32. *diſp.*2. *fo.*721. Turrec. *c.ſicut.*37.*q.* 1.*a.*1. *fin.* Vega 2.*t.ſum.c.*129.*caſu* 118 *pun.*2. Pedraza *ſum.præc.*6.§.9. Henriq. *l.*12.c.2.*n.*9. quæ vera ſunt etiamſi infidelis votum caſtitatis emiſit,& deinde ducat vxorem; quia hæc obligatio voti eſt de iure naturali, & omnes ligat etiam infideles, vt aduertit Guille. Rubi. 4.*d.*39.*q.*1.*ar.*1.

3 Sunt tamen aliqui, vt Gaeta *in repetit.cap.ad limina* 30.*q.*2.§.4. *nu.*348. & Hieronymus Managa *in arbore conſan.* §.*in nomine n.*54. (habes *t.*9. *tractatuum nouior*) qui putant votum caſtitatis penitus ceſſare poſt initum matrimoniũ ob vinculum fortius ſuperueniens. Alij vero dicunt poſſe vouentem poſtquam matrimonium ſemel conſummauit petere, & reddere: ducuntur, quia matrimonium redderetur oneroſum, ſi ſemper alter coniux deberet petere, & maior difficultas ſuperueniens liberat ab obligatione voti. ita Gloſſa *cap.fin.*27.*qu.*1. Cardin. *cap. rurſus qui cler.vel vouen.* vbi Alex. de Neuo *n.*22. Io. Andr. *n.*6. Anch. *n.*2. Veracrux. 1.*p.ſpec.ar.*15.*con.*2. Matienzo *l.*5 *rec.rub.ti.*1.*gl.*1.*n.*151. & alij,

4 Quod ſi votum ſit virginitatis ſic diſtinguo ſi vouens intendit ſe obligare ad abſtinendum à primo actu venereo poterit matrimonium inire & petere ſi iam fregit votum non abſtinendo ſe à primo actu. at ſi nondum amiſit virginitatem, non poterit matrimonium inire, & ſi contrahat, non poterit prima vice petere, ſed poſtquam conſummatum eſt poterit petere, & reddere quia materia voti iam reddita eſt ipſi impoſſibilis, ſi vero ſimpliciter vouit virginitatem, nullam habens peculiarem intentionem, tunc idem dicendũ eſt, quod diximus de eo, qui vouit caſtitatem, quod in eo voto includitur perpetua continentia; ergo etiam amiſſa virginitate remanet obligatio continendi. ita Caet. 2.2.*q.*88. *ar.*3. Sotus *l.*7.*de iuſt.q.*2.*ar.*1. Valen. Aragon. Palac. ſupra relati.

5 Denique nota, quod ſi alter coniux ſciat alterum votum caſtitatis emiſiſſe, non poteſt cum illo contrahere matrimonium licitè, ſed eo contracto poterit petere debitum, & alter tenetur ſibi reddere, quia nec ipſe vouit continentiam, aut in voto alterius conſenſit. ita Sylu. *matr.*7.*q.*5. *d.*6.

QVAERES II.

An qui emiſit votum Religionis *ſimplex, ſi matrimonium contrahat, teneatur ab eius vſu abſtinere.*

6 REſpondeo negatiuè, & aio hunc poſſe petere, & reddere non obſtante voto ingrediendi Religionem aut ingrediendi, & perſeuerandi, vel ſuſcipiendi ordines ſacros. Ratio eſt, quia vouens ſtatum non ſe obligat ad leges talis ſtatus, niſi prius ſit in tali ſtatu ergo vouens ingredi religonem non tenetur ſeruare caſtitatem antequam ingrediatur religionem, vel ordines ſacros ſuſcipiat, ſicuti neque tenetur ad paupertatem ſeruandam, aut ad officium recitandum, niſi prius ſuſceperit ordines. ita Caet *ſum.ver.mat.c.vlt.* §. *& bene nota* Sotus 4. *d.*38. *q.*2. *ar.*1. *concl.*4 *& lib.*7.*de iuſt.q.*2.*ar.*1.*ad* 3 Armilla *debitum n.*14. Manuel 1.*t.ſum.*2. *edit.c.*242.*n.*3. Petr. Ledes. *de mat q.*53. *ar.*1. *dubiolo poſt* 2.*dub.prin.* Philiar. *de off.Sac.t.*1 *p.*2.*l.*3.*c.*20. Angles *flor.* 1.*p. de ma. q.*11. *de imp.ord. ar.*3. & de voto religionis tradunt etiam Doctores infra citandi.

7 Verum tamen eſt, quod is, qui tali voto ligatus primavice matrimonium conſummat petendo, vel reddendo peccat mortaliter duplici peccato. primo dum iniit matrimonium animo conſummandi. ſecundo dum conſummat,

mat, quia per illam conſummationem ponitur in ſtatu, vt nequeat impſere votum emiſſum, & præterea quando matrimonium diſſoluitur morte coniugis, vel ſi habeat iuſtam cauſam diuortij, vt quod alter coniux fornicatus eſt, vel etiam ſi ipſe fornicatus ſit, & per hoc liceat tranſire ad religionẽ vel ordines vt ſuo loco dicemus, tenetur religionem ingredi, aut ordines ſacros ſuſcipere, quia iam ceſſauit impedimentum fortius quo tenebatur ne votum impleret, neque tale votum per matrimonium fuit extinctum, ſed ſolum ſuſpenſum. ita Pedraza *ſum. præ.* 6. §. 8. Nauarr. *ſum. c.* 12. *n.* 80. Viuald. *Cande. 1. p. de matr. n.* 139. Margarita *conſ. 6. præc. f.* 89. Manuel Gaet. Sotus, Arag. cit. loquentes de voto religionis & de voto ſuſcipiendi ordines ſacros docet expreſsè Petrus Ledeſm. *loc. cit.* facta ſeparatione etiam ob diuortium.

8 Hinc tamen nota. quod ſi quis deſerat habitum monachalem animo perſeuerandi in religione, & deinde mutet voluntatem, poterit ſine peccato vxorem ducere, & matrimonio vti petendo, & reddendo, quia hic nullo modo per delationem habitus vouit ingreſſum religionis, ſed ſolum habuit propoſitum. nam votum eſt promiſſio quam tamen hic non fecit & quamuis C. *conſulti de regular. & cap. ſuper eodem tit. & cap. beneficium eodem tit. in* 6. videantur ſentire eum, qui habitum religioſorum detulit eſſe iam religioſum, ſi habuit intentionem perſeuerandi; tamen DO. explicant ſi habuit intentionem voto firmatam. ita Abb. *ca. literarum n. 2. fin. de voto.* Sylu. *v. debitum q.* 9. Caetan. 2. 2. *q.* 88. *ar.* 1. Nauarr. *l. c. n.* 26. Couar. *de pract. 1. p. §. 3. n.* 12. Graſſis 1. *p. dec. l.* 2. *c.* 21. *n.* 15. Aragon. 2. 2. *q.* 88. *ar.* 1.

QVAERES III.

An qui vouit matrimoniam non inire, ſi poſt votum illud ineat, poſſit petere, & reddere.

9 REſpondeo affirmatiuè quando ſe mel matrimonium cõſummauit (nam ſi non conſummauit dicam *diſp. ſequenti*) ratio eſt, quia vo um hoc (niſi vouens habuerit animum ſe obligãdi ad caſtitatem) non obligat ad abſtinendum à copula per ſe, & primario; ſed tantum ſecundario poſita abſtinẽtia à matrimonio: ergo cum ſit contractum matrimonium non tenetur à copula abſtinere. ita D. Ant. 2. *p. ti.* 2. *c.* 2. §. 1. Bart. à Ledeſ. *dub.* 31. *de matrim.* Petr. Ledeſ. *q.* 53. *ar.* 1. *in dubiolo poſt* 2. *dub. prin.* Lud. Lop. 2. *p. inſt. de matr. c.* 46 Emm. Sà *v. debitum coniug.* tenetur tamen mortuo coniuge aliud matrimonium non inire; quia votum non fuit extinctum, ſed ſuſpenſum, vt docent Bart. & Petr. à Ledeſ. *loci.*

10 Contraria ſententia putans hanc non poſſe petere eſt Palud. Supp. Gabri. 4. *d* 38. *q.* 3 *ar.* 5. & *q.* 1. *ar.* 4. Nau. *loc. cit. n.* 30. Gaet. *opuſ. t.* 2. *tract.* 11. *de voto q.* 1. ratio eorum eſt, quia vouens non inire matrimonium cenſetur etiã vouere illo non vti; ergo eo inito tenetur non vti quantum poteſt, nempe non petendo, ſed ſolum reddendo, ſed noſtra ſententia eſt longè probabilior

DISPVTATIO XXXIV.

An qui emiſit votum caſtitatis ſimplex aſſumendi ordines ſacros; aut non contrahendi matrimonium, ſi deinde contrahat poſſit prima vice matrimonium conſummare, reddendo vel petendo, an potius teneatur ingredi Religionem, vt votum ſeruet.

1 REſpondeo poſſe conſummare matrimonium prima vice abſque peccato, nempè teneri ingredi Religionem ad hoc, vt prædicta vota ſeruet. Ratio eſt, quia quando quis obligatur ad aliquam rem, non tenetur adhibere omnia media poſſibilia ſimpliciter; ſed ſolum moraliter poſſibilia, præſertim cum obligatio oritur exſpontanea voluntate: ergo qui vouit caſtitatem, &c. poſito, quod contraxit matrimonium

non tenetur ingredi Religionem; ſed ſolum præſtare ea; quæ ſunt moraliter poſſibilia. Adde etiam quod nemo tenetur compenſare rem inferioris ordinis vt eſt votum ſimplex cum re ſuperioris ordinis, nempe cum Religione, quę eſt difficillima. tertio, quia ſiquis debeat centum, nec poſſit ea ſoluere, non tenetur ſe vendere in ſeruũ; ergo neque ille, qui vouit religionem, &c. poſito, quod non poſſit votum exequi ob matrimonium contractum tenetur tradere ſe religioni, quæ eſt quędam perpetua ſeruitus. ita Sotus 4. *d.* 38. *q.* 2. *ar.* 1. Quand. *prop.* 6. *ibi* Cordu. *ſum. q.* 236. *p.* 2. Lud. Lop. 2. *p. inſtr. de matr. c.* 46. Henriq. *l.* 12. *c.* 2. *n.* 8. Philiar. *de off. Sac. t.* 1. *p.* 2. *l.* 3. *c.* 19. Perez. *l.* 5. *ord. t.* 1. *l.* 1. §. *dubitatur vlterius quis votum.*

2 Immo non ſolum ſi vota hæc emiſſa ſunt ante initum matrimonium, poterit vouens ſi poſtea illud inijt cõtra votum factum, conſummare, nec ad religionem transire tenetur; ſed etiam ſi emisit talia vota poſtquam contraxit matrimonium ratum, adhuc non tenetur religionem ingredi, ſed poterit illud conſummare. quamuis quando vouit caſtitatem habuerit opinionem ſe non poſſe caſtitatem ſeruare aut ordines ſuſcipere, niſi transiret ad Religionem, & putarit ſe ad id teneri; quia votũ tale caſtitatis ex natura ſua nõ obligat ad religionẽ, nec vouẽtis intentio fuit ſe obligare ad religionem, niſi forte tunc dum uouit caſtitatem actu meminerit ſe ad religionem obligari, & tamen vouit; nam tunc tenebitur ingredi religionem, quia vouit vtrumque, nempe caſtitatem, & ingreſſum religionis. alia circa hanc materiam vide *lib.* 1. *diſp.* 43. & *diſp.* 46. & hoc *lib. diſp.* 6.

3 Solum nota differentiam eſſe inter eum, qui vouit caſtitatem, & eum, qui vouit ordines ſacros ſuſcipere, & non contrahere matrimonium ſiue ante matrimonium ratum, ſiue poſt; nam ille, qui vouit caſtitatem non poteſt prima vice conſummare matrimonium petendo; ſed ſolum reddendo tranſacto Bimeſtri, petendo autem vel reddendo antequam ſit tranſactum Bimeſtre, in quo caſu alter nõ habet ius petendi, peccat mortaliter iuxta dicta *diſp.* 6. *hoc libro.* At qui emiſit votum ſuſcipiendi ordines ſacros, poteſt petendo, & reddendo conſummare matrimonium etiam prima vice ante elapſum bimeſtre, quia votum illud non obligat ad caſtitatem niſi poſt ſuſceptionem ordinũ; verum tamen eſt, quod exiſtente iuſta cauſa diuortij, tenetur ordines ſuſcipere, quos vouerat; neque poteſt petere, aut reddere, quia facit ſe impotentem ad votum implendum per illam petitionem, vel redditionem; videtur enim per eam petionem remittere iniuriam factam ſibi ab altero coniuge. Denique qui vouit abſtinere ſe à nuptijs, poteſt prima vice conſummare petendo, vel reddendo etiã ante bimeſtre; & quãmuis habeat iuſtam cauſam diuortij, nam hoc votum non obligat ad caſtitatem ſeruandam nec vouens tenetur religionem ingredi, vt *diſp. præced.* dictum eſt.

4 Contraria tamen ſententia putat peccare mortaliter eos, qui his votis aſtricti conſummant prima vice ſiue petendo, ſiue reddendo, etiam ſi alter coniux non vult cedere, teneri eos religionem ingredi ad hoc vt talia vota adimplere valeant, ſiue ea ſint emiſſa ante contractum matrimonium, ſiue poſt matrimonium ratum. Et hæc ſententia eſt ſatis probabilis. ratio pro his eſt, quia ante conſummationem matrimonij voto ligatus poteſt votum illud implere ingrediendo religionem, & per conſummationem aufert talem poteſtatem; ergo peccat. ita docent ex Theol. D. Tho. 4. *d.* 38. *q.* 1. *ar.* 3. *quæſtiunc.* 2. *ad* 3. vbi Scotus *q. vni. fine* Maior Durandus, Palud. Supp. Gabr. Alex. *in Enchir. 2. p. pr. 6.* §. *ſi poſt votum* Nider. *præ. 6. c.* 4. Toled. *ſum. c.* 18. *l.* 4. Azor. *l.* 11. *inſtit. c.* 21. & alij cum Naua. Tabien. Sylu. Armill. Gaeta. Stunica apud Sanch. *n.* 2. Et quamuis hi loquãtur de aſtricto caſtitatis voto; eadem tamen eſt ratio in alijs votis

DIS-

DISPVTATIO XXXV.

Explicatur an vota ſimplicia caſtitatis religionis, aſſumendi ordines, non ineundi matrimonium emiſſa à contuge poſt matrimonium ratum, vel conſummatum ſine licentia alterius ſint licita, & quomodo impediant actum coniugalem

QVAERES I.

An quando quis emiſit votum, cuius pars eſt mala, impoſſibilis, vel indifferens: altera vero bona, & poſſibilis teneatur ad hanc partem bonam, an potius ad neutram.

1 REſpondeo cum hac diſtinctione ſi vouens per modum vnius promittat illam rem, tunc ſi pars eſt impoſſibilis, aut mala, vel indifferens, ad nihil tenetur, quia votum pendet ab intentione vouentis; ergo ſi ille vouit per modum vnius rem illam, cuius pars eſt mala, altera bona, non tenetur niſi ad rem illam ſub ratione totius, ſed res illa eſt inepta materia voti; nam eſt mala, impoſſibilis, aut indifferens: malum enim eſt ex quocunque defectu; ergo votum de tali re eſt irritum; ſi vero non voueat per modum vnius; ſed independenter a parte mala vult promittere partem bonam, tenetur ad illam partem bonam ſeruandam, quia vtile per inutile non vitiatur, quando ſeparari poſſunt *regula vtile de reg. iur. in 6.*

2 Denique ſi non conſtat quam intentionem habuerit vouens, ita procedendum eſt in iudicando an votum ſit factum per modum vnius, an non: ſi res quæ vouetur eſt indiuidua, ita vt non ſoleat communiter diuidi, vt recitare coronam. B. Virginis, vel officium defunctorum, tunc eſt per modum vnius, & qui non poteſt totum implere, neque tenetur ad partem; ſi vero res eſt diuidua, quæ commodè ſeparari poteſt, vt ſi quis voueat ieiunare integram hebdommadam, votum non cenſetur factum per modum vnius; tunc qui non poteſt totum, tenetur ad partem. Ratio eſt, quia quando non conſtat de intentione vouentis; cenſeri debet impoſitam eſſe obligationem iuxta modum quo Ecclesia iudicat de eadem re: ſed præcepta Ecclesiæ de re indiuidua obligant per modum vnius, & de re diuidua per modum plurium: ergo etiam & vota de his rebus, quando non conſtat de intentione vouentis, & ita intellige multos Doctores, & C. *quemadmodum §. final. de iur. iuran.* dum dicunt non ceſſare obligationem implendi partem, quando totum eſt impoſſibile; vnde infertur iuramentum, quod integre obſeruari nequit debere obſeruari, quoad partem ſcilicet quando res eſt diuidua.

3 Secundo ſi pars poſſibilis, & bona promittitur acceſſoriè, & pars impoſſibilis, mala, vel indifferens principaliter, tum tota promiſſio voti eſt irrita, vt ſi quis vouit transire ad Indos, vt faciat mercaturam, & prius confiteri peccata. Contra vero ſi res principaliter promiſſa ſit bona, & acceſſorium ſit indifferens, vel malum, vel impoſſibile, tenetur ex vi voti ad illam partem bonam omiſſo illo acceſſorio malo, vt ſi voueam ire Romam nudus, niſi forte modus additus rei principali redderet multò faciliorem rem illam, vt ſi voueam ire Romam equitans, ſi non poſſum equitari, ire non teneor ad votum implendum, nam tunc cenſetur vouēs vouere ſubſtantiam dependenter a modo. vide Emm. Sà *v. votum* Manuel 2. *t. ſum. c.* 92. *n.* 1. Vegam 2. *t. c.* 129. *caſu* 57.

4 Denique ſi adhuc remanet dubium de his rebus, iudicandum eſt in fauorem libertatis vouentis ac ſi nil vouiſſet; quia in dubio melior eſt conditio poſſidentis non ſolum in materia iuſtitiæ, ſed etiam in alijs, vt latè dixi *lib.* 2. *diſput.* 41. ſed voluntas poſſidet libertatem; ergo & cæt.

†

QVAERES II.

An vota simplicia religionis, sumendi ordines sacros non ineundi matrimonium emissa ab altero coniuge sine licentia alterius post matrimonium sint valida, & quando obligent.

5 REspondeo, qui emisit votum religionis ante consummationẽ matrimonij, tenetur religionem ingredi, nec potest prima vice licitè consũmare, sed postea quam consummauit potest petere, & reddere iuxta dicta disput. 33. de eo, qui hoc votum emisit ante initum matrimonium.

At si votum emissum est post matrimonium consummatum, ita distinguas: si vouẽs promisit ingredi religionẽ animo tunc implẽdi durãte matrimonio, est irritum tale votum, quia est votum de re illicita ex *cap. quidam*, & *cap. placet de conuers. coniug.* vt docet cõmunis sententia; contra vero si emisit pro tempore soluti matrimonij, quando iustam causam diuortij habuerit, aut si absolutè vouit non præfiniendo tempus, valet votum, & tenetur sic vouens post mortem vxoris, aut quoties licitè poterit celebrare diuortium ingredi religionem. Ratio est, quia actum efficiens, nempè votum, visus est velle vt valeat aptiori, & efficaciori modo, quo potest, vt probat Menoch. *de præs. l. 6. pr. 5. n. 1.* ita Abulensis *c. 30. num. qu. 69.* Henriqu. *l. 11. ca. 15. num. 8. fine.*

6 Et idem dicas de eo; qui emisit votum suscipiendi ordines sacros post matrimonium consummatum, aut etiam post matrimonium ratum, quando non habuit animum ingrediendi religionem, aut negatiuè se habuit, nec de ingressu cogitans, nec etiam de nõ ingressu; quia militat supradicta ratio. nam si post matrimonium ratum emisit tale votum animo ingrediendi religionem; valebit votum, cum sit de re licita, & sibi permissa; & tunc tenetur implere cum matrimonium soluitur vel diuortium celebratur. interim potest petere, & reddere si non vouit religionem.

Denique votum non ineundi matrimonium est validum, & obligat ad non contrahendum aliud, soluto primo.

QVAERES III.

An votum castitatis, aut non petendi post matrimonium emissum ab altero coniuge sine licentia alterius sit validum, & ad quid obliget.

7 REspondeo si loquamur de voto non petendi id esse validum, & obligare vouentem ad non petendum nisi in casu, in quo non est petitio, sed interpetratiuè redditio, vt *disp. 7. hoc lib.* dictum est, licet possit reddere etiã quando haberet ius negandi debitum & aliud inire matrimonium, nec peccet contra votum fornicando &c. ratio conclusionis est, quia lege matrimonij non tenetur petere, sed solum reddere *cap. si dicat 33. q. 5.* ex altera parte est opus veritatis, ergo est materia voti, & obligabit vouentem, qui vtitur in vouendo iure suo; etiam si aliquod grauamen alteri coniugi inferat ita Valentia 2. 2. *dis. 6. q. 6. de voto p. 6. q. vlt.* Caetan. *opus. t. 1. tract. 31. 17. responsionum resp. 14.* Greg. Lop. *l. 3. v. el marido t. 8. p. 1.* Stunica *de voto q. 3. nu. 58.* Io. de Friburg. *sum. conf. l. 1. t. 8. q. 43.* & alij. Contra Angles. Florib. *1. p. de matr. q. 6. de oblig. solu. debitum ar. 1.* putantem valere tale votum ab vxore emissum, non autem viro, quia huic non est onerosum petere.

8 At si loquamur de voto castitatis respondeo cũ distinctione si emissum est ante matrimonium consummatum animo ingrediendi religionem est validum tale votum, & vouens quando non tenetur ex iustitia, obligatur ad non petendum, neque reddendum priori bimestri, & quoties ex iustitia reddere non tenetur, elapso vero bimestri poterit consummare petendo, & reddendo, vt patet ex dictis *disp. 6. hoc libro.*

9 Quod si votum castitatis fuit emissum post matrimonium consummatũ est validum, quoad non petendum,

& sic

& ſic tenetur non petere, nec aliud matrimonium inire, & ab omni actu venereo extra matrimoniũ abſtinere probatur quia obligatio eſt diuidua, & poteſt habere cõmodam ſeparationem. nam vouens caſtitatem poſt cõſummatum matrimonium non vouet omnes eius actus per modum vnius; ergo poteſt ſeparari pars poſſibilis, & bona nempè non petere à parte alia impoſſibili, nempè non reddere.

10 Probatur ſecundo ex cap. *placet de conuerſ. coniug.* ibi: *licet votũ eius vſquequaque non tenuerit, eatenus tamen fuit obligatoriũ quatenus poterat ſe obligare,* ſed coniux poterat ſe obligare ad non petendum vt dictum eſt nu. 1. in hoc quæſito, & ad omnes alios actus caſtitatis, quos numerauimus ergo. At eſt omnino irritum quoad non reddendum, ita vt vouens poſſit licitè reddere, etiã ſi alter coniux amiſerit ius petendi v. g. ob adulterium; & quamuis votum approbaret. Probatur ex cap. *quidam de couuerſ. coniug.* ibi: (*Votum non tenuit vlterius vero non poterit vxorem accipere, promiſit enim ſe non exigere debitum quod in eius poteſtate, erat, & ideò quoad hoc votum tenuit, non reddere autẽ non erat in eius poteſtate, ſed mulieris*) ergo poteſt licitè reddere ad libitum, cum tale votum quoad hanc partem fuerit irritum, nec conſenſus vxoris illud poterit confirmare. ita Caet. 2. 2. *q.* 88. *a.* 8. *dub.* 2. D. Bonau. 4. *d.* 32. *in expoſit. literæ n.* 3. Celaia *q.* 2. Aſten. 2. *p. l.* 6. *ti.* 10. *ar.* 2. *q.* 3. Sotus *l.* 7. *iuſt. q.* 3. *ar.* 1. Nauarr. *c.* 13. *n.* 60.

QVAERES IV.

An peccet coniux emittens votum Religionis, ordines ſacros ſuſcipiendi, aut continentiæ.

11 DIco primo ſi matrimonium non ſit conſummatum licitè poteſt emittere votum Religionis, aut ſuſcipiendi ordines ſacros animo tranſeũdi ad Religionem; quia tunc talis trãſitus eſt licitus etiam inuito altero coniuge, & ſimiliter dicendum eſt licere votum Religionis, & ſumendi ordines ſi fiat poſt conſummatũ matrimonium animo implendi matrimonio diſſoluto, vel quando fiat diuortiũ; ſed ſi abſolutè vouear; tunc enim intelligitur implendum ſuo tempore; alias erit peccatũ mortale vouere Religionem, aut ordines ſacros pro tempore conſtantis matrimonij altero coniuge inuito.

12 Dico ſecundo licitum eſt coniugi vouere caſtitatem, ſeu continentiam etiã poſt matrimonium conſummatũ altero coniuge inuito, animo non petendi, aut abſolutè, quo caſu accipitur in quantum eſt licitum tale votum, vt dictũ eſt, quia eſt de re licita; at poteſt eſſe peccatum veniale indiſcretionis ob periculũ vouentis, & onus alterius coniugis. ita Petrus Ledeſma *de mat. q* 64. *a.* 4. *dub.* 1 *con.* 4. Bart. à Led. *de matr. d.* 71. & Bart. de Ledeſma. Contra vero eſt peccatum mortale emittere votum continentiæ animo nec petẽdi, nec reddendi ſi fiat poſt matrimonium conſummatum, quia promittitur res contra iuſtitiam. ita Io: de Fiburgo *ſum. conf. l.* 1. *t.* 8. *q.* 44.

DISPVTATIO XXXVI.

An quando coniux emiſit votum ſimplex Religionis, Caſtitatis, aſſumendi ordines ſacros cum licentia alterius ea vota ſint valida, & vſum coniugalem quo modo impediant.

1 IN hac re certum eſt vota religionis, & ordines ſacros ſumendi valere eodem modo cum licentia alterius coniugis, ac quando ſine licentia emittuntur iuxta dicta *diſ. præcedenti*, ſimiliter conſtat vouentem caſtitatem cũ licentia, non poſſe petere debitũ, nec teneri aliquoties alteri coniugi ſe offerre, ne matrimonium reddatur illi oneroſum; iam enim ille dando licentiam, ſibi in hoc præiudicauit. Difficultas igitur ſolũ remanet: an cõiux, qui dedit licentiã alteri vouendi caſtitatem, poſſit petere, & vouens teneatur reddere; & contra an caſu quo vouens petat, poſſit, & teneatur alter, qui dedit licentiam reddere. ad quod

Reſpondeo in vtroque caſu affirmatiue; quare ſi Titius coniux vouit caſti-

tatem

tatẽ cum licentia Bertæ cõiugis, ſi Berta petat, põt, & tenetur Titius ei reddere, & cõtra ſi Titius qui vouit contra propriũ votũ petat, poteſt & tenetur Berta reddere. Ratio eſt, quia coniux licẽtiã concedens alteri vouẽdi (ſi nil aliud explicet) non priuatur iure petendi, nam ea licentia eſt intelligenda ſolum vt vouens poſſit ſe obligare ad caſtitatem abſque præiudicio alterius. Nec vouens priuatur iure iuſtitiæ, quod habet vt alter coniux ſibi petenti reddat: ergo poteſt tam Titius vouens de licentia Bertæ illi petenti reddere, quam Berta Titio ſi poſt votum petat, & tenentur. Et quidem quod vouens teneatur reddere conjugi qui licentiam dedit, docent Sotus 4.*d.* 27. *q.* 1. *ar.* 4. Nauar. *c.* 12. *n.* 59. Ant. Gomez. *in bull. cruc. clauſ.* 10. *n.* 68. Vega 2. *t. c.* 129. *caſu* 77. D. Ant. 3. *par. ti.* 1. *c.* 22. §. 3. & alij. Contra Palud. Adrianum, Abulenſ. Turrecr. & alios apud Sanch. *n.* 4. putantes non teneri reddere, quia concedens licentiam, ceſſit iure ſuo. vnde infert Alexander *Enchid.* 2. *p. præ.* 2. *tract. de voto* Stunica *de voto q.* 3. *n.* 62. & eum peccare mortaliter ſi reddat.

2 Quod vero concedens licentiam teneatur reddere petenti per votum emiſſum docent Palud. 4. *d.* 32. *q.* 2. *ar.* 2. Veracr. 1. *p. ſp. ar.* 15. Enriq. *l.* 11. *c.* 15 *n.* 8. Bart. a Ledeſ. *dub.* 10. *de matr. concl.* 1. contra Nauarr. *ca.* 12. *n.* 59. Ioan. de Neapoli *quodl.* 8 D. Ant. *lo. ci.* Sylu. *votum* 5. *q.* 2. Vegam *l. c.* qui putant non teneri reddere, quia vouens de licentia amiſit ius petendi, & per conſequens peccare mortaliter ſi reddat, cooperat enim peccato petentis contra votum emiſſum in caſu, in quo nõ tenetur. Et hæ ſententiæ ſunt ambæ probabiles.

3 Immo etiamſi coniuges ius petendi non habeant, vt priori bimeſtri, vel quando commiſerunt adulterium, ad huc poteſt alter alteri petenti reddere; nimirum qui vouit de licentia poteſt reddere alteri licentiam concedẽti, & etiam is, qui licentiam dedit poteſt reddere illi, qui vouit, vt patet ex *diſp. præced.* & *diſp.* 6. huius libri.

QVAERES I.

An idem dicendum ſit, quando alter coniux conceſſit alteri expreſſam licentiã vouendi omnimodam caſtitatem, an ſcilicet tunc vouens poſſit, & teneatur reddere alteri, & contra ſcilicet concedens licentiam teneatur reddere vouenti.

4 RESpondeo affirmatiuè, ratio eſt, quia qui dedit prædictam licentiam, & qui vouit cum tali licentia (abſque mutuo pacto, & renunciatione iuris ſui) non abdicant à ſe ius iuſtitiæ, quod habet in corpus coniugis; ergo poſito, quod petant, tenetur alter alteri reddere. verum tamen eſt, quod qui vouit peccat contra votum, ſi petat; & qui dedit licentiam vouendi, peccat contra Religionem: dum contrauenit voto de ſua licentia expreſſa emiſſo. poterit etiam non peccare cõtra votum, ſi nimirum prius irritet votum ab altero emiſſum de ſua licentia, quod poſſe facere dicemus *diſp.* 40. & 42. ſed ſolum peccabit irritando votũ ſine cauſa, quando eam non habet.

5 Immo etiam ſi concedens licentiã omne ius iuſtitiæ à ſe abdicauerit, & alter acceptauerit, & vouens etiam (in quo caſu non tenetur, nec poteſt alter alteri reddere) tamen ſi hoc ius ſibi remittant, licet peccent contra votum valida erit renunciatio, ita vt alter teneatur reddere alteri petenti. Nam per eam renunciationem non ſunt facti incapaces acquirendi dominium in corpus alterius coniugis, ergo quando alter remittit illam renunciationẽ habent ius petendi. quod autem tale votum ſit licitum, patebit diſputatione ſequenti.

DISPVTATIO XXXVII.

An peccent coniuges, qui ſimul emittunt vota caſtitatis, Religionis, ſuſcipiendi ordines ſacros, & non ineundi matrimonium, & an impediantur debiti petitione, & redditione.

Caſus

1 CAſus propoſitus tripliciter poteſt accidere: primo ſi vterque coniux voueat ſine alterius licentia, & tunc dicenda ſunt eadem, quæ diximꝰ diſp. 35. tenetur enim ad ea ſeruanda, ac ſi alter non vouiſſet. Secundo ſi vterque poſt matrimonium vouit cum licentia alterius, ſed alter independenter ab altero, vt ſi Titius coniux petat licentiam à Berta vouẽdi caſtitatem, & ea obtenta voueat, & ſimiliter Berta petat à Titio talem licentiam, & ea obtenta voueat, & in hoc caſu eadem dicas, quæ diximus diſp. præcedenti. Nam Titius eadem tenetur præſtare, quæ diximus teneri coniugem, qui cũ licentia vouit, ac ſi Berta nõ vouiſſet; & ſimiliter Berta eadem debet obſeruare ac ſi Titius non vouiſſet, votum enim alterius non minuit obligationem vouentis.

2 Tertio denique votum poteſt emitti à coniugibus mutuo conſenſu vt eſt cum vltra licentiam inuicem conceſſam, interuenit pactum, vt ſi Titius dicat Bertę voueo, vt voueas, & ſimiliter Berta Titio, & in hoc caſu iuxta diuerſitatem voti varia poſſunt eſſe quæſita.

QVAERES I.

Si coniuges emittant communi conſenſu votum Religionis. ad quid teneantur.

3 DIco eos poſſe petere, & reddere non ſolum poſt conſummatum matrimonium, ſed etiam ſi votum hoc fuerit emiſſum ante conſummationẽ. Ratio eſt quia per illam petitionem, & redditionem etiam matrimonio non dum conſummato, non reddunt ſe impotentes ad ingrediendã Religionem. nam etiam conſummato matrimonio poſſunt ambo ingredi Religionem, ac ſi non conſummaſſent; neque alter tenetur altero inuito ingredi Religionem, immo etiam tempore nouitiatꝰ poſſunt ſibi mutuo petere, & reddere quia non tenentur caſtitatem ſeruare niſi poſt per profeſſionem, ſed ſolũ ille, per quem ſtat ne votũ adimpleatur, peccabit mortaliter, non tamen tenentur reddere quia per votum Religionis ex mutuo conſenſu factum, ſuo iuri renunciarunt.

QVAERES II.

Si vir emittat votum ſuſcipiendi ordines ſacros Matrimonio conſtante, & vxor continentiam. an valeat tale votum, & ad quid obliget.

4 DIco valere votum tam ex parte viri, quam ex parte vxoris, modo vxor ſit ſexagenaria, & non ſuſpecta de incontinentia, nam ſi non eſt talis, votum ſuſcipiẽdi ordines ſacros nullum eſt, quia eſt de re illicita, cum vir non poſſit ordines licitè ſuſcipere, niſi vxor habeat conditiones requiſitas, de quibus egimus cum de impedimento ordinis, & votum vxoris etiam eſt nullũ: nam fuit factum per modum contractus, facio, vt facias. vnde non obligat niſi vir pactum impleat efficaciter ſumendo ſcilicet ordines ſacros; vnde poſſunt interim petere (niſi vouens caſtitatem expreſſe intenderit vouere illas independenter à voto viri, quod tamen in dubio non præſumitur) ſed non tenentur reddere ob rationem numero præcedenti dictam.

Idem prorſus dicendum eſt vbi alter coniux v. g. vir vouit Religionem, alter continentiam, & habet conditiones requiſitas ad hoc, vt alter poſſit ingredi Religionem; ſi vero non habet conditiones requiſitas: v. g. quia vxor non ſit ſexagenaria, aut ſit ſuſpecta de incontinentia; ſi fuit emiſſum tale votum poſt conſummatum matrimoniũ, iam eſt nullum, vt dictum eſt. ſi vero ante conſummatum matrimonium: ita diſtinguas ſi tãtum tempus ſit elapſũ, vt arbitrio boni viri vouens Religionem, cenſeatur eſſe in mora, debet admoneri ab eo, qui vouit caſtitatem, & ſi nolit poteſt vouẽs caſtitatem petere, & reddere, nec deinde amplius manet ligatus eo voto, non tenetur tamẽ reddere, quia poteſt petere vt pactum impleatur; alter vero tenetur quando

ſibi

ſibi licuerit ingredi Religionem, quia fuit cauſa ne vouens caſtitatem ſtaret pacto,& ſic remanet coram Deo obligatus. Si vero vouens Religionem nõ fuit in mora, peccat qui vouit caſtitatem petendo,vel reddendo, quia facit contra votum,& eſt cauſa, vt alter nõ poſſit votum religionis implere: conſummato tamen matrimonio poſſunt ambo petere,& reddere, & ſi caſus venerit,in quo, qui vouit Religionem, poſſit ingredi,tenetur alter caſtitatem ſeruare,nec poteſt petere, aut reddere; ſi vero etiam tunc nolit ingredi, aut moriatur liber eſt à voto caſtitatis,quia fuit emiſſum per modum contractus.

QVAERES III.

Quid nam dicendum ſit vbi ambo coniuges communi conſenſu caſtitatem vouerunt.

6 REſpondeo tale votum eſſe de ſe licitum,& validum, vt patet ex D.Auguſt.*epiſt.* 199. *ad edictiam*,& refertur cap. *quod Deo* 33.*quæſt.* 5. (*tanto Sanctius inter vos coniuges manebatis, quanto ſanctiora concorditer placita ſeruabatis*) licet poſſit eſſe peccatum venialeimprudentiæ ob periculum incontinentiæ,coniuges vero dicto voto ligatos non poſſe petere, nec reddere, & peccare mortaltter peccato ſacrilegij tam petentem, quam reddentem, quia ex vna parte ob votum caſtitatis tenentur ſeruare continentiam; ex altera parte non obligat ius iuſtitię ad reddendum,quiá iam huic iuri renunciarunt. ergo peccant contra votum, ſiue petãt, ſiue reddant. ita ex Theol. Alber.Magnus 4. *d.* 32. *artic.* 7.*ſupp.* Gabr.*q.vn. ar.* 2. Scotus *d.*17.*q.*1. *ar.*4. Arag.22. *q.*88.*a.*8.*dub.vlt.*Enriq. *l.*11. *de ma. c.* 15. *num.* 8. Azor *l.* 11. *c.* 21. *q.*5. cum multis Cano.Nauar. *cap.*12. *n.*59. Stun. *de voto q.*3. *num.* 64. Sylu. *votum* 5.*quæſt.* 2. Abb. *cap.* 1. *de conu. coniug.* Card. *qu.* 3. Ioann.Andr.*nu.* 2. Innoc. *fine* Turre *d. c. quod Deo* contra Veracruz 1.*par.ſpec. ar.* 15. & viros doctos,quorum ſentẽtiam refert, & probabilem putat Petrus de Ledeſma *q.* 53. *a.* 1. volentes non peccare reddendo, quia non eſt amiſſum dominium corporum per illud mutuum pactum.

7 Excipe tamẽ niſi remittant ſibi mutuo illud iuś(quod poſſe valide facere ſupra diximus, quamuis peccent contra votum) facta in tali remiſſione tenetur alter, alteri petẽti reddere; nec ea petitio eſt ſimpliciter voti irritatio aut remiſſio obligationis: ſed ſolum pro illa vice videtur remittere. Immo quamuis alter fornicetur, tenetur alter ſeruare continentiam,quia eius votum factum mutuo conſenſu non pẽdet ex obſeruatione alterius,ſed ex obligatione quam ſibi impoſuit alter vouendo,nam fuit voueo vt voueas; ergo ſtatim ac alter vouit,& ſe obligauit,impleuit exparte ſua quod debuit, & ſic alter remanet obligatus, ita vt nec poſſit coniugem fornicantem repetere,neque poſſit iudex Eccleſiaſticus ex officio compellere eos, quamuis ambo fornicati ſint ad habendam copulam:nam peccatum non poteſt eximere ab obligatione ex voto contracta, ſed poteſt peti diſpenſatio voti. ita Alexander de Neuo *c. tua el* 2. *n.* 9.*&* 10.*de iur. iur.* quamuis Imola ibi n.2. putet cogendũ eſſe, & Abbas addat ſi eſt ſuſpicio perſeuerandi in peccato,*ibid.n.*6.vide Greg.Lop.*l.*8.*t.* 2.*p.* 4.vbi reprobat Gloſſ.*c. noue fine* 30. *q.* 1.& alios aſſerẽtes poſſe cogi à iudice.

8 Quare ſi coniuges poſt votũ copulã habent inter ſe,debent fateri hanc circũſtantiam, nam leuius peccatũ eſt poſt id votum habere copulã cũ proprio coniuge,quã cũ alio ſoluto, quia in hoc caſu eſt ſacrilegium, & adulterium;in priori caſu eſt ſolũ ſacrilegiũ; vnde exprimitur circumſtantia aggrauans,quatenus eſt etiam duplex ſacrilegium, & minuens quatenus non eſt adulterium.

9 Denique nota quod tenẽtur coniuges ſimul habitare,& alia obſequia ſibi præſtare,nec poſſe alterum altero inuito ad religionem trãſire, etiamſi cæ-

tera

coniugis in *tit. de conuerſ. coniug.* tenentur tamen vbi eſt periculum incontinentiæ lectum ſeparare, vide Innoc. *c. dudum de conuerſ. coniug.* Ant. *n.* 6. *c.* 1. Card. *q.* 3. Ioa. de Fibur. *Sum. conſ. l.* 1. *t.* 8. *q.* 46.

QVAERES IV.

An ſi coniuges pactum mutuum ineant nõ petendi, nec reddendi abſque voto, tale pactum obliget.

10 REſpondeo affirmatiuè quia nemini fit iniuria per tale pactum; quare non tenetur alter alteri petenti reddere, nec poteſt ad id cogi; quia per pactum ius acquiſiuit, vt ſit liber ab ea obligatione, vt docent Nauarr. Henriquez locis cit. n. 6. Lud. Lopez 1. *p. inſt. c.* 84. Manu. 1. *t. ſum.* 2. *edit. c.* 243. *n.* 14. niſi fortè alter eſſet in periculo incontinentiæ; tunc enim ratione charitatis tenetur reddere, aut niſi pactum remiſſum fuerit; poſſunt enim ambo abſque peccato tale pactum etiam ſi fuit perpetuum mutuo conſenſu diſſoluere, quia res per eaſdẽ cauſas, per quas naſcitur, per eaſdem moritur cap. 1. *de reg. iur.* ergo cum pactum oriatur mutuo conſenſu, mutuo etiam conſenſu poteſt diſſolui: poteſt etiam talis conſenſus tacitè præſtari, vt ſi continuo dormirent in eodem lecto ſe cõmiſcentes; nã ſi ſemel, aut bis copulam habeant, non eſt pacti renunciatio, niſi pro illa vice, vt etiã *num.* 7. dixi.

11 Nec ſolum tale pactum poteſt remitti, ita vt in poſterum alter alteri parenti reddere teneatur ſine peccato, quando eſt nudum, ſed etiamſi ſit iuramento confirmatum, quando tale iuramentum eſt præſtitum in fauorem vtriuſque coniugis; ſi enim factũ eſt intuitu pietatis, (quod in dubio debet præſumi, quãdo materia eſt pia,) ſi peccarent, vt diximus ſi votum emiſiſſent *à n.* 6.

12 Quod ſi alter, aut vterque coniux poſt prædictum pactum iurent ſeorſim ſine mutuo conſenſu, aut votum emittant, quoties tenentur ſeruare omnimodam caſtitatem, nec petendo, nec reddendo, (vt ſi poſt pactum iurent, aut ſi iuramentum emiſſum ſit ante matrimonium, vel poſt matrimonium, ſed cum licentia alterius iurãdi, ſeu vouendi plenam, & omnimodam continentiam) toties nõ poſſunt illud ius remittere ſine peccato, at remiſſio tenet; & etiam valida vt *diſp.* 6. in ſimili dictum eſt, nam poſito quod tunc ſeruare omnimodam caſtitatem ſit licitum, peccat ille, qui per illam remiſſionem ponit ſe in ſtatu, vt non poſſit ſeruare. Contra vero quando votum, ſeu iuramentum obligat ſolum ad non petendum, vt dixi diſputatione præcedenti, & 35. poſſunt tunc remittere ius, nam ſemper manet obligatio ad non petendum.

DISPVTATIO XXXVIII.

An filij habiti à coniugatis per copulã ſacri legam nẽpè factã contra mutuum caſtitatis votũ, aut alterius profeſſionem, aut ordinis ſacri ſuſceptionem ſint legitimi.

1 REſpondeo ſi filij ſint habiti post votum ſimplex caſtitatis, aut poſt profeſſionem vnius coniugis, aut ſuſceptionẽ ordinũ non legitimè factum, ſunt legitimi quoad omnia tam tẽporalia, quam ſpiritualia, probatur quia in his caſibus parentes ſunt vero matrimonio vincti; ergo filij ex his nati ſunt verè legitimi ex *l. filiũ* 6. *ff. de his, qui ſunt ſui, vel alieni iuris*; neque culpa parentum debet filijs eſſe damnoſa propter caſus in iure expreſſos; ſed hi caſus non ſunt poſiti in iure, vt videbimus, ergo ita loquentes in voto caſtitatis docent Card. *c. dudum op. poſt.* 3. *q. de conu. con.* Alex. de Neuo *c. tua* 2. *n.* 9. *de iure iur.* loquẽtes autem in caſu profeſſionis, aut ſuſceptionis ordinis non legitimè factæ altero contradicente docent Archid. *cap. miniſtri fin.* 81. d. Alber. *lit. l. v. illegit. nati* D. Ant. 3. *p. t.* 28 *c.* 1. §. 2. Henr. *l.* 11. *c.* 20. *n.* 1. *& alij*, & loquens quando coniux non præſtat ea, quæ ſunt præſtanda dicit Mayolus *lib.* 1. *de irreg. c.* 4.

At ſi filij habiti ſint poſt profeſſionem coniugum, aut ſuſceptionem ordinum legitimè factam, etiamſi ſuſceptio fiat ante matrimonium conſummatum, quod non diſſoluitur per ordines ſacros ex Extrauag. Io. 22. erunt quidem legitimi quoad temporalia ſucceſſionem &c. ut patet ex ratione aſſignata, ſed erunt irregulares quoad ordines, & beneficia Eccleſiaſtica capienda, probatur ex *cap. lit. de filijs præſb.* qui textus cum dicit prolem eſſe irregularem ad modum illegitimæ ob paternam incontinentiam, intelligendus eſt eſſe aliquo modo irregularem nempè quoad ſpiritualia, ut docent Rayne-rius *ſum t. de filijs præſ. §. ſed poſſe* Anto. *c. lit. d n. 7.* Card. *q. 1. fine.* & quoniã militat eadem incontinentia, quando copula habetur poſt profeſſionem. ideò merito idem dicitur in vtroque caſu, ut aduertit Mavolus *l. c.* intellige tamẽ quando profeſſio fuit facta poſt matrimonium conſummatum. nam ſi ante eius conſummationem proles poſtea habita erit ſpuria, quia iam matrimonium fuit ſolutum, & copulam eſt inter perſonas inhabiles ad contrahendum propter profeſſionem.

2 Sunt tamen multi, qui dicant prolẽ eſſe illegitimã ſi habeatur poſt ordinũ ſuſceptionem, ut Archid. *c. 2. n. 2. de fil. præſ. in 6.* vbi Domin. *n. 8.* Hoſt. *ſum. eod. ti. §. qui filij ſint n. 5.* Goffr. *n. 7.* Aliqui ẽt volunt eſſe ſpuriam ſi fiat poſt profeſſionem ut Rebuffus *prax. benef. ti. de diſ. ſuper. def. nata. n. 40.* Bertach. *reper. lit. F. v. filius baſtardus.* Immo putant eſſe illegitimam, quando habetur poſt votum caſtitatis ſimplex. Stunica *de voto q. 3. nu. 63.* Manuel. *2. t. ſum. ca. 90. numero 6.*

DISPVTATIO XXXIX.

Explicatur quæ vota, & in quibus caſibus poſſint irritari à marito, ſi ea vxor emiſit abſque licentia ipſius ante matrimonium, vel tempore matrimonij.

†††

QVAERES I.

An poſſit maritus irritare omnia vota vxoris emiſſa conſtante matrimonio, & tunc implenda.

1 CAſus propoſitus eſt iſte. Berta vxor Titij vouit dare eleemoſinã, ieiunare, non mentiri &c. tempore, quo durat matrimonium ſine Titij mariti licentia. quærimus an Titius ſciens poſtea talia vota, poſſit illa irritare tollendo omnino obligationem eo prorſus modo, quo ſuperior poteſt irritare vota Religioſi ſubditi, & pater vota filij impuberis. Et ratio difficultatis eſt, quia ideo ſuperior poteſt vota ſubditi irritare, quia habet quaſi dominium voluntatis ſubditi, ſed maritus non videtur habere dominium quoad voluntatem vxoris, ſed ſolum quoad materiam; quare deberet ſolum irritare vota, quæ ſunt circa materiam ſibi præiudicantem: nihilominus.

Reſpondeo probabilius eſt poſſe omnia ea vota irritare etiam ſi ſit votum in ſubſidium Terræ Sanctæ, ut dixi hoc *lib. diſp. 4.* Ratio eſt, quia vir in cæteris rebus eſt caput vxoris, & vxor eſt ſubdita viro, licet in actu coniugali ſint pares; ergo vir debet dirigere voluntatem vxoris ne imprudenter voueat; ergo habet quaſi dominium in eius voluntate, ſicuti Prælatus habet dominiũ voluntatis ſubditi: ergo poteſt vir omnia vxoris vota irritare; ſicuti poteſt Prælatus omnia vota ſubditi, & quamuis actus, quo votum emiſſum eſt, ſit præteritus; tamen vir habet poteſtatẽ, ſupra illum quatenus inducit obligationem, & prouenit à voluntate viro ſubdita. ita Maior. *4. d. 38. q. 4. dub. 2.* Sotus *l. 7. de iuſt. q. 3. ar. 1.* Alcocer *ſum. c. 16. fol. 56.* Arag. *2. 2. qu. 88. ar. 8. fol. 1020.* Petr. Led. *de matr. q. 64. ar. 4. dub. 2.* Vega *2. t. ſum. ca. 129. caſu 93.* Brunell. *de ſponſ. concl. 30. num. 14.* Manu. *2. t. ſum. ca. 90. num. 9.* & videntur tenere D. Thom. *2. 2. qu. 88. ar. 8. ad tertium.* Gloſſa *cap. manifeſtum 33. q. 5.* Gratianus ibi §. *ex præmiſſis* Gloſſa ordinaria *num. 30. verb. vxor in domo*, & ibi

& ibi Hugo Cardinalis *ad finem littera* K, & D. Bonau. 4. *dist.* 32. *in expositione literæ n.* 4. Durand. 4. *dist.* 38. *q.* 1. *art.* 1. *n.* 7. & posse virum irritare omnia vota vxoris, excepto voto moderatę eleemosinæ, docent Abb. *c. scripturæ n.* 8. *de voto* Palud. 4. *d.* 38. *q.* 3. *a.* 1. Abul. *cæ.* 30. *Num. q.* 84. *supp.* Gabr. *q. vn. a.* 2.

2 Contraria tamen sententia, quæ putat nõ posse irritare nisi vota sibi præiudicantia, est satis probabilis ob rationem dubitandi positam num. 1. fine, & præsertim in voto de rebus necessarijs, vt de non mentiendo. probatur quia hæc materia non subditur viro, sed soli Deo, nec actus voluntatis, quo votum emissum est, quia actus est præteritus, & ad præteritum non est potentia. ita Hugo Vincentius Valentia, Mairo. Ludou. Lopez, & alij *num.* 3. *cit.*

3 Immo ob nostram rationem n. 1. positam potest vir irritare votum castitatis siue sit non petendi tantum, siue absolutæ continentiæ, quod patet etiam ex cap. 30. Num. ibi (*si maritũ habuerit, & vouerit aliquid, si audiens vir statim contradixerit, & irritam fecerit pollicitationem eius, propitius erit ei Dominus*) & *cap. manifestum* 33. *q.* 5. vbi secundum Abbatem cap. *carissimus num.* 5. *de conuers. coniug.* est sermo de voto continentiæ. ita docent Sotus *l.* 5. Arag. *l. s. n.* 21. Manuel *n.* 3. Vega, Nauarr. *c.* 12. *nu.* 60. & alij loquentes de voto non petendi. Quamuis Val. 2. 2. *d.* 6. *q.* 6. *de voto pun.* 6. *q. vltima de vot. subdit.* Hugo *cap. manifest.* 33. *q.* 5. vbi Archid. Vincentius *in specul. doctr. c.* 2. *l.* 9. *c.* 86. Mayronis 4. *d.* 38. *q.* 4. *a.* 2. *particula* 1. *concl.* 2. Io: Heseles *in expos. decal. c.* 14. *de* 2. *for. Eccl.* Lud. Lop. 1. *p. instr. cap.* 47. & multi putent non posse, quia quoad actum coniugalem vir, & vxor sunt pares cap. *Gaudemus de diuortio*, & est satis probabilis hæc sententia.

4 In vno tamen casu non potest maritus vota vxoris irritare, quando scilicet inter eos celebratur legitimè diuortium, tunc enim, nec maritus fornicans potest irritare vota vxoris Innocentis, quia amisit ius in corpus, & in voluntatem alterius; nec vxor innocẽs potest irritare vota mariti, quæ sunt in suum præiudicium iuxta ea, quæ infra dicemus, quia cessit per diuortium iuri suo; verũtamen est quod innocens siue sit vir, siue vxor potest non celebrare diuortium, aut post celebratum reconciliare sibi nocentem, etiamsi is nolit, & tunc poterunt adinuicem vota irritare; maritus scilicet omnia, iuxta dicta; vxor vero ea, quæ sunt in suum præiudicium, vt dicemus. quia iam res est redacta in pristinum statum. Nec peccat coniux innocens reconciliando nocentem, aut nõ celebrãdo diuortium casu quo potest illud celebrare. quasi vero teneatur non cedere iuri suo adhoc, vt vota obseruet, nec sibi possint irritari, sicuti diximus dis. 6. peccare si remittat ius suum quando emisit vota castitatis, & religionis. nam disparitas est quia, qui vouit castitatem, aut Religionem, se obligauit ad non vtendũ matrimonio quando sibi licitum est, aut ad non contrahendum, cum talia vota directè opponantur matrimonio, at cætera vota non excludunt matrimonium; ergo non debet obligari coniux vitam cœlibem ducere vt illa obseruet.

QVAERES II.

An maritus possit irritare vota, quæ vxor sine eius licentia emisit implenda tamen post matrimonium, & vniuersaliter idem quæritur de superioribus respectu sibi subditorum.

5 REspondeo affirmatiuè posse scilicet virum irritare omnia vota etiã castitatis, & religionis, quæ vxor emisit implenda tempore soluti matrimonij, vt si Berta coniux dicat voueo castitatem seruare non, dũ viuit meus vir; sed quãdo ipse morietur. ratio est quia vxor subditur viro ratione voluntatis, vt vir eius imbecillitati, & imprudẽtię cõsulat: ergo cũ vxor possit vouere imprudẽter nõ solũ pro tẽpore matrimonij, sed etiã eo soluto poterit vir eiꝰ vota irritare etiãsi sint implẽda post

ſolutum matrimonium. ita cum multis doctiſſimis Neothericis. Stunica *de voto q.3.n.76.*

6 Excipe tamen votum religionis, quando eſt emiſſum ab vxore ante matrimonium conſummatum;& pro tunc implendum, quod non poteſt irritari à viro, quia eſt votum per quod vxor debet eximi de poteſtate viri, & matrimonium eſt diſſoluendum.ſecus vero ſi ſit implendum poſt ſolutum matrimonium; poterit enim tunc irritari, quamuis fuerit emiſſum ante conſummationem matrimonij ob dictam rationem *num. præced.* Et ſimliter poterit etiam alia vota vir irritare quæ emiſit vxor ante matrimonij conſummationem, etiamſi ſint facta animo tranſeundi ad religionem,aut etiã ſi ſint facta ſimul cum voto tranſeundi ad religionem; tunc enim vir poterit alia vota irritare, quod vxor eſt in ſua poteſtate,excepto tamen voto caſtitatis iuxta dicta. Vnde ſi vxor ante matrimonium conſummatum voueat caſtitatem, poterit vir illud votum irritare,nec ipſa peccabit petẽdo,aut reddendo contra votum caſtitatis, ſed ſolum contra votum Religionis, ſi illud emiſit, quando prima vice matrimonium conſummat.

7 Idem dicas de votis ſubditorum poterit enim Prælatus, vel Pater irritare vota ſubditi,aut filij impuberis implẽda tempore quo ſubditus erit extra poteſtatem ſuperioris,aut patris. Militat enim eadem ratio,nam tempore, quo votum emittitur voluntas ſubditi,aut filij eſt ſub poteſtate ſuperioris,aut patris,vt tradunt.Sotus *l.7.de iuſt.q.3.ar.* 1.Alcocer.*ſum.c.*16. *con.*9.*f.*55. Ludo. Lop.1.*p.inſtr.c.*50.

8 Excipe tamen primo votum, quod emittit religioſus ingrediendi arctiorẽ Religionem,quod nõ poteſt ſuperior irritare;licet poſſit omnia alia emiſſa ſimul cum eo voto, quia per hoc votum religioſus omnino eximitur à poteſtate ſuperioris, & ius hanc exemptionem ſubdito conceſſit, nec in hoc ſubiecit eius voluntatem ſuperiori.

9 Excipe ſecundo votum ſerui emiſſum tempore ſeruitutis,ſed implendũ eo tempore; quo erit liber, quia Dominus ſolum poteſt vota ſerui irritare ne per ea damnum habeat, quod nullum eſt in his uotis implendis poſt ſeruitutem.ita Abulenſis *c.*30. *Num. q.*1. Lud. Lop. *lo. ci.*

10 Sunt tamen in hac re duæ ſententiæ ſatis probabiles. Prior docet nullum ſuperiorem poſſe talia uota irritare, quia uotum emittitur pro eo tempore,quo nec perſona vouens, nec materia voti eſt ſubiecta ſuperiori aut viro.ita Caetan.2.2.*q.*88.*ar.*8.Angel.*votum* 2. *ſin.*Arag. 2.*q.*88. *ar.*8.*fol.*102.1 Nauar.*c.*12.*n.*66.

11 Poſterior diſtinguit, quando ſubditi ſunt tum quoad materiam promiſſam tum quoad voluntatem vt eſt Religioſus ſuperiori,filius famil.in pubes pari; tunc concedit ob rationem à nobis traditam, poſſe irritari omnia vota quando vero ſunt ſubditi ſolum quoad materiam promiſſam, vt eſt ſeruus reſpectu Domini;& vxor reſpectu viri per hos DD. & tunc negat poſſe ea vota irritari, quia illa vota non præiudicatur ſuæ poteſtati: ergo non poſſũt ab his irritari,conſequentiam probant, quia habent poteſtatem irritandi vota horum ſubditorum ne ſint in præiudicium ſuæ poteſtatis.ita Emm. Sà *v.votum vbi de voti irritatione § votum impuberis* Sylu. *votum* 4.*q.*.*diſp.*5 Valen: 2.2.*diſ.*6 *q.*6. *de uoto p.*6.*q.*5.

QVAERES III.

An vir poſſit irritare omnia vota vxoris ante matrimonium ab ea emiſſa.

12 REſpondeo exceptis quatuor votis, nempè voto caſtitatis, votis realibus vt dandi eleemoſinam, votis de rebus neceſſarijs,vt de non furando & voto Religionis;poteſt maritus alia oĩa vota vxoris irritare,ſeu potius ſuſpẽdere pro tempore, quo durat matrimonium(non enim eſt proprie irritari,vt infra videbimus.) Raito cur poſſit talia vota irritare,eſt quia ideò ſuperior poteſt vota Religioſi irritare,quia

nullum

nullum eſt tempus, in quo non poſſit ſubditum occupare ex D. Tho. 1. 2. *qu.* 88. ar. 8. ſed etiam nullum eſt tempus, in quo maritus non poſſit vxorem occupare, ergo vota vxoris non erunt ita firma vt non poſſint à viro ſuſpendi pro tempore matrimonij, & habetur expreſsè *cap. noluit* 33. *q.* 5. quod eſt D. Augu. traduntque Emm. Sà Valen. *lo. ci. q. vlt. de votis* Manuel 2. *t. ſum. c.* 60 *n.* 10. Stun. *de voto q.* 3. *nu.* 73. Monald. *ſum. tra. de voto ti. de votis coniug.* & alij. Quod autem prædicta quatuor vota excipiantur. Ratio eſt, quia votum tale ab vxore emiſſum tempore, quo erat ſui iuris, eſt ſicuti cætera debita contracta, & quaſi afficit bona ipſa, quæ ad virum tranſeunt cum eo onere, & ita vir tenetur conſentire ut vxor talia vota expleat; ſicuti nec poteſt irritare obligationem, quam contraxit mulier cum aliquo homine, quia ius homini eſt acquiſitum. De reliquis autem tribus votis patet, quia actus ille, quo vxor vouit, non erat eo tempore viro ſubiectus nec materia tempore matrimonij eſt ipſi ſubiecta: ergo nullo modo poteſt talia vota irritare, ſeu ſuſpendere. Alia circa hanc rem habes infra *diſp.* 41. & 42.

QVAERES IV.

An vota irritata à viro vxori, reuiuiſcant ſoluto matrimonio, ita ut ipſa teneatur ea implere.

13 PRO ſolutione caſus præſentis ſuppono, quod quoties ſit vera voti irritatio, votum illud non reuiuiſcit, ita ut ſubditus, cui votum eſt irritatum, non teneatur amplius ad illud, etiamſi ſuperior, qui irritauit de nouo det licentiam implendi tale votum; quia obligatio illa omnino extincta, non pōt reuiuiſcere, niſi ſubditus de nouo voueat. Contra vero ſi eſt imperfecta irritatio, ſeu potius ſuſpenſio pro aliquo tempore; tranſacto eo tempore vouens tenetur votum ſeruare, aut quoties ſuperior dabit licentiam, vt tale votum exequatur. ita Valentia *l. c. q.* 4. Emm. aà *v. votum § irritans votum ſi poſtea* Sylu. *votum*, 4. *q.* 2. *d.* 3. Nauarr. *c.* 12. *n.* 69.

14 Quod ſi velis ſcire, quando nam ſit perfecta irritatio, quando vero ſuſpē ſio. Reſpondeo quoties votum irrita tur ratione dominij; quod habet ſuperior in voluntatem ſubditi eſt perfectā irritatio. quando vero votum irritatur ratione dominij, quod habet ſuperior in materiam promiſſam; licet aliqui dicant abſolutè tunc non poſſe eſſe veram irritationem; tamen ſic diſtinguendum eſt ſi materia illa omninò ſubiacet volūtati ſuſperioris ex eo quia nulli prius fuit obligata; tunc poteſt eſſe perfecta irritatio; quia ſicuti quando habet dominium totale voluntatis ſubditi, poteſt perfectè omnia vota irritare; ita quando habet dominiū partiale reſpectu alicuius materiæ v.g ieiunandi; poteſt perfectè illam partē irritare, ut docent Nauarr. *lo. c. nu.* 66. Philiar. *de off. Sac. t.* 1. *p.* 2. *l.* 3. *c.* 4. Vega 2. *t. ſum. c* 129 *caſu* 95 Lud. Lop. 1. *p. inſtr. c.* 48. *§. vota ſemel irrita* Sotus *l.* 7. *de iuſt. q.* 3. *ar.* 1. *ver. aliud poſthac dubiu m.*

15 At ſi talis materia non omninò ſub iacet voluntati ſuperioris, ſed ſolū m ſecundum quid, ut quia antequam eſſet ſubiecta ſuperiori, iam erat Deo cō ſecrata, tunc non eſt vera irritatio; ſed ſolum ſuſpenſio pro tempore, pro quo talis materia ſubiacet ſuperiori, quatenus poteſt pro omni tempore occupare ſubditum: v.g. vir vxorem: ex his facilè caſus propoſitus ſoluitur.

16 Dico enim vota omnia vxoris conſtante matrimonio ab ea emiſſa ſiue pro tunc implenda, ſiue pro tempore ſoluti matrimonij, ſi à viro fuerint irri tata, non reuiuiſcere, itaut amplius ad ea vxor non teneatur. Et idem dicas de votis ſubditi, quę poteſt ſuperior ir ritare iuxta dicta *quæſ. præced.* Ratio patet ex dictis, quia vir poteſt irritare omnia vota hęc, ratione dominij, quod habet in voluntate uxoris, ut quæſitis præcedentibus dictum eſt; aut ſaltem ratione plenæ poteſtatis, quam habet in materiam uoti: ergo poteſt perfectè ea irritare, ut patet ex dictis *numero*

præ-

præcedenti. ita Abbas *C. ſcripturæ n. 7. de voto* Abulen. *Num. 30. q. 86.* Sotus *lo. ci.* Nauarr. Philiar. Lud. Lop. & alij.

17 At uota illa, quæ uxor emiſit ante matrimonium & poſſe irritari à uiro diximus *quæſt. præced.* iterum reuiuiſcũt quia talis irritatio non eſt perfecta, ſed potius ſuſpenſio, nam nec uoluntas uouentis uxoris erat ſubdita uiro, nec materia uoti plenè ſubditur ipſi, ut patet ex proximè dictis. ita Archid. Bellamera *C. noluit 33. q. 5. n. 1.* Alex. *in Enchir. 1. p. de poteſt. conſ. c. 5. n. 155.* Philiar. *6. ſed maior difficultas* Nauarr. *c. 12. n. 61.* & alij. quare ſoluto matrimonio tenetur uxor ea uota implere, aut quando maritus dat licentiam non quidem præſtando illa opera, quæ poterat quando fuerunt ſuſpenſa, ſed incipiendo ab eo tempore, quo ſuſpẽſio eſt ſublata, ut ſi uouit ieiunare tribus diebus in hebdommada, & maritus id votum irritauit, tenetur ſolum ſoluto matrimonio incipere pro reliquo tempore ieiunare, & non debet ieiunare ſex dies ut reficiat ieiunia, quæ omiſit tempore matrimonij.

18 Idem dicendum eſt à pari de votis emiſſis à cõiuge tempore diuortij; nã ſi nocens vouit, omnia vota, poteſt alter irritare, ac ſi facta fuiſſent conſtante matrimonio; quia nocens non potuit præiudicare iuri innocentis. Contra verò ſi innocens vota emittat, idem dicendum eſt ac ſi vouiſſet ante matrimonium; vnde facta reconciliatione ea vota poteſt alter conjux ſuſpendere, quæ diximus poſſe ſuſpendi, ſeu imperfectè irritar *quæſt. præced.* vnde poſt ſolutum matrimonium reuiuiſcent.

19 Denique hic nota, quod vota facta in ſæculo, aut tempore Nouitiatus ab eo, qui ingreſſus eſt Societatem Ieſu, ſed nondum profeſſionẽ fecit ſi egrediatur è Societate ante profeſſionem reuiuiſcunt, nec poteſt ea ſuperior, aut Magiſter Nouitiorum irritare, ſed ſolum ſuſpendere, donec commutentur in profeſſionem. Et quidem non poſſe talia vota irritari probatur, quia ſuperior non habuit dominium voluntatis vouentis in ſæculo; neque materia illa plenè eſt ſibi ſubiecta, nec Magiſtri Nouitiorum habent poteſtatem talem in Nouitijs; quia ipſi ſolum sũt ſubiecti ad hoc vt probentur, & inſtruantur in religione. At poteſt Societatis ſuperior plenè, itaut non reuiuiſcant, irritare omnia vota ſcholaſticorũm aut coadiutorum firmatorum poſt biennium probationis emiſſa, quia per tria vota emiſſa poſt biennĩ verè efficiũtur Religioſi ex Bulla Gregorij XIII. *Aſcendente Domino* conceſſa anno 1582. & omnino ſunt ſuperiori ſubiecti.

20 Poterit tamen ſuperior Religionis diſpenſare in votis Nouitiorum æquè ac poteſt in ipſis etiam Epiſcopus, quia habet in eos ſpiritualem iurisdictionẽ ut docet Nauarr. *c. 12. n. 65.* Enriquez *l. 7. de indult. c. 22. n. 7.* Manuel. *qq. reg. 1. 1. q. 25. ar. 8.* & alij. ſicuti etiam poteſt idem ſuperior Religionis irritare vota facta tempore Sæculi, aut Nouitiatus à Religioſo, qui nolit tempore profeſſionis illa extingui. Ratio eſt, quia ſi Religioſus habuit illum animũ ante inſtans profeſſionis, iam votum per profeſſionem ſequentem extingui tur; ſi verò in ipſo actu profeſſionis æſtimetur ac ſi fuiſſet factum poſt profeſſionem, & ſic ſuperior plenè illud poteſt irritare; ſicuti peccatum prauæ diſpoſitionis in ſuſceptione Baptiſmi reputatur, ac ſi fuiſſet admiſſum poſt baptiſmum, & per conſequens per pœnitentiam deleri debet in confeſſione ut docent Doctores.

21 Nota tamen circa dicta *nu. 2.* quod Pontius *lib. 10. c. 17.* ait ex Auctoribus; quos Sancius hac *diſ. num. 4.* pro ſe citat, aliquos non ſatis expreſsè loqui, alios verò excipere votum continentiæ, alios verò excipere vota immoderatæ eleemoſinę, alios denique intelligendos eſſe neceſſario iuxta ipſius Pontij rationem. Denique ait Sotum *lib. 7. de iuſt. q. 3. ar. 1.* citatum à Sã cio ſolum fauere huic opinioni, quod exiſtimet poſſe virum irritare votum vxoris de non petendo debito: Pontij verba ſunt hæc. (*Quam opinionem probabiliorem putat Thomas Sanchez lib. 9.*

de

de matr. d. 34. nu. 4. citatque pro ea S. Thom. 2.2. q. 88. ar. 3. ad tertium, eamque tribuit Gloſſę in c. manifeſtum 33. q. 5. & Gratiano ibi licet non ſatis apertè loquantur. Tribuit etiam Vgoni in c 30. Numeri, verum Gloſſ. & Vgo expreſsè excipiunt votum continentiæ quantum ad non petendum debitum, & ideò manifeſtè ſentiunt maritum non habere dominium abſolutum voluntatis vxoris, ſed ea tantum vota irritare poſſe, quæ illi ſubijciuntur ratione materię; refert etiam Bonau. in 4. diſt. 32. in expoſitione literæ ibi tamen Bonauentura manifeſtè excipit votum continentiæ. citat Duran. in 4. diſt. 38. ſed ibi ſolum concedit Durandus poſſe maritum emittere votum aliquod, quod mulier nõ poſſit irritare. refert etiam Abbatem in c. ſcripſerunt de voto Palud. in 4. diſ. 38. q. 347. Abulenſem in c. 30. Num. qu. 84. Roſellam v. votum 2. ſuppl. in 4. diſ. 32. q. vnica ar. 2. iſti tamen omnes excipiunt votum immoderatæ eleemoſinæ, & ideò ſentiunt voluntatem vxoris non ſubijci viro ſimpliciter, ſed ratione materiæ. citat diſtinctè Sotum lib. 7. de iuſt. q. 3. ar. 2. ſed ibi apertè docet poſſe vxorem emittere votum de non petendo.) hæc Pontius.

Verum ex his, quæ Pontius dicit aliqua non ſunt neceſſaria, aliqua falſa. & ſanè neceſſarium non erat dicere, quod aliqui Auctores citati à Sanchez excipiunt votum continentiæ, cum ipſemet Sancius apertiſſimè fateatur. & quæſtio ab ipſo propoſita ſit an vir poſſit irritare omnia vota vxoris excepto voto caſtitatis. & dum citat Vgonem, & Gloſſam ait (*ſumunt enim votum abſtinentiæ, ut includat omnia vota præter votum continentię*) & de D. Bonauen. refert hæc verba (*virum quod omnia præeſſe vxori, præter legem thori*) & de Durando ait (*videtur expreſſe tenere Durandus in 4. diſt. 38. q. 1. ar. 1. nu. 7. vbi ait neutrum coniugem ſine alterius conſenſu poſſe vouere non reddere, quia in hoc ſunt pares, quia tamen vir in cæteris eſt caput mulieris, & ideò ſui iuris; mulier autem ſub poteſtate viri: ideò licet viro ſine conſenſu mulieris emittere votum de cæteris, ſed mulieri nõ licet ſine conſenſu viri*) quibus verbis non ait, vt vult Pontius loco cit. maritum poſſe emittere aliquod votum quod mulier non poſſit irritare; ſed abſolutè docet excepto voto non petendi debitum, virum eſſe caput vxoris in cæteris, & ſic poſſe vouere, uxori uero id non licere; & cum ly non licere non debeat intelligi, quod ſit peccatum uouere, ut de ſe patet, optime intelligitur, quod uotum non ſit ita firmum, ut non poſſit irritari, utpote emiſſum ab ea; quæ ſub alterius eſt poteſtate.

De Abulenſe vero Abbate Paludano & Suppl. Gabrielis ait Sanch. (*atque poſſe uirum irritare omnia uota uxoris, excepto uoto immoderatæ eleemoſinæ tradunt Abbas &c.*) quare vides mi Põti non fuiſſe neceſſarium eas Gloſſas ponere, quaſi vero eas Sancius non aduertiſſet; neceſſe tamen fuerat oſtendere ex alio capite eos Auctores intelleXiſſe maritum poſſe irritare vota vxoris ratione materię, quod tamen non præſtitit adhuc Pontius, nec tam facile videtur poſſe præſtari, cum plerique ex illis addant rationem ſcilicet, quod vir ſit caput vxoris, & alij abſolutè dicant poſſe omnia excepto voto continentiæ; at non in omnibus alijs ſubditur vxor viro ratione materiæ, quod vero Pontius in fine addit, Sotũ ſcilicet ſolum fauere huic opinioni ex eo; quod putet poſſe virum irritare votum de non petendo debito, quod putat poſſe vxorem emittere, quam falſum ſit ex his Soti verbis colligitur. quibus docet virum omnia uota uxoris poſſe irritare, ait enim *lib. 7. q. 3. ar. 1.* à Pontio, & Sanch. cit. (*quare nullo excepto uir poteſt uniuerſa uota uxoris irritare*) & ratio ab ipſo allata eſt (*nam licet non ſit ſubdita quantum ad neceſſitatem legis, eſt tamen ſubdita quantum ad ultroneam obligationem, quare nullo excepto &c.*) ubi reſpondet Caetano uolenti uirum non poſſe irritare uxori uotum non peccandi. & poſtea quærit (*an uero poſſit alteruter uotum facere non petendi, maior eſt dubitandi ratio, nullam quantum ad fidem thori irrogat alteri iniuriam, nihilominus &c.*) Quare

uide

vide mi Ponti an Sotus ſolum concedat poſſe maritum irritare votum de non petendo, an vero omnia vota, & an id ſit, quia vxor ſubditur ratione materiæ, an verò abſolutè ex eo, quia vir eſt caput vxoris, cum velit eſſe ſubditam quantum ad vltroneam obligationem.

Hæc autem, quæ hactenus vtcumq; dixi, non odio Pontij factum credas, cum ipſum auctorem ſanè pium, ac doctum putem, & Societati noſtræ bene affectum. Sed (ut initio dixi) veritatis amore, non enim pati poteram doctiſſimum Sancium, qui verè nunquã in tam longo opere dormitauit, falſis notis carpi, præſertim cum Pontius multa ex Sancio in ſe transferat, quæ bona videntur tacito Auctore, vbi vero aliquid, quod ſibi non arridet, reperit maledictis in illum inuehit, & cum graues alios Doctores, quos Sancius in ea re ſequutus eſt, habeat, ipſum ſolũ nominat, irridet, ac deprimere conatur. non quidem maleuolentia, ut par eſt credere, ſed ingenij feruore, & ſtudio ſententiæ, quam ſequitur, de qua tamen ut plurimum Sanchez noſter benè meritus eſt. nam cum Sancij mos ſit contrariam ſententiam locupletatam rationibus, & auctoritatibus tradere, facile fuit Pontio ordine mutato, & ſtylo, nũc in extenſum ponendo Canones, vel Sanctos Patres (quos Sãchez iuxta ritum omnium Doctorum ſine vlla oſtentatione affert locis, vel paucis verbis, vbi opus eſt, citatis) nũc locum argumentorum mutando ſibi accommodare, & volumen augere, vt quiuis, qui accuratè eum legerit, aduertere poterit, & nos aliquando licet non ſemper notauimus.

DISPVTATIO XXXX.

An maritus poſſit omnia vota vxoris irritare, quæ ſunt ab ea emiſſa conſtante matrimonio de licentia ipſius mariti, & quid dicendum ſi mutuo conſenſu fiant.

†††

1 REſpondeo ad primum caſum affirmatiuè, poſſe ſcilicet virum irritare omnia vota etiamſi ſint omnimodæ caſtitatis, de rebus neceſſarijs, ut de non mentiendo &c. quæ vxor emiſit de licentia ipſius, ſiue implenda tempore matrimonij, ſiue eo diſſoluto non obſtante tali licentia, nec vota illa reuiuiſcent amplius. Ratio eſt, quia adhuc maritus retinet dominium voluntatis vxoris; & illius actus, quo vxor ſe obligauit tempore, quo erat illi ſubiecta. Nec licentia conceſſa aufert tale dominium, ſed ſolum ut vtatur voluntate, & re illa, quam Deo offert per votum, & cum ſit perfecta irritatio, nõ reuiuiſcent iuxta ſuperius dicta. ita Sotus *l.7. de iuſt.q.3.ar.1.* Barth à Ledeſ. *dub.20.con.1.* Palac. *l.4.d.38. diſput. 3. & diſp.2.* Arag. *2.2.q.88.ar.8.f.*1099 & 1021. Stunica *de voto q.3.n.62.* Barthol. à Ledeſ. *dub.71. de matr. & dub.20.* Vega *2.t.ſum.c.129.ca.22.* Ledeſ. *2.p.4.q.66.ar.4* loquentes etiam de voto caſtitatis, & loquentes de alijs votis docent etiam Valen. Emm. Sà Manuel. Nauarr. & alij perplures, quos citat Sanch. *n.4.* Vinc. *ſpec.doctr.t.2. l.9. ca.86. lex 8. ti.8. p.1.* Ang. Armilla *votũ* Brunellus *de ſponſ.con.30.n.14.* Quamuis D. Thom. D. Bonau. Palud. & alij *in 4. d.32.* negent virum poſſe irritare votum caſtitatis vxoris, quia ſi vir voueret etiam continentiam, non poſſet irritare votum vxoris: ergo nec poteſt etiamſi non voueat.

2 Verum tamen eſt, quod ſi non ſit iuſta cauſa tam vir irritans, quam vxor petens talium votorum irritationem, peccabunt, quia vir tenetur ex vi voti efficere quantum in ſe eſt veram promiſſionem factam Deo de ſua licentia vnde *cap.30 Num.* dicitur *(portabit ipſe iniquitatem eius)* nempe vxoris, cuius votum irritauit; vxor vero petens talẽ irritationem peccabit, quia cooperatur peccato viri, & tale peccatum reducitur ad ſacrilegium mortale quando materia eſt grauis, quæ tunc grauis eſt, quando vouens ipſe peccaret mortaliter, ſi eam tranſgrederetur. ſi vero ſit cauſa iuſta (quia ad hoc ut iuſta dicatur

catur non eſt neceſſe ut sit tam vrgẽs quam debet eſſe in diſpenſatione) nõ peccabit irritando, quia talis irritatio pendet à poteſtate; quam habet vir in vxorem. ita Arag. Palac. Vega *caſu* 91. *lo. cit.* D. Ant. *t.* 3. *p.* 1. *ti.* 1. *c.* 22. Gaet. 2. 2 *q.* 88. *ar.* 8. *dub.* 3. *lex.* 8. *t.* 8. *par.* 1. Graff. 1. *p. dec. l.* 2. *c.* 29. Lud. Lop. 1. *pa. inſtr. c* 48. §. *peccant. præl.*

3 Quæ autem dixi de vxore, eadem dicas de ſuperiore reſpectu ſubditi, poteſt enim valide vota emiſſa de ſub conſenſu irritare etiam si dicat ſubdito ſe concedere illi facultatem illam vouendi irreuocabiliter; quia iam ſubditus nõ acquiſiuit poteſtatẽ, & dominium exemptionis, ſed ſolũ habet titulum, quo poſſit talẽ exemptionem acquirere; peccabit tamen iuxta dicta ſi non eſt cauſa iuſta reuocandi; non tamen tenetur ipſe irritans ſeruare votum irritatũ, aut curare vt ſubditus illud votũ exequatur poſt irritationem factam, quia iam votũ illud eſt extinctum. Si vero ſolũ fuerit ſuſpenſum, tenebitur vtique iterum facultatem cõcedere, quando ſine cauſa ſuſpendit.

4 Quod ſi promiſſio ſubditi, aut vxoris ſit facta homini de licentia ſuperioris, aut viri, non poteſt ipſe neq; validè talem promiſſionem reuocare, quia iã ius homini eſt acquiſitũ licet non peccaret ſubditus ſi promiſſionem nõ exequatur, quando ſuperior non vult. quãuis Arag. 22. *q.* 88 *ar* 8 *fol* 1020. putet poſſe adhuc ſuperiorẽ reuocare talem promiſſionem. Contra vero ſi res eſt integra, ſcilicet antequam inferior fecerit votum, de quo licentiam ſiue priuatè, ſiue publicè obtinuit, poteſt ſuperior reuocare, quia tunc nulli eſt ius acquiſitum. ita D. Bonau. 4. *d.* 32. *in expo. lit. n.* 4. Roſell. *votum* 3. *n.* 2.

5 Denique hic aduerte, quod ſi maritus, aut ſuperior ſciat votum ſubditi, vel vxoris, & taceat diſſimuletque, ſi interius verè noluit votum illud ratificare, poteſt ſine cauſa ad libitum irritare, quia cum ſit Dominus poteſt vti & non vti re, dum voluerit, nec illa taciturnitas cenſenda eſt conſenſus in voto, ſed tantum nolle pro tunc illud impedire. ita D. Tho. 4. *d* 32. *in expo. lit.* Caet. *cap.* 30. *Num.* Tabiena *matrim.* 1. §. 4. Si vero ſuperior interius conſenſit non poteſt amplius illud votum irritare ſine iuſta cauſa, vt ſupra diximus, quia votum illud ſubditi abſque licentia validum erat, & poſito conſenſu ſuperioris, acquiſiuit hanc firmitatem, vt ſine cauſa reuocari non poſſet; neq, requiritur, vt talis conſenſus exprimatur, quia ſuperior manet obligat° Deo non irritare illud votum ſine cauſa.

6 Contra vero ſi ſubditus vouit aliquid facere, vel donare, & petat à ſuperiore licentiam dandi, vel faciendi rem illam, ſed non manifeſtat votum, aut ſi poſtquam obtinuit licentiam aliquid dandi, vouet rem illam dare, põt ſuperior tale votum irritare; quia vere fuit factum ſine licentia; nam ſuperior ſolum dedit licentiam dandi, non autem vouendi, quod eſt onus grauius.

QVAERES I.

An ſi vterq; coniux mutuo conſenſu voueat caſtitatem, aut Religionem, aut vnus caſtitatem, alter vero Religionem, *vel ordines ſacros poſſit vir irritare talia vota*

7 REſpondeo negatiuè nõ poſſe ſcilicet virũ irritare hæc vota vxoris, neq; vxorẽ vota viri, quæ poſſet, ſi nõ eſſet mutuus conſenſus, de quibus infra. probatur ex *cap. quod Deo* 33. *q.* 5 quod eſt D. Aug. ibi (*quod Deo pari conſenſu voueratis, perſeueranter vsq; in finẽ reddere debuiſtis, à quo propoſito ſi ille lapſus eſt, tu ſaltem inſtantiſſime perſeuera*) & ratio eſt, quia videntur per illud votũ caſtitatis cedere iure ſuo reuocandi; dum mutuo conſenſu vouent omnimodã continentiã, vel ſeruandam tempore matrimonij, vel ſeruandã mutato ſtatu matrimoniali, ad quod ſe obligãt per votũ Religionis; quare ſi vir in eo caſu accedat ad vxorẽ, ea inuita, peccabit contra votum, & contra iuſtitiam.

8 Poſſunt tamen iterum mutuo conſenſu poſt votum caſtitatis dare ſibi inuicem poteſtatem in corpus, & tunc licet peccent, vt dictum eſt

*disp.*37.tamen poterit vir irritare vota vxoris sine peccato,si sit causa, & si non sit causa,poterit validè, sed peccabit iuxta dicta paulo ante. At si prædicta vota facta sint mutuo consensu: præstanda tamen soluto matrimonio, poterit validè vir illa irritare,quia nõ visus est cedere facultati reuocandi, posito quod matrimonium per ea vota omnino sit remansurum; & idem dicas de alijs votis factis mutuo consensu ut dando calicem &c.ob eãdem rationem.

DISPVTATIO XXXXI.

An si vxor emittat aliqua vota, quæ potest vir eius irritare,sed non irritauit, & deinde secundo nubat, possit secundus maritus ea vota irritare, sicuti poterat prior.

1 REspondeo affirmatiuè cum hac tamen distinctione, quod si vota sint emissa sine licentia primi mariti, poterit secundus omnia illa irritare; quæ poterat prior maritus, itaut amplius ea non reuiuiscant.

2 Secundo etiamsi mulier,quãdo vouit non erat nupta, sed erat sub potestate patris,aut Tutoris,vel Curatoris, aut si non habebat patrẽ,Tutorẽ,neq; Curatorem, & impubes sine licentia emisit vota personalia castitatis v.g. vel Religionis aut pubes,sed minor 25 annis vota realia,poterit maritus irritare ante consumatum matrimoniũ, si ea non ratificauit adepta congruæ ætate, aut si quando ratificauit maior facta,matrimoniũ iam erat contractũ quia ipse succedit in locum patris, & Tutoris;& ratificatio illa facta tempore contracti matrimonij est veluti nouum votũ factũ sine viri licentia,quod is potest irritare ut iam diximus.

3 Idem dicas si vir accipiat vxorem impuberem, vt cum malitia supplet ætatem,poterit enim irritare omnia eius vota emissa sine sua licentia,etiãsi sit Religiosus votum implendum pro tunc; quia simile votum potest pater, aut Tutor,in cuius locum vir succedit irritare. modo nõ ratificauerit pubertate iam adepta ante matrimonij consummationem, tunc enim non potest maritus illud irritare,ut dictum est.

4 Hinc infertur primo,quod si mulier,quæ votũ castitatis,aut religionis emisit tẽpore prioris matrimonij, aut dum erat pubes,vel minor sub potesta te alterius,contrahat secundo matrimonium,poterit secundus vir irritare omnia prædicta vota, eo modo, quo poterat prior vir iuxta dicta *disp.*39.& quo modo poterat Pater,Tutor &c., & sic licet mulier peccet contrahẽdo matrimoniũ post prædicta vota,nõ ad huc irritata:tamẽ si vir irritat ante matrimonij consummationẽ non peccabit ipsa consũmando prima vice, aut petendo, & reddendo, quia iam obligatio est extincta.

5 Secundo infertur Dominum posse omninò irritare omnia vota realia seruitutis:quia ea posset irritare tutor,vel Curator,cuius loco est Dominus.

6 Similiter superior Societatis poterit irritare oĩa vota scholasticorũ, vel Coadiutorum formatorũ,qui professionem adhuc non fecerunt, quæ sunt emissa ab ipsis in sæculo tẽpore impubertatis,aut minoris ætatis sine licẽtia patris &c. qa ipsi succedũt loco illorũ.

Deniq, hic nota,quod omnia, quæ dicta sunt de secundo marito circa potestatẽ irritandi vota emissa ab vxore tẽpore primi mariti; inteligenda etiã sunt de votis emissis à subdito tẽpore, quo erat sub subiectione alterius respectu superioris sequentis.quando illa vota fuerunt emissa sine licentia primi Nunc.

QVAERES I.

Quid possit secundus maritus,vel superior, quando vxor, vel subditus emiserunt vota de licentia prioris mariti, vel superioris.

SI vxor emisit vota cum licentia prioris viri, vel Patris, Tutoris &c. poterit secundus maritus validè ea irritare, si non sit iusta causa; si

verò

vero sit iusta causa poterit licitè, etiã sine peccato, quia secundus vir succedit priori &c. ergo sicuti illi non possunt licitè sine causa irritare, sed solũ validè, ita etiam & hic; poterit tamen ad libitum ea vota suspendere, dum durat matrimonium, quia potest occupare vxorem pro quocunq; tẽpore: soluto tamen matrimonio reuiuiscũt.

8 Et idem dicas de votis emissis mutuo consensu ab vxore tempore prioris matrimonij, nam ea omnia, quæ poterat primus vir irritare poterit secundus, & quæ non poterat primus, vt votum castitatis, aut Religionis, nec potest secundus; vnde seruari debent iuxta dicta *disp.* 37. *& disp. præced.*

9 Loquendo vero de votis emissis à subdito cum licentia superioris præcedentis dico si subsequens est æqualis, idem dicendum est, quod diximus de viro secundo *num.* 7. Si vero secundus Prælatus est maior primo, qui licentiam concessit, potest ad libitum sine peccato irritare vota illa subditi, quia habet potestatem voluntatis subditi, & superioris concedentis licentiã Denique si sit inferior primo, qui licentiam concessit, non potest, neque valide irritare prædicta vota, quia non potest inferior reuocare gesta superioris. ita Riccardus 4. *d.* 38. *ar.* 4. *qu.* 3. Angl. *floribus* 2. *p. q. de voto ar.* 7. *diff.* 6. Manuel. 2. *t. sum. c.* 89. *concl.* 6. *n.* 7.

DISPVTATIO XXXXII.

An, & quæ vota viri possit vxor irritare?

1 REspondeo vxor non potest irritare omnia vota viri, sicuti diximus disputationibus præcedentibus posse virum irritare vota vxoris, quia ipsa non est caput viri potest tamen irritare perfectè, itaut amplius non reuiuiscant, omnia vota, quæ maritus emittit absque sua licentia, & sibi præiudicant, quoad debiti redditionem, & mutuam cohabitationem; ratio est, quia vxor habet dominium in corpus viri, quoad hoc vt sibi debitum moderatè reddat, & secum cohabitet 1. *ad Corin.* 7. ergo potest vota, quę sibi in his præiudicant perfectè irritare, ut patet ex dictis *disp.* 39. vbi ostendimus ad perfectam irritationem sufficere perfectũ dominium in materiam promissam. ita docet Nauarr. *c.* 12. *n.* 64 Stun. *de voto q.* 3. *n.* 60. Arag. 22. *q.* 88. *ar.* 8 *f.* 1020. Cañed. *sum. Sacr. tr. de matr. c.* 8. *nu.* 74. Val. 2. 2. *dis.* 6. *q.* 6. *de vo. pu.* 6. *q. vlt.* Phil. *de off. Sac. t.* 1. *p.* 2. *l.* 3. *c.* 18. *§.* 11. *peccat.*

2 Et quidẽ si prædicta vota vxori præiudicantia fuerunt emissa à viro sine ipsius licentia, aut si cum licentia vxoris, & adsit iusta causa, poterit validè, & sine peccato ea irritare, at si non sit iusta causa, peccabit quidẽ irritando. vota emissa de sua licentia; sed valet irritatio iuxta dicta *disp.* 40 vt si vir de licentia vxoris voueat omnimodã cõtinentiã, potest illa tale votũ irritare solum quoad redditionem, itaut vir nõ peccet amplius reddendo illi debitum at tenetur quoad reliqua seruare castitatẽ, & abstinere se à secũdo matrimonio; quia vxor non potest irritare votum castitatis nisi quoad redditionem, quæ sibi præiudicat.

3 Similiter poterit vxor irritare perfectè vota sibi præiudicantia, quæ poterat vxor precedens, & non irritauit, ẽtsi emissa fuerint de licẽtia prioris cõiugis iuxta dicta *disp. præced.* & suspẽdere vota hęc facta ante matrimoniũ pro tẽpore, quo durant matrimoniũ, & sibi præiudicant in debiti redditione, & co habitatione, vt *disp.* 39. de viro diximus quoad omnia vota. vide alia vota, quæ põt vxor irritare hoc *lib. disp.* 3. & 4. vt de ieiunijs, & pœnitentijs peregrinationis, aut alicuius habitus v. g. D Francisci deuotionis causa. Immo quamuis vxor fornicetur, & maritus sit innocẽs poterit talia vota irritare, quando maritus nollet vti iure, & celebrare diuortium, vt *disp.* 39. dictum est.

4 Contra vero non põt vxor irritare vota præiudicantia familiæ ex Soto *l.* 7 *de iust. q.* 3. *a.* 1. vt si maritus voueret dare eleemosinã, aut votũ non petendi debitũ; quia vxor quoad hoc nullã potestatẽ habet in viro. ita docent de petione Palac. 4. *d.* 38. *disp.* 2. *f.* 717. Anto. Gom. *in bull. Cruc. clau.* 10. Stunic. *l. c.* cõ

traHenriq. *l.* 11. *c.* 15. *n.* 8. Man. *t.* 2. *sum. c.* 90. *n.* 3. Phil. *l c.* §. *excipitur.* putantes posse, quia est sibi præiudiciũ sẽper cogi ad petẽdũ. Quod verũ est ẽt si maritus incideret in aliquã fornicationẽ, quia tale peccatũ, & periculum peccã di non dat vxori potestatem irritandi sed est iusta causa petẽdi dispẽsationẽ.

5 Similiter si mutuo consensu voueãt castitatem, aut religionem, vel vnus Religionem, seu castitatem, alter vero ordines sacros. non potest vxor irritare aliquod votum viri, nisi solum illa, quę impedirent cohabitationem, aut debitum coniugale ante transitũ ad Religionem, vel ordines sacros. Et si mutuo consensu iterum renuncient iuri acquisito ad inuicem; non poterit vxor votum castitatis irritare; quia si posset solum quoad redditionem posset, vt scilicet vir possit reddere, sed ad hanc tenetur vir facta renunciatione etiam si vxor non irritaret; ut dictum est. Nec similiter poterit perfectè irritare ea vota, quæ vir fecit quã do mutuo consensu vouerunt castitatem, & præiudicabant redditioni, ut si vir vouit magnas abstinentias, sed solũ facta renunciatione poterit suspendere, quia stante voto mutuo consensu emisso vir non pendębat ex consensu vxoris ad illa vota emittenda. nam erat sui iuris quoad redditionẽ debiti.

6 Et ob eandem rationem non poterit vxur irritare vota hæc viri si facta sint tempore celebrati diuortij. Contra vero si reconcilientur, potest omnia illa vota irritare, sicuti poterat ante diuortium, ut dixi *disput.* 39. de viro.

DISPVTATIO XXXXIII.

Explicantur varij casus, in quibus censetur tacitè facta irritatio voti ab eo, qui potest irritare, ut à marito, respectu vxoris, & à superiore respectu subditi.

1 DIco primo non censetur votum irritare superior, quando ignorans tale votum prohibet materiam promissam. Ratio est, quia irritatio voti est actus iurisdictionis, qui non potest esse volitus dum materia ignoratur. ita Cae. 2. 2. *q.* 88. *ar.* 8. *dub.* 2. Sotus *l.* 7. *de iust. q.* 3. *ar.* 1. Graff. 1. *p. dec. lib.* 1. *c.* 29. *n.* 7. Alcocer. *sum. c.* 16. Nau. *c.* 12. *n* 69. Manuel, 2. *t. sum. c.* 89. *nu.* 3. Ludou. Lop. 1. *p. instr. c.* 48. §. *votare religios.* Valen. 2. 2. *d.* 6. *q.* 6. *p.* 6. *q.* 2. Contra vero si superior sciat votum, & illius meminerit videtur irritare votum prohibendo materiam in perpetuum ut si maritus sciens votum castitatis vxoris, & illius meminerit; dicat nolo ut vnquam facias, aut si absolutè dicat nolo ut facias, quia vota subditi habent talem conditionem implicitam, voueo si superior voluerit, quando res sunt licitæ ipsis, & possunt fieri sine licentia, aut si sunt prohibitæ, & non possunt fieri sine licentia, includunt: si superior dederit licentiam: ergo ipso denegante iam deficit conditio. si vero dicat pro hac vice, vel nunc, aut si sumus in dubio, non censetur facta irritatio, uel si facto ipso superior veniat contra materiam voti ut si maritus sciens, & in mente habens votũ castitatis vxoris de sua licentia emissũ petat debitum, censetur solum pro illa vice suspendere ne vxor reddens peccet, quamuis ipse si sine iusta causa petat, peccet, ut dictum est, quia uotum est in possessione; unde semper iudicanda sunt uerba, ita ut quantum fieri potest minus lædant ipsius obseruationem.

2 Dico secundo si materia, quam voto promittit subditus, est talis, quæ sine licentia tempore uoti fieri poterat, ut dicere Coronam B. Virginis, aut talis, quam ipse putabat fieri posse sine licentia; tunc non tenetur petere rei illius licentiam ad hoc ut uotum impleat; quia uotum non obligat ultra uouentis intentionem tacitã vel expressam; sed subditus uouens rem ad quam non requiritur licentia superioris, aut ad quam ipse putabat non requiri neque expresè, neque tacitè se obligat ad petendam licentiã ergo &c. quare si postquam ipse uouit ieiunium, aut coronam recitare superior

rior generaliter prohibeat dicens, nolo vt quiſquam ieiunet; aut dicat coronam ſine mea licentia, non tenetur ſubditus illam petere; & obligatio voti remanebit ſuſpenſa donec talis prohibitio auferatur. ita Vega 2. *t. ſum. c.* 129. *caſu* 90. Arag. 22. *q.* 88. *ar.* 8. *diff.* 1. *concluſ.* 3.

3 At ſi materia, quam ſubditus vouet non poteſt ab ipſo præſtari ſine licentia, ut ſi voueat dare aliquam pecuniã vel peregrinari, & ipſe hoc ſciebat, tenetur ex vi voti petere licentiam, quia obligans ſe ad aliquẽ finem implicitè, etiam ſe obligat ad ea media; ſine quibus non poteſt obtineri talis finis, ergo qui vouit rem, quam non poteſt præſtari ſine licentia ſuperioris, ſe obligat ad petendam licentiam. ita tenent Caet. Sotus, Vega, Manuel. Valen. ſupra citati.

4 Vnde tenetur ſubditus, cui negata eſt licentia, cum ſibi videbitur iterum eam petere ſi nolit votum irritari a ſuperiore & ceſſante prohibitione talis rei, vel ſuperiore alio ſuccedente tenetur votum manifeſtare petendo iterum licentiam, quia votum illud ſolum fuit ſuſpenſum, & docent non eſt irritatum, ſemper obligat, cum fuerit commoditas, niſi forte fuiſſet votum emiſſum pro aliquo tempore determinato, ut ſiquis voueat in vigilia corporis Chriſti ieiunare, vel peregrinationem tempore anni ſancti, ſi pro eo die aut anno denegatur licentia à ſuperiore, non tenetur amplius illam petere, quia tranſacto tampore obligat ionis, votum extinguitur.

5 Dico tertio non tenetur ſubditus, quando petit licentiam exequendi materiam voto promiſſam v.g. ieiunandi aut peregrinationis manifeſtare ſuperiori ſe teneri id implere ex voto, quia non tenetur omnia media adhibere ad hoc ut votum impleat, ſed ſolum ea, ad quæ ſe virtute obligauit; ſed quando vouit materiam illam ſibi prohibitam ſolum ſe obligauit ad petendam licentiam, & non ad manifeſtandum votum: ergo. ita Caet. 2.2. *q.* 88. *ar.* 8. Nauarr. *loc. cit.* & communiter Recentiores, contra Ludou. Lopez Sotum, Graff. Valen. ſupra relatos, putantes à ſubdito deberi exprimi ſe ad id obligatum eſſe ex voto ad hoc, vt licentiam facilius obtineat.

DISPVTATIO XXXXIV.

An quando alter coniux eſt abſens, aut non eſt animus habendi copulam liceat delectatio moroſa cogitando de actu illo, aſpectus, tactus, & confabulationes turpes, ſi non ſit periculum pollutionis.

1 REſpondeo quoad primam partẽ quæſiti affirmatiuè, nimirum nõ eſſe peccatum mortale ſi coniuges morosè delectentur de copula cogitata, ac ſi ea eſſet præſens, etiam ſi ſequatur membri commotio, & alteratio, modo non ſit periculum pollutionis, quia conſenſus in delectationem non poteſt eſſe grauior culpa, quam conſenſus in actum, de quo talis delectatio capitur ex D. Augu. *lib.* 12. *de Trinitate cap.* 12. *t.* 3. ſed copula, de qua coniuges delectantur eſt licita inter ipſos: ergo etiam delectatio de tali copula, erit tamen ſolum peccatum veniale, quia caret debito fine. atque adeò non eſſe culpam mortalem, ſed tantum venialem docent Palud. 4. *d.* 9. *q.* 3. *ar.* 1. *n.* 7. Viguer. *l. inſt. c.* 3. §. 5. Metina 1.2. *q.* 74. *ar.* 8. vbi Zumel. *diſ.* 4. *dub.* 3. Vaſq. *d.* 113. *n.* 2. & 3. Contra Cordubam Sylu. Manuelem, Emma. Sà, & alios putantes eſſe mortale, quia illa delectatio eſt venerea non intenta in bonum prolis, nec in ipſum relata. quos vide apud Sanc. *n.* 2.

2 Quoad ſecundam vero partem dico etiam aſpectus turpes; verba turpia, & tactus inter coniuges ſi fiant, non propter voluptatem, ſed in ordine ad actum coniugalem, vel ad oſtẽdendum amorem nullum erit peccatum illa exercere, quia ex ſua natura ad id ſunt ordinata; ſi vero fiant ſimiles tactus ſolum ad maiorem voluptatem in ipſa copula capiendam, aut ſi ſolum ad captandam voluptatem ex

ipſis

ipſis proueniẽte m abſque animo perueniendi ad copulam, & ſunt peccatum veniale, quia illa voluptas quæritur in actu ſua natura ordinato ad actum coniugalem: ergo ſicuti talis actus eſt licitus, ita erit licita voluptas ex his tactibus, & ſolum erit culpa venialis in debiti finis. ita *Metina l. 5. de Sacr. hom. cont. c. 77.* Vaſq. *loc. cit.* Victoria *de matr. n. 274.* Bart. à Ledeſm. *de matr. dub. 28.* Sotus *4. d. 31. q. vnic. ar. 4.* & alij.

3 Idem dicas ſi coniux ſe ipſum tangat ob captandam voluptatem abſq; periculo pollutionis; quia tactus ille ſua natura poteſt ad copulam coniugalem ordinari, nec intentione illum exercentis ad alium prauum finem ordinatur: ergo non erit mortale, fauet huic ſententiæ Palud. *4. d. 31. q. 3. ar. 2. n. 17.* Lud. Lop. *1. p. inſt. c. 87.* dum dicunt hos tactus eſſe mortale, quando eſt periculum pollutionis.

4 Alios caſus circa hanc materiam explicauimus diſp. 17. & 15. huius libri, vt ſi vir immittat membrum virile in os vxoris, aut ſi in loco ſacro, vel publicè petat, aut ſi tangat ſe, vt citius ſeminet.

QVAERES I.

An prædicta omnia nempe delectatio moroſa de actu coniugali, tactus &c. liceant, quando coniugibus eſt impeditus actus coniugalis.

5 REſpondeo cum diſtinctione ſi actus coniugalis eſt illicitus ob aliquam circumſtantiam matrimonio intrinſecam; quod eſt quando coniux eſt dubius de valore, tunc eſt peccatum mortale habere delectationẽ talis copulæ in parte ſenſitiua, etiam ſi coniux cogitaret de actu redditionis debiti, ratio eſt, nam delectatio conſurgens in appetitu ſenſitiuo ex commotione ſpirituum vitalium eſt quaſi inchoatus coitus; qui non poſita cõditione petitionis debiti factæ ab altero coniuge eſt illicitus huic impedito debitum petere; ergo eſt delectatio de re illicita; neque appetitus ſenſitiuus poteſt fieri in talem delectationem cum illa conditione, ut explicat Gaet. *tom. 1. opuſ. tract. 14. de delectat. moroſa*, & ſimiliter tactus &c. erunt peccatum mortale, quando non habentur præcisè in gratiam alterius tacitè vel expreſsè petentis, quia tunc ſpectant ad redditionem debiti, quæ licita eſt ob poſſeſſionem alterius coniugis poſiti in bona fide, & ſine dubio.

6 At ſi actus coniugalis eſt illicitus ob aliquam circumſtantiam extrinſecam, quæ per ſe neutrum coniugem prohibet à copula, ut ſi copula illicita ſit propter notabile periculum ſalutis abortus ob impotentiam ſuperuenientem, vel defectu membri, vel ratione alicuius præcepti Eccleſiaſtici, vt eſt cum coniux contraxit affinitatẽ cum altero. tunc licita eſt delectatio prædicta, tactus &c. Ratio eſt, quia in his caſibus vſus matrimonij eſt ſua natura, & ab intrinſeco licitus, & ſolũ prohibetur ab extrinſeco ratione alicuius virtutis, cui non aduerſatur delectatio illa ſenſitiua, tactus &c. & prohibitio Eccleſiæ, quæ extrinſeca eſt, & pœnalis non eſt extendenda vt cenſeatur prohibere tactus, delectationes &c. ſed ſolum copulam. Erit tamen talis delectatio peccatum veniale, ſicuti & cæteri tactus ſi non referantur ad bonum finem iuxta ſuperius dicta.

7 Excipe tamen ab hac regula votum caſtitatis. nam coniux, qui caſtitatem vouit ſi delectetur de copula in parte ſenſitiua, peccabit mortaliter contra votum, etiam ſi ſit ſub conditione, quando petatur debitum, & ſimiliter erunt peccata mortalia tactus &c. niſi fiant ad petitionem expreſſam vel tacitam alterius coniugis; quando per tale votum caſtitatis teneretur reddere debitum. Ratio eſt, quia vouens caſtitatem tenetur abſtinere ab his ratione voti; vnde directè opponuntur circumſtantiæ huic extrinſecæ voti, non autem alijs, vt numero præcedenti vidimus. Et quamuis ob debitum reddendum poſſit habere tactus &c. tamen non poteſt delectari in parte ſenſiti-

ſitiua de copula, quia ea non ponit cõ ditionem illam, vt dixi *num. præced.* licet poſſit habere gaudium, & delectationem voluntatis horum omnium ſub conditione illa, quia voluntas põt conditiones apponere; aut ſi ſolum fuit votum non petendi, tunc enim omnia prædicta licent.

8 Quamuis aliqui Docti Recentiores teneant licitam eſſe talem delectationem in prædicto caſu, & licere etiam tactus, modo non ſint partium verendarum, aut vicinarum; quia copula eſt illicita ob extrinſecam circumſtantiã, & sicuti poteſt quis delectari in eſu carnium tempore quadragesimæ ex eo, quia talis eſus non eſt intrinſecè malus, ſed ab extrinſeco nempè à prohibitione Eccleſiaſtica, ita etiam in caſu noſtro.

DISPVTATIO XXXXV.

Explicatur an, & quando aliquæ actiones ſint peccatum mortale ob periculum pollutionis tam in coniugibus, quam in ſolutis.

1 ANtequam ad caſuum deciſionẽ deueniamus ſciendum eſt pollutionem, & diſtillationem differre inter ſe. Pollutio enim eſt cum ſemen proijcitur, & hæc non poteſt eſſe in vigilia abſque carnis commotione, & venerea delectatione. at diſtillatio eſt quidam humor ſimilis in colore ſemini, ſed non ita mordax, & groſſus, faci le fluens, & aliquando ſine carnis motu imperceptibiliter, ut docet D. Tho. *opus.* 64. & alij.

2 Sciendum eſt ſecundo pollutionẽ habere eandem malitiam ſi accidat in ſomnis, ac ſi accidat in vigilia, quando ea accidit præter intentionem, & ſolum indirectè eſt volita in cauſa, quia in ſola cauſa habet rationem mali, vel boni: & idem dicas de alijs effectibus, præter intentionem euenientibus. ita Valentia 22. *diſ* 9. *qu.* 3. *pun.* 3. §. *porro.* Gaet. *loc. cit.* Armilla *v. pollutio num.* 3. his positis.

QVAERES I.

An quando adeſt aliqua neceſſitas, vel cauſa iuſta exercendi aliquem actum v. g. audiendi confeſſiones, comedendi, legendi libros ad docendum &c. ſi in eis præuideatur periculum pollutionis, ſit peccatum illa exercere.

3 REſpondeo nẽgatiuè, nullum eſſe peccatum exercere hos actus licitos, & neceſſarios, etiamſi ſequatur ex his pollutio præter intentionem, nam pollutio eſt per accidens, nec debet imputari illi, qui exercet illas actiones, eſt communis, & docet D. Tho. 2. 2. *q.* 154. *ar.* 5. Gerſon. 2. *p. tr. de poll. diur. pro.* 12. *Alphab.* 38. *lit. I.* Nauar. *c.* 16. *n.* 7. Metina 1. 2. *q.* 74. *ar.* 6. vbi Zumelar. 8. *dis.* 4.

Immo ob dictam rationem non erit peccatum pollutio præuiſa, & ſequens ex aliqua cauſa licita per ſe, ſed illicita ratione alicuius circumſtantiæ non conferentis ad pollutionem, vt ſi quis comederet in die Ieiunij. ita ut illud frãgeret, ex illa comeſtione ſequatur pollutio, quam ipſe præuidit, ſed non intendit, neque immoderate comedit.

4 Vnde ſi quis expertus ſequi pollutionem ex equitatione, non tenetur pedes ire, ut docent Nauarr. Vaſq. & alij *loc. cit.* aut ſi ex aliquo tactu licito vt cum quis ex more patriæ alium amplexari debeat, vel Chirurgus, qui fœminæ verenda mederi debet, non tenetur hos actus vitare, quamuis in illis ſit periculum pollutionis. Similiter poteſt quis verenda fricare ob ſedandum pruritum, aut lanuginem reſecare, lauare &c. quamuis ex his ſit periculum pollutionis.

5 Denique licitum eſt impedimenta remouere virtuti generatiuæ accipiendo medicamenta, quæ tendant ad expellendos humores corruptos; licet inde ſequatur pollutio præter intentionem, quia nulla eſt obligatio ab his actibus abſtinendi, qui vtiles ſunt, aut neceſſarij ob periculum pollutionis non intentæ.

In-

6 Intellige omnia prædicta tunc licere etiam cum periculo pollutionis, quando non eſt periculum conſenſus in delectationem: nam in hoc caſu debemus abſtinere ab his cauſis etiam licitis; quia qui amat periculum, peribit in illo: *Eccleſ. tertio* verum ſi ſit cauſa valde vrgens, non erit peccatũ ex ponere ſe huic periculo, proponendo firmiter ſe non conſenſurũ, vt cauſa medendi fœminæ, cum alius non eſt Medicus, vel audiendi Confeſſiones, ita ex Nauarr. *cap. 3. nu. 15.* Gaet. *ſum. v. periculum vbi* Armilla Cord. *ſum q. 4. f. 20. §. y entonces* Caſtro *l. 2. de iuſt. hær. puni. c. 17. col. 9.* & Alijs docentibus poſſe abſolui non vitantem occaſionem proximam peccato; quando eſt neceſſitas vrgens.

QVAERES II.

An quando nulla eſt neceſſitas, nec vtilitas liceat exercere aliquem actum, in quo eſt periculum pollutionis abſque periculo conſenſus in talem pollutionẽ.

7 REſpondeo cum diſtinctione ſi illi actus ex natura ſua ſunt turpes, & per ſe tendentes ad actus venereos excitandos, & ad pollutionem, vt ſunt tactus, aſpectus, & verba turpia, eſt peccatum mortale illos exercere ratione pollutionis, præuiſæ in ipſis, quamuis talis pollutio non intendatur; aut magnæ commotionis ſpirituum, vel diſtillationis, quæ ſunt inchoata pollutio, niſi excuſet grauis neceſſitas, vt ob medendum, aut ad pruritum ſedandum &c. iuxta dicta *n.* 3. quia lex naturalis, quæ obligat ad vitandam ſeminis effuſionem extra actum coniugalem, obligat etiam ad vitandas cauſas per ſe influentes in talem pollutionẽ, vbi non eſt neceſſitas.

8 At ſi actus hi ex natura ſua non tendunt ad venerem, & pollutionem vt ſunt nimius cibus, potus, equitatio &c. qui per accidẽs ſunt cauſa pollutionis, cum non ſit de genere luxuriæ: tunc quamuis hi ex ſe eſſent peccatum mortale, vt nimia commotio, vel ebrietas, tunc qui illos actus exerceret, non committit peccatum in genere luxuriæ, quamuis ſit periculum pollutionis non intentę. ratio eſt quia prædictæ res non ſunt veræ cauſæ pollutionis, & potius pollutio ſequitur ex cauſa naturali; ergo nemo tenetur illas cauſas vitare ob periculum pollutionis, ſi ipſe talem pollutionem non intendat, nec ſit periculum conſenſus: ita docet Henriquez *lib. 8. d Euchariſtia cap. ſi* Suarez *3. p q. 80. ar. 7. V.* ſq. *1. 2. q. 74. diſ. 115. n. 9.* Gaeta *2. 2. quæſt. 154. as. 5.* D. Ant. *2 p. t. 6. c. 6.* Nauar. *c. 16. nu. 6.* & cum alijs qui videntur in ea ſententia. confirmatur quia valde tenuis eſt obligatio vitandi pollutionẽ in cauſis ex natura ſua turpes quæ per ſe, & proximè non ordinantur ad illas vt ſunt predictę, & cum natura habeat vim expellẽdi talem humorem, non multum refert vt paulo ante ex eat ob illas cauſas, ſi non intendatur.

9 Excipe tamen niſi actus illi ſint ſolum peccatum veniale in genere luxuriæ ſiue quia non fuit plena aduertentia, ſiue ex paruitate materiæ, vt ex tactu leui manus, viſu, lectione aliquantulum turpi, tunc enim eſſet ſolum peccatum veniale talis pollutio contra caſtitatem; quamuis ſentiatur vehemens commotio in prædictis rebus leuiter turpibus. Ratio eſt quia cauſæ hæ leuiter influẽtes ſunt ſolum cauſa pollutionis ſecundum quid, ita Gaet. *l. c.* Enriq. *l. 11. de matr. c. 16. n. 9.* Em. sà *v. luxuria* & Alij, qui docent pollutionis malitiam eſſe mentiendam ex malitia cauſæ. quos *numero prec.* retuli.

Immo quamuis res illæ leuiter turpes eſſent ex alia ratione peccatum mortale v. g. ob deſiderium copulæ; tamen adhuc pollutio ex ipſis ſequens ſi non intendatur, nec ſit periculum conſenſus in eam erit ſolum peccatum veniale, quia non influunt notabiliter ad pollutionem.

10 Similiter quamuis prædictæ cauſæ, quæ ad luxuriam non pertinent efficerentur mortales in genere luxuriæ ſolum ob finem malum, vt ſi quis

calida

calida comedat in magno exceſſu ad hunc finem, vt fortior fiat ad fornicandum; adhuc pollutio ſequens ex illa comeſtione non erit mortale, quia finis ille non cooperatur ad pollutionem, nec deſiderium copulæ, quando non eſt delectatio in cogitanem ipſius.

11 Ex his patet primo. omnem actum turpem mortalem contra ſextum præceptum eſſe etiam contra naturam, ſi in eo præuideatur pollutio, etiamſi non intendatur, immo quamuis ea non præuideatur, nec intendatur, actus ille erit etiam contra naturam ſi diu quis perſiſtat in eius cogitatione, quia eſt cauſa notabiliter influens in pollutionem, & talia turpia cogitans, tenetur pollutionem præuidere; aut ſi quis in venerea delectatione negatiuè ſe habeat, nec illam admittens, neque reſpuens, tunc enim (licet probabiliſſimum ſit non eſſe mortale ceſſante conſenſus periculo;) ſi sit periculum pollutionis, erit mortale, etiamſi tepidè illi cogitationi reſiſtatur, quia tenetur cauſam pollutionis vitare. ita Syluester *v. delectatio qu. 1. dict. 4.* Contra vero si cogitatio turpis, in qua quis delectatur non ita duret, nec probabiliter in ea timeatur periculum pollutionis ob alias circumſtantias, tunc pollutio ſequens præter intentionem, non erit mortale, quia cum sit probabile pollutionem non fore ſequuturam, non debuit præuideri.

12 Patet ſecundo vniuerſalem regulam ad cognoſcendum, quando pollutio sit peccatum mortale, ſi ſequatur præter intentionem, hanc eſſe, ſi cauſa pollutionis præuiſę notabiliter, & per ſe influit in illam, neque adeſt vrgens neceſſitas exercendi talem cauſam, vt medendi pudenda fœminæ, quando non eſt alius medicus, tunc pollutio ſequens erit mortale, cauſa autem illa dicitur notabiliter influere in pollutionem, quę eſt peccatum mortale in genere luxuriæ; at si cauſa non sit notabiliter influens in pollutionem, vt eſt omnis actus non pertinens ad venerem, etiam alias mortalis, aut actus ſolum venialiter peccaminoſus contra caſtitatem, tunc pollutio ſequens non erit mortale.

13 Patet denique pollutionem in hoc caſu, quando ſolum eſt volita in cauſa ex eo ſcilicet, quia aliquis exercet actum per ſe influentem in pollutionem eſſe peccatum verè, & propriè ratione cauſę; vnde non addit nouam malitiam diſtinctam à malitia, qua fuit volita cauſa, vt docent Abulenſis *ca. 5.* Matthæ. *qu. 246.* Sotus *4. d. 12. qu. 1. artic. 7.* Corduba *l. 2. qu. 23.* Henriquez. *l. 8. de Euch. ca. 51. num. 2. lit. F.* Ludou. Lopez. *2. par. inſtr. de Euch. ca. 76.* Martinus de Magiſtris *qu. de pollut. noc.* Nauar. *ca. 16. num. 8.*

14 Et sic quamuis non ſolum debeat confiteri cauſam pollutioni datam, ſed etiam ipſam pollutionem ſequutam, quia eſt verè peccatum; tamen si antequam ſequuta sit pollutio vere pœnituit cauſæ datæ, pollutio ſequens non erit peccatum; quia eſt omninò inuoluntaria, vt docent DD. præallegati. Et ſimiliter siquis confeſſus eſt cauſam datam pollutioni, & deinde poſt confeſſionem ſequatur pollutio non tenetur eam confiteri, quia iam nullam habet malitiam, & iam expreſſa fuit in ſua cauſa, quamuis Sotus, & Ludo. Lopez. dicant tutius fore ſi fateatur deinde pollutionem ſequutã.

15 Vnde non eſt audiendus Marsilius *2. 2. qu. 21. articulo 2. ſuppl. 2.* qui docet dormientem, vel Ebrium poſſe amittere gratiam tempore ſomni, caſu quo ſequatur pollutio in ſomnis, cui cauſam dedit; falſum, inquam, eſt hoc, nam gratia eſt amiſſa, quando ille dedit cauſam notabilem pollutioni, & si ante ſomnum pœnituit cauſæ, iam pollutio non eſt peccatum mortale. ita Medina *1. 2. q. 71. ar. 5.* Enriquez. *de pœn. c. 5. num. 5. l. 5.*

16 Sunt tamen in hac re tres ſententię prima docet abſolutè eſſe peccatum mortale exercere aliquem actum etiã licitum ex ſe, si in eo præuidea tur pollutio, quia qui vult antecedens, vult cõ

ſequens, quod ex eo infertur, & qui vult cauſam vult effectũ: ergo qui vult cauſam pollutionis vult ipſam pollutionem, quod eſt mortale. ita Medina 1.2.q.74.ar. 6.ad 3. Valen. 22. *diſ.* 9. *qu.* 3. *pun.* 3.. Zumel. 12. *artic. octauo qu.* 44. *diſput.* 4. Manuel 1. *t. ſum.* 2. *edit.* c. 21. *num.* 1.

17 Secunda ſententia dicit nunc eſſe peccatum mortale, quando res eſt illicita etiam vanialiter, ſiue ſit in materia turpi, ſiue non: quia qui dat operam rei illicitæ, non poteſt excuſari a peccato pollutionis ex eo, quia vtatur iure ſuo, ſicuti excuſatur ille qui exercet actum licitum; ergo peccabit contra naturam operando actum illicitum; ex quo præuidet ſequuturam pollutionem, quamuis illam non intendat. ita Armilla *ver. pollutio num.* 1. cui fauet Sotus, Corduba, Lud. Lop. *loc. cit.*

18 Tertia denique ſententia dicit tunc eſſe mortalem pollutionem non intentam, quando oritur ex cauſa, quæ ſit peccatum mortale ſiue in genere luxuriæ, ſiue in alio; quia pollutio illa in tantum eſt mala, in quantum cauſa eſt mala, ſed cauſa eſt peccatum mortale; ergo etiam pollutio inde ſequens. ita Barthol. à Ledeſm, *de Euchar. dub.* 24. Alexan. *in Enchir.* 2. *par. tract. de luxur.* Ledeſm. 1. *par.* 4. *quæſt.* 21. *articulo ſeptimo*, & videtur tenere Sanct. Thom. 2. 2. *quæſt.* 151. *articulo quinto*. Gaet. *opuſ.* 1. *primo tr.* 22. *de pollut.* & alij.

QVAERES I.

An coniuges poſſint habere tactus turpes, oſcula, amplexus, delectationes moroſas, dicere verba turpia, quando eſt periculum pollutionis præuiſæ in his, ſed non intenditur.

19 REſpondeo qui reddit tactus non peccat mortaliter quamuis ſit periculum pollutionis ſine conſenſus periculo, quia adeſt vrgens cauſa nempè obligatio reddendi alteri coniugi, quæ excuſat à culpa, niſi forte ſint adeò turpes, vt ſint quaſi inchoata pollutio, tunc enim eſt peccatum mortale illas habere in loco, vbi non poteſt haberi copula.

20 Contra vero petens tales tactus impudicos, loquens verba turpia, aut aſpiciens turpiter cum venerea delectatione ſufficiente ad peccatum mortale; aut ſe ipſum tangens, vel moroſam delectationem habens, peccabit mortaliter ſi adſit periculum pollutionis, & ſit in eo loco, vbi non poſſit facile habere copulam coniugalem, quia hæc omnia influunt notabiliter ad pollutionem, nec vlla eſt neceſſitas excuſans à peccato.

21 Excipe tamen amplexus, & oſcula, & alios tactus ſolitos exerceri inter coniuges ad mutuum amorem indicandum, non enim eſt peccatum mortale illos exercere ob periculum pollutionis præuiſæ, quando non adeſt nimia voluptas, nec valde incitant ad pollutionem, quia adeſt neceſſitas hos actus exercendi ad amorem oſtendendum nec valde influunt in pollutionem in coniugatis, ſicuti influerent in ſolutis.

23 Similiter non erit mortale exercere prædictos actus, quibus datur cauſa commotionis ſpirituum, & incurritur in diſtillationem, quia hoc non eſt graue damnum generationi, & ea ſpirituum commotio eſt licita inter coniuges, vt dictum eſt *diſputat. præced.*

* Placet hic obiter notare (nam maiori diſcuſſione non indigent,) quæ ait Texeda *l.* 2. *tract.* 3. *contr.* 1. *numero vigeſimoſeptimo*; vbi falſam iudicat ſententiam, quam *numero decimonono* ex Sancio tradidimus. atque obiicit primo (*quia vnus coniux non poteſt ab altero tangi, nec alterum tangere cum pollutionis periculo, abſque peccato mortali niſi in ordine ad coniugalem copulam.*

Sed hoc argumentum diceret logicus, petit principium: id enim aſſumit, quod eſt probandum; deinde

de deficit quatenus addit limitationem *niſi in ordine ad coniugalem copulam* nam ſuapte natura tactus illi ordinantur ad copulam coniugalem, ad quam habent ius coniuges, vt *diſputatione præcedente* dictum eſt, ſi vero intendat, niſi quando eſt habenda copula, & ſunt iam ad eam præparati, petit, ut dicebam, principium, hoc enim debet probare.

Obijcit ſecundo, *quia neuter coniux habet ius tangendi alterum in partibus impudicis cum periculo pollutionis.*

Hoc argumentum ſi intelligit de tactu impudico vtcumque petit principium ſicut & præcedens, id enim debet probare, Si vero loquitur de tactu impudico, ita ut ſit quædam inchoata pollutio: non eſt ad rem, nam vltro conceſſimus cum Sancio 1 tunc non licere niſi ſit in loco vbi poſit copula haberi.

Tertium eſt, *quia pollutio illa præuiſa cedit in damnum prolis, quod eſt intrinſece malum.*

At hoc verum non eſt: ſi enim eſſet intrinſece malum exercere aliquid; quod cedit in damnum prolis, ſequeretur, quod Chirurgus non poſſet exponere ſe periculo pollutionis, ſi ex neceſſitate debeat mederi pudenda fœminæ, quod tamen admittunt communiter Doctores, & multi etiam id docent, quando eſt periculum conſenſus in illam, vt Caſtropalaus *t.* 1. *tract.* 2. *diſ.* 2. *pun.* 9. §. 3. *num.* 11. Io. Sanchez *in ſelect. d.* 21. *num.* 9. nec poſſet fœmina pati inciſionem ſi poteſt fieri apta copulæ poſt matrimonium contractum: quod eſt contra C. *fraternitatis de frig. & malef.* ſtatuens ad id teneri, & tamen ibi eſt periculum maximum pollutionis. Nec etiam poſſent matronæ, aut medici attrectare partes pudendas ad cognoſcendam impotentiam, quod eſt contra C. *propoſuiſti de probat. & Ca. nec aliqua* 27. *qu.* 1. vt *lib.* 7. dictum eſt *à diſputatione* 107.

Nam cum hæc omnia afferant ſecum probabile, & fœre certum periculum pollutionis; & per conſequens ex Texeda damnum prolis: ſi vt ille vult, eſſent intrinſece mala fieri non poſſent; nam ea, quæ ſunt intrinſecè mala non licent ex quacumque neceſſitate, vt eſt mendacium v. g. quare non attendit hic Auctor: quod aliud eſt directè damnum prolis procurare per expulſionem ſeminis. aliud vero exercere actionem ex qua præuideo damnum prolis ex ſeminis emiſſione. primum non licet, vt *diſ.* 20. ex Diuo Thoma 4. *d.* 31. Gaet. 22. *queſt.* 15. *articulo* 1. Suppl. Gabr. 4. *d.* 31. *quæſ. vnica articulo ſecundo* & alijs, & *diſ.* 17. *numero ſeptimo* dictum eſt cum ſit intrinſece malum: at licet ſine vllo peccato ſecundum, quando adeſt iuſta, & vrgens cauſa: tunc enim potius eſt pati pollutionem, quam illam velle, vt dixi multis relatis in hac *diſ. numero primo*; atque ita dicimus in caſu noſtro, in quo coniux reddit tactus alteri; ad amorem conciliandum, & cetera.

Quartum argumentum eſt. *illi tactus ex parte reddentis ſolum ſunt habiti propter delectationem ex illis captam.* Ad quod non aliter reſpondendum puto, quam petendo ab hoc Auctore: vndè id habeat? & ſi hoc ſit, vt ipſe putat non ſumus in quæſtione propoſita. nam ſupponimus licere reddenti: & ſi conſurgat delectatio ex his tactibus cum periculo pollutionis illam non intendat.

Quintum denique eſt huiuſmodi *implicat hic Auctor in dictis: nam ſi adeſt periculum pollutionis, & illud præuidetur à coniuge reddente implicat quod non conſentiat in pollutionem, & ideo ſi conſentiendo peccat mortaliter, id etiam faciet ſi cognoſcendo periculum pollutionis perſeuerat in illis tactibus.* Verum mihi videtur tam facile ſolui poſſe hoc argumentum, quam cætera; non enim video, quæ ſit hæc implicantia Sanc. j. potius valde durum puto modum argumentandi huius auctoris, præuidet pollutionem in actu aliquo de ſe alias licito, & exercet illum actū: ergo vult pollutionē. negā enim

enim omnes conſequentiam; Quia ex illo argumento ſequeretur: quod concionator, qui legit libros in ordine ad concionem, ſi in illa lectione præuidet pollutionem abſque conſenſus periculo, deberet deſiſtere. Et confeſſarius peccaret mortaliter, ſi dum audit confeſſionem agnoſcit periculum pollutionis, & eam non interrumpit, & ſimilia, quæ vere ſunt abſurda, & contra cõmunem Doctorum ſenſum: ſuntque in re morali prima elementa immo aliqui putant nec Parochum teneri deſerere officium: quamuis experiatur periculum conſenſus in pollutionem. ita Caſtropalaus vbi ſupra *nu.* 13. citans Ioannem Sancium *in ſelectis diſ.* 10. *n.* 18. Lopez 1. *p. inſtr. c.* 25. Nau. *ſum. c.* 5. *n* 26. quamobrem ni fallor, nõ ſunt adeo efficacia Texedæ argumenta. vt cogant à propoſita Sancij ſententia nos recedere; at potius monerem hunc doctorem ne tam facile falſam dicat doctrinam, quam ſecuti sũt poſt Sancium Tanardus inclitæ Dominicanorum familiæ, quem citat, & ſequitur Diana *tract.* 4. *de ſacr. reſ.* 217. Filiuccius *t.* 1. *tr.* 10. *p.* 1. *c.* 9. *num.* 356. & alij.

Denique nota falſo dixiſſe Texedã *n.* 26. Sancium *n.* 35. *coniugem qui tenetur reddere non peccare mortaliter ſi tactibus impudicis ſe vel alterum tangat cum pollutionis periculo*) nam Sanchez *in eadem diſputa. d. nu.* 35. a Texeda citato loquitur de tactibus mutuis coniugũ: & *nu.* 39. *eiuſd. diſput.* apertiſſime negat licere tactum, quo coniux ſeipsũ tangat cum periculo pollutionis: verba Sancij ſunt. (*Tertio infertur tactum, quo coniux ſe ipſum tangit cum pollutionis periculo eſſe culpam mortalem: quia ad eam valde influit, nec cauſa vrgens illum excuſandi adeſt*) & ſane videtur nõ modica inaduertentia Texedæ qui cum legiſſet *n.* 35. Sancij, ac notaſſet illum loqui quando coniux debet tactus reddere, inquit, illum docere non eſſe peccatum tangere ſe cum pollutionis periculo, quando tenetur reddere, ſi enim ſe ipſum tangit non video quomodo ſtet eſſe redditionem. vnde merito Sanchez ait *quia non adeſt cauſa vrgens illum tactum exercendi.* cũ non poſſit eſſe redditio quam ſupra *n.* 35. dixit eſſe cauſam vrgentem ibi *at ſatis vrgens cauſa eſt reddendi tactus ab altero coniuge exactos*, at non eſſet exactio ſi coniux alteri dicat tange te ipſum.

Examinatur num Sancij ſententia num. 10. *recte a Texeda impugnetur.*

Notandum hic etiam Texedam erraſſe dum *l.* 2. *tr.* 3. *contr.* 15. *num.* 10. ait Sancium citare falſo Gaetanum in illa ſententia, quam *nu.* 10. tradidimus, quod tamen verum non eſt: ſolum enim ibi Sanchez citat Gaetanũ ad confirmandam rationem, qua probat ſuam ſententiam. non autẽ ad ipſam ſententiam vt putat Texeda ibi *citat Sanchez Gaetanum, & re vera nihil dicit. immo oppoſitum, nec potuit cadere in mentem viri tam docti, & Chriſtiani hæc doctrina.* verba Sancij ſunt *n.* 18. *Secundo idem dicendum eſſe, quamuis cauſæ non ad luxuriam pertinentes, vt nimia commeſtio, ebrietas mortalis, efficiantur læthales in genere luxuriæ ratione ſolius finis intenti ab operante. vt ſi quis calida comedat, vel excedat in cibo vt potentior fiat ad copulam, quoniam finis ille nil cooperatur ad pollutionem: nec deſiderium copulæ ceſſante delectatione in ipſa cogitata habet rationem cauſæ pollutionis teſte Gaetano* 2. 2. *qu.* 154. *a.* 5. *paulo ante §. in reſponſ. ad* 5. *quare ſola cauſa illius pollutionis eſt exceſſus &c.* ſolum ergo citat Gaetanum quatenus ait deſiderium capulæ abſque delectatione non eſſe cauſam pollutionis. quod autem hic auctor dicat non poſſe cadere in mentem viri docti, & Chriſtiani eam ſententiam parum mouet; valdè enim facilis eſt ad has cenſuras gratis fundendas, vnde non eſt quod verbis reſpondeam, cum id a noſtro, & Doctorum omnium inſtituto alienum putem. rationibus ſatisfacerem vt adhuc circa Pontij dicta feci: ſi noſtra opera indigerent, ſolum enim hic auctor probat commeſtionem

nem fieri mortalem in genere luxurię quando quis comedit calida vt potẽtior fiat ad fornicandum. quod vltro concedimus. & non diſtinguit de pollutione proueniente ex cibis calidis, & de ea quæ ex fornicatione, vel eius apprehenſione ſequitur de ſecunda dubium non eſt eſſe peccatũ. de priori dicimus cum Sancio non eſſe peccatum; quia ſequitur ex commeſtione, quæ non eſt cauſa per ſe influens. adſcribere Texedæ verba *num.* 11. vbi ponit ſua argumenta, ſed nolo lectorẽ detinere fortaſſe inuitum: qui velit ipſum adeat: ſatis mihi ſit initia argumentorum annuere & media quibus is vtitur. ſunt autem hæc primo *quia commeſtio calidorum propter maiorem potentiam ad fornicandum perſe influit in fornicationem.* ſecundo *quia mediorum, & finis eadem eſt bonitas, vel malitia*, & totus eſt in ea propoſitione probãda. Tertio *quia quando homo vtitur ſomno non vt vinculo naturali liberi arbitrij; ſed vt inſtrumento liberæ malitiæ ad executionem mali peccat &c.*

Ex quibus argumentis nil aliud poterit Texeda deducere, quam: ergo *peccat, & addit nouam malitiam luxuriæ qui comedit calida ad fornicandum* quod Sanchez *l. c.* expreſſiſſime concedit, & nemo ſanæ mentis negabit. non autem inferet, nec inferre poteſt. hanc: quam deberet probare: ergo *pollutio ſequens ex illa commeſtione eſt peccatum mortale*: hanc enim negamus cum illa pollutio ſequatur ex cauſa per accidens, nempe ex commeſtione, quæ non eſt per ſe influens in pollutionem. nec ea pollutio intenditur quod ſic declaro: ſi quis furatur vt fornicetur; certe nouam furto addet circumſtantiam: ſi vero dum furatur ex motu, vel quid ſimile ad furtum requiſitum incidit in pollutionem; hæc pollutio non eſt peccatum: quia accidit præter intentionem, & ex cauſa per accidens omnino. ſic in caſu poſito, qui comedit, vt potentior fiat ad copulam fornicariam. nouam addit malitiam nempe fornicationis. at ſi ex eſu ciborum calidorum polluitur: talis pollutio ſequitur ex cauſa per accidens: licet enim illa commeſtio ſit peccatum mortale, in genere etiam luxuriæ ob illum prauum finem: at non eſt cauſa pollutionis, prout habet illam malitiam (ſupponimus enim hic, non eſſe delectationem in parte ſenſitiua in illo fine prauo, vt fiat potentior ad copulam fornicariam) ſed pro vt eſt intemperantiæ peccatum; ſecundum quod non eſt perſe influens in pollutionem, vt diximus in hac diſputatione, & latiſſime probat Sanchez *à. nu.* 16. nec pollutio ex ea ſequens debet ſub mortali vitari; quando abeſt conſenſus periculum; quæ non viſus eſt perpendiſſe F. Lopez, dũ illa propoſuit argumenta

DISPVTATIO XXXXVI.

Explicatur quandonam oſcula, amplexus, tactus, verba turpia, & ſimilia liceant vel ſint peccatum in perſonis omnino ſolutis, & in ſponſis de futuro.

1 IN hac materia certũ eſt in omnium ſententia tactus non eſſe de ſe, & intrinſece malos: ſed eſſe indifferentes. nec ſolum ſunt tales tactus manuum &c. ſed etiam tactus, quibus vir pudenda fœminæ tangit. poſſunt enim fieri cauſa medendi. ita docet bene Nauarr. *c. ſicut de pœnit. d.* 1. *nu.* 13. ſupplem. Gabr. 4 *d.* 31 *qu. vnica.* 3. *du.* 2.

Vnde oſcula, amplexus ex beneuolentia, & ſecundum patriæ conſuetudinem, aut ob delectationem honeſtam habita non ſunt peccatum, vt omnes dicunt. Etiam ſi motus ſenſualis, & delectatio venerea inſurgat, reſpuente illam voluntate vt docet Nauar. *l. c.* Manuel. 1. *t. ſummæ* 2. *edit. cap.* 203. *num.* 2.

Dicitur autem delectatio venerea illa, quæ ſentitur in carne, cum commotione ſpirituum, qui generationi inſeruiunt in partibus libidinoſis. his poſitis

QVAE-

QVAERES I.

An oscula, & amplexus, & tactus habita à viro cum fœmina, quæ nec est ipsi vxor, neque sponsa de futuro sint peccata mortalia quando fiunt ad capiendam illam delectationem venereamabsque animo habendi Copulam, vel si hæbeantur à duobus viris inter se, aut denique si quis sua propria verenda tangat obsolam illam delectationem veneream.

2 REspondeo affirmatiuè. ratio est quia interdicta fornicatione, interdicuntur omnia ea, per quæ ad eã deuenitur *ex l. oratio ff. de sponsal.* sed tactus, oscula &c. quando habentur ob delectationem venereã ex illis consurgentem, sunt via ad fornicationem: ergo sunt prohibita. ita tenent ex Thomistis S. Tho. *de malo q.* 15. *a.* 2. *ad* 18. Palud. 4. *d.* 31. *q. vnic. ar.* 3. Gaet. 2.2. *qu.* 154. *ar.* 4. *dub.* 1. Nieua *sum. t.* 87. Nider. *sum. pr.* 9. *c.* 4. Ioan. de Burgo *in pupilla oculi p.* 10. *cap.* 4. Alcocer. Io. Hellelf. Phil. Bart. a Ledes. & alij apud Sanc. *n.* 7. vnde necessario debẽt fateri circumstantiæ, vt si tangens, vel ille qui tangitur, sit coniugatus, tunc enim erit sacrilegium, & si sunt duo eiusdem sexus, qui se tangant in casibus propositis, nam est peccatum cõtra naturam pertinens ad sodomiam vt docent Nauarrus, Gaet. Nieua. *l. c.* contra Martinum de Magistris Vmbertum & alios Doctores Hispanos, vt refert Nauarra *cap. si cui de pœnit. d. prima* ratio eorum est quia Diuus Paulus *ad ephes.* 5. non numerauit oscula &c. inter peccata mortalia tum quia fornicatio ideo est mala, quia est contra bonum prolis, quod in casu posito non inuenitur.

3 Excipe tamen nisi oscula, & tactus, qui non omnino turpes sunt, fiant ex quadam leuitate animi, & ioco absq; venerea delectatione, vt si vir tangat ioco mammillas fœminæ, casu quo tales essent personæ, vt inde non excitentur ad peccatum, aut si manum fœminæ vel pedem premat ex ioco, tunc enim sunt solum peccatum veniale; quando non fiunt ob captandam illam delectationẽ venereã. Nã si fiant in hunc finem, erunt peccatum mortale, quia in hac materia ob periculum maximum, cum res sit valde lubrica, non datur paruitas materiæ, vt putant eam dari Nauarr. *l. c.* Sotus *de doctr. Chr. f.* 26. Rursus si tactus &c. sunt omnino impudici, vt partium vincinatorum verendis, erunt peccata mortalia, nisi fiant ioco absque delectatione, vt cum pueri arripiunt membrum alterius, vel cum quis osculatur affectuose molles carnes infantium, quia non oriuntur ex venerea delectatione. licet mortale sit tãgere propria verenda, delectatione libidinosa: tamen si fiat absque libidine sed ex curiositate, aut gratia calefaciendi manus sine periculo pollutionis non erit tale.

Denique communiter nõ erit mor-
5 tale fricare partes turpes animalium, & semen eorum proicere, quia non solet inde excitari venerea delectatio, sed potius fit ex curiositate, nec peccatum est impedire animalis generationem.

QVAERES. II.

An aspectus turpes habiti solum ad capiẽdam illam delectationem, quæ ex ipsis sequitur, sint peccatum mortale; vt si vir aspiciat fœminam nullo alio malo fine sed solum ob capiendam illam voluptatem, quæ ex illo aspectu sumitur.

6 REspondeo cum distinctione si aspectus sunt valde turpes, vt cũ vir conspicit pudenda fœminæ, vel contra, tunc hi aspectus sunt peccatũ mortale non solum quando fiunt ad capiendam illam voluptatem, quæ ex his aspectibus consurgit, sed etiam quando fit ex indiscreta curiositate, vel si aspiciatur concubitus viri cum fœmina, ratio est quia hi aspectus aduersantur honestati naturali, & sunt proximum periculum peccati. ita D. Ant. 2. *p. t.* 5. *c.* 1. §. 7. Rosel. *delectatio-*

num.

num. 5. vbi Sylu. *quæſt.* 6.

Vnde in his caſibus debent in confeſſione aperiri circumſtantię perſonarum iuxta dicta *quæſt. præcedenti n.* 1. excipe tamen niſi tales aſpectus fiant tam breui tempore, aut ab illis perſonis, vt non detur occaſio peccati. aut denique ſi fiant inter perſonas eiuſdē ſexus, nec tales ſunt quæ ad coitum contra naturam incitentur, aut nullum oritur ſcandalum ob perſonarū grauitatem, in his enim caſibus erit mortale, vt ſi quis aſpiciat verenda maſculi, cum quo habet propenſionem, aut duo Epiſcopi ſe nudos inſpicerent.

7 At cæteri aſpectus non ſunt peccatum mortale, vt ſi quis inſpiciat crura, brachia, vel pectus mulierum ſine periculo conſenſus in peccatum, quia delectatio ex his aſpectibus conſurgēs nō eſt communiter venerea nec adeo incitant tales aſpectus ad venerem. ita videntur ſentire Nauar. *c.* 3. *nu.* 27. Cord. *ſum. qu.* 4. *coroll.* 7. *f.* 26.

8 Similiter nec erit mortale communiter aſpicere Brutorum concubitū, vel partes eorum turpes, niſi aſpiciens inde notabiliter delectetur ſenſualiter tunc enim erit mortale.

Contraria tamen ſententia eſt ſatis probabilis, nec vllam differentiam ponit in aſpectu turpi, & in tactu, ſed vtrumque putat eſſe mortale quia ſępè maior delectatio eſt in viſu, quam in tactu. ita Gerſon. 2. *p. reg. mor. alph.* 24. *l.* Y Nauar. *c. ſi cui de pœn. d.* 1. *nu.* 9. Armilla *impudicitia nu.* 1.

QVAERES III.

An in ſolutis lege matrimonij, & ſponſalium ſit peccatum mortale geſtus facere, verba turpia dicere, aut audire, & ſcribere, vt Comedias, cantilenas &cæt.

9 REſpondeo cum diſtinctione ſi talia verba turpia, & geſtus ex leuitate proferantur, & ioco non animo captandi venereā delectationē non ſunt peccata mortalia; quare loqui verba amatoria, & audire ad hunc ſolum finem, non erit mortale, ſicuti neque comedias audire, in quibus neque res turpes, neque modo turpi repræſentantur, aut ſi turpia repræſentantur, tamen non audiuntur ob delectationem ex ipſis rebus conſurgentem, immo neque Clerici in ſacris conſtituti peccant mortaliter dū his comedijs interſunt, quia hodie ceſſat ſcandalum. nam frequentiſſimum eſt clericos illis intereſſe. ſimiliter neque erit mortale comedias ſcribere, in quibus non continentur valdè obſcœna, aut libros turpes legere ob ſolam curioſitatem, & delectationem abſque eo quod intendatur delectatio venerea conſurgens ex ipſis rebus turpibus appræhenſis. ratio eſt quia non apparet in his aliqua grauis inordinatio, neque finis qui intenditur excedit culpam venialem.

10 Verum tamen eſt quod aliquando dicere ſimilia verba &c. poterit eſſe peccatum mortale ob ſcandalum adſtantium ex eo quod loquens res valdè laſciuas credere debuit aſtantes inde trahi ad luxuriam, aut ob periculum proprium ruinæ, et conſenſus in delectationem venereā.

11 At ſi dicantur verba turpia ob notabilem delectationem rei turpis cogitatæ, eſt peccatum mortale, & ſunt aperiendæ circumſtantiæ perſonarum iuxta ſupradicta; ratio eſt quia talis cogitatio eſt peccatum mortale: ergo etiam erit mortale verba turpia dicere; geſtus facere &c. quibus talis cogitatio fouetur; vnde ſcribentes, vel in alia lingua translatantes libros valde obſcœnos, aut turpia pingētes peccant mortaliter quia fouent venerem.

12 Solum hic nota quod audiens cantilenas turpes, verba turpia &c. etiam ſi proferens peccet mortaliter; tamen ſi careat delectatione venerea non peccabit mortaliter; quamuis rideat ijs verbis, & ſimulatè ne videatur inurbanus aut nimium ſcrupuloſus. quia riſus poteſt eſſe de artificio, ſeu gratia, nec ipſe in ſe habet delectationem, niſi forte riſu illo ſcandalum generet,

&

& videatur ea approbare, aut ſibi cõplaceat, quod æſtimetur homo deditus rebus turpibus, & per hoc velit æſtimari, quia tunc admittit gloriam de re mortaliter peccaminoſa, & ſic eſt mortale peccatum vt docet Nauarr. *cap.* 23. *nu.* 12.

QVAERES IV.

An ſponſis de futuro liciti ſint tactus, aſpectus, oſcula, & verba mutua.

13 REſpondeo affirmatiuè, & ſi fiant ad conciliandum amorem mutuum, & fouendum in ordine ad matrimonium, nullum erit peccatum, quia finis eſt honeſtus; ſi vero fiant ad capiendam delectationem, quæ ex illis conſurgit, erunt tantum peccata venialia; quia ſicuti matrimonium excuſat a peccato mortali hæc omnia, ita etiam & ſponſalia, quæ ſunt via ad matrimonium. ita Gaet. *ſum. v. ſponſalitia* Metina *l.* 1. *ſum. cap.* 14. Menoch. *de præſ. l.* 3. *pr.* 1. *num.* 16. Veracrux. *opp. ad art.* 19. *de condit. matr. fo.* 118. Em. Sà *v. luxuria §. oſcula & tactus* Nauarr. *c.* 14. *n.* 18. Graff. 1. *p. de. l.* 2. *c.* 82.

14 Excipe tamen primo tactus, & aſpectus omnino impudicos, vt verendarum, vel partium ipſis vicinarum; quia hi ſunt proximiores copulæ, & ſic licent ſolis coniugibus, quibus licet Copula. ita Nauar. Graffius & alij.

15 Excipe ſecundo modo ex his aſpectibus etiam non ſit periculum copulę aut pollutionis, aut conſenſus in eas, tunc enim ſunt mortale; neque excuſantur à tali peccato, quamuis faciant ad mutuum amorem conciliandum, modo non putentur nimium inurbani, & auſteri ſponſi, niſi ſe amplexarentur; tunc enim excuſantur à peccato mortali ob periculum pollutionis præuiſæ iuxta ſuperius dicta.

16 Excipe tertio quando ſponſalia ſunt conditionata, & conditio adhuc non eſt impleta; tunc enim ſunt illiciti eo modo, quo illiciti ſunt ſolutis, vide *lib.* 5. *diſp.* 5.

Vbi aduertendum puto falſo Lop. de Texeda *lib.* 2. *tract.* 3. *contr.* 1. *nu.* 12. dixiſſe Sancium *l.* 5. *ſum. c.* 16. *n.* 12. ex mandato Sancti Officij mutaſſe ſententiam quam de minimo docuit hic *nu.* 9 *in* 1. *edit.* & grauiter etiam errare dũ ait *n.* 11. Clementem VIII. & Paulum V. decreuiſſe, vt denuncietur inquiſitoribus, qui illam tenet. Mutauit quidem Sancius ſententiam, & merito, cũ ea nullam habeat ſpeciem probabilitatis; vt rectè docet Caſtr. Palaus *t.* 1. *tr.* 2. *diſ.* 2. *p.* 10 §. 2. *n.* 4. Rebell. *p.* 2. *l.* 3. *dub.* 15, *n.* 109. Leſſ. *l.* 4. *c.* 3. *dub.* 15. *nu.* 109. & alij plures, & ob eandem rationem Claudius Aquauiua Soc. Ieſu. Præpoſ. Gen. V. vir ſingulari prudentia die 24. Aprilis 1612. præcepit ſub pœna excommunicationis, & priuationis lecturæ, vociſque actiuę, & paſſiuæ, & inhabilitatis ad quælibet officia, alijſq; pœnis arbitrio ſuperiorum, & ſub comminatione, quod delinquenti non ſit profeſsio concedenda, ne quis è Societate Ieſu publicè, vel priuatim non modo vt veram, vel probabilem; ſed ne vt tolerabilem quidem doctrinam doceat, vel ſibi placere ſignificet aut ſecundum illam conſilium det: nimirum in reuerenda exiguam aliquam delectationem deliberate quæſitam propter leuitatem materiæ excuſari a peccato mortali.

Cæterum falſum eſt Sancium mutaſſe ſententiam ex mandato S. Officij vt gratis aſſerit Texeda, qui non aduertit Decretum Clem. 8. & Pauli V. cuius facit Sanchez mentionem *loc. c.* non eſſe editum contra eos, qui docuerant dari in re venerea paruitatẽ materiæ: ſed contra eos, qui aſſeruerant amplexus, & oſcula libidinoſa habita ob ſolam veneream delectationem; abſque alia intentione copulæ non eſſe peccata mortalia, quos Sanchez *n.* 7. impugnat acriter, & ita ſentientes voluerunt prædicti Pontifices vt ſacris inquiſitoribus denunciarentur. quod non ſolum ex ipſis decretis poterat aduertere prædictus Texeda ſed etiam in Sancio videre, qui eodẽ loco, quem ipſe citat, nempe *l.* v. *ſum. cap.*

cap. 6. num. 12. ait *vnum aduertere volo sententiam, quam lib. 9. de matr. disp. 46. num. 7. dixi esse verissimam, nempe amplexus, & oscula libidinosa, quamuis sola venerea delectatio, quæ in ipsis sentitur placeat, excluso alio ordine ad copulã esse mortalia, & contrariam ab aliquibus appellari temerariam, & erroneam. hodie approbatam esse a summis Pontificibus Clem. 8. & Paulo V. qui inquisitoribus fidei denunciari iusserunt asserentem in illis non committi crimen letale. & quamuis ibi num. 9. dixerim hanc doctrinam esse moderandam, nisi delectatio esset parua, quia tunc ratione paruitatis materiæ excusaret à mortali: at nunc conformius ipsi motui proprio, & veritati iudico non reperiri paruitatem materiæ in rebus venereis &c.* & in editione lugdunensi dis. 46. lib. 9. num. 9. hæc habentur, *re bene considerata rationibusque perpensis tanquam certissimum tenẽdum iudicamus nullam reperiri paruitatem materiæ in delectationibus venereis, quod latissime, & optime probat Rebell. de iust. nosq. Deo auspice latius alibi tractabimus, & probabimus.*

Si enim aut Pontificium decretum; aut Sanctæ Inquisitionis mandatum extitisset, non quæsisset aliunde probationes, ex Rebellio. sed addidisset esse iam à Clemente VIII. & Paulo V. stabilitam sententiam, quam ipse verissimam putat: & contrariam, quam dicit esse expositam periculo. iam mãdato Inquisitorum profligatam esse; sicuti fecit dum refutauit sententiam asserentem tactus, & oscula ex mera delectatione libidinosa habita non esse mortalia; contra quam dixit extare motum proprium Clemen. 8. & Pauli V. per quem denunciandi sunt Inquisitoribus illam sustinentes &c. Potuisset secundo aduertere hic auctor multos Doctores etiam Recentiores quos citat Ioannes Sanchez in selectis *dis.* 11. *nu.* 22. & Diana *trac.* 5. *misc. res.* 1. aquibus merito ipse recedit, fuisse in ea sententia, neque compulsos mutare sententiam: aut a S. Officio inquisitionis correctos.

Tertio P. Diana *l. c.* §. *verum* volens suam sententiam verissimam, & communem, & certe omnino in re tam lubrica, amplectendam probare, confirmat maxime ex d. decreto P. Claudij Aquauiuæ Præp. G. nec meminit alterius decreti Pontificij. aut Sãctissimæ Inquisitionis, quis autem imaginari poterit solertissimum in perscrutandis Doctoribus, & Decretis Pontificum Dianam, aut nesciuisse ea decreta, aut quod peius esset, illis non fuisse vsum: sed decretum P. Claudij prætulisse. Quarto quid opus fuerat Claudio P. N. viro prudentissimo post lõgam Patrum Theologorum discussionem præceptum edere pro religiosis Soc. Iesu anno 1612.

Si prius, fuisset iam illa sententia a Clemente 8. damnata; qui iam obierat octauo anno ante editum præceptum Claudij. Nam Clem. creatus fuit anno 1592. 30. Ianuarij, & obijt anno 1604. circa mensem Aprilis cum sederit annos 13. mẽses duos dies tres. & similiter extasset etiam Bulla Pauli V. quia si, vt ait Texeda, Sancius mutauit sententiam ex mandato Sancti Officij virtute motus proprij Clem. 8. & Pauli V. planum est etiam Bullam Pauli fuisse datam saltem anno secundo ãte Decretum Claudij: nam Sanchez obijt anno 1610. die 19. Maij, & sic post sex annos à morte Clem. 8. & ante duos annos ab edito præcepto: quibus positis iam patet, ni fallor, quod intenderam: non fuisse necessarium, immo sane superfluum Claudio præcipere tam arduis pœnis: ne quis Societatis doceret dari paruitatem materiæ in re venerea, cum iam nulli catholico licuisset id docere: præsertim cum Societatis homines ex præscripto S. P. N. Ignatij omni animi submissione Prælatorum, nedum Sedis Apostolicæ decreta, & ordinationes venerentur, atque ad ea tuenda studium, ac doctrinam vti par est impendant. hæc dicta sufficiant ad ostendendum, quam immerito Texeda asseruerit Sãcium ex mandato Sancti Officij compulsum esse ad mutandam sententiam Primo, quia motus Pauli V. & Clem.

8. de quo Sancius in ſumma meminit ac loquitur Texeda, dum ait *n.* 12. *Vnde* nempe poſt motus proprios *præfatus Sanchez mutauit ſententiam in ſumma t.* 2. *l.* 5. *c.* 6. *n.* 12. *ex mandato Sancti Officij & nunc conformius motui dicto*, nempè Clem. 8. & Pauli V. de quo Texeda locutus fuerat *n.* 11. *ait ipſe & veritati iudicat non reperiri paruitatem materiæ*: hic inquã motus proprius, cui Sanchez conformari voluit & citat Texeda ipſe, non loquitur de paruitate materiæ, ſed de alia ſententia omnino erronea, etiam ante Pontificum decreta, à multis Doctoribus exiſtimata, vt diximus. nec aliud Prædictorum Pontificum circa hanc materiam, aut Sãctæ Inquiſitionis extabat tunc mandatum, vt ſatis congruenter ni fallor oſtendimus. nec extat in bullis recollectis *in* 3 *tom. Bullar.* per Laurentium Cherubinum, quas omnes legi accurate, quo labore nos Texeda liberaſſet ſi, vt ſcriptorem decet, aut bullas deſignaſſet, aut ſui dicti teſtem aliquem vocaſſet, aut denique ſicuti ex eo quia Sanchez dixit extare motum Clemẽtis 8. & Pauli quinti, aſſeruit illum ex mandato Sancti Officij mutaſſe ſentẽtiam de minimo: ſic aduertiſſet illos Pontifices non hanc ſen entiam reprobaſſe: ſed illam quam Sancius impugnauerat. Secundo quia Sancius, vt pote non minus pius, quam doctus non expectaſſet compulſionem: ſed nutum attendiſſet Illuſtriſſimorum Inquiſitorum: non ſolum ad mutandam ſententiam, quam, vt ipſe ait, perfunctorie, ſecutus Armillam, & Nauarr. non bene perpenſis rationibus, tradiderat: ſed ad integrum opus omnino delendum. Stet igitur merito quidem ac ſapienter mutatam eſſe Sancij ſententiam, de minimo in re venerea: cum nec tolerabilis, ne dum improbabiliſſima ſit, Immerito vero a Lopez de Texeda dictum eſſe, quod ex Mandato Santi Officij illam mutarit: cum id ſine vllo prorſus fundamento, & omnino gratis aſſeruerit.

Texedæ rationibus contra dicta num. 4. *ſatis fit.*

Aliam affert in medium cenſuram Texeda *l.* 2. *tr.* 3. *con.* 13. *nu.* 72. nimirum ſententiam illam, quam ex Sancio *n.* 4. tradidimus, recedere a ſana & catholica doctrina: nam cum *n.* 60. id aſſeru iſſet de ſententia putante poſſe ex pelli ſemen corruptum vt *diſp.* 17. notauimus ſubiungit *n.* 72. (*nec minus a veritate recedit præfatus Sanchez num.* 14. *dum aſſerit excuſari a mortali culpa tangentem propria verenda ex curioſitate, aut leuitate, aut gratia manus calefaciendi abſque libidine, & pollutionis periculo*) At quibus rationibus id probet videamus. placet iiſdem verbis eas hic ponere ne quis dubitet, aliquid me omiſiſſe, ex cuius omiſſione parum ſolidæ remanerent. ſubiungit igitur Texeda (*quia implicat tactum illum abſque libidine fieri, nam quæcumque illa ſit, mortalis eſt. Secundo quia in moralibus idem eſt exponere ſe periculo peccandi mortaliter, et peccare mortaliter: ſed qui tangit verenda exponit ſe periculo incidendi in pollutionem, aut captandi libidinem ergo &c. Præterea quia poterat is, qui manus vult calefacere, intromittere in alias corporis partes minus periculoſas, ex quarum tactu non ita veneris irritatur* (legendum *venus* nam multa huiusmodi incuria vt fas eſt credere, Typographi, irrepſerunt) *& ideo cum velit ſe tangere aduerter facit conſequitur periculum illud vult.*) Hęc ſunt Texedæ argumenta: ſed meo iudicio non multum vrgent, & quidem ad primum. miror qua facilitate abſolutè aſſerat, reperiri implicantiam, quod quis tangat propria verenda ſine libidine: certe ſi hęc propoſitio eſſet vera, quot peccata mortalia cõmitterentur, etiam a pijs, & honeſtis viris: ac timoratæ conſciẽtiæ? & vt auctoritatem omnium fere Recentiorum in hac re cum Sancio ſentiẽtium omittam. petamus ab hoc auctore vnde nam habeatur talis implicantia? an ex attemperatione, ſeu qualitate aliqua phyſica, quæ ſit inter illas partes, & manus: an vero ex propenſio-

penſione quadam animi ad libidinem inclinati : ſi dicat primum ſequitur quod quoties quis vel ob neceſſitatem aliquam, vel ob medendum, lauandum &c. tangat ſe ſemper erit cum libidine, ſeu delectatione venerea: quod eſt valde abſurdum : nam hi tactus fiunt, & nulla prorſus commotio ſpirituum ſentitur, quod eſſe ſignum libidinis ſeu venereæ delectationis ex Gaetano Armilla Tabiena dictum eſt ſupra in hac diſp. Immo addo ſemper hos tactus eſſe mortales : quia non licet capere delectationem veneream ob nullam neceſſitatem, & cum in ea non detur paruitas materiæ, ſemper erit mortale peccatum. aut ſaltem ſi excuſari poſſit ratione neceſſitatis, eo quod ea delectatio non intendatur iuxta dicta. quot erũt angores, & ſcrupuli ad dignoſcendum : num in hoc, vel illo tactu affi-cit neceſſitas ſufficiens.

Si vero dicas ſecundum . non implicat dari aliquem ita in ſuis paſſionibus moderatum, vt eam prauam animi inclinationem non ſentiat : vt de S. Thoma, & de B. Aloyſio Gonzaga, & alijs dicitur; & tunc poterit haberi tactus abſque libidine, & per conſequens propoſitio illa Texedæ tã abſolute prolata, quod ſcilicet implicet fieri tactum illum abſque libidine non erit ſolida. addo præterea uix quemquam reperiri, qui ſemper, & in actu ſecundo, ſit ita propenſus ad venerem, vt non ſe tangat ſine libidine immo hi qui libidinoſi ſunt nullum ſentiunt motum, nec hos tactus aduertunt. & certe vellem vt cum dicto auctore aliquis religioſus faceret confeſſionem. peto enim ab ipſo an ad ſuperiorem remittet (caſu quo in aliqua religione tactus inhoneſtus eſſet reſeruat⁹) ſi quis ſe accuſaret quod tempore frigidiſſimo, manus ad illas partes admouerit vt ſic calefierent, & ſcribere concionem poſſet ; adderetque ſe nullum ſenſiſſe motum, expertumque millies id feciſſe ſine vllo periculo. certe ſi Texeda velit iuxta id, quod hic docet operari non poteſt hunc abſoluere : quia per ipſum implicat fieri hunc tactum ſine libidine. & hæc non poteſt eſſe venialis, cum in hac materia non detur neque per ipſum paruitas: ergo culpa erit mortalis, & in genere luxuriæ, contra votum caſtitatis, & inſuper externa, & ſic reſeruata. quod ſi hoc faceret, quis riſum tenebit ? atque ex his, ni valdè fallor, remanent ſoluta alia duo argumenta. nam ad ſecundum conceſſa maiore, diſtinguenda eſt minor: qui tangit propria verenda ex curioſitate, aut leuitate, aut vt manus calefaciat, vel ad quid ſimile, incidit in periculum pollutionis, nego minorem. qui tangit ob illam venereã delectationem incidit in periculũ pollutionis cõcedo minorẽ & diſtinguendo eodem pacto conſequens nego in priori caſu conſequentiam, & concedo in poſteriori.

Nec ſimiliter tertium argumentum noua indiget reſponſione ab ea, quam ad primum adduximus: nam qui ad manus calefaciendas in illas corporis partes eas intromittit nullum aduertit periculum pollutionis, vt probatum eſt; niſi forte quis ſit tam vehementer turpitudini deditus, vt de eo verificetur, quod non poſſit abſque libidine id facere (vt putat Texeda eſſe omnes, neſcio tamen quo experimento) tunc peccabit mortaliter. ſatis hæc ſint ad monendum Texedam, vt in poſterum caueat ſimiles cenſuras contra viros præſertim adeo inſignes, & potius, quando opus erit argumentis pugnet, vt doctum, & religioſum hominem decet: quam verbis. verum aliàs ex profeſſo huius auctoris in hoc 1. *to. de relig.* dicta Deo fauente perpendemus, nam quæ promittit de matrimonio adhuc videre non potui.

DISPVTATIO XXXXVII.

An ſponſis de futuro liceat delectatio appetitus ſenſitiui capta ex cogitatione copulæ coniugalis futuræ, & viduæ ex cogitatione copulæ præteritæ.

1 REſpondeo non eſſe licitam; ſed peccare mortaliter tam ſponſus quam viduus, qui delectantur in appetitu ſenſitiuo cogitatione copulæ (ſi enim delectatio eſt ſolum voluntatis, erit licita. quia eſt de obiecto licito, voluntas enim deſiderat illam copulã ſeu delectationem illo tempore, quo eſt licita) ratio eſt, quia appetitus ſenſitiuus fertur in copulam præſentem, vt præſentem, non enim poteſt præſcindere, vt voluntas facit; & eſt inchoatio copulæ; ſed talis copula pro eo ſtatu, nempè dum ſunt ſponſi, aut vidui ipſis non eſt licita; ergo neque delectatio capta ex cogitatione talis copulæ erit licita, ſed peccatum mortale. ita Nauarr. *ſum. cap.* 16. *num.* 10. Cordub. *lib.* 1. *qu.* 23. *dub.* 12. Vaſq. 1. 2. *quæſt.* 74. *art.* 8. *diſ.* 114. *num.* 3. Graff. *loco. citato* & communiter Recentiores.

2 Vnde à fortiori erit mortale delectari in appetitu ſenſitiuo copulæ cogitatione ſub conditione ſi eſſet matrimonium, aut delectari cogitatione eorum tactuum, aſpectuum &c. quæ ipſis non licere diximus *quæſt. præcedenti*.

3 Sunt tamen multi, qui putant licere delectari modo dicto cogitatione copulæ futuræ, vel præteritæ; modo abſit periculum pollutionis, & conſenſus in aliquod peccatum mortale. ratio eſt quia ea delectatio eſt de obiecto licito; nempe copula habita tempore coniugij; ergo eſt licita ita tenent in ſponſis Victoria, quem refert Medina 1. 2. *quæſt.* 74. *artic.* 8. Zume. *diſ.* 4. *dub.* 3. ibi, & quidam Recentiores, & in viduis docent Gaetan. *opuſc. tom.* 1. *trac.* 14. *de delect. moro dub.* 2. Sylu. *v. delectatio quæſt.* 3. vbi Armilla *num.* 3. Nieua *ſum. tom.* 105. Valen. 1. 2. *diſ.* 6. *quæſt.* 4. *punt.* 4. Medina *loc. cit.* & alij.

† † †

FINIS LIBRI NONI

LIBER

LIBER DECIMVS

DE DIVORTIO

Agimus in hoc libro de Diuortio ideſt de ſeparatione coniugum quoad thorum, & cohabitationem, vbi plura habes ſcitu digna, quandonam poſſit fieri diuortium, & ob quas cauſas.

DISPVTATIO I.

An diuortium quoad vinculum matrimonij, quod repudium vocant, fuerit olim licitum Iudæis, & gentilibus, & tunc poſt promulgationem Euangelij.

1 NOmine diuortij intelligunt Theologi communiter ſeparationẽ matrimonij ſolum quoad thorum, & cohabitationem. Iuriſconſulti vero hanc vocem vſurpant pro ſeparatione etiam quoad vinculum ex titulo *ff. de diuortijs.* dicitur autem diuortiũ, vel à diuerſitate mentium, vel quia qui diuortium celebrant in varias partes abeunt ex Iuriſconſ. *l.2 ff. de diuortijs.* neque differt diuortium hoc ſecũdo modo acceptum à repudio, niſi quod repudium eſt ſolius vxoris, diuortium vero eſt tum vxoris, tũ ſponſæ de præſenti matrimonio nondum conſummato *l. inter fluprum* q. 1. *ff. de verb. ſignif.*

2 Quomodo autem connubia diſſoluebantur apud Romanos, vide Roſinum *lib.* 5. *antiq. Rom. cap.* 38. & Reccardum *commento* 12. *tabularum cap.* 19. & Bland. *lib.* 8. *de Roma triumphante pag.* 2. & 3. quomodo fiebat apud Hebreos vide Abulenſem *cap.* 19. *Matt. q.* 52. & *ſeqq.* libenter enim ea omitto, quia parum referunt ad materiam moralem, quam præ manibus habemus. Ad quæſitum igitur

3 Dico primo probabile eſt diuortiũ ante legem Euangelicam fuiſſe licitũ hæbreis, & non ſolum permiſſum tanquam minus malum, vt putant multi Doctores. Ratio eſt, quia in *Deutor* 24. vbi conceditur repudium, non cõceditur tanquam aliquid minus malũ ſed tanquam res licita. Secundo, quia ſi fuiſſet illicitum Deus nõ permiſiſſet tanto tempore Populum ſibi electum in illa ignorantia verſari; ergo dicendũ eſt fuiſſe tunc licitum ex Diuina diſpẽſatione. ita docent D. Chriſoſt. *Homil.* 34. *in Matt.* D. Thom. 1.2. *q.* 102. *ar.* 5 *ad* 3. Duran. 4. *d.* 33. *q.* 3. *ar.* 1. vbi Palud. *q.* 1. *ar.* 2. Maior. *q.* 2. Alb Magnus *a.* 25 Bellarm. *l.* 1. *ae matr. c.* 17. *ſolu. ad* 14. Maldonat. *in C.* 19. Matt *n.* 8. *qu.* 2. vbi Burgenſ. *add.* 2. & alij permulti, quamuis Caietanus ibi putet diſpenſatum eſſe Iudæis ſolum in hoc, ne repudium excederet peccatum veniale. Contra vero gentilibus nunquam fuit permiſſum repudium; quia nullibi eſt ipſis à Deo diſpenſatum. & cum matrimoniũ ſit indiſſolubile de iure naturæ iuxta dicta *lib.* 2. *diſpu.* 13. peccabant illud diſſoluendo.

4 Dico ſecundo hodie poſt Euangelium, nec Iudæis eſt permiſſum repudium, nam Chriſtus Dominus Matth. 19. illam conceſſionem reuocauit ibi (*Dico autem vobis, quia quicumque dimiſerit vxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, moechatur &c.*) quare ſi vxorem repudiant grauiter peccant & ſi ante conuerſionem ad fidem vxorem repudiarunt, & aliam duxerunt, cogendi ſunt redire cum repudiata,

quia

qua cum illa remanſit vinculum matrimonij, vt habetur *ca. gaudemus verſ. qui autem de diuortijs*, & docent Sotus 4. *d* 33. *qu.* 3. Durand. *diſ.* 39. *q.* 2. D. Anto. 2. *p. t.* 1. *ca.* 6. Abulenſ. *c.* 19. Matt. *qu.* 63. Armill. *matr. nu.* 39.

5 Benè verum eſt, quod tam Iudæi, quam Gentiles repudiantes vxores non peccabunt ſi inuincibiliter ignorent non eſſe id licitum, nam etiam poſt promulgationem ſufficienter factam Euangelij, adhuc poteſt dari ignorantia inuincibilis.

6 Principes vero ſæculares, qui repudium conceſſerunt à culpa, excuſari poſſunt, vel quia ipſi ſolum repudia permiſerunt tanquam minus mala, quò euitarent grauiora damna, vel quia indiſſolubilitas matrimonij primis Eccleſiæ temporibus non erat adeò nota, vt aduertit Barboſa cum alijs apud ipſum *ff. ſolu. matrimon.* 2. *par. rubric. à num.* 101.

DISPVTATIO II.

An ob adulterium alterius coniugis poſſit diſſolui matrimonium quoad vinculum.

1 REſpondeo de fide eſt non poſſe diſſolui, atque adeò ſi alter coniux fornicetur, non poterit innocẽs aliud matrimonium inire viuente coniuge adultero. ita Innoc. 1. *epiſt.* 3. Alex. 3. *cap. ex parte de ſponſal.* Conc. Mileuitanum Canonic. & nouiſſimè Trident. *ſeſſ.* 24. *de matri. can.* 10. quæ veritas ſemper in Eccleſia recepta eſt à SS. Patribus, vt oſtendit Bellarminus *lib. de matr. cap.* 16. neque Chriſtus Dominus *matt.* 19. locutus eſt de dimiſſione quoad vinculum, vt putant Hęretici; ſed ſolum de dimiſſione quoad thorum, nam volens reſpondere Phariſæis interrogantibus, an liceret vxorem dimittere; cum poteſtas dimittendi quoad vinculum duo dicat, vnum eſt dimiſſio vnius coniugis, & aliam accipiendi, Chriſtus ſeparauit has duas dimiſſiones, & vnam negauit, illam ſcilicet accipiendi aliã, & conceſſit ſolam dimiſſionem quoad thorum quando eſt fornicatio. Vide in huius textus expoſitionem D. Auguſt. *lib.* 1. *de adult. coniug. cap.* 9. D. Thom. *in* 4. *diſt.* 33. *qu. vnica art.* 5. *ad* 4. D. Bonau. ibi *qu.* 4. Ioan. Fernandez *lib.* 3. *Theſaur. ſcripturarum cap.* 47. *nu.* 2. vbi ad Concil. reſpondet. & Bellarminum *lib.* 1. *de matr. cap.* 15. 16. & 17. latiſſimè de ea re diſputantem.

DISPVTATIO III.

An liceat diuortium quoad thorum, & cohabitationem ob fornicationem viri, vel vxoris.

1 REſpondeo affirmatiuè, quare ſi maritus fornicationem committat, poterit vxor ab eo ſeparari quoad thorum, & ſi vxor fornicetur poterit vir illam deſerere quoad thorum, & etiam quoad curam & diſciplinam, ſunt enim vtrique coniuges in hoc iure, nempe in celebrando diuortio cauſa adulterij pares. & quidem quod liceat viro dimittere vxorem eſt de fide. quod autem liceat etiam vxori dimittere virum ob fornicationem, eſt ita certum, vt contraria ſententia, quam docuit Caetanus in illud Matt. 19 *quicumque dimiſerit &c.* ſit falſa, & temeraria. nam ita definit Innoc. 1. *epiſt.* 2. *ad Exuperium*, & refertur *cap. fin.* 32. *quæſt.* 5. & Conc. Mileuitanum *can.* 17. relatum *cap. placuit* 32. *q.* 7. & conſtat ex D. Paulo 1. ad Corinth. 7. ibi, (*His, qui matrimonio iuncti ſunt, præcipio, non ego ſed Dominus vxorem à viro non diſcedere, quod ſi diſceſſerit manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari*) vbi ait, ſi vxor diſceſſerit, & intelligitur de diſceſſione licita per fornicationem viri. ita docent D. Th. Duran. Palud. & alij *in* 4. *d.* 35. Caet. ſibi contrarius *opuſcu. t. trac.* 29. *de red. debiti* Bellar. *l.* 1. *de matr. c.* 14. Enriq. *l.* 11. *de ma. cap.* 16. *nu.* 3 Nider. *ſum. præc.* 6. *c.* 4 Olanus in concordia *v. maritus n.* 24. Burſatus *con.* 218. *vol.* 2. Mont. *l.* 2. *t.* 10. *p.* 4. Pariſius *con.* 54. *n.* 42. *vol.* 4. Barbatius *conſ.* 64. *nu.* 11. *vol.* 1. Sonci.

conſ.

conſ. 32. *vol.*2. Caſtillo *l.*80. Tauri Villalobos *in comm. opin. lit.* M *v. maritus num* 6.

2 Dico ſecundò hoc ius diuortij eſt de iure naturæ, quia ius naturæ dictat vt frangenti fidem fides ſeruanda non ſit *cap. ſi infidelis* 28. *qu.*2. ergo cum coniux fornicans non ſeruet fidem, quæ oritur ex contractu matrimonij quoad thorum, & cohabitationem, neque ipſi in hoc ſeruanda eſt fides. ita Duran. *l.c.* Enriq, *l.*11. *c.*17. *num.*6. Petr. Ledeſ. *qu.*62. *de matr. art.*1. Sotus 4. *d.* 36. *quæſt. vnic. artic.* 1. Victoria *de matrim. num.* 289.

3 Hinc infertur primo ob adulterium commiſſum tẽpore infidelitatis poſſe ab infidelibus celebrari diuortium, quia ipſi legi naturali ſubijciuntur. & ſi coniux adulter tempore infidelitatis committit adulterium, & poſtea baptizatus eſt, poteſt dimitti ab altero innocente videtur expreſſè definiri. cap. *Gaudemus in fine de diuor.* vbi Gloſſa finalis reddit rationem, quia baptiſmus delet peccatum in ordine ad Deum, non tamen vt eſt offenſa coniugi facta. ita Turrec *ca. quod autem* 32. *q.* 1. *nu.* 3. vbi Bellamera. Archid. Cantera *qu. tang. pet. debiti cap.* 4. *nu.* 51. & alij. Contra Nauarrum. *ſumma cap.* 16. Matienzo *l.*5. *recop. t.*1. *rubr. gl. nu.* 102. & alios putantes non poſſe dimitti in prædicto caſu.

4 Infertur ſecundo non poſſe conſuetudine induci, vt vxor nõ poſſit virum ob fornicationem dimittere, quia contra ius naturale, & diuinum nulla valet conſuetudo, & D. Baſilius *in ſuis canonibus cano* 21. cum dicit conſuetudine obtentum eſſe, vt vxor non celebret diuortium à viro, intelligi debet quod rariſſimè accidit, vt fœminæ diuortium celebrare intendant ob viri fornicationem.

5 Denique hic nota quod ad celebrãdum diuortium ſiue ab vxore, ſiue à marito, non requiritur vt vxor, aut vir dimittendus prius moneatur; ſed ſtatim ac fornicationem commiſit, poteſt dimitti, neque hoc ius celebrandi diuortium præſcribitur quocumq; tempore tranſacto ex *C. admonere* 33. *q.*2. quod eſt Stephani V. quamuis ius accuſandi quoad pœnam criminalem & ciuilem adultero impoſitam præſcribatur ſpatio quinque annorum *l. adult.* 5. *C. ad leg. Iuliam de adult.* ita Anania *cap. maritis de adult. fine* Aymon. *de antiq. temp. p.*4. Proſper. Farinac. *prax. crim.*1. *p. q.*10. *n.*20.

DISPVTATIO IV.

Explicatur quis actus veniat nomine fornicationis, ita vt ſit cauſa ſufficiens ad celebrandum diuortium.

QVAERES I.

An ſodomia ſufficiat ad celebrandum diuortium.

1 REſpondeo affirmatiuè, quare ſiue maritus Sodomiam committat actiuè, vt ſi cognoſcat fœminam, vel marem ſodomiticè, ſiue paſſiuè, vt ſi ab alio cognoſcatur præpoſterè, ſiue vxor committat ſodomiam cum aliquo viro, vel cum alia fœmina, caſu quo ſemen earum penetraret vas præpoſterum, aut naturale alterius, erit iuſta cauſa diuortij. ratio eſt, quia violanti perfectè fidem matrimonij diuidendo carnem ſuam, non tenetur alter fidem ſeruare cohabitans ac debitum ei reddens: ſed ſodomiam committens violat perfectè fidem matrimonij, nam matrimonium eo tendit vt coniuges efficiantur vna caro. Gen. 2. & erunt duo in carne vna; ergo ſodomia prebet iuſtam cauſam diuortij. ita docent ex Theologis D. Thomas D. Bonau. Duran Riccar. 4. *d.* 35. *qu.* 1. Vinc. 2. *t. ſpecul. doc. l.*10. *ca.* 41. Caſtro *l.*2. *de leg. pæ. c.*4. Viguer. *l. inſt. ca.* 16. §. 7. Enriq. *l.*11. *c.*8. *nu.*13. Emm. Sà. *ver. diuort.* Franc. Marcus *deciſ.* 529 *num.* 7. *in prac.* 2. Vela *in trac. de pœn. delictorum c.*33. §. *ex prædictis* cum Calderin. *c. maritis de adult.* vbi Ant. Abbas Anania *n.*3. Alber. *l. M ver. matr.* 8. Monaldo *ſum. tit. propter quid fiat diuor* Roſella. *matr.* 7. *num.*1. Caſan. *de conſuet.*

conſuet. Burgund. *rubr.* 7. §. 3. *num.* 6. Lamber. *de iur. patr. l.* 2. *p.* 1. *q.* 9 *art.* 18. vbi ait eſſe communem.

2 At ſi vir committat ſodomiam cũ propria vxore, aut tentet illam ſodomiticè cognoſcere, aut denique extra vas eam pollueret, non eſſet cauſa perpetui diuortij, ſed ſolum ad tempus, donec ipſe reſipiſceret, & emendaretur, quia verè coniux non diuidit carnem ſuam in plures, ſed in propriã vxorem, & cum hæc cauſa diuortij nõ ſit qualitas criminis, ſed ſolum periculum animæ, eo ceſſante per pœnitentiam viri, ceſſabit diuortium. ita Tabiena *matr.* 4. *q.* 2. *num.* 3. Roſell. *l.* 6. *nu.* 2. Sylu. *diuor. q.* 7. Palacios 4. *d.* 35. *diſp. vn. col.* 5.

QVAERES II.

An pollutio, ſeu mollities viri, aut vxoris habita ſeorſim, vel cum alia perſona ſit cauſa diuortij.

3 REſpondeo negatiuè, quia non perfectè læditur matrimonium nam non diuidiaur caro viri in aliam perſonam; quæ ratio eſt cauſa diuortij, vt dictum eſt, quare ſi vir habeat pollutionem cum alio viro, vel fœmina immiſſo ſemine in fœmore, collo, aut ore, aut ſecum ipſe, non ideò poterit ab eo vxor diuertere. ita Petrus Ledeſma *q.* 62. *ar.* 1. Enriqu. Monald. Palac. *lo. ci.* Roma. *rubr. ff. ſol. matrim. n.* 24. Alberic. *lo. ci.* vbi alios refert. Contra Palud. Abulenſ. Veracrux *loc. citan.* D. Anto. Tabien. & alios apud Sanch. *num.* 9. putantes eſſe cauſam diuortij, quando habetur pollutio extraordinaria cum tertia perſona.

Et contra Palud. 4. *d.* 35. *cit.* Abule. *q.* 67. *in caput* 19. *matt.* Gaetam *repet. ca. ad limina* 30. *qu.* 1. §. 4. *num.* 213. Veracrux 3. *p. ſpec. ar.* 1. eſſe cauſam diuortij mollitiem, ſed noſtra ſententia eſt cõ muniſſima.

†††

QVAERES III.

An tactus, amplexus, & oſcula libidinoſa ſint iuſta cauſa diuortij.

4 REſpondeo negatiuè. quare quãuis vxor patiatur ab alio viro tactus valdè libidinoſos non poterit ob id vir celebrare diuortium ab ea, ſi adulterium non ſit ſequutum, neque mulier amittet dotem. ratio eſt, quia radix diuortij eſt diuiſio carnis in aliã perſonam, ſed hæc non requiritur in ſolis oſculis, & amplexibus; ergo. Secundo pœnæ non ſunt imponendæ niſi in caſibus iure expreſſis, vt latiſſimè docet Menochius *de arb. lib.* 2. *centur.* 3. *tom. caſ.* 276. ſed in iure diuortium & dotis amiſſio ſolum conceditur ob adulterium: ergo non debet extendi ad oſcula, tactus &c. Denique pœna impoſita delicto conſummato qualis eſt fornicatio, non debet extendi ad attentationem, qualia ſunt tactus, oſcula, & amplexus hab ita etiam cum animo habendi copulam. ita docent Couarr. 4. *decr.* 2. *par. c.* 7. §. 6. Burzat. *conſ.* 435. *nu.* 8. *vol.* 4. Cantera *qu. cri. q. tang punit. delicti. c.* 4. *n.* 52. Cagnol. *rubr. C. de edendo à n.* 31. loquens de dote Alcia. *l.* 4. *parergon. iuris c.* 10. Nauar. *rubr. de iudic.* 26. Barboſa *l.* 2. *p.* 1. *n.* 72. *ff. ſol. matr.* Cœſar Coſta *l.* 1. *var. c* 39. Menochi. *lo. c.* Salzedo *add. ad Reg* Ber. Diaz. 216. Gratian. *reg.* 496. *n.* 5. *amp.* 3

5 Verum tamen eſt, quod ſi hæc habeantur loco, & tempore, & alijs circumſtantijs, ex quibus probetur adulterium, tunc erit iuſta cauſa diuortij ſecundum omnes, & amiſſionis dotis &ſi aliud non conſtet viro, poteſt tutus in conſcientia celebrare diuortiũ; & dotem ſibi retinere; quia vxor preſumitur commiſiſſe adulterium, at ſi conſtat viro non fuiſſe ſequutum adulterium, aut ſit in dubio tunc non poteſt celebrare diuortium, nec dotem retinere, quia oſcula illa, amplexus &c. non probant adulterium, vt benè docent Nauarr. & Barboſa *lo. ci.* Michael. Calidon. *repet. d. rubr. à num.* 51. vbi Riminal. *num.* 10.

QVAE-

QVAERES IV.

An beſtialitas, ſeu copula habita cum beſtia ſit cauſa ſufficiens ad diuortium celebrandum.

6 REſpondeo affirmatiuè.nam verè caro coniugis in aliam diuiditur, parum enim refert ſi ſit beſtia, aut homo, ille, cum quo copulatur. at ſi beſtia, aut mulier cum qua habetur copula, ſit mortua, non erit iuſta cauſa diuortij, quia non eſt propriè fornicatio, ſicuti neque ſi vir in balneo ſemẽ proijceret,& matrix mulieris illud attraheret; quia eſt præter intentionem nec eſt perfectus coitus.

7 Illud denique hic nota, quod ſi in quacumque copula penetretur ſolum vas, ſed non emittatur ſemen,non erit iuſta cauſa diuortij, quia non eſt perfectus concubitus, neque caro diuiditur perfectè in aliam; contra vero ſi aliquo modo ſemen ingrediatur vas naturale, vel præpoſterum vaſe non penetrato, quia verè caro diuiditur in aliam iuxta dicta *lib.2. diſp.21.*

8 Deniq; hic nota, quod ſola voluntas fornicandi,aut ſodomiam committendi non eſt cauſa ſufficiens diuortij, nam caro coniugis non diuiditur in aliam.

DISPVTATIO V.

Explicãtur caſus,in quibus non licet diuortium celebrare propter coniugis adulterium.

1 SEptem caſus ex iure canonico colligunt Doctores, in quibus non licet celebrare diuortium,etiam ſi coniux fornicationem commiſerit,qui caſus non ſunt excepti iure eccleſiaſtico ſed naturali,& diuino, & Eccleſia ſolũ hoc ius declarauit,vt notant Sotus in *4.diſt.36.q.vni.ar.1.* Petr.Ledeſ.*de matrim.qu.62. ar.1.*

Primus eſt ſi ambo fornicationem commiſerunt,tunc enim delicta compenſantur ex *cap.fin.de adult.*

Secundus eſt, quando vir vxorem proſtrituit,ſeu corrumpendam tradiderit,habetur *cap.diſcretionem de eo,qui cognouit conſang.*ratio eſt, quia diuortiũ conceditur ob iniuriam illatam viro, ergo quãdo vir vxorem proſtituit, ceſſat diuortium, cum nulla ſit iniuria. Quod verum eſt nimirum non poſſe dimitti vxorem ob fornicationẽ,quãdo proſtituta eſt,ſiue ea proſtituta ſit inuita,ſiue volẽs, immo etiã ſi vir ſciẽs adulterium vxoris nolit prohibere cũ poſſit abſq; graui ſuo damno;quia cenſetur conniuere adulterio, & per hoc nulla ei fit iniuria,nam ſcienti,& volẽti nulla fit iniuria.ita docent ex Theolog. D. Bonau.Maior. Palud.D.Anto. Caſtro Gabr.Lud. Lop. Victor.Sotus, & alij *lo.cit.* infra citand.Ioa. And.*c. ſignificaſti nu. 7. de diuort.* vbi Ant. Abb. *n.6.*Præp.*n.5.*Alex.de Neuo *n.7.*Nau. *l.4.conſ.in 1.edi.ti.de ſponſ.conſ.19.n.3.* Bursatus *con.218.nu.6.vol.2.* Queſada *in quæſt.iuris ciuil.c.18.*

2 Idem etiam dicas de vxore, ſi enim vxor conſentit fornicationi viri non poteſt celebrare diuortium,atſi ſciens eius fornicationem non contradicit, poteſt ab eo diuertere, quia communiter non audent fœminæ viros reprehendere.

At ſi vir ſolum dat occaſionem fornicationis vxoris, vt ſi vxorem iniuſtè domo expellat, aut alimenta, debitumue neget poteſt celebrare diuortium, ſi illa fornicetur. habetur *cap. ſignificaſti de diuort.* ſi vero id fecit ea intentione, vt vxor fornicaretur, tunc non poteſt celebrare diuortium.quia tunc idem eſt ac ſi adulterio aſſentiretur. ita Palud. 4. *d.* 35. *qu.* 1. Sotus *d.* 36. *ar.* 1. *qu. vni.* Caſtro *de lege pœn. l.2. ca.4.*

3 Ex his infertur,quod ſi ſint duo cõiuges,infideles v.g. Titius, & Berta, & Titius conuertatur ad fidem, Berta vero nolit, vnde à fideli Titio dimittitur.ſi deinde Berta conuertatur ad fidem, non poterit dimitti à Titio ob adulterium commiſſum tempore illo, quo fuit dimiſſa à Titio ex eo,quia noluit ſe conuertere ad fidem, quia talis fornicatio non poteſt condemnari vt adulteriũ,nam Berta iuxta infidelium mores exiſtimauit õninò diſſolutũ fuiſ

ſe matrimoniũob illud repudiũ.poterit tamen dimitti ob fornicationẽ cõmiſſã antequã à Titio fuerit repudiata,quia tunc fuit verè adulterium, nam Berta credebat eſſe verum matrimonium,& ita intelligi debet *cap. gaudemus de diuort.in fine* ibi(*non tamen dimiſſor poterit obijcere fornicationem dimiſſæ pro eo, quod nupſit alij poſt repudium, niſi alias fuerit fornicata.*)

4 Secundo infertur non eſſe cauſam iuſtam diuortij, ſi poſt Iudicis ſententiam verum matrimonium per falſos teſtes v.g.diſſolutũ eſt ad inſtantiã viri dicentis non fuiſſe verũ matrimoniũ, vxor aliud conſũmet matrimonium, aut fornicetur;quia vir dedit cauſam propinquã tali fornicationi. vide Enriq.*l.* 11.*c.*17.*n.*4.Nauar.*ſum.c.*22,*n.*24

5 Tertio infertur,quod ſi vxor ob ſæuitiã viri fugiens ab eo fornicetur poterit à viro accuſari ad hoc vt dotẽ ſibi retineat.ratio eſt,quia textus *C.ſignificaſti* citatus & *cap.ex lit.eod.tit.*& *l.patã ff.de ritu nuptiarum* non admittun thãc excèptionẽ vxoris contra viri accuſationẽ,niſi viri ſæuitia eo tendat,vt con iux adulteretur,tũc enim in conſcientia non poteſt retinere dotẽ, quæ ſibi tradita eſt per Iudicis ſententiã,aut Iudex ſibi applicauit.ſic Lara *l.ſi quis eliberis§.ſi quis ex his n.*210.Surd.*de alim. t.*7. *q.*16.*n.*42.Barb.*l.*2.*p.*2.*n.*97.*ff.ſol. matr.*vbi alios refert.& oppoſitam ſententiam Tiraqu.*l.*1.*conn.p.*1.*gl.*1. Couarr.4.*decr.*1 *p.c.*7.§.5. & aliorum ibi. appellat falſam.

6 Tertius caſus eſt,quando coniux putat probabiliter alterũ iam obijſſe,tũc enim ſiue contrahat aliud matrimoniũ &conſummet illud,ſiue fornicetur,nõ poteſt à coniuge vero ſuperueniente dimitti.quia illa copula non eſt formaliter adulteriũ,&idem dicas etiãſi coniux ſecundo nubens fornicetur,nã reſpectu prioris viri,qui eſt verus marit⁹ illa fornicatio non eſt adulteriũ,putabatur enim mortuus ex *cap.cũ per bellicã* 34.*q.*2.& cõcordat *l.vx.*7. *c.de repu.*

7 At ſi coniux certior factus de vita alterius p rſeueret in ſecundo matrimonio debitum reddendo, vel petendo,aut ſi ſit dubius de vita alterius, & ante ſufficientem indaginem copulam habet, poteſt expelli per diuortium à vero coniuge, quia tunc verè adulterium cõmittit.vide Hoſt.*ſum.t.de diu. n.*8. Grego.Lop. *l.*8.*t.*9.*p.*4.*ver.ſi deſpues* Montaluum *l.*6. *t.*9. *p.*4. Palac.4. *diſ.*35.*diſp.vni.col.*4.

8 Quartus caſus eſt, quando vi præcipſa cognita eſſet vxor, etiam ſi aliquam cauſam ipſa dederit v. g. quia non fugit antequam violenter comprimeretur; nam adulterium illud culpa vacat; ergo non debet habere pœnam *cap.*ita & *cap.propoſito* 32. *q.* 5.

9 Contra vero, ſi ob metum cadentem in virum conſtantem conſentit adulterio poteſt dimitti. & dotem amittet, quia metus ille non excuſat à culpa, verè enim mulier committit peccatum mortale; ergo neque à pœna, quam canones imponunt. ita ex Theologis D.Bonau.4.*d* 35. vbi Dura. *q.*1. *ar.*1 Palud *ar.*2. D Ant. 3.*p. t.* 1. *c.*21. §.6. Enriqu. *c.*17. *n.*5. *l.*11. cum Hoſt. *loc.cit.* Alber. *dict. l.M. v. matr.* 8.§. *quid ſi aliquis* Ioa. de Fiburg. *ſum. conf. l.*4.*t.*22.*q.*8. Couarr.*loc.cit.cap.*5. Gaet.*repet.cap.ad limina* 30 *q.*1.§.4.*nu.* 217. Azebedo *l.*8.*rec.t.*20.*l.*1. *n.*22.

10 Quamuis Abbas, Roſella, Sylu. Tabiena;& alij apud Sanch.*n.*15. putant in caſu metus excuſari, quia D.Aug. *lib.*1. *de Ciuit. Dei cap.* 19. quod refertur *cap.propoſita* 32.*q.*5.Lucretiam excuſat ab adulterio dicens ſolum accedentem ad ipſam fuiſſe adulterum eo, quod coacta fuerit, & hæc ſententia eſt probabilis.

11 Quintus caſus eſt, ſi coniugi alter ſupponatur, qui non ſit ſuus coniux, tunc enim rem habens cum illo, quẽ putat coniugem non poteſt expelli,& hoc ſufficit probare iuramento coniugis dicentis ſe putaſſe illum eſſe ſuum coniugem attenta honeſtate ipſius, & alijs circũſtantijs.ita Hoſt.in ſumma citat.& Aſtenſ. 2.*p l.*8.*t.*33.*ar.*3.

12 Sextus caſus eſt,quando repudiatur coniux infidelis à fideli ad fidem conuerſo, tunc enim non poteſt fidelis celebrare ab eo diuortium, ob id,

id, quod poſtquam fuit repudiatus aliud matrimonium conſummauit vt habetur *cap. gaudemus de diuort.* & idem dicas in infidelibus, quando ſecundum eorum leges datus eſt libellus repudij, ſi enim poſt repudium alter matrimonium aliud conſummat, non poteſt per hoc celebrari diuortium.

13 Septimus caſus eſt, quando coniux innocens remittit iniuriam nocenti ſiue expreſsè, ſiue tacitè aliquo ſigno externo manifeſtando ſuam voluntatem, quia propoſitum mente retentum in contractibus inter homines initis, nullam habet efficaciam *l. cum in plures 62. §. locator ff. locati.* Vbi tamen nota, quod ſi coniux cui facta eſt remiſſio adulterium aliud commettat poterit ob hoc accuſari, & diuortium cum eo celebrari, quia prioris delicti remiſſio, non trahitur ad futura delicta ex *l. non alias §. 1. de iudicijs*, neq; ea reconciliatio debet preſtare immunitatẽ criminis futuri. ita docent Henriqu. *loc. ci.* Barth. à Led. *dub. 65. de matr.* Lud. Lopez. *1. p. inſt. c. 295*: Villalpand. *repet. ad l. 22. t. 1. p. 7. §. 14.* Caſtillo *l. 80. Tauri n. 2.* Greg. Lopez *l. 8. ti. 17. p. 7.* Gloſſ. & alij ſcribentes Alex. de Neuo, Præp. Ioan. de Anch. *C. plerumque de don. int. vir. & vxor. & C. per veſtras eod. tit.*

DISPVTATIO VI.

Quo peccato fieri debet compenſatio adulterij, quando vtriuſq; coniugis adulterium fuit commiſſum ante latam ſententiam diuortij.

1 CAſus propoſitus eſt talis. ſupra diximus, quod ceſſat diuortium cõpenſatione delicti, vt ſi maritus adulterium committat, vxore adultera, nõ poterit maritus ob adulterium vxoris diuortiũ celebrare. & cõtra. nunc quęrimus an ſi maritus v. g. prius adulterium commiſit, & nondum lata eſt ſententia diuortij. deinde vxor ſimiliter adulteretur poſſit fieri talis compenſatio delicti, an potius poſſit vxor petere diuortium ob adulteriũ viri prius commiſſi: ad huius rei deciſionẽ, dico primo ſi vterq; coniux ante latã ſentẽtiam diuortij fornicetur, nõ poteſt poſtea fieri diuortium, ſed compenſantur delicta.

2 Quod verum eſt non ſolũ, quando delicta ſunt æqualia, vt ſi ambo fornicentur; ſed etiã quando ſunt inæqualia in qualitate, vt ſi vnus fornicetur, alius ſodomiã committat, aut in quantitate vt ſi vnus plura adulteria cõmiſit, alter verò vnũ tantum adulterium, adhuc enim fit cõpenſatio, nec poteſt celebrari diuortiũ, ratio eſt, quia in ordine ad diuortiũ celebrandum, vtraq; crimina ſunt æqualia; nam vterq; coniux carnẽ ſuam dimiſit cõtra fidem matrimonij: quæ eſt ratio cur detur diuortiũ, vt dictum eſt, & iura de diuortio agentia rationẽ habent fidei fractionis, non autẽ numeri delictorũ, aut qualitatis. ita docent Paſud. 4. *d.* 35. *q.* 1. *ar.* 2. Palac *diſp. vni.* Supp. Gabr. *ar.* 2. Gaeta *repet. c. ad limina* 30. *q.* 1. §. 4. *n.* 217. & agẽtes, quãdo vnus cõmittit vnum adulteriũ, alter plura Lud. Lop. 2. *p. inſtr. de matr. c.* 54. Cañedo *ſum. Sacr. c.* 7. *n.* 57. *ca.* 1 *de mat.* Contra Caſtro *lib.* 2. *de lege pœn. c.* 4. qui putat nõ dari cõpenſationẽ, quando vna fornicatio eſt contra naturã, altera verò alterius coniugis naturalis.

3 Idem etiam dicas ſiue vnus coniugũ prius ſit lapſus in adulterium, & deinde alius, ſiue ambo ſimul, non enim requiritur ad hoc vt fiat compenſatio delicti, vt ambo eodẽ tempore peccarint, ſed ſufficit ſi ante datã ſententiam delictũ ſit patratum, quia iura non habent rationẽ temporis, vt patet ex textibus ſupra citatis, & docent Hoſt. *C. gaudemus de conn. contug.* Surd. *de alim. t. 7. q. 16 n. 35.* Lud. Lop. *l. c.* Bart. à Ledeſ. *dub. 65. de mat.* & eſt certa concluſio. Modo delictũ prius perpetratum non fuerit remiſsũ (ſi enim coniux innocens v. g. vxor, remiſit prius delictũ viri, & deinde illa fornicetur, non poterit vti cõpenſatione cũ delicto viri; ſed licitũ erit viro celebrare diuortiũ, quia remittẽtib⁹ actiones ſuas nõ eſt dãdus regreſſus *l. quæritur 14. verſ. ſi venditor*

ff. de, edilit. edicto. & ita docet Sotus 4. *d.* 36. *qu. vn. ar.* 1. Gloſſa *c.* 1. 32. *qu.* 6. *fine* Aſſenſ. 2. *p. lit.* 8. *t.* 33. *ar.* 3.

4 Nota tamen hic, quod ad hoc vt in prædictis caſibus detur recompenſatio neceſſe eſt primo, vt vtriuſque coniugis delicta ſint liquida, ſi enim vnius eſt liquidum, alterius vero dubium non poteſt celebrari diuortium, nec coniux, qui eſt dubius de delicto alterius poteſt in conſcientia compenſare delictum proprium liquidum. Secũdo neceſſe eſt, vt vtriuſque coniugis delictum ſit tale, quod ſufficiat ad diuortium, nam ſi alter adulterium cõmiſit, alter vero ſolam mollitiem, aut ſemen non emiſit, nnn poteſt celebrari diuortium, vt patet ex dictis *diſput. praced.* vide Hoſt. *c. fin. n.* 1. *de adul.* vbi Anch. *num.* 3. Card. *num.* 1. *oppoſ.* 1.

5 Dico ſecundo hæc compenſatio fit etiam ſi delictum vnius ſit occultum alterius vero publicum; quare non poteſt vir v. g. qui occulte fornicatus eſt celebrare diuortium cum vxore, quæ commiſit adulterium publicum; quia in foro conſcientiæ ſufficit ſola veritatis cognitio, nec vxori deficit ius excipiendi viri fornicationẽ ſed ſolum probatio; nam probare illam non poteſt, quod non attenditur in foro conſcientiæ, ſed ſolum in exteriori. ita docent ex Theologis D. Tho. D. Bonau. Palud. 4. *d.* 35. Manuel 1. *t. ſum.* 2. *edi. c.* 240. *n.* 3. Veracr. 3. *p. ſpec. ar.* 6. Enriq. *l.* 11. *c.* 17. *n.* 3. cum Hoſt. C. *fin. nu* 3. *de adult.* vbi Io. And. *nu.* 7. Abbas *n.* 8. Anchar. *n.* 5. Monal. *ſum. tit. de diuortijs* §. *propter quid fiat*, & alijs iuriſperitis.

6 Et ſi maritus diuortium celebret, aut ob id debitum neget vxori exigenti peccabit mortaliter; quia non habet hoc ius, & res eſt grauiſſima, neq; obſtant *cap. ſignificaſti de diuortijs* &c. *penul. de adult.* vbi videtur peti ad compenſationem delicti, vt vtrumque ſit publicum, quia agunt de compenſatione facienda in foro externo.

At ſi maritus, quando non adhuc amiſit ius accuſandi vxorem criminaliter lapſu temporis, vel alia cauſa, vel quia ſcilicet nõ poteſt probare de vxoris conſenſu pactus eſt cum ea ſe illam non accuſaturum criminaliter ob adulterium ab ea committendum; dummodo ſi adulteretur in aliquem locum ſe recipiat, & vitam degat a viro ſeperata. tunc etiam ſi ipſe fornicatus ſit, poterit adulteram dimittere ob illud pactum, quod vir potuit facere de conſenſu vxoris, nam *l. tranſigere* 18. *C. de tranſactione* & *l. de crimine* 10. C. *ad Iuliam de adult.* negantes trãſactionem in crimine adulterij intelligi debent, quando maritus remittit adulterium mediante pecunia, aut alio lucro, vt explicant Gamma *p.* 1. *de cſ.* 63. & Barboſa *l.* 2. *p.* 1. *n.* 115. *ſolut. matrimon.*

Explicatur an exceptio adulterij ſit peremptoria &c.

7 Dico tertio, quando coniux adulter accuſatur ciuiliter de adulterio, nempè ad hoc vt diuortium celebretur, & dotem amittat. poteſt ipſa opponere adulterium alterius dicendo ſe non debere celebrare diuortium, vel dotem amittere, quia ſimiliter maritus fornicatus eſt, ante vel poſt litis conteſtationem vſque ad ſententiam, quia in cauſa ciuili ea exceptio criminis diluit omninò adulterium vxoris, quod vir obijcit, & eum omnino ab actione excludit; vt docet Barboſa *l. viro atque vxore* 40. *nu.* 3. *ff. ſol matr.* vnde eſt peremptoria durans ſolum vſque ad ſententiam *l. perempt. C. ſent. reſcind. non poſſe.* non autem in cauſa criminali; quando agit vir, vt vxor adultera vita priuetur, quia ſi vxor excipit virum fuiſſe lenonem, excluditur quidem ipſe à iure accuſandi at quilibet accuſare poteſt §. *item lex Iulia inſtit. de publ. iudic.* vnde hæc exceptio eſt dilatoria, quæ tantum ante litem cõteſtatam opponi poteſt *l. fin. co. de except.* poteſt etiam opponi exceptio per vim declinatoriæ, vt non eſt audiendus vir, quia ſimiliter adulterium commiſit. Vide Innoc. *c. pen. ad fin. de adult.* & ibi Hoſt. *n.* 8. Ant. *nu.* 6.

Abb.

Abb. *in fine*, Cord. Ananiam, Anch. alios. ibi Couarr. 4. *decr.* 2. *p.c.* 7. §. 6. Contra Andr. ab Exea *rubr. ff. de pactis numero* 375.

DISPVTATIO VII.

An ſi ambo coniuges ſint adulteri, & vnus v.g. vir corrigitur ceſſans ab adulterio, alter, nempe, vxor in adulterio perſiſtit, poſſit vir qui iam ceſſauit à ſuo adulterio celebrare diuortium cum vxore perſiſtente in ſua fornicatione.

1 REſpondeo cum hac diſtinctione, ſi vir vxorem admonuit, vt corrigatur, & illa adhuc perſiſtat in ſua fornicatione poterit vir ab ea celebrare diuortiũ (& idem dicas de vxore reſpectu viri perſiſtentis in adulterio) ratio eſt, quia admonens ex parte ſua alterum coniugem ſibi reconciliat, & idem eſt ac ſi reconciliatio fuerit facta: ergo vxor perſiſtens in fornicatione putatur adulterari poſt reconciliationem; ſed quando poſt factam reconciliationem alter coniux iterum recidit in fornicationem poteſt dimitti per diuortium, vt docet Sotus 4. *d.* 36. *q. vni. art.* 1. Ledeſ. 2. *p. q.* 64. *ar.* 2. tanquam certum: ergo ſi poſtquam coniux monitus eſt ab altero emendato perſeuerat in ſuo adulterio poteſt ob id dimitti diuortio celebrato.

2 At ſi emendatus non admonet alterum, neque illi offert pacem, non poteſt celebrare diuortium cum eo, qui perſiſtit in adulterio; quia non debet imputari alteri vltima mora ante monitionem, nec is dicitur pertinax in ſuo adulterio vbi nulla præcerit monitio. ita D. Bonau. 4 *d.* 35. *in exp. lit. n.* 1. Vinc. *Speculo doct. t.* 2. *l.* 10. *cap.* 42. Archid. *c. nihil.* 32. *qu.* 6. vbi Bellam. *n.* 1. Turrec. *nu.* 1. Gaeta. *repet. C. ad limina* 30. *qu.* 1. §. 4. *num.* 232. Lud. Lop. *de matr.* 2. *p. inſtr. c.* 54.

3 Immo ſi vir offert recõciliationem vxori, & cautionem, ſiuè iuramentum, quando non poteſt dare cautionem ſe illam non interfecturum; ſi hoc non obſtante vxor timore mortis ad virum nolit reuerti, poterit is ob eius fornicationem eam dimittere celebrando diuortium; contra verò ſi vir poteſt dare ſufficientem cautionẽ, & non dat. Sunt tamen aliqui, qui abſolutè docent coniugem emendatum poſſe ab altero diuertere, ſi is perſiſtat in adulterio, quia vltima mora nocet, & trahit damnum *l. illud ff. de periculo & com. rei vend.* hi ſunt Goffr. Hoſt. *ſum. ti. de diuor. nu.* 15. & 11. Caſtro *l.* 2. *de l. pœn. c.* 4. §. *vt noſtram.* Manuel. 1 *t. ſum.* 2. *edit. c.* 240. *nu.* 2. Sotus *l. c.* alij vero vt Petr. Ledeſ. *de matr. q.* 62. *a.* 1. & Ledeſma *l. tit. num.* 1. putant nõ poſſe coniugem emendatum celebrare diuortium, quia illa emendatio ſolum eſt quædam reconciliatio in ordine ad Deum, nec tollit iniuriam factam alteri coniugi.

DISPVTATIO VIII.

An compenſatio delicti non ſolum habeat locum in diuortio, ſed etiam in pœnis ciuilibus, & criminalibus, ita vt vir adulter non poſſit vxorem adulteram accuſare adhuc vt dotem amittat, vel vt vita priuetur.

AD deciſionem huius caſus ſciendum eſt aliquas eſſe pœnas impoſitas adulteris merè ciuiles, aliquas criminales. Primo ergo videndum eſt an fiat compenſatio in pœnis ciuilibus, deindè in criminalibus, quare

QVAERES I.

Quænam ſint pœnæ ciuiles impoſitæ adulteris.

1 REſpondeo. Prima pœna eſt vt vxor adulterans perdat dotem, & viro accreſcat cap. *plerumque de donat. inter virum, & vxorem* ſiuè is accuſet vxorem ciuiliter, ſiuè criminaliter, quod maximè eſt certum in Regno Caſtellæ ex *l.* 1. *tit.* 20. *lib.* 8. *nouæ recompilat.* & docent Ant. Gomez *l.* 80. Tauri. *num.* 47. Couar. 4. *decr.* 2. *p. cap.* 7.

cap.7.§.6.nu.4. Iulius Clarus *l.5.recep. §.adulterium num.13.* Barboſa *l.2.p.1. num. 57. ff.ſol. matr.* & alij reprobato Bartolo, qui ſolum id concedit de iure communi, quando vxor criminaliter accuſatur.

2 Idem dicas etiamſi tempore adulterij dos non erat viro tradita, ſed tantum promiſſa, aut mulier adulterans ſit ſponſa de præſenti, nec ad domum ſponſi traducta, lucratur nihilominus maritus vxorem accuſans dotem; ita vt neque ſoluto matrimonio per mortem vxoris teneatur reſtituere, habetur *l. nihil intereſt ff. rerum amot.* & pro Regno caſtellæ *l.3.tit.20 lib.8. recapil.* & docent Azebedo *lib.8. rec.t.20. l.4.num.40.* Ant Gomez Iul. Clarus *loc cit.* Cifuentes *l.81. Tauri.*

3 At ſi matrimonium celebratum in facie Eccleſiæ ſit irritum ob aliquod impedimentum dirimens: nihilominus loquendo de iure communi maritus dotem lucratur ſi ante quam nullitas matrimonij detegeretur, dos ſibi per ſententiam eſt tradita; at ſi nullitas matrimonij detecta fuit ante ſententiam tunc non lucratur dotem, quia verè non fuit adulterium, vt docet Barboſa *l.2.par.1.nu.93. ff.ſol. mat.* alios referens Doctores, & concilians in Regno verò Caſtellę certum eſt priuari abſolutè dote vxorem illam; modo matrimonium non fuerit nullum ob defectum conſenſus, aut quia celebratum eſt metu cadente in virum conſtantem, vt docent Caſtill. *l.81. Tauri num.2.* & ibi Cifuent. Ant. Gomez, & Azebedo. *n.48. d.l.80. Taur.*

4 Excipe tamen duos caſus, in quibus vir dotem non lucratur ob adulterium vxoris. primus eſt ſi is qui dotem promiſit marito ſtipulatus eſt, vt dos ſoluto matrimonio ſibi reſtituatur *l. ex more C. de pactis conuen.*

5 Secundus caſus eſt ſi vir propria authoritate vxorem occidat ex *l. interdū §.qui furem ff. de furtis,* & *l.82. Taur.* hodie *l.5. tit.20. lib.8. recop.* niſi forte dos iā prius fuerit viro applicata per Iudicis ſententiam, aut alia via illi obuenerit, tunc enim vxorem occidens non amittet dotem. vt docet Couarr. & Alex. apud ipſum *l.c.nu.1.*

6 Secunda pœna communis viro, & vxori eſt vt propter adulterium amittant donationem propter nuptias, & innocenti accreſcat. *l. conſenſu §. ſi vero C. de repud.* authent. *vt liceat matri, & auę §.quia plurimus* verſ. *ſi de adulterio.* quamuis multi Doctores velint mulierem de iure communi amittere etiam bona paraphernalia, quia *cap. plerumque de donat.* inter virum & vxorem dicitur viro adiudicari dotem & dotalitium, nomine autem dotalitij intelligunt bona paraphernalia. ita Fel. *c.paſtoralis num. 5. de iud.* Hyp. *de mars. con.234.nu.2.* Roman. *ſing.312.* vbi multos addit Coſta *ca.ſi pater.1.p. nu.46. de teſt. in 6.* Iul. Clar. Couar. *l.c nu.1.* Ant. Gabr. *t.1. com. lib.1 fol.21.* Verior tamen ſententia negat nomine dotalitij intelligi paraphernalia, ita Abbas Præp. Ant. *c.plerumq; de don. inter vir. & vxo.* Barboſa & alij mox citandi: de iure verò Caſtellæ omnia bona vxoris viro acquiruntur *l.81. Tauri & l.1.t.20. l.8. nouæ recop.* & docent Cifuent. *l.81. Tauri* Cantera *qu.crim.q. tangent. pun.delicti c.4.* Barb. *l. .p.2.nu. 56. ff.ſol.mat.* & 64. Azebedo *l.1.a.n.18.*

7 Excipe tamen in iure communi niſi vxor habeat filios ex eo, aut ex alio matrimonio, tunc enim maritus ſolum habet vſum fructum dum viuit, & eo mortuo filij ſuccedūt *l.2. ff.ſol.mat.* vbi Barboſa. attento verò iure Caſtellę ſi adultera propria auctoritate à viro interficiatur, bona ſtatim ad filios pertinent tum quoad proprietatem, tum quoad vſumfructum. (niſi ſint filij familias eiuſdem mariti, tunc enim ipſe habet vſumfructum) at ſi maritus agat criminaliter, tunc habebit omnia bona quoad vſumfructum donec vxor adultera viuat, ea verò mortua ad filios alterius matrimonij omnia bona deuenient.

†††

QVAE-

QVAERES II.

An ad has pœnas incurrendas requiratur ſententia Iudicis.

8 REſpondeo adhoc vt vir perfectè, & irreuocabiliter dotem acquirat ob adulterium vxoris requiritur ſententia Iudicis, quia talis amiſſio eſt pœna, ergo requirit ſententiam Iudicis: adhoc autem vt vir retineat dotem, quam habuit ab vxore non requiritur Iudicis ſententia; ſed ſtatim ac illa adulterium committit, etiamſi ſit occultum, poteſt ſibi dotem retinere; ratio eſt quia is, cui competit exceptio ne aliquid ſoluere cogatur petenti, poteſt illud ſibi retinere in foro conſcientiæ, & externo, quamuis alter repetat: ſed maritus, qui ob adulterium vxoris celebrat propria authoritate diuortium; habet exceptionem non ſoluendi dotem, & donationem propter nuptias vxori repetenti. ergo poteſt dotem, & donationem retinere ante ſententiam Iudicis, licet vxor repetat. & in hoc ſenſu intelligendus eſt textus cap. *plerumque de donat. inter virum & vxorem* (*ſi mulier ob cauſam fornicationis iudicio Eccleſiæ aut propria voluntate à viro receſſerit, nec reconciliata poſtea ſit, ei dotem, vel dotalitium repetere non valebit*) intellige inquam non valebit repetere dotem, quia vir habet exceptionem, & ſic poteſt retinere dotem, non autem quod ipſi irreuocabiliter applicetur ante ſententiam Iudicis; quare ſi vxor poſſidet dotem non tenetur viro reſtituere ante ſententiam Iudicis, & ſi ante ſententiam vir fornicatus eſt, aut vxorem propria authoritate interfecit, non poteſt retinere dotem; quia amiſit exceptionem ob adulterium commiſſum, & quia vxorem necauit, vt dictum eſt. contra verò ſi iam lata ſententia, qua ipſi dos eſt applicata, fornicationem commiſit, aut vxorem necauit, non tenetur reſtituere. atque adeo requiri Iudicis ſententiam docēt Ant. Abb. Alex. de Neuo Præp. Cald. *C. porro de diuor.* Io. Lup. *rubr. de dona. int. vir. & vx.* §. 34. Bertach. *reper. lit. A. ver. adulter.* Villalob. *com. lit. A. v. adult. num.* 94. Mexia Taxapanis *concl.* 6. *n.* 63. Emm. Sà *v. diuor.* Hieron. Llamas *meth. cur.* 3. *p. c.* 8. §. 8. & alij.

9 Vbi nota, quod ſi fœmina accuſata à viro de adulterio ſe defendat probans falſis teſtibus, ſe non adulteratã eſſe vel probans virum ſimiliter adulterium commiſiſſe, aut ſi poſt datam ſententiam appellauit volens ſe defendere falſis teſtibus, non tenetur ſoluere dotem, aut alia bona viro; ſed tantum expenſas factas in lite, & ab appellatione deſiſtere, ratio eſt, quia ſecundum probabiliorem ſententiam reus; qui legitimè interrogatus, negat delictum, & falſis teſtibus ſe defēdit, vel poſt datam ſententiam appellat, non tenetur ſoluere pœnam ex illo delicto, ſed tantum expenſas, & deſiſtere a lite: quia actor non habet ius ad pœnam directè aſſequendam, ſed indirectè poſita ſententia iudicis; ergo ea non poſita, vel quia reus ſe defendit falſis teſtibus, vel quia appellauit (quo caſu ſententia ſuſpenditur) non tenetur pœnam ſoluere, vt docēt Nauarr. Medina Arag. Manuel. Lud. Lopez Graffis & alij apud Sanc. *n.* 14. ergo ſimiliter in caſu poſito mulier, quæ eſt rea non tenetur ſoluere viro actori pœnam ante ſententiam Iudicis &c.

QVAERES III.

Quis nam ſit iudex competens in caſu præ dicto, cũ coniux accuſatur de adulterio.

10 DIco primo cum agitur de adulterio adhoc vt eo cognito celebretur diuortium, iudex Eccleſiaſticus eſt competens, ex cap. *Tuæ de procur.* & docent D. Tho. 4. *d.* 355. *qu. vn. ar.* 3. Bertach. *l. c.* Ant. Gomez. Ant. Gabriel. Barboſa *alios allegans loc. ci. n.* 7. Anaſt. Germ. *de ſacr. imm. l.* 3. *cap.* 12. *nu.* 58. quod verum eſt etiamſi ob lepram v. g. ſeparandi eſſent coniuges ad tempus, vt docet Couarr. 4. *decr.* 2. *p. c.* 7. §. 4. *num.* 8. contra Rupellanum

num *lib.1.for. qu. Galliæ c.25.*

Vnde quæſtio alimentorum, & dotis amittendæ tanquam rei acceſſoriæ ad diuortium, pertinet ad Iudicem Eccleſiaſticum, vt de dote deciditur cap.*de prudentia de donat. inter virum, & vxor.* at dum cauſa principalis agitur de dote & alimentorum ſolus iudex ſæcularis eſt competens ſecundū communem,& veriorem ſententiam, quam docet Gloſſ. cap.d *de prudentia* Fel.*c.eccleſia de conſt.n.*58. Ant.Gom. *l.20.Tauri nu.*53. Molin.*lib.2. de prim. c.15.num.*76. & Barboſa *l.1.p. 1. num.* 46. *ff. ſol. matr.* quem vide.

11 Dico ſecundo ſi agitur de adulterio ad imponendam pœnam ſanguinis, tunc ſolus iudex ſæcularis eſt competens ex *cap. ſententiam ſanguinis ne clerici, vel monaci*: ſi verò in ordine ad alias pœnas agatur, eſt mixti fori, & ſi iudex ſæcularis præuenit,is poteſt cauſam agere; ſi verò Eccleſiaſticus, is poteſt agere, vt docent Abbas *c. tuæ de proc.num.6.*Imola *nu.*10.Iulius Clar. *l.5.rec.§.fin.qu.*37.Barb. alios referens *l.2.par.1.num.*139. *ff. ſol. matr.*

12 Hinc ſi coram Iudice ſæculari mota ſit lis de alimentis præſtandis vxori ſeparatæ à viro; ſi vir excipiat ſe habere ſufficientem cauſam diuortij,Iudex Eccleſiaſticus debet hanc partem cognoſcere, & interim iudici ſæculari inhibere poteſt,ne vlterius progrediatur ex *cap. tuam de ordine cognit.*

QVAERES IV.

An vxor poſſit ciuiliter accuſari poſt accuſationem criminalem.

13 SI vir vxorem adulteram criminaliter accuſauit, non poteſt eo iudicio finito, illam accuſare ciuiliter, vt ſibi ſcilicet dos reſtituatur: & contra ſi ciuiliter accuſat non poteſt poſtea eam criminaliter accuſare.

14 Ad probationem huius concluſionis ſupponendū eſt quod quando sūt duo iudicia,vnum criminale, alterum ciuile, non poſſunt ambo principaliter intentari,ſed finito vno(quod tūc dicitur finitū,quādo ſententia tranſijt in rē iudicatā,vt docet Boſſius *prac. ti. de pluribus violentijs n.* 113.dicens eſſe omnium) aliud poteſt intentari v. g. ſi accuſo Petrum actione furti criminaliter; non poſſum etiam accuſare principaliter illum ciuiliter, ſed tātum incidenter petendo rem ablatam mihi reſtitui poſtquam criminaliter accuſo *l.vnic. c.quando ciuilis actio criminali præiudicet.* finito verò vno iudicio v.g.criminali poſſum intentare ciuile, quando criminale, & ciuile tendit ad diuerſa v.g.criminale ad punitionem delicti, ciuile ad ſatisfaciendū parti. contra vero, quando ambo iudicia tendunt ad idem v. g. ad punien dum delictum.ita Barth. *l.2.§.1.n.3.ff. vi bon.rapt.* Abb. *c.tuæ n.* 5. *de procur.* Maranta *prac.4.p.iud.d.1.n.9.*Couarr. *2.var.c.50.n.1.* Iulius Clarus *lib.5.recept.§.fin. qu.* 2. Hoc poſito,ſic probo concluſionem. tam actio criminaliter à viro intentata ob adulterium vxoris tam ciuiliter intentata tendunt ad idē nempè ad punitionem adulterij;ergo finita vna actione, non poteſt alia intentari. conſequentia patet ex ſuppoſitione facta,antecedēs probatur,quia non ſolum amiſſio vitæ, & dotis ſunt pœna, ſed etiam diuortium, quia actio illa non pertinet ad compenſandum detrimentum rei familiaris ex *l. vni.c.quando ciuilis actio crimin.præiud.* vide Sotum *4.d.37.q.v.ar.3.* Ludou. Lop.*1.part.inſtr.c.265. §.penul.* dicentes idem quando in altero iudicio peteretur ſeparatio quoad thorum. Abbat. Barboſa m.*loc.*

15 Immò neque poteſt maritus finito iudicio v.g criminali opponere actionē ciuilē per modū exceptionis, quia victo in actione nō pōt illud idē p modū exceptionis opponere ex *l. duobus 19.ff.de except.rei iudic.*à contrario ſenſu;ſed hæc pro foro externo,nam pro foro conſcientię licitū eſt;quia delictū non eſt remiſſum, nec in hoc caſu fit recompenſatio, vt amittatur ius celebrandi diuortiū in foro conſcientię.

16 Nota tamen hic, quod facta reconciliatione abſolutè ſiue ante ſiue poſt ſententiam diuortij, vir omnia bona de-

debèt reſtituere vxori; quia illa remiſſio plena, & abſoluta reſtituit omnia ad priſtinum ſtatum, & ita videntur ſentire Ang. *v. adult. n.* 3. vbi Sylu. *q.* 6. Tab. *q.* 1. *n.* 2. Emm. Sà *v. diuort.* Et idem dicas ſi fuit pactum, vt vxor ſeorſum habitet, quia ea remiſſio late eſt interpretanda vt pote fauorabilis, nec debet extendi ad caſus non expreſſos.

17 Dixi facta abſolutè reconciliatione, quia poteſt vir pactum ponere, ſe velle facere reconciliationem cum vxore dummodo pars dotis apud ſe remaneat; immo poteſt totam dotem ſibi retinere ſolum remittens vxori adulterium, ſiue poſtquam lata eſt ſententia adulterij, & bona vxoris iam ſibi fuerunt applicata, ſiue non; quia nil verè recipit ad hoc vt delictum condonet, nam vel habet iam bona poſt latã ſententiam, vel habet ius retinendi ob exceptionem, vt diximus. Vnde non facit contra *l. tranſigere C. de tranſact.* Immò quoad forum conſcientiæ ſi vir pretio accepto remittat vxori adulterium, non tenetur illud reſtituere antequam condemnetur ad reſtitutionem; nam *d. l. tranſigere* & *l. generaliter ff. de verb. ſignif.* non impediunt dominij translationem.

QVAERES V.

An maritus teneatur præſtare alimenta vxori adulteræ, & litis expenſas dum ſe illa defendit.

18 REſpondeo in foro externo ante datam ſententiam tenetur omnia præſtare, quia non poteſt negare conuictum ante datam ſententiam. & ſimiliter ſi vxor agit ad hoc vt à viro ſeparetur ob ipſius adulterium, tenetur omnia præſtare ne vxor cauſa cadat, vt docet Barboſa multis citatis *rubr. ff ſol. matr.* 2. *p. n.* 44. Guttier. *quæ. can. l.* 1. *c.* 24. *n.* 7. Peguera *deciſ. crim.* 20. *num. quinto.*

19 At in foro conſcientiæ non tenetur etiamſi ipſe dederit cauſam, expellens vxorem è domo non ad hoc vt fornicetur iuxta dicta *diſp.* 5. de dote, quia poteſt in eo foro negare cohabitationem; ergo etiam alimenta, dotem &c. non tamen ſi mulier ſolum oſcula, aut amplexus paſſa fuerit.

20 Sunt tamen Iulius Clarus dicens eſſe communem *l.* 5. *recep. §. adulterium.* Ant. Gabr. *l.* 1 *com. t.* 1. qui volunt sẽper alendam eſſe vxorem, etiam poſt ſententiam, quia non ceſſat eſſe vxor, alij vero putant ſi expellatur ob adulterium notorium non teneri virum illam alere. Contra verò teneri alimẽta præſtare ſi adulterium non ſit notorium. ita Card. Feder. Alex. de Neuo, Angelus, Armilla, Io. Lup. & alij apud Sanch. *n.* 24.

QVAERES VI.

An hæ pœnæ compenſentur mutuis adulterijs, vt ſi vir adulteretur, qui debebat donationem propter nuptias amittere, illam non amittat ex eo, quia vxor adulterans debet etiam dotem amittere.

21 REſpondeo affirmatiuè, quare neque mulier adultera donationẽ lucrabitur, neque vir adulter dotem. ita *l. viro atque vxore* 40. *ff. ſolut. mat.* & docent Palud. *conſ.* 302. *l.* 1. Hypp. *ſin.* 234. *n.* 2. Sylu. *nupt. l.* 1. *§. non eſt nubendum n.* 104. Ciſuen. *l.* 81. *Tauri lim.* 3. Beroy *con.* 45. *n.* 5. *l.* 2. Perez. *l.* 5. *ord. t.* 1. *f.* 21. Barboſ. *l.* 2. *p.* 1. *n.* 97. *ff. ſolut. mat.* Surdus *de alim. t.* 7. *q.* 16. *n.* 74. & multi, quod etiam habet locum in foro conſcientiæ, ita vt ſi vir adulteriũ occultum commiſit non poſſit vxorẽ adulteram accuſare ad hoc ut ſibi dos applicetur; & ſi data eſt ſententia tenetur in conſcientia dotem reſtituere vxori, quia ea ſententia innititur falſæ præſumptioni, nam præſumit virum eſſe innocentem, cum verè ſit adulter occultus, ita apertè videntur etiam docere Tabiena, & Armilla *verbo dos.*

QVAERES VII.

An possit vir innocens adulteram vxorem & adulterum propria authoritate necare, vel criminaliter accusare etiam si ipse sit adulter.

22 REspondeo ad primam partem quæsiti non posse maritum occidere propria authoritate vxorẽ adulteram, vel adulterum, & si occidat, peccabit mortaliter, & tenebitur restituere omnia damna ex illa occasione sequuta. ratio est, quia licet secundum ius Cœsareum viro licitum fuerit occidere non vxorem adulteram, sed tantum adulterum vilem, vel infamem, aut eum qui ter admonitum deprehendisset loqui in loco secreto cum muliere, vt notat Couarr. 4. *decr. 2. p. c. 7. §. 7. n. 1.* & *l. 3. tit. 20. lib. 8. nouæ recop.* iure Castellę licitum erat occidere adulterum, & vxorem in adulterio deprehensam: tamen hæ leges solum permittunt impunè maritos eos occidere parcentes vehementissimo viri dolori. vt probat Tiraq. *l. 9. conn. nu. 1. & seq.* & iniustum est parte inaudita concedere generalem facultatem reũ occidendi, vnde etiam si vir esset iudex non posset eos interficere propria authoritate, nam debet prius iuridicè ferre sententiam. ita docẽt D. Th. D. Bonau. Durand. Palud. Riccard. Sotus, Gabr. & alij in 4. *d.* 37. Metin. *cod. de rest. q. 3. causa* 4. Victor. *de matrimo. n.* 292. Veracrux 3. *p. spec. ar.* 4. Arago, 2. 2. *q.* 64. *ar.* 3. *ad* 2. Emm. Sà, Ludo. Lop. & alij innumeri Theologi, & Canonistæ apud Sanch. *n.* 39.

23 Dixi non esse licitum propria authoritate, quia posset maritus licite adulteros interficere non odio, sed zelo iustitiæ, quando iudex illi eos traderet, aut si iudex committeret viro, vt vbicunque adulteros fugitiuos reperiat eos necet; quia tunc sententia publica tradit marito occidendos, sicuti potest tradere carnifici. ita D. Th. Dur. Victoria, Medina, & alij multi citat. *Ad secundam partem quæsiti.*

24 Respondeo licitum esse viro etiã si ipse sit adulter vxorem criminaliter accusare non solum in foro externo, sed etiam in foro conscientiæ. ratio est quia idem seruatur in vtroq; foro, quã do forum externum non innititur falsę præsumptioni, vt *lib. 1. disp. 5.* dixi. Sed in foro externo conceditur viro, etiam adultero accusare vxorẽ criminaliter, neq; lex innititur innocentiæ viri; ergo etiam in foro conscientiæ licitum est adultero accusare vxorem criminaliter. minor in qua tota est difficultas probatur, quia viro conceditur accusare vxorem criminaliter, vt à Iudice capite puniantur, non autem vxori conceditur accusare virum adulterum criminaliter. *l. 2. c. ad legem Iuliã de adult.* & *cap. ad misericordiam §. publ. 32. q. 1.* & accusante viro vxorem criminaliter de adulterio, non admittitur exceptio vxoris, vt expressè decidit *l. regia 3. tit. 20. lib. 8. recop.* & docent Couarr. 4. *decr. 2. p. c. 7. §. 6. nu. 5.* Greg. Lop. *l. 6. v. de recho. t. 9. p. 4.* Cantera *q. tangentib. pun. deli. c. 4. n. 6.* Olan⁹ *cõcor. lit. M. v. maritus n.* 24. Cenedo *in collec. iuris coll.* 166. *n.* 4. multos citans.

25 Vnde si mulier adultera accusetur à viro criminaliter non auditur si ipsa excipiat virum publicè commisisse adulterium quidquid dicat Henriqu. *lib. 11. de matr. cap. 17. n. 3. lit. F.* & si viro conceditur à Iudice, vt vxorem adulteram necet potest illam necare, etiamsi ipse sit adulter, vt docet Barbosa *l. 2. p. 1. n. 98. ff. sol. matr.* Gratia *reg. 496. n. 9.* Contra Hypp. *l. 1. §. item* Decius *n. 6. ff. de sicarijs* & Carrerium *de homic. §. 6. n.* 248. & denique Iudex potest vxorem adulteram condemnare, vt interficiatur, etiamsi vir sit adulter. ergo multò magis potest accusationem admittere viri adulteri etiam non emendati accusantis vxorẽ adulteram, quia quoad accusationem criminalẽ adulteria cõiugum non compensã tur; vt docent Cantera, & Cenedo *lo. ci.*

QVAE-

DISPVTATIO IX.

Explicantur aliqua, quæ pertinent ad compenſationem delicti coniugum quando adulterium alterius committiturpoſt datam ſententiam contra vnum coniugem adulterum.

QVAERES I.

An ſententia diuortij tranſeat in rem iudicatam.

1 SEntentia tunc dicitur tranſire in rem iudicatam, quando ab ea non eſt appellatum intra tempus præfinitum appellationi, quod eſt ſpatium decem dierum poſt latam ſententiam hoc poſito ad caſum.

2 Reſpondeo cum diſtinctione; in ijs, quæ ſunt in fauorem coniugis adulteri non tranſire in rem iudicatam; at tranſire in ijs, quæ ſunt in odium ipſius, & fauorem innocentis. ratio eſt, quia ſententia diuortij fertur in odiũ delinquentis, & in fauorem innocentis; ergo æquitas vult ne tranſeat in rẽ iudicatam in fauorem rei, & in perniciem innocentis: adde quod cum cauſa matrimonij non tranſeat in rem iudicatam, & diuortium aliquo modo pertineat ad matrimonium, debet etiã ex parte participare hoc priuilegium, vt non tranſeat in rem iudicatam fauore innocentis. ita Hoſt. Ioan. And. Alex. de Neuo & alij *c. de illa de diuort.* qui addunt & bene, ſi reus legitimè mutat ſtatum v. g. profitetur religionem tunc non auditur innocens reconciliationem petens, non quia tranſierit in rem iudicatam, ſed ob negligentiam petendi reconciliationem tempore debito.

QVAERES II.

An data ſententia diuortij ſi comperiatur Eccleſiam fuiſſe deceptam, vel quia vere coniux non commiſit adulterium, vel quia ambo fornicati erant, ſit iterum retractanda, & coniuges reconciliandi.

3 REſpondeo affirmatiuè, ſiue enim neuter coniugum ſtatum mutauit ordines ſacros ſuſcipiendo, aut profeſſionem emittendo, ſiue vnus tãtum v. g. maritus profeſſionem fecerit ſententia diuortij eſt retractanda, & coniuges iterum cohabitare debent; ita tamen vt ille, qui profeſſionem fecit, vel etiam votum emiſit ſimplex caſtitatis, teneatur reddere, ſed non poſſit petere, nam votum caſtitatis ob ligauit vouentem quantum obligare potuit abſque præiudicio alterius vxoris. ita D. Thomas 4. *d.* 35. *qu. vni. ar.* 5. Abulenſ. *c.* 19. *matt.* 95. *nu.* 6. Gaeta *repet. C. ad limina* 30. *qu.* 1. §. 4. *n.* 225. D. Anto. 3. *par. ti.* 1. *ca.* 21. §. 6. Aſtenſ. *l.* 8. *ſum.* 2. *par. t.* 34. *ar.* 2. *qu.* 3. D. Bonauent. *d.* 35. Tabiena *matrimon.* 4. *quæſt. quinta.*

4 Neque requiritur ad hoc, vt profeſſus vxori reſtituatur, vt illa repetat; ſed poteſt ceſſante ſcandalo è religione exire, & vxorem repetere propria authoritate, quia profeſſio fuit irrita, poſſet tamen religio ſi vxor non repetat illum inuitum retinere in pœnam fraudis, ſi mala fide profeſſus eſt. ſicuti in foro conſcientiæ tenetur coniux, in cuius fauorem lata eſt ſententia diuortij, ſi ſciat poſtea innocentiam alterius, illam ſibi reconciliare, vt docent D. Antoninus *loc. citat.* & Palud. 4. *d.* 35. *quæſt.* 2. *artic. ſecundo.*

5 Vbi nota, quod quamuis ſententia diuortij tranſierit in rem iudicatã reſpectu adulteri, vt diximus; tamen ſi is velit probare ſuam innocentiam, aut adulterium alterius ex nouis teſtibus, aut oſtendendo falſitatem antiquorum, etiam contra duas, aut tres ſententias latas debet audiri petito beneficio reſtitutionis ex clauſula generali, ſi quæ mihi cauſa iuſta ſubeſt *l.* 1. §. *fin. ff. ex quibus cauſis maiores*, quæ conceditur omnibus maioribus tam reo, quam actori. ſpeciale etiam eſt in noſtro caſu, quod ſi veritas iniuſtæ ſẽtentiæ aliundè conſtet; poſſit coniux damnatus abſque eo beneficio reclamare, & Iudex ex officio tenetur illũ

in priſtinum reſtituere; in alijs verò cauſis etiamſi veritas falſæ ſententiæ conſtet non poteſt reclamare reus niſi petito beneficio. vide Greg.Lopez. *l.*19. *t.*12.*p.*3. Padilla *l.ſub prætextu n.* 17.*C.de iuris, & facti igno* Zaullos *in quæſt.pract.q.*542. *à n.*3. Garzia *de nobili.gloſſ.*6. §.1. *à n.*8.

6 At ſi ambo ſtatum mutarunt,quia videlicet ambo profeſſi ſunt, ſi poſtea falſitas ſententiæ detegatur non ſunt amplius reſtituendi, quia vterq;ſciens alterius profeſſionem videtur facto ipſo licentiam concedere; tum etiam quia etiamſi vxor profiteatur. Ex falſa illa cauſa, quod ſcilicet putet diuortium iuſtè celebratum eſſe,tamen profeſſio non eſt irrita ex falſa cauſa finali, preſertim quia ea falſa imaginatio non eſt cauſa finalis profeſſionis verum vt hanc vltimam partem clarius intelligas.

QVAERES III.

An error, ſeu dolus in cauſa emittendi votum. ſiue ſimplex, ſiue ſolemne irritum illud reddat.

7 AD huius quæſiti deciſionem ſciendum eſt cauſam, qua quis vouet, aliquando eſſe intrinſecam materiæ, ſeu rei, quam vouet, vel partem ipſius, vt ſi quis voueat religionē ob ferendos labores, tunc cauſa iſta, qua hic vouet, eſt pars materię voti, quæ eſt religio; aliquando vero extrinſecam, vt ſi voueo ieiunium ob ſanitatē mei patris, quem puto eſſe infirmū, tum cauſa illa nempè infirmitas eſt omninò extrinſeca materiæ voti, quæ eſt ieiunium:hoc poſito.

8 Dico primo,quoties eſt error, vel deceptio poſitiua circa cauſam, quæ eſt pars intrinſeca voti materiæ, ſi eſt circa rem notabilem non tenet votū, nec circa accidentia, vt ſi voueam ire Romam ſacco indutus, ſi non tenet quoad peregrinationem, neque tenet quoad illam circumſtantiam eundi ſacco indutus, quia ceſſat voluntas vouendi ob errorem in re magna *l.ſi per errorem ff. de iuriſd.omn.iud.* ſecus vero ſi error ſit circa rem paruam, nam non cenſetur ceſſare volūtas vouendi.ita Aragon. 2.2. *q.*88. *ar.* 1. Sotus *l.*7. *de iuſt. q.*1.*ar.*2.Emm. Sà *v. votum num.*18.

9 Duo tamen hic nota. primum eſt dici errorem in re modica, vel parua circa materiam promiſſam non abſolutè, ſed habito reſpectu ad illam v.g. voueo peregrinari Romam, quam puto diſtare à Panormo centum milliaribus, ſi diſtet centum & decem, erit error in re modica, nam decem milliaria reſpectu 100.quæ ſunt materia promiſſa, ſunt parua materia, ſi verò putem diſtare 20. & diſtet 30. erit error in re notabili, nam decem reſpectu 20. ſunt materia notabilis.

10 Secundum eſt quod ad hoc vt votū reddatur nullum,error debet eſſe poſitiuus, vt ſcilicet verè erret putando vnum pro alio;nam non eſt ſufficiens ad votum irritandum,quod ſi vouens aduertiſſet difficultates in illo voto non vouiſſet; plurimi enim contractus celebrantur, & ſunt validi, & tamen ſi contrahens aduertiſſet difficultates, nunquam vouiſſet, vt benè docet Valent. 2.2.*diſp.* 5.*qu.*20.*pun.*4 §. *ante probationem*, nam non ſemper eſt conditionalis ſuſpendens voti obligationem, hæc propoſitio: ſi id ſciuiſſem, v.g. difficultates, non vouiſſem.

Traditur regula ad dignoſcendum quando nam votum obliget ex tacita vouentis voluntate, quando non.

11 Si conditio illa, nempè ſi ſciuiſſem hoc, non vouiſſem: includitur in virtute voluntatis vouendi ea poſita reddit nullum votum; ſi verò includitur in virtute alterius actus, vel habitus, qui ſunt in vouente, & non in virtute voluntatis vouendi, tunc ea poſita non tollit obligationem voti.tunc autem conditio dicitur includi in virtute voluntatis vouendi, quando illud obiectum, quod ignoratur,non clauditur in obiecto promiſſionis v. g. ſi quis voueat dare eleemoſinam Petro pauperi, obiectum voti eſt eleemoſina,ſi Petrus fiat diues, non amplius

tenetur

tenetur vouens ad dãdam illi eleemosynam quia res illa ignorata, nempè quod Petrus factus sit dives non claudit ur in obiecto promissionis, nam eleemosyna, quod est obiectum voti sit Pauperi, non diuiti: vnde cum conditio ista: si vouens sciuisset Petrum esse diuitem, non vouisset dare illi eleemosynam; claudatur in virtute voluntatis ipsius vouentis, tollit obligationem voti, & ita intelligendi sunt D. Ant. D. Thom. Palac, Host. Armilla & alij multi, quando dicunt votum non obligare in eo euentu, quem si vouens præuidisset, non vouisset; intellige inquam quando is euẽtus clauditur in virtute voluntatis vouendi.

12 Tunc autem conditio dicitur contineri in virtute aliorum actuum, & habituum, qui sunt in vouente; quando obiectum, quod ignoratur, clauditur sub obiecto per votum promisso, at excluditur ex vi alterius actus, vel habitus, qui sunt in voluntate vouentis v.g. si is qui vouet dare elemosinam Petro, haberet hunc actum, quo fures odio haberet, ita vt decerneret se nunquam eis benefactum tunc vera est ista propositio; si vouens sciuisset Petrum esse furem, non vouisset dare illi eleemosynam, & tamen vouens tenetur dare etiamsi Petrus sit fur, vel fiat, deinde, nam hoc quod ignoratur, nempè Petrum esse furem vel futurum esse talem, includitur in obiecto promissionis, seu voti dandi eleemosynam, nam cum Petrus sit pauper comprehenditur sub obiecto eleemosynæ, sed excluditur ex vi alterius actus nempè odij, quod habet vouens in fures. ratio est, quia obligatio voti non debet extendi vltra voluntatem vouentis, sed in priori casu euentus ille non continetur in obiecto voluntatis vouendi. in secundo uero casu continetur: ergo in priori casu votum non obligat, obligat autem in secundo.

(††)

Quid dicendum, quando causa voti est extrinseca, quia scilicet nec est materia voti, nec pars eius, vt si quis voueat ieiunium ob sanitatem filij.

13 REspondeo cum distinctione si ea causa sit finalis, quam scilicet vouens primo intendit, vt est in casu posito infirmitas filij, tunc error circa talem causam, vel cessatio eius reddit nullum votum simplex, si verò sit solum causa impulsiua, error in ea, vel eius cessatio non tollit obligationem voti, vt si quis voueat ire Romã principaliter ob honorem Dei, & ad hoc impellatur etiam vt videat fratrẽ, qui est Romæ, si ille non sit, tenetur adhuc ire.

Denique neque error circa hanc causam, neque circa causam finalem tollit obligationem voti solẽnis emissi in professione, sed semper tale votum obligabit.

14 Prima pars probatur, quia vouens ieiunium v.g. ob infirmitatem filij pel lendam, non absolute vult ieiunium; sed coniunctum cum liberatione filij ab infirmitate: ergo si finis ille non est, quia scilicet filius non est infirmus vel iam obijt tempore voti, non obligabitur amplius Petrus ex illo voto.

15 Secunda pars probatur ex cap. *magnæ de voto* & ratio est quia cessante causa finali legis cessat lex, non autem cessante causa impulsiua: ergo error circa causam impulsiuam voti non reddit illud irritum: ita Ant. *c. ex parte 1 l. 2. num. 14. de conu. coniug.* Abbas *d. c. magnæ. num. 14.* Sylu. *votum 1. qu. 8.* Manuel. *t. 2. c. 98. n. 2.* vbi nota quod in dubio an causa vouendi fuerit finalis, vel impulsiua, præsumitur fuisse impulsiuam, & votum tenere, & si votũ duplicem habet causam impulsiuam, cessante vna votum obligabit, nisi aliter constet de voluntate vouentis. ita Sylu. *loc. cit.* Ang. *votum 3.* Philiar. *de off. fac. t. 1. p. 2. l. 3. c. 16. dub. 2.*

16 Tertia denique pars, quod scilicet professio non sit irrita quamuis fiat ex dolo, & errore causæ finalis, vt si quis

profes-

professionem emittat dolo monachorum etiam si dolus sit cadens in virum prudentem, quo scilicet prudens vir deciperetur. Probatur ex *cap. fin.* 20. *qu.* 3. vbi decidit̃ professionem dolo monachorum factam esse validam, & *cap. ex parte* 2. *de conue. coniug.* ibi. *Quamuis falsa sit causa, per quam ad susceptionem voti prædicta mulier est inducta cum sine qualibet tali causa id ipsum religionis obtentu facere potuisset.*) ratio est, quia professio æquiparatur matrimonio, ergo sicuti matrimonium initũ valet, quamuis ineatur ex errore dante causam contractui, & cadente in virum prudentissimum. modo non sit error personæ vel conditionis, vt *lib. 7. disput.* 18. dictum est, ita religionis professio non est nulla etiamsi fiat ex errore aliquo, modò talis error non sit circa substantialia, vt si quis putans se profiteri in religione Sancti Dominici profiteatur in religione S. Franciſci, quia talis error circa institutum, & obseruantias regulares liberam voluntatem vouendi tollit. etiamsi sit error fatuus.

17 Hanc sententiam nimirum professionem valere quando error non est circa substantialia docent Sylu. *ver. diuortium q.* 22. *nu.* 25. vbi Armil. *nu.* 16. dicentes oppositam sententiam esse falsam, & fauent Bellam. Archid. Tur. rec. *d. c. fin.* Abb. *c. cum dilecti de emp. & vend.* Padilla *l. rem maioris n.* 9. *C. de rei ven.* Crottus *repet. cap. in ciuitate nu.* 20. *de vsuris* & alij multi absolutè docentes professionem non esse irritam ex errore causæ. contra Ant. Card. *d. c. ex parte* Rosellam *v. diuor. nu.* 7. absolutè docentes tunc professionem esse irritam, & contra Bartolum, qui tunc putat professionem esse irritam, quando Prælatus religionis dolum commisit.

repet. auth. ingressi n. 18. *C. de Sacr. Eccles.*

(†)

QVAERES IV.

An si post latam sententiam diuortij contra coniugem adulterum, & facta separatione coniux innocens fornicationem commisit, teneatur redire ad coniugem dimissum.

18 REspondeo negatiuè, nullam enim actionem habet coniux adulter postquam sententia diuortij lata est, & transijt in rem iudicatam (si enim non transijt, vel quia non est elapsus terminus appellationis, vel quia damnatus erat minor, & potest petere beneficium restitutionis in integrum, iam sententia est ac si lata non fuisset) contra coniugem innocentem, qui post diuortium commisit fornicationem, ratio est quia semel benè definitum, retractandum non est cap. *quod bene* 6. *q.* 4. vbi Glossa explicat *definitum* à Iudice per sententiã & seruitus semel amissa, iterum non renascitur *l. fichum §. arcam ff. de solut.* ergo posito quod coniux innocẽs fuit per sententiam diuortij liberatus à seruitute coniugis adulteri, non tenetur iterum in eandem seruitutem redire ob adulterium, quod postea committit. ita D. Tho. 4. *d.* 35. *qu.* 7. *ar.* 1. Vinc. *spec. doctr.* 1. 2. *l.* 10. *c.* 44. Abul. *c.* 19. *mat. q.* 76. *ad* 4. Enriq. *l.* 11. *c.* 17. *n.* 3. Vega 1. *t. sum. c.* 13. *casu* 13. & ex Iurisp. Archid. *c. Apostolus* 32. *q.* 7. vbi Bella. *n.* 2. Io. Andr. ibi Monaldus *sum. tit. de diuor.* Ioan. de Fibur. *sum. conf. l.* 2. *tit.* 22. *q.* 13.

19 Quod verum est non solum in foro externo, sed etiam in foro conscientiæ, ita vt coniux innocens, qui post latam sententiam diuortij adulteratus est; non teneatur reconciliare sibi alterum, à quo per sententiam separatus est, quia ad id non tenetur ex iustitia, cum iam ab ea obligatione per sententiam sit liberatus, neque ex charitate, nemo enim cum tanto suo incommodo obligatur subuenire fragilitati alterius, potest enim alijs medijs consuli fragilitati alterius coniugis ita Glo. *d. c. Apostolus* Enriq. *loc. cit.*

Em.

Em. sà *diuorti. nu.* 2. Sotus 4. *d.* 36. *qu. vnic. ar.* 6. quamuis Dur. 4. *d* 35. *qu.* 2. vbi Maior. ſuppl. Gabri Iul. Clarus *l.* 5. *recept.* §. *adulter*. Cañedo *ſum. Sacr. de matr. c.* 7. *num.* 57. & alij putent teneri ſibi reconciliare coniugem.

20 At tenetur iudex ex officio etiamſi alter coniugum non petat reconciliare hos coniuges quando manifeſtum adeſſet periculum ipſorum animis, & magnum ſcandalum aliorum, Prælatus enim vt Paſtor tenetur conſulere periculis incontinentiæ. ita docet D. Tho. Vincentius Io: de Fiburgo Abulens. *l. c.* Sotus Vega *l. c.* contra Goffredum *ſum. tit. de diuor. ar.* 13.

21 Hinc infertur quod licet Iudex poſſit cogere coniugem, qui poſt latam ſententiam fornicatus eſt, vt redeat cum altero in pœnam ſuæ incontinentiæ; tamen hic coniux non tenetur in foro conſcientiæ redire, niſi poſt latã ſententiam, etiam ſi falſis teſtibus ſe defendat, vt dixi diſp. præcedenti, nec tenetur ſuum crimen fateri, niſi præcedat ſemiplena probatio, & infamia; quia quando iudex procedit ex officio requiritur infamia, vt reus teneatur reſpondere cap. *inquiſitionis de accuſation* §. *tertia*.

22 Sunt tamen in hac re duæ ſententiæ celebres. Prima abſolutè docet teneri coniugem redire, ſi poſt ſententiam fornicatus eſt, quia coniuges iure diuino non poſſunt ſeparari, niſi ob fornicationem, ergo ſi vterque fuerit fornicatus debet iterum coniugi. ita ex Theologis D. Bon. Palud. Supplem. Gabr. 4. *d.* 35. Lud. Lop. 1. *p. inſtr. c.* 295 Veracruz. 3. *p. ſpe. ar.* 1. *concl.* 5. Couarr. 4. *decre.* 2. *p. cap.* 7. §. 6. Ant. Gabriel. *t.* 1 *com. lib.* 1 *f.* 21. Barboſa *l. viro atq. vxore* 40. *nu.* 3. *ff. ſol. mat.* Surd. *de alim. t.* 7. *qu.* 16. *num.* 52.

23 Secunda diſtinguit, ſi prior adulter petat poſteriorem adulterium, eſt ſibi reddẽdus niſi religionem fuerit ingreſſus, aut ordines ſuſcepit; ſi poſterius verò adulterans petat, nõ eſt prior cogendus quia vltima culpa præiudicat, ita aliqui, quos refert Palud. *lo. c. q.* 2. noſtra tamen ſententia eſt probabilior.

24 Denique hic nota. 1. quod ſi ante ſententiam latam, aut antequam trãſierit in rem iudicatam, alter adulterium commiſit, tenetur in omnium ſententia cum priori redire, & non ſolum ſi non mutauit ſtatum, vt putant Guillelmus apud Abb. *c. veniens de con. coniug. nu.* 7. Palud. ſuppl. Gabr. *l. c.* ſed etiam poſtquam profeſſus eſt, aut ordines ſuſcepit, nã eo ipſo quod ante ſententiam adulterium ſecũdum commiſſum eſt, delicta compenſantur. ita Hoſt. Abb. Ant Anchar. & alij. *d. c. veniens* Nauar. *l.* 5. *conſ.* 1. *edit. tit. de adult. conſ.* 1. *nu.* 4. *in* 2. *l.* 3. *tit. de conu. coniu. conſ.* 9. *nu.* 2.

25 Nota ſecundo quod coniux innocens fornicans poſt ſententiam latam diuortij habet ius repetendi coniugẽ, à ſe ſeparatum & ille tenetur redire; quia in fauorem ipſius tranſijt ſententia in rem iudicatam, neque debet retractari ob fornicationem poſtea cõmiſſam; non autem tranſijt in fauorem illius, qui prius adulterium commiſit, quamuis ſint qui putent oppoſitum, eorum ratio eſt quia per illam fornicationem extinguitur effectus ſententiæ quæ concedebat eam actionem contra coniugem priorem adulterum ſic Gaeta *repet. c. ad limina* 30. *q.* 1. §. 4. *nu.* 231. Sylu. *v. diuortium. qu. vlt.* Roſella *matrimo.* 7. *num.* 3. Vinc. *ſpec. doctri. t.* 2. *l.* 10. *cap.* 44.

QVAERES V.

An ſi coniux innocens mutauit ſtatum aſſumendo ordines ſacros, vel profitendo, & poſtea fornicetur, poſſit compelli ad hoc vt redeat cum coniuge priori.

26 REſpondeo negatiuè non poſſe ſcilicet compelli ſi poſtquam mutauit ſtatum fornicatus eſt, ſiuè diuortium fuerit celebratum per ſententiam Eccleſiæ, ſiuè ab ipſomet cõiuge ob notoriam fornicationem alterius. & ſi talis iam factus religioſus, vel in ſacris conſtitutus vxori reſtituatur ratione ſpolij ex eo quia nulla præceſſit ſententia in diuortio, & delictũ

non

non fuit notorium, non poterit nec petere, nec reddere. Ratio est quia ille post celebratum iustè diuortium potuit religionẽ ingredi, vel ordines sacros suscipere, & per consequens monasterium vel Ecclesia acquisiuit ius in illo. quod non amittitur ob delictum professi ita Glos. *cap. veniens de conuer. coniug.* Innoc. Host. Abbas Anchar. Cardinalis & alij ibi & cum constet sibi de adulterio vxoris certus est etiam vota illa tenuisse, ergo nequ e potest reddere, neque petere.

27 At si non præcessit sententia, & innocens dum fornicatur est nouitius, vel ordines tantum habet minores, aut simplex votum castitatis, tenetur ad coniugem iam dimissum redire; sed non potest petere debitum ob votum simplex castitatis, quia status ille non est perpetuus, ergo non potest tollere vxori ius, quod habet vt delicta ante sententiam compensentur.

28 Quod si diuortium celebratum est sententia Ecclesiæ, & innocens antequam mutauit statum est fornicatus, & postea mutet statum non potest ad vxorem redire secundum nostram sententiam *quæst. præced.* neque ex officio iudicis ad id compelli, quia si cõpelleretur redire, induceretur ad peccandum contra professionem, quæ valida fuit, neque officium iudicis in hoc casu acquiritur in fauorem ipsius, sed in bonum coniugis postea fornicantis atque ex his patet quid dicendum sit in ea quæstione.

An maritus, qui ob adulterium vxoris post latam sententiam acquisiuit dotem, si fornicetur amittat dotem, quam recuperat vxor iure actionis,

29 REspondeo enim negatiuè, quia nullum remanet ius adulteræ post latam sententiam, immò neque ex officio iudicis est compellendus, quia hoc solum datur ad vitandum periculum animæ. si verò nulla præcessit sententia, tenetur vir fornicans etiam in foro conscientiæ dotem restituere ante sententiam iudicis, quãuis pactum inierit cum vxore adultera, se illam non accusaturum; sed tãtum velle dotem, quia semper intelligitur hæc condltio; nisi vir reus esset adulterio. arg. *l. quæro* 46. §. *inter locatorem ff. locati.*

30 At qui putant vxorem habere ius repetendi virum, vt Palud. D. Bonau. & alij quos supra *quæst.* 3. numerauimus dicunt etiã posse dotẽ repetere.

DISPVTATIO X.

Explicantur iura, quæ remanent post celebratum diuortium coniugi innocenti manenti in sua innocentia partim in hac disput. partim in sequentibus.

QVAERES I.

An re integra ex parte vtriusque, quia scilicet neuter post diuortium celebratum de sententia Iudicis statum mutauit possit innocens adulterum reconciliare, & hic teneatur ad illam redire.

1 REspondeo posse, & illum teneri redire etiãsi Iudex non amplius sententiam diuortij retractet. ratio est quia coniux innocens per sententiam diuortij non priuãtur iure & dominio quod habet in corpus coniugis adulterantis; ergo potest illum repetere, & ille tenetur. Confirmatur, quia sentẽtia lata absoluit innocentem à debito coniugali in fauorem ipsius, ergo quoties voluerit eo beneficio non vti poterit coniugem sibi recõciliare, quod enim in meum fauorem concessum est, non est retorquendum in meum damnum *l. quod fauorẽ 6. Co. delegimus.* atque ita docent ex Theologis D. Th. D. Bonau. Palud. suppl. Gabr. Maior. Duran. 4 *d.* 35. Vinc. *spec. doctrin. t.* 2. *l.* 10. *c.* 44. Em. Sà. *diuortium nu.* 2. Goffr. *sum. ti. de conu. coniug. num.* 8. Host. *nu.* 9. Io. Andr. *c. ex literis* vbi Abbas Alex. de Neuo. *de diuor.* Alber. *lit.* M. *matrim* 8. & alij.

Contra tamen: sententia quæ putat non posse innocentem quãdo sententia diuortij est lata, est probabilis, quia

quia ſententia diuortij,abſoluit vtrũq; coniugem obligatione reddendi debitum,& cohabitandi: ergo ſicuti innocens non tenetur admittere adulterũ ita hic non tenetur ad illum redire.ita relatus à Gloſ.*d.c. ex literis* Sotus 4.*d.* 36.*q.vn.ar.*5. Tabiena, Hugo *matrim.* 4.*qu.* 5.*num.* 6.

QVAERES II.

An ſi res non ſit integra, quia ſcilicet coniuges ſtatum mutarunt, poſſit innocens alterum reconciliare.

2 HAEC quæſtio ſi procedit, quandõ ambo coniuges ſtatum mutarunt,quia ſcilicet vnus ordines ſacros alter verò profeſſus eſt,vel ambo, aut ſi tantum innocens ſtatum mutauit, facilis eſt, dico enim tunc non poſſe coniugem innocentem alterum ſibi repetere, quia iam ad hoc ius amiſit, aſſumendo ſtatum incompatibilem matrimonio;ſi verò ſolum votum caſtitatis ſimplex emiſit,licet peccet reconciliando ſibi alterum,tamen hic tenetur redire; quia per votum ſimplex non amiſit ius repetendi adulterum. ita Palac.4 *d.*35.*diſp.vn.col.*7.Ioa.de Fiburgo *ſum.confeſſ.l.*4.*t.*22.*q.*14.& lo quentes, quando coniux profeſſus eſt docent Roſella, Sylu. Armilla, & alij *ver. diuortium.*

At ſi coniux adulter ſtatum mutauit aſſumendo ordines ſacros, vel profeſſionem emittendo.

3 DIco primo.ſi nulla data eſt ſentẽtia diuortij& adulter mutauit ſtatum poteſt innocens illum reuocare; vt ſecum redeat.nam adulter non potuit ſtatum mutare, & voto caſtitatis ſe aſtringere in præiudicium innocentis ante latam ſententiam diuortij. ita omnes Doctores.

4 Si verò ſtatum mutauit poſt sentẽtiam latam;ita diſtinguendum eſt, vel fuit poſt ſententiam Iudicis ſecularis criminalem, vel fuit post ſententiam Eccleſiæ de diuortio.ſi fuit poſt ſentẽtiã criminalem Iudicis ſæcularis, qu vxor adulterа detruſa fuit in monaſterium; tunc ſi ante biennium poſt ſententiam vxor ſtatum mutauit poteſt repeti à viro. ſi verò poſt biennium, non poteſt reuocari;at ſi ſtatum non mutauit quocumque tempore elapſo poteſt innocens illã repetere,& adultera tenetur ad illum redire tam in foro externo, quam in foro conſcientiæ nabetur in *auth.ſed hodie C. ad legem Iuliam* ibi (*ſed hodie adultera in monaſterium mittatur, quam intra biennium viro recipere licet, biennio tranſacto adultera tonſa monaſtico habitu ſuſcepto, ibi dum viues, permaneat*) ita Ricc. Nicol.de Orbellis 4. *d.* 35. *q.*2. Roſella *diuortium n.* 11. Hoſt. *C. gaudemus de conu.coniug.n.*3. Io.Andr.*n.*3.Ant.*fine.* Sylu.*diuortium qu.*10.& alij.

5 Neque hæc diſpoſitio *d. auth.* reuocata eſt per ius canonicum quatenus concedit ingreſsum religionis adulteræ; manente coniuge innocente in ſæculo, quia dum ius canonicum *cap.ſanè*, & cap.*ſignificauit de conuer.coniug.* diſponit ne alter coniugum profiteri poſſit, altero manente in ſæculo,intelligit quando matrimonium eſt illæſum:dicta verò *auth.* quãdo commiſſum eſt adulterium. vnde etiamſi lata ſententia non ſit; ſed tantum celebratum ſit diuortium, poterit in foro conſcientiæ ceſſante ſcandalo innocens ab adultero diuertere, & dare illi licentiam vt profiteatur manente ipſo in ſæculo, & contra poteſt ipſe innocens ingredi religionem manente adultero in ſæculo ex cap. *Agotoza* 27. *q.*2.

Verum ſi lata eſt ſententia diuortij à Iudice Eccleſiaſtico.

6 Dico ſecundo ſi coniux adulter inuito altero innocente, vel etiam ignorante profeſſionem emiſit,poteſt ab eo reuocari, & tenetur redire, quando innocens negat licentiã ex eo, quia vult adulterum ſibi reconciliare. ratio eſt, quia innocens habet ius cogendi adulterum, vt ſecũ redeat facta

reconciliatione, ergo debet neceſsario petieius beneplacitum,& ſi abſq; eo profiteatur ille non debet amittere ius, quod habebat reconciliandi ſibi adulteram.ita D.Thom.4.*d.*35. *qu. vni.ar.*3. D. Bonau.*qu.*5. Alber. *liter. M. ver.matr.* 8. Ioa. de Fiburgo *ſum. confeſ.l.*4. *t.*12. *qu.*14. Roſella *diuortiũ* 11. Nicol.de Orbellis *d.*35.*cit. quæſ.*2. Brunell. *de ſponſ. concl.* 30. *decl.* 8. *numero* 12.

7 Dico tertio ſi adulter ſciente coniuge innocente, nec contradicente(caſu quo poſſet contradicere) ſtatum mutauit, aut votum caſtitatis ſimplex emiſit, non poteſt ab eo reuocari,aut votum caſtitatis irritari;ratio eſt,quia per eam taciturnitatem videtur dediſſe licentiam,ac iure ſuo ceſſiſſe ita Io. de Fiburgo, Nicolaus de Orbellis *l.c.* Syl.*mat.*9 *q.*11.D.Ant.3 *p.t.*1.*c.*21.§.6

8 Immò ſi adulter poſt diuortium de licentia innocentis tacita, vel expreſſa alia vota emiſerit præter votum caſtitatis, aut religionis non poteſt innocens durante diuortio ea irritare;benè verum eſt,quod habet ius reconciliandi ſibi adulteram, quia talia vota non repugnant ſtatui coniugali;ſicuti etiam poteſt reuocare poſtquam dedit licentiam adultero vouendi caſtitatem aut religionem, & ipſe adhuc non vouit, & inſtaurato matrimonio per reconciliationem, poteſt ea vota irritare;ſicuti fuiſſent emiſſa ante matrimonium, aut tempore ipſius iuxta dicta *lib.*7.*diſp.*40.& ſi adulter iuret ſe emiſiſſe iam votum,non eſt ipſi credẽdum in foro externo, niſi etiam probet,quia eſt contra alium,vt docet Sotus 4.*d.*36.*q. vn.ar.*5.

9 Dico quarto ſi poſt datam ſententiam diuortij innocens nolit adulterũ ſibi reconciliare;poteſt adulter ipſo inuito ſtatum mutare, & ordines ſacros aſſumere;votum ſimplex caſtitatis,vel religionis emittere;nec poteſt ab innocente reuocari votis emiſſis;ratio eſt, quia innocens dum non vult reconciliationem,videtur dare licentiam mutandi ſtatũ,& ſi nolit eã dare, irrationabiliter negat.ita Hoſt.Io.Andr.Anto.Anch.& alij *C gaudem? de conu.cõiug.*

10 Intellige tamẽ quando coniux adulter emendatus eſſet, & quãdo innocẽs ſufficienter aliquoties arbitrio prudentum, monitus eſſet,an vellet reconciliari cum adultero;nã ſi adulter perſeuerat in adulterio, aut innocẽs ſemel requiſitus denegat reconciliationẽ,nõ ideò videtur licentiã concedere, nec iniuſtè negat,neq;hæc monitio pro foro conſcientiæ facienda eſt ab Epiſcopo,cum nulla ſit neceſſitas.

11 Sunt tamẽ in hac re duę ſentẽtię ambæ probabiles, prior docet poſſe poſt datã ſententiã diuortij adulterũ mutare ſtatũ,innocente inconſulto, & abſque eius licentia, nec poſſe reuocari; quia innocens dũ perſiſtit vſq; ad ſententiã diuortij videtur licentiã concedere.ita Palud.4.*d.*35.*q.*2. *ar.*3. Sotus *d.*36.*ar* 6.Enriq.*l.*11.*c.*17.*n.*6 Ludou. Lop.1.*p.inſtr.c.*295 Hoſt.C *ex lit.de diuor.*vbi Io.Andr.*n.*10 Abb.*fine* Ancha. *n.*11. & multi idẽ dicunt de voto ſimplici caſtitatis,vt Palud. Sotus, Ludo. Lop.*lo.ci.* &alij dicunt etiã nec tẽpore nouitiatus poſſe reuocari, vt Petr. de Ledeſ.*de mat.q.*62.*ar.*6.*notab.vnic.*

12 Poſterior docet poſſe adulterũ inuito, & contradicente innocente ſtatũ mutare,nec poſſe ab eo reuocari,quia iam lata ſententia liberauit vtrũq;coniugem à ſeruitute,ita Monald.*ſum.tit. de diu.ratione fornic.*Sotus *ar.*5 *ad* 3.Gaeta *repe.ca.ad limina* 30.*q.*1.§.4.*n.*224.

DISPVTATIO XI.

An coniux innocens poſſit religionem ingredi, & ordines ſacros ſuſcipere inuito adultero etiam ante latam ſententiã diuortij.

1 REſpondeo ſi loquamur pro foro exteriori nõ poteſt coniux innocens trãſire ad religionẽ,ita vt nõ poſſit repeti ab adultero, niſi prius præceſſerit sẽtẽtia diuortij,aut adulteriũ, ita notoriũ ſit vt poſſit innocens propria authoritate nulla expectata ſententia hęc præſtare abſq; eo, quod reſtituendus ſit, de qua re dicemus *diſp. ſeq.*ita Sylu.*v.diuor.q.*13.*dic.*2.*n.*16.

Et

Et idem dicas de ſuſceptione ordinum ſacrorum; idem enim eſt, nam ius coniugale equè obſtat ingreſſui religionis, ac ſuſceptioni ordinum ſacrorum, vt docent innumeri ferè Doct. C. *conſtitutus de conu. coniug.* Barboſ. *ff ſolu. matr. rubr. n.* 25. Anto. Gomez. *Bulla Cruc. claus.* 10. *nu.* 69. Goff. *ſum. tit. de conu. coniug. n.* 8. Nauarr. *l.* 3. *conſ. con.* 5. *in* 1. *edi. ti. de conu. coniug.* cum Gabr. Abulen. D. Ant. Victoria, Lud. & alijs apud Sanc. *num.* 16. vnde hæc regula generalis traditur, quoties licet viro profiteri vxore adultera reni tente, toties etiam licet ordines ſacros ſuſcipere, & contra.

2 Quamuis in hac re ſint tres ſententię, prima dicit requiri ſententiam diuortij. ita Goff. Hoſt. *ſum. ti. de conuer. coniug. n.* 7. & 9 Io. Andr. *C. ex lit. n.* 11. *de diuor.* vbi Anch. *n.* 12. Alex. de Neuo *n.* 20. Secunda putat ſufficere ſolum delictum eſſe notorium ad hoc vt cõiux innocens poſt profeſſionem non ſit reſtituendus. ita Gloſſ. *cap. Agathoza* 27. *q.* 2. Ioa. de Fiburgo *ſum. confeſ. l.* 1. *t.* 8. *q.* 49. Nata *conſ.* 16. Caeta *repe. C. ad limina* 30. *q.* 1. §. 4. *nu.* 16. & alij. Tertia denique vult, vt ita ſit adulterium notorium, vt publicè habitet cum adultero. ita Alberi. *in repe. lit. M. matrim.* 8. Monald. *ſum. de matr. tit. de diuor.* Ioa de Fiburgo *l.* 4. *ti.* 22. Verum omnes hæ ſententiæ fundantur in eo, quod putent tunc licere innocenti propria auctoritate profiteri, vel ſacris initiari, ideò *diſp. ſeq.* hæc omnia clariora fient.

3 Duo tamen hic in omnium ſententia certa ſunt. Primum eſt poſſe coniugem innocentem inuito adulrero religionem ingredi, & ſacris initiari, immò, & votum ſimplex caſtitatis emittere, vt conſtat ex C. *Agathoza* 27. quia adulterius coniugale amittit.

4 Secundum eſt, quod ſi delictum ſit occultum, coniux innocens profeſſus, vel ſacris initiatus eſt reſtituendus coniugi adultero petenti iudicio poſſeſſorio, petendo ſe reſtitui in poſſeſſionẽ, à qua ſpoliatus eſt, ante vllam exceptionem adulterij occulti; quia exceptio hęc non impedit reſtitutionem in hoc caſu; petenti verò iudicio petitorio, petenti ſcilicet vt vir ſecum habitet, non eſt ſtatim reſtituendus; ſed prius videndum eſt an verè commiſerit adulterium, ſi innocens excipiat: dicens ſe nolle habitare cum coniuge, ex eo quia adulterium commiſit, ita Goffred. Hoſt. Ioa. Andr. Anchar. & alij ſupra cita. cum Nauarro, qui optimè tunc intelligit reſtituendum eſſe, quando ſine licentia adulteri profeſſionem emiſit. *l.* 3. *conſ. in* 1. *edi. t. de conuer. coniugal. conſ.* 5. *in* 2. *edit. conſ.* 14.

Quid dicendum in foro poli.

5 AT ſiloquamur pro foro conſcientiæ ſi ſpectetur ſolum iniuria coniugis derelicti, poteſt coniux innocens tranſire ad religionem; & ſacris initiari abſque vllo peccato. immo & votum ſimplex caſtitatis emittere; quia poteſt in foro conſcientiæ propria authoritate celebrare diuortium, vt dicemus *diſputat. ſequenti.* & ſi fortè reſtituatur adulteræ, quia eius adulterium probatum eſt, nec poteſt petere, neque reddere, quia ſententia innititur falſæ præſumptioni, & votum caſtitatis fuit validum, & ſi habens votum ſimplex caſtitatis reconciliet adulterum peccat reconciliando, tenetur tamen reddere, ſed non petere poterit, vt patet ex dictis *lib.* 9. *diſ.* 6.

6 Dixi ſi ſpectetur ſolum iniuria coniugis derelicti, licitum eſſe innocenti profiteri, quando adulterium eſt occultum; vt aduerterem poſſe eſſe peccatum graue (& moraliter ſemper ita accidere) profiteri; vel ſacros ordines ſuſcipere ante iudicis ſententiam; quia cum ſit valdè dubium an ſufficiat adulteriũ notoriũ, grauis fiet iniuria profeſſioni, & ſacro ordini litẽ de hac re moueri, & forte reſtitui coniugem alteri. Imò erit etiã peccatũ graue profiteri poſt ſententiã diuortij, quando alteri coniugi cõpetit exceptio adulterij ab

ltero admiſſi, & adhuc non excepit, ob ſimile periculũ, & coniux volens profiteri, aut ſacros ordines ſuſcipere, tenetur interrogatus reſpondere ſe eſſe coniugatum: niſi fortè id periculum ceſſaret attentis omnibus circumſtantijs. vide Nauarr. *l.4.conſ.tit.de diu. con.3.n.3.& fin.* Enriq. *l.12.c.5.* Manu. *1.t.ſum.2.edit.c.240.nu.3.* At ſi coniux, poſtquam ob adulterium occultum alterius diuertit; velit profiteri, aut ordines ſuſcipere, & interrogatus an ſit coniugatus, neget, valida erit profeſſio, etiam ſi ſuperior, ſi ſciret illum eſſe coniugatum non ſineret illum profiteri; niſi in ea religione ſit aliquod decretum irritans profeſſionem in tali caſu; ratio eſt quia multa fieri prohibentur, quæ tamen facta tenent *ex cap.vnico de voto in 6.* nec ea voluntas ſuperioris, qua eſt habitualiter diſpoſitus, ſi noſſet non reciperet, irritat, vt dixi *diſp.9.* hoc libro.

7 Quare poſt ſententiam diuortij, vel ceſſante periculo poteſt licitè innocens negare ſe coniugatum eſſe, intelligendo talem, vt impediatur profeſſionem emittere, vel ordines ſacros ſuſcipere. quamuis ſi monachi, vel Epiſcopus id ſcirent, non admitterẽt, ſicuti licitè iurat is, qui tranſit per locum peſte infectum, ita tamen vt nulla ſit ſuſpicio infectionis, ſe non venire e tali loco, intelligendo iuxta debitam mentem interrogantium, vt nullum ſit periculum infectionis.

DISPVTATIO XII.

Explicatur quid poſſit cõiux innocens præſtare propria authoritate, quando alter fornicationem admiſit.

QVAERES I.

An poſſit propria authoritate debitum adultero negare.

1 REſpondeo affimatiuè, quare ante omnem ſententiam iudicis etiamſi lis ſit mota, ſed nondum finita, vt docent multi ex DD. allegandis, poterit innocens qui certò ſcit adulterium alterius, negare illi debitum (ſi enim eſt dubius, non poteſt priuare illum ſua poſſeſſione) ratio eſt quia negatio debiti in tali caſu eſt conditio iure naturæ appoſita in ipſo matrimonio; vt ſcilicet non ſeruanti fidem per adulterium, fides ſeruanda non ſit per debiti redditionem; ergo deficiente ea conditione ſtatim ipſo iure ceſſat obligatio reddendi. præſertim cum vir innocens ſi cognoſceret adulterã, fieret bigamus, ita docent ex Theologis D. Thomas D. Bonau. Ricc. 4.*d.*35. Nider. *præ.6. c.*4. Palac. *diſp.* 3. *col.* 14. *dif.*27. Graff. *1.p.dec.l.*1 *c.*84 *nu.*5. Vic. *ſum.de matr.n.*290. Caſtro. *l.2.de lege pœn.c.*4. cum Angel. *matr.*4. *nu.*1. Sylu. *diuortium q.*18. Armilla *n.*7. ibi Couar. 4.*d.*2.*p.c.*7.§.3.*nu.*11 Barboſa *rub.2.p. num.*26. *ff ſol. matrim.* & alijs canoniſtis

2 Immo ſi caſu quo adulterium ſibi conſtat, & ex eo quia probari non potest ab Eccleſia compellatur ſub excommunicatione, vt reddat debitum, non tenetur reddere, nec erit coram Deo excommunicatus quãdo ceſſat ſcandalum. v. g. quia fugit in partes remotas, vbi id ſciri nequit, vel quia vult probare adulterium, neque tempus eſt elapſum, quo ſcandalum oriri poſſit. at tenebitur ad vitandum ſcandalum, ne alij putent ſe nolle Eccleſiæ obedire, & eſſe excommunicatum, ita docet Caſtro Ang. Sylu. & Armilla. *loc. cit.*

3 Vtrũ autẽ adulter ipſo iure priuetur iure petẽdi, & alia huiꝰmodi, vide *lib.1. diſp.*68. nõ tenetur tamẽ iudici interroganti reſpondere, & ſuum delictum occultum fateri iuxta dicta *diſpu.*7 neque bona tradere, niſi poſt ſententiã ſed ſolum tenetur deſiſtere à compulſione, qua iudex compellit coniugem innocentem, qui delictum probare non poteſt, vt debitum reddat.

4 Verum circa præſentem quæſtionẽ tres reperies ſententias, aliqui vt Hugo relatus à Gloſſa *cap.fin.ar.fornicationis de adult.* Turrecremata *cap. Agathoza ſuper ver.vxorem* 27.*q.*2. & Suppl. Gabr. 4.*d.*35. putant ante ſententiam

tiam Iudicis non poſſe Innocentem debitum negare, quia hæc eſt pœna at pœna non infertur niſi poſt ſententiam. Secundo alij, vt Gloſſ. *cap. fin. de adult.* vbi Henricus, Goffred. Hoſt. *C. Inquiſitioni de ſenten. excomm.* volũt adulterium eſſe notorium ad hoc, vt poſſit negari debitum, quia id requiritur, & ſufficit ad hoc vt negetur cohabitatio. Tertio denique Ioa. de Fiburgo *ſum. confeſſ. lib. 4. tit. 2. qu. 50.* docet coniugem adulterum peccare exigendo debitum poſt adulterium occultum, teneri tamen innocentem reddere exigenti, quia ſicuti voto aſtrictus iure exigendi caret, at alter tenetur reddere; ita etiam in caſu poſito.

QVAERES II.

An coniux innocens propria authoritate poſſit celebrare diuortium quoad celebrationem à coniuge adultero, in foro externo.

5 DIcendum eſt non poſſe coniugẽ innocentem propria authoritate celebrare diuortium cum adultera, illam expellendo à ſua cohabitatione; niſi adulterium ſit notorium. ita vt nulla tergiuerſatione excuſari poſſit, v.g. quia publicè moratur cum adulterante, vel quia extant filij nati ex tali adulterio, aut ſi adulter ſuum delictum in iudicio faſſus eſt, vel de eo conuictus, aut deprehendatur publicè adulterans in lupanari, ratio eſt quia adulter eſt in poſſeſſione pacifica; ergo adulterium, quod cauſam præbet illum ſpoliandi tali poſſeſſione abſque reſtitutione, debet eſſe notorium, ita vt oculis pateat. ita tenent ex Teologis Maioris D. Anto. Veracr. Henriqu. Palud. Palac. & alij ferè 20. quos citat Sanch. *nu.* 13. cum Innoc. *cap. inquiſitioni nu.* 1. *de ſent. excommu.* vbi Hoſt. Ioa. Andr. *nu.* 3 Ant. *nu.* 12. Cardinal. *num. vn.* Catellianus *in memorabilibus iuris v. vxor ſuſpecta.* Couarru. *4. decr. 2. p. c. 7. §. 5. n. 12.* Barboſa *rubr. ff. ſolu. matr. 2. p. nu. 26.* Gaeta *rep. cap. ad limina 30. qu. 1. §. 4. nu. 216.* cum alijs iuriſperitis Quod verum eſt ſiuè adulterium notorium commiſſum ſit ante ſpolium, ſiuè poſt, nunquam enim conceditur reſtitutio adultero, quia nulla eſt ratio differentiæ, vt docent Cardin. *C. ſignificaſti n. 2. oppoſ. 1.* vbi Prepoſ. *num.* 4. reprobantes illos, qui putant faciendam eſſe reſtitutionem, quando adulterium fuit antequam coniux expulſus fuerit. Hi ſunt Alberic. *v. matrim. nu.* 8. Aſtenſ. *2. par. lib. 8. t. 11. qu.* 8. Gaeta *d. c.* Graff. *1. p. l. 2. c. 84. nu. 13. deciſ.*

6 Quare ſi delictum non ſit notoriũ, & innocens ante ſententiam Eccleſiæ expellat adulterum, ſi ipſe petat iudicio poſſeſſorio, ſcilicet allegans ſpolium, & petens ſe reſtitui, reſtituendus eſt quoad omnia ad priſtinum ſtatum, antequam audiatur exceptio innocentis, vt habetur expreſsè *c. 2. C. in literis. C. ex conquæſtione de reſt. ſpolij* & late probat Menochius *de recuperanda poſſeſſione remedio 1. num. 111.* Si vero agat iudicio petitorio non ſtatim reſtituendus eſt, ſed auditur exceptio, quia reſtitutio tantum eam petenti conceditur *cap. ſuper cauſam 2. qu. 5.* ſicuti debet etiam audiri vir allegans adulterium occultum vxóris non ad hoc vt impediatur reſtitutio; ſed vt compenſentur delicta, quando ſimiliter vxor obijceret adulterium viri. ita Gloſſa *cap. ſignificaſti de diuort.* vbi Abbas, Card. Alex. de Neuo, vel ſi agat ad hoc vt celebretur diuortiũ; nec ante coniugem expulit iuxta Innoc. Abb. Prep Alex. de Neuo, & alios. *d. cap. ſignificaſti.*

7 Quod ſi coniux ſpolians nolit facere reſtitutionem, nempè nolit admittere ſecum ad cohabitandum coniugem, quem ob adulterium dimiſit debet allegare exceptionem rei iudicatæ hoc eſt ſententiam iam datam de adulterio, nec ab ea fuiſſe adhuc appellatum, vt docent D. Thom. *4. d. 41. in expoſi. literæ* Hoſt. *ſum. de reſtitu. ſpoli. num.* 4. Henricus *C. literas num.* 8. *eod. tit.* Aſtenſ. *ſum. 2. par. l. 8. t. 33. ar. 2. q. 2.* quia tũc talis ſentẽtia facit adulterium

terium notorium, ſi aliquid contra ipſam ſententiam non affertur in cõtinenti, vt aduertit Imola *d. c. literas nu.* 12. aut debet probare adulterium notorium eſſe vel per adulteri ipſius confeſſionem in iudicio, vel per euidentiam rei (non enim poteſt per teſtes probari ad impediendam reſtitutionem)& ſatis eſt ſi videatur notorium Iudici vel alijs,& probationes afferantur in promptu, quod ſecundũ probabiliorem,& frequentiorem ſententiam arbitrio Iudicis committitur videre quando nam dicantur allatę in continenti, non enim eſt neceſſe habere eas in ſinu ſtatim.ſic Ananias *cap. fin.de adul.* vide Menochium de arbitrarijs *l.2.centuria 1.nu.*111.

8 Verum ſi cõiux opponeret exceptionem adulterij occulti, & vellet in continenti probationes offerre non impediet reſtitutionem quoad cohabitationem; ſed ante probationes reſtituendus eſt coniux dimiſſus quoad omnia; excepta copula quando in ea eſſet periculum peccati v. g. quia innocens profeſſus eſt, vel votum caſtitatis emiſit poſt adulterium occultum alterius. ratio eſt quia in ſpoliantis odium inductum eſt, vt ſtatim fiat reſtitutio poſſeſſionis *l.ſi quis in factum co.vnde vi*, & cap. *eum qui de praeb. in 6.* & in *cap.literas de reſtit. ſpoliat.* tamquam quid ſpeciale ſtatuitur in impedimento dirimenti vxorem ſpoliatum non eſſe reſtituendum quoad copulã carnalem, quando probationes in continenti offeruntur, quod debet intelligi de quocumq; alio impedimẽto ob periculũ animæ, nã durante eo impedimẽto coniux illud ſciens peccat mortaliter reddendo;&idẽ dicas,nimirũnon eſſe reſtituendum ſpoliatũ quãdo probationes offeruntur incontinẽti, quando ſequeretur graue, & irreparabile damnum ex reſtitutione vt latè probat Menochius *de recup.poſſeſſ remed.*1.*nu.* 08.*& num.*115.Alex.*l.naturaliter §.nihil commune num.*20.*ff. de acq.poſſ.*Greg.Lopez *l.*27.ver.*quele entregaſſe tit.*2.*p.*3. vnde etiam in noſtro caſu dixi reſtituendum eſſe quoad omnia excepta copula, quia per copulam vir reddens adulterę debitum fieret bigamus, vel nouam bigamiæ ſpeciem incurreret. quo caſu damnum pateretur in impetranda maiori difficultate diſpenſatione. quare faciendã eſſe reſtitutionem ſpoliati quoad omnia etiam quoad copulam, niſi in caſu excepto docet Couar.4. *decr.* 2.*p. c.*7.§.5.*num.*12.& tradunt Dynus Abbas Hoſt. Card. Bellamera Decius, Menochius, & alij canoniſtæ inſignes. apud Sanch. *nu.*22. dicentes eſſe ſpecialem diſpoſitionem *c.literas* in caſu periculi peccati.

9 Contra D Thomam Durandum 4. *d.*35.*qu.*1.*ar.*3 *&* 2. Riccar.*a.* 1.*qu.*3. Alten.*ſum.*2.*p.l.*8.*t.*11. *art.*3. *qu.*17.& alios paucos putantes differi reſtitutionem ſi alter offerat probationes in continenti adulterij occulti. Ducuntur ex *cap.literas cit.* ex *l.fin.c.quorum bonorum.* & alijs iuribus; ſed *cap.literas* iam explicauimus nu. præcedenti.alia iura intelligunt, quando agitur de acquirenda poſſeſſione, vt docet Menochius *de adipiſcenda poſſeſſione remed.* 1.*quæſt.*29. cum alijs multis ibi citatis.

10 Immo in caſu poſito quando adulterium non eſt notum etiamſi coniux v.g. vxor propria temeritate, vel ob proprium adulteriũ receſſit ſi poſtea redeat, & petat, eſt reſtituenda viro, ſi ipſe nolit eam acceptare, quia ex quo vult redire, & maritus non vult illam acceptare intelligitur ſpoliata; ergo eſt reſtituenda, & idem dicas quamuis maritus abſque iuſta cauſa vxorem domo expellat; nam ſi deinde eam velit recipere, & ipſa renuat eſt reſtituendus, quia in matrimonio poſſeſſo non amittitur ſolo facto; ita vt recuperari non poſſit, vt docet Gloſſa cap. *literas de reſtit. ſpol.* Inn. Card.Abbas Io.Andr ibi alij. Hæc tamen intelligenda ſunt quando ſpoliatus petit reſtitutionem, quia reſtitutio non conceditur niſi petenti, vt dictum eſt; vnde non tenetur vir ex iuſtitia quærere vxorem, quæ ſine eius culpa receſſit; poterit tamen teneri ex charitatis præcepto,quando vxor non com-

commiſit adulterium, vel ipſe etiam commiſit, & poteſt illam reuocare, abſque nota infamię, & cum ſpe emẽdationis. atque ita intellige cap. *de Benedicto* 32. *qu.* 1. vbi dicitur liberum eſſe viro accipere vxorem, quę ob adulterium receſſit, ſcilicet vel quando adulterium non eſt notorium, vel quãdo ipſa non petit, nec prædicta concurrunt.

11 Similiter ſi coniux expulſus ob adulterium notorium modo explicato, petat reſtitutionem non debet reſtitui, niſi adulterium alterius fuerit eodem modo notorium; verum ſi probauerit adulterium alterius eſt reſtituendus, ratio eſt quia poſſeſſio ſtat pro expellente, ergo donec probatum fuerit ſuum delictum non eſt priuandus tali poſſeſſione. ita vt cogatur recipere coniugem, quem expulit. ita Hoſt. Alex. de Neuo Abbas, & alij *c. ſignificaſti de diuortijs*. atque hæc pro foro externo.

QVAERES III.

An ſi adulterium ſit occultum poſſit innocens propria authoritate ceſſante ſcandalo adulterum dimittere quoad cohabitationem in foro conſcientiæ.

12 REſpondeo affirmatiuè, quare ceſſante ſcandalo, vt ſi vir ſciens adulterium vxoris in partes remotiſſimas proficiſcatur; aut ſi matrimoniũ non poſſet probari ex eo quia iam Parochus obijt, & teſtes; & liber combuſtus, quod tamen rarò poteſt accidere; poterit coniux ſciens adulterium alterius occultum, ante ſententiam Eccleſiæ adulterum dimittere. ita ex cap. *dixit Dominus* 32. *qu.* 1. & cap. *de Benedicto* ſupra citato. & ratio eſt quia non tenetur quiſquam ſeruare fidem in contractibus alteri non ſeruanti fidem, ergo ceſſante ſcandalo poteſt propria authoritate adulterum expellere domo, vt docent Abbas *c. fin. n.* 6. *de adul.* vbi Barbatius Nacta *conſ.* 116. Nauar. *ſum. c.* 22. *nu.* 23. Sotus 4. *d.* 36. *q.* 1. *ar.* 3. Barboſa *rubr. ff. ſol. mat.* 2. *p. n.* 26. Enriq. *l.* 11. Bellar. *l.* 1. *de mat. c.* 14 Graff. 1. *p. deciſ. l.* 2. *c.* 84. *nu.* 5. Vega 1. *t. ſum. cap.* 13. *caſu.* 1.

13 Immo neque tenetur parere Eccleſiæ præcipienti vt recipiat coniugẽ adulterum ceſſante ſcandalo, vt ſi in partes remotas abeat, quia ea ſententia innititur falſæ præſumptioni, & coniux expulſus ſciens innocentem eſſe certum de ſuo adulterio, non poterit petere in foro conſcientiæ reſtitutionẽ. Vnde infertur primo Sanctũ Ioſephum excuſari à culpa ex eo quod voluit Beatam Virginem dimittere; nam ipſe habuit ſuſpicionem adulterij occulti, quia talis dimiſſio erat abſque ſcandalo, & ob adulterium occultum, occultè facta quæ licita eſt. vide Suar. 3. *p. q.* 29. *ar.* 1. *ſec.* 2. Euthim *matt.* 1. Abulens *matt.* 19. *qu.* 72. *ad* 2.

Secundo infertur poſſe etiam propria authoritate coniugem dimitti quando conſtat matrimonium fuiſſe nullum ob aliquod impedimentum dirimens, & ſcandalum ceſſet.

Sunt tamen in hac quæſtione duæ ſententiæ oppoſitæ.

15 Prior ait abſolutè requiri ſententiã Iudicis adhoc vt liceat ſeparatio quoad habitationem ex *ex cap. porro de diuort.* ibi (*etiamſi parentela eſſet publica, & notoria abſq; iudicio Eccleſiæ ab ea ſeparari non potuit*) ergo multò magis nõ poteſt ob adulterium, cum non ſit periculum peccati, vt eſt quando cõiuges ſunt conſanguinei. ita Gloſſ. *c. porrò ver. ſeparari* Gratian. cap. *ſiue de coniug* Ant. *cap. fin. nu.* 8. *de adul.* & *cap. porro num.* 22. vbi Cardinalis & alij.

16 Poſterior verò docet ſufficere adhoc vt propria authoritate adulter expellatur, ſi adulterium ſit notorium probat ex cap. *ſignificaſti de diuort.* ibi (*ſi notorium eſt mulierem ipſam adulterium comiſiſſe, ad eam recipiendam præfatus vir cogi non debet*) ita Gloſſ. *cap. Agathoza* ver. *fornicationis* 27. *qu.* 2. & cap *fin. de adul.* vbi Io. Andr. Cor. Anchar. & alij multi.

17 Sed adhos textus dicas cap. *porrò* de ciſionem

ciſionem eſſe ſpecialem in conſanguinitate, & in alijs impedimentis dirimentibus, nam in his ſeparatio tendit ad ſoluendum vinculum matrimonij, & ſic merito requiritur ſententia Eccleſiæ. at ſeparatio ob adulterium, eſt ſolum quoad cohabitationem, vnde non requiritur ſententia Eccleſiæ: cap. vero *ſignificaſti* intelligi debet quando ita eſt notorium adulterium, vt tergiuerſatione cælari poſſit iuxta noſtram ſententiam.

QVAERES IV.

Qualiter coniux innocens debeat eſſe certus de adulterio alterius, adhoc vt poſſit illum dimittere in foro conſcientiæ, ac debitum negare.

18 REſpondeo ad hoc vt coniux innocens poſſit tuta conſcientia propria authoritate diuertere, ac debitū adulteræ negare debet eſſe moraliter certus de adulterio, ita vt ea habeat indicia, quæ ſi probentur in foro externo, conuincere poſſunt coniugem de adulterio; vnde non ſufficit quæcumque ſuſpicio, ſed debet eſſe violenta, quæ ſcilicet vehementer ſuadeat coniugis adulterium, vt ſi ſolus cum ſola in locis ſuſpectis, & in eodē lecto, ac tempore concubitus reperiātur, vt deducitur ex cap. *literis de præſum.* ibi (*ſolam cum ſola nudum cum nuda in eodem lecto iacentem viderunt multis locis ſecretis, & latebris adhoc commodis, & horis electis reſpondemus quod ex huiuſmodi violenta, & certa ſuſpicione fornicationis poteſt ſententia diuortij promulgari.*) Et aduertit Nauarr. *Rubr. de Iudicijs nu.* 10. ratio autem cur ſuſpicio violenta requiratur eſt, quia hæc ſufficit ad condemnādum cap. *afferte de præſumpt.* & cap. *dixit Dominus* 32. *qu.* 1. ibi (*vbicumque eſt fornicatio, vel fornicationis ſuſpicio libere dimittitur vxor*) intelligunt de ſuſpicione violēta Hoſt. Inn. *n.* 1. Alex. de Neuo *Ca. ſignificaſti nu.* 3. *de diuortijs* Bero. *rubr. de iud. nu.* 20. Coſtanus *de dotibus c.* 6. *n.* 37. Monald. *ſum.* vbi *de matr. tit. propter quid fiat diuor.* Maſcard. *de prob. conc.* 57. *nu.* 6. Cantera *q. crim. q. tang. punit. delic. c.* 4. *num.* 52. cum D. Tho. Palud. Soto Henr. Emm. & alijs Theologis. apud Sanc. *nu.* 41.

19 Quamuis Palacius 4. *d.* 27. *diſ.* 3. *f.* 604. putet ſuſpicionem violentam ſolum ſufficere adhoc vt coniux innocens poſſit indagare adulterium alterius, non vero illum dimittere. ſed dura videtur ſententia cogens innocentem ad aliquid amplius diſcutiendum.

20 Ex dictis patet primo non ſufficere ad hoc vt dicatur ſuſpicio violenta, & coniux adulter poſſit dimitti, ſi reperiantur ſolus, & ſola ſe amplexantes; niſi etiam tantum temporis in loco ſecreto fuerunt vt ſatis fuerit ad copulam. vt tradit Nauarr. Menoch. *l. infra cit.* & multo minus ſi ſola oſcula, & amplexus in loco non ſecreto intercedant; quia licet adulterium coniecturis probetur; tamen oſcula, & amplexus neque ſunt a natura, neque à lege admittuntur pro vrgenti coniectura adulterij, ita docent Ripa *rubr de iud. num.* 23. Nauarr. *num.* 10. ibi Beroius *nu.* 20. Riminal. *a n.* 10. Menoch. *l.* 5. *præ.* 41. *a n.* 28. vbi alios allegat Barboſa *l.* 2. *p.* 1. *nu.* 73. *ff. ſol. matr.* plures referens Iul. Clar. *l.* 5. *recept. num.* 16. contra Maſcardum de probationibus *con.* 57. & Burſatum, qui multos refert *conſ.* 218. *nu.* 3. *vol.* 2.

21 Patet ſecundo munera, aut verba amatoria non eſſe ſufficientia ad violentam præſumptionem, nec etiam, ſi quis glorietur ſe adulterium commiſiſſe cum vxore alterius; quia non valet confeſſio in alterius prejudicium *l fin. c. de accuſat.* nec etiam literæ ſiue miſſæ à coniuge, ſiuè ab alio quamuis fateatur in ſcriptis ſe adulterium commiſiſſe, nam adhoc vt confeſſio coniugis fatentis proprium adulteriū ſit ſufficiens, & plene probet fieri in iudicio cap. *pen. de adult* alias facit indicium ad torturam, ita Abbas cap. *quam ſit graue num.* 2. *de exces. prælat.* Maſcardus *de probat. conc.* 350. cum multis alijs. *num.* 1.

22 Excipe tamen niſi confeſſio adulterij

rijfacta à coniuge in iudicio ſit in præiudicium religionis; tunc enim ipſi nõ creditur,vt ſi coniux iam profeſſus fateatur ſe comisiſſe adulterium ante profeſſionem,ad hoc vt reſtituatur cõ iugi manenti in ſæculo; nam poſſunt inter ſe coniuges colludere, vt profeſſio dirimatur. vnde Abbas *C. veniens de conu. coniug. in fine* bene putat admitti confeſſionẽ hanc coniugis,quando verè ipſe vellet eſſe religioſus,& fecit eam confeſſionem ſuperiore conniuente. Contra Hoſt.*d.c.veniens* Io. Andr. & alios.

23 Denique hic duo aduerte, primum eſt, quod licet adulterium plenè probari non poſſit cum fiat in occulto, at coniecturæ,& præſumptio violenta, quibus probatur, debent plenè probari per teſtes omni exceptione maiores, nec debent eſſe ſingulares, nisi pro foro conſcientiæ, in quo ſufficiẽs erit,ſi à perſona digniſſima fide manifeſtetur adulterium,aut violenta præſumptio,vt coniux innocens alterum expellat. vide Maſcard. *de probat. concluſ. 5. quæſ. 17. & ſeq. & conc. 65. a numero tertio.*

24 Secundum eſt notandum licitũ eſse viro obſeruare vxorẽ cũ teſtibus idoneis,vt eam poſſit de adulterio cõuincere,quando illud ſuſpicatur,ſicuti poteſt pater filijs,vel famulis non auferre aliquã occaſionem furandi, vt ſic eos in furto deprehendat,& illi à furto ceſſent,& cuſtodes nemorũ poſsunt ſe abſcondere ad hoc vt illi,qui ſæpius ſolẽt venire deprehenſi non veniãt amplius iuxta Nauar.*l.3.de reſt.c.4.p.1. dub.vlt. in noua edi.n.*10 4.Emm.Sà *peccatum n.* 7. Nauar.*ſum.c.17.n.*123.Cord.*ſum.q. 66.dic.*2.& ratio eſt,quia tunc non cõſulit malum, aut dat occaſionem peccati, quod nunquã licitum eſt facere, ſed ſolum non aufert occaſionem mali,quod aliquando licet ob maius bonum,ita D.Thom.*4.d.35.q.1.ar.*3.Sotus *d.36.ar.*3.

25 Non poterit tamen maritus offerre occaſionem mulieri adulterandi, ſicuti neque pater dare occaſionem filio furandi ſecundum Emm. Sà; aut cuſtodes ſe abſcondere ad hoc vt alji liberè ingrediantur nemus, & pœnas ſoluant iuxta Medinam *Co. de reſtitut. qu.*12. quia eſt poſitiuè cooperari peccato,quamuis Nauar.*loco citato* id concedat. Similiter neque poteſt maritus pactum inire cum vxore vt aſſignet amaſio, qui tentat eius caſtitatem, tempus, & locum, ita vt amaſius deprehendatur ab ipſo, quia non eſt mera permiſſio dum vxor conniuet ſimulans adulterium, ſed conſenſus ex D. Thoma *4.diſt.35.q.1.ar.2.*

26 Quamuis multi Doctores id concedant ex eo, quia *l. ſi quis ſeruo. 20. C. de furtis* permittitur, vt ſeruus ſolli citatus de furto poſſit de conſenſu Domini aliquid aſportare, & tradere ſuaſori, quo is puniatur. Verum hæc diſpoſitio eſt pro foro externo tantum.

DISPVTATIO XIII.

An vir teneatur vxorem adulteram in adulterio perſiſtentem dimittere, vel pœnitentem admittere, & idem de vxore reſpectu viri.

1 DIco primo certum eſſe virum innocentem poſſe vxorem adulteram ſi ab adulterio reſipiſcat admittere, quia poteſt cedere iuri ſuo; niſi forte illa ſæpius labatur, & ad vomitum redeat, nec reſipiscat; quia iam tollit omnem ſpem correctionis; non teneri tamen ad ſe reuocare, vt docent omnes Theologi, & Iuriſperiti. nec lex charitaritatis ad id obligat, ſed ſolum ad hoc vt odium deponat; nec iura dicentia virum debere ſibi reconciliare vxorem pœnitentem loquuntur de præcepto, ſed de quadam honeſtate; atque adeò ſi vir iurauit ſe vxorem adulteram non eſſe accuſaturum, tale iuramentum non tenet quoad accuſationem criminalem, in qua non poteſt iuri publico, cuia intereſt punire delicta, renunciare; ſed ſolum quoad ciuilem; quia tunc põt renunciare propriæ iniuriæ,& iuri,ni

si forte vxor relabatur in adulterium, nec corrigatur, quia in tali casu pertinaciæ non intelligitur iuramentum, vt docent Host. Card. Bellam. Henr. *cap. quemadmodum de iure iur.* vide *l. si vnus* 28. §. *pacta ff. de pactis* quid dicẽdum sit, quando tale peccatum factũ est circa delictum iam commissum.

Dico secundo si vxor non resipiscat
2 ab adulterio tenetur vir dimittere illã vel non admittere ex præcepto vitandi scandali sub peccato mortali, ne vir censeatur consentiri adulterio vxoris; probatur quia hæc obligatio dimittendę vxoris persistentis in adulterio, vel oritur ex præcepto correctionis fraternę, vel vitandi scandali, aut ex vtroq; capite (non enim potest oriri ex sola adulterij ratione, nã Christus non præcepit; sed præmisit dimittere vxorem ob fornicationem. Matt. 19) sed nõ põt oriri ex præcepto correctionis fraternæ, ergo ex præcepto vitandi scandalũ. Maior est certa, nam omnes Doctores ex dupliplici hoc capite, vel ex altero ex his putant teneri virum dimittere vxorem persistentem in adulterio. Minor. quod non oriatur ex correctione fraterna, probatur, quia satisfacit vir huic præcepto vxorem admonendo, & illam moderatè quantum sibi licet corripiendo, & castigando, neque tenetur omnes casus metaphysicos quærere; sed tantum moraliter possibiles ad vxorem corrigendam ex charitate fraterna: adde esse valde durum expellere vxorem, & priuari obsequijs, domus custodia, vsuque coniugali, & præceptum correctionis non obligat cum tanto dispendio, atque ita putant omnes ferè Doctores teneri virum ex præcepto vitandi scandali, dum eam rationem tradunt cur peccet maritus non dimittendo adulteram: quia scilicet censetur consentire ipsi. Quod verum est siue vir sit innocens, siue adulter; quia obligatio hęc oritur ex præcepto vitandi scandali, & maritus ob adulterium non expellens vxorem non vitat hoc scandalum; censetur enim illi assentiri vt pote qui est caput, neque satisfaciet suę obligationi; si illam domi retineat vt sororem, ita Sotus 4. *d.* 36. *qu. vn. ar.* 2. Ledes. 2. *p.* 4. *qu.* 64. *art.* 2. Victoria *sum. de matr. n.* 9. Petr. Soto *l.* 12. *de matr. col. pen.*

3 Ex hac conclusione duo valde notanda inferuntur: primum est quoties cessat scandalum non teneri virum vxorem adulteram dimittere, & eam posse recipere, vt si adulterium sit occultum, itaut probari non possit, vel si probari possit; sed non est publicũ aut si non credatur communiter publicam infamiam de vxoris adulterio esse veram. tunc enim alia via potest vxorem corripere, similiter si scandalum cesset etiam si periculum subsit prolis incertitudinis, & supponendi falsos hæredes non erit peccatum, vxorem retinere; quia non tenetur vir ad hoc periculum vitandum vti medio adeò acerbo, nec Doctores antiqui de hac re meminerunt. Sed tantũ de scãdalo, vel correctione. sic tradũt loquẽtes de adulterio occulto Palud. 4. *d.* 45. *q.* 1. *ar.* 3. *con.* 4. *n.* 23. D. Ant. 3. *p. t.* 1. *c.* 20. §. 9. Supp. Gabr. 4. *d.* 35. *q. vni. ar.* 2. *post* 3. *concl.* Phil. *de off. Sacc. t.* 1. *p.* 2. *l.* 4. *c.* 19. *ver.* 4. Abulens. *c.* 19. *matt. q.* 75

4 Secundum quod infertur est excusari virum ab hac obligatione; quãdo non potest sine magno incommodo illam dimittere; quia præceptum vitã di scandali non obligat cum tanto dispendio, vnde rarissime tenebitur vxorem persistentem in adulterio dimittere; nã semper erit sibi magnum incommodum, & rarò non poterit scandalo alijs modis obuiare.

5 Quare non solũ ob propriũ periculũ spirituale animæ, aut corporis, vt si timeat fornicationẽ, vel morbũ grauẽ aut inopiã; sed etiã ob simile periculũ vxoris adulteræ, nõ tenetur illã dimittere; aut si infamiã timeat sibi, aut vxori, vel si excommunicetur ad hoc vt recipiat vxorem, vel ne dimittat.

6 Similiter si probabilis sit spes emendæ breui tẽpore futuræ, si enim est incorrigibilis, vt si pertinaci animo corrigi renuat, aut promittẽs correctionẽ

ex

ex cõſuetudine relabatur nulla eſt ſpes emendæ.

7 Et in his caſibus tenetur cauere ſcã dalum alia via v.g. vxorem corrigendo, & caſtigando. vicinos admonendo ſe non tenere vxorem quaſi conniueat adulterio; ſed ob iuſtas cauſas; & ſi hæc non ſufficiunt ad ſcandalum tollendum erit ſcãdalum paſſiuum, quod vitare minimè tenetur. ita Sotus 4. *d.* 36. *q. vn. ar.* 2. *ad fin.* Abulenſ. *loc. cit.* Bart. à Ledeſ. *dub.* 66. *de matr. ad finem* Supp. Gabr. *loc. cit.* Manuel. 1. *t. ſum.* 2. *edit. c.* 240. *nu.* 7. Veracr. 4. *p. ſpec. ar.* 2 *con.* 2. Lud. Lopez. 2. *p. inſtr. de matr. ca.* 54. Caſtro *l.* 2. *de lege pœn. c.* 4. §. *vt igitur* Nauarr. *ca.* 16. *num.* 24. & alij.

8 Dico tertio vxor nũquam tenetur dimittere virum pertinacem in adulterio, quia nullum ſcandalum oritur ex pertinacia viri, omnes enim ſciunt fœminas ægrè id ferre, & dato quod vir teneretur vxorem dimittere, & illi debitum negare ex præcepto correctionis fraternæ; tamen vxor ad id non tenetur, quia corrigere facto ipſo pœnam inferendo pertinet ad ſuperiorem; ergo fœmina, quæ non eſt caput viri non tenetur corrigere virum facto ipſo pœnam inferendo, nempe negando debitum, & illum dimittendo, ita docent expreſsè Ledeſma 2. *p.* 4. *ar.* 2. *prop.* 1. Emm. Sà *diuortium quum.* 6. & in vniuerſali doeent non obligari hoc præcepto Durandus 4. *d.* 35. *qu.* 1. *ar.* 3. vbi Palud. Nicol. de Orbellis *qu.* 1. Enriqu. *l.* 11. *ca.* 17. *num.* 3. *lit. A.* Manuel *loc. cit. n.* 6. Nicol. de Orbellis, Sylu. Henriqu. Manuel & alij multi. Contra Bertachinum *in ſuo dic. lit. A. v. adulter vir.* & Monaldum *ſum. de matrim. de effectu matrim.* qui putant peccare mortaliter vxorem rem habentem cum viro in adulterio perſiſtente.

Et contra D. Thom. 4. *d.* 35. *quæſt. vnic. art. ſecundo* D. Bonauen. ibi *qu.* 2. Nicol. de Orbellis *d.* 36. *quæſt.* 2. §. *primo* Couar. 4. *decr.* 2. *par. ca.* 7. §. 2. *num.* 4. & alios putantes teneri ex præcepto correctionis fraternæ, quando eſſet ſpes emendæ. tum etiam quia videtur conſentire vxori, & ſcandalum præbet.

9 Alij in hac re vtuntur hac diſtinctione, ſi vir petat debitum peccat mortaliter, etiam reddendo ſi eſt celebratum diuortium; ſi vero ſolum reddat, & celebratum non eſt diuortium non peccat. ita Ioan de Fiburgo *ſum. confeſſ. l.* 4. *t.* 2. *quæ.* 48. Henricus *C. final. numero quarto de adult.* Monaldus *loc. cit.*

DISPVTATIO XIV.

An ſi coniux ſciens adulterium alterius copulam cum illo habeat, aut exerceat alios actus coniugales, domique retineat cenſeatur tacite condonare adulterium ita vt non poſſit in poſterum illum accuſare, nec ciuiliter, neque criminaliter.

1 CAſus proponitur de remiſſione tacita, quam coniux innocens facit adultero, & quæritur, quænam facta manifeſtẽt animum coniugis volentis condonare adulterium, etiam ſi non exprimat condonationẽ verbis

2 Dico primo ſi coniux innocens reconciliet ſibi adulterum, facta condonatione delicti ſolo animo, nec verbis expreſſa, aut ſignis, ſiue ante ſiue poſt celebratum diuortium, tunc nõ habet amplius ius in foro conſcientiæ celebrandi diuortium, aut accuſandi adulterum, quamuis is non acceptarit, aut noluerit talem renunciationẽ iuris ſibi factam independenter ab aliqua acceptatione, quod etiam ſeruatur in foro externo ſi cõſtet de animo condonantis per ipſius confeſſionem ratio eſt, quia vſus priſtini iuris, quod erat impeditus ob adulterium, acquiritur adultero per meram condonationem, & renunciationem iuris factam ab innocente, & non per modum donationis; ergo ſtatim ac fit acquiritur ipſi adultero abſq; vlla acceptatione; ſicuti ſi manente integra potentia viſiua aliquis non poſſet videre ob obſtaculum oppoſitum, remoto eo ſtatim videret, ita manente illæſo

matrimonij vinculo, & ſolum ſit impeditum ius quoad vſum in adultero, dum innocens iure diuortij vti noluerit, ceſſante hoc impedimento per condonationem innocentis ſtatim abſque alia acceptatione adulter acquirit ius in vſum matrimonij.

3 At ſi renunciatio fiat oretenus tantum absque animo condonandi poteſt innocens accuſare adulteram in foro conſcientiæ, & negare coram iudice ſe condonaſſe, quia talis renunciatio eſt merè liberalis, & nullum attulit præiudicium.

Coniux innocens cenſetur condonare adulterum, it aut non poſſit amplius diuortium celebrare, aut adulterum coniugem ciuiliter, vel criminaliter accuſare ſequentibus actibus.

4 PRimus eſt ſi ſciens certò adulteriũ occultum alterius, & ſponte nullo metu coactus habeat cum eo copulam, ſiuè reddendo, ſiue petendo, ſiue ante ſiue poſt celebratum diuortium, et iamſi adulter neſciat ſuum adulterium eſſe cognitum innocenti. probatur ex *l. crimen* 11. *C. ad l. Iuliam de adult.* & *l. quæſitum* 40. *§. item quæritur ff. ad legem Iuliam de adult.* ibi (*reſpondi eum, qui poſt crimen adulterij intentatum eamdem vxorem reduxerit, deſtitiſſe videri: & ideò ex eadem lege poſtea ei ius accuſandi non ſupereſſe*) & ratio eſt, quia per copulam habitam cum coniuge poſt adulterium cano diuiſa per illud reſtauratur; ergo coniux ſciens, & ſponte habens copulam cum coniuge adultero cenſetur abolere priorem iniuriam diuiſionis factæ per adulterium. ita docent S. Bonau. 4. *d.* 32. *ar.* 2. *qu.* 2. & *d.* 35. *qu.* 1. D Anton. 3. *par. t.* 1. *c.* 21. *§. quinto* Palac. 4. *d.* 27 *diſpu.* 3. *col.* 22. Alber. *l. conſenſu num.* 9 *C. de repud.* Sylu. *nupt. l.* 1. *non eſt nubendum. nu.* 127 Greg. Lopez. *l.* 8. *v. en ſu lecho t.* 17. *par.* 7. Iul. Clar. *l. recept. §. adulterium num.* 18. Couar. 5. *decr.* 2. *par. c.* 7. *§.* 6. *nu.* 7. Padilla *l. tranſigere num* 94. *C. de tranſact.* & ali qui ex Doctoribus *nu.* 6. *citan.*

5 Dixi primo ſi certò ſciat adulteriũ; quia ſi neſciat, aut tempore copulę prorſus erat immemor adulterij, non cenſetur condonare per illam copulã quia nulla eſt remiſſio, vbi eſt ignorantia, aut obliuio iniuriæ, & iuris ſibi competentis. idem dicas ſi dubius ſit de adulterio, nec habeat præſumptiones probabiles, quia non cenſetur quis remittere, quod dubitat ad ſe pertinere, vt docet Barbatius *conſ.* 64 *nu.* 12. contra verò ſi habeat ſuſcipionem violentam, & copulam habeat cenſetur remittere, quia tunc talis copula eſt voluntaria.

6 Quod verum etiam eſt quamuis innocens ſciat adulterium coniugis, ac neſciat eius ſodomiam; aut beſtialitatem, vel contra ſi ſciat ſodomiam, & neſciat adulterium, cenſetur enim remittere ſi copulam habeat; quia in his omnibus criminibus eadem ratio diuortij inuenitur iuxta dicta hoc *lib. diſ.* 5. ergo ſatis eſt vnum poſſe ad hoc vt cenſeatur iniuriam condonare quamuis Barbatius *oc. cit.* oppoſitum teneat: quare requiri ſcientiam adulterij docent Hoſt. *tit. de adult. n.* 5. Sylu. *nuptial.* Couar Iul. Clar. Padilla, Palacios *loc. cit.* Surd. *de alim. ti.* 7. *q.* 16. *num.* 102. Guillelm. Borillong. 4. *d.* 32. *quæ. vni. ar.* 2. Enriqu. *l.* 11. *de matr. c.* 17. *n.* 5. Bellarm. *l.* 1. *de matrimon. c.* 14. *§. tertium eſt.*

7 Dixi ſecundo, ſi ſponte copulam habeat, quia ſi metu compulſus v. g. iudice præcipiente ſub excommunicatione etiam iniuſtè, ſiue adulterium ſit notorium, ſiue non, vel ſi vxor reddit viro petenti perculſa metu graui, aut leui, qui non ſit omninò vanus (nam metus leuis ſufficit in foro conſcientiæ ad auferendum libertatem requiſitam ad donationem vt *lib.* 4. *diſ.* 9. dictum eſt) non cenſetur condonare & idem dicas, quamuis metus a viro non inferatur, ſed mulier timeat illum eo, quod terribilis ſit, vel ab alio tertio inferatur & idem erit in viro, quamuis rariſſimè accidat vt vir red-

reddat debitũ ob vxoris timorẽ. ratio eſt quia hęc condonatio debet proficiſci ex voluntate liberali innocentis, at neceſſitate compulſus non præſumitur liberalis. *l. rem legatam ff. de adimen. legat.* & docent D. Thom. D. Bonau. Dur. Palud. Gabr. 4. *d.* 35. Palacios Henriq. Sotus D. Ant. & alij theolo. cum Hoſt. *c. inquiſitioni initio de ſent. ex com.* vbi Inn. *nu.* 1 Io. Andr. *num.* 3. Card *nu. vni.* Turrecr. *c. ſæculares nu.* 1. 33. *qu.* 2. & alijs iurisperitis.

8 Vnde maritus adulter non tenetur reddere vxori adulteræ debitum, quia per eam redditionem exponitur periculo amittendi ius accuſandi criminaliter vxorem ; nam valde dubia res erit : an talis redditio ſit condonatio nec ne.

9 In ſumma hæc redditio debet eſſe ſpontanea adhoc vt cenſeatur condonatio , ſi enim proueniat ex aliquo metu , vel ex aliqua neceſſitate honeſtatis , vt ſi coniux innocens extimaret ſe ad id teneri . non cenſebitur condonatio .

Vbi denique nota quod ſi innocens compulſus à Iudice reddere debitum aliquando petat iam cenſetur condonatio, quia petitio sẽper eſt volũtaria.

Secundus actus , per quem cenſetur facta condonatio .

10 Eſt, ſi coniux innocens ſponte , & ſcienter retineat adulterum publicũ , vt nulla tergiuerſatione excuſari poſſit domi in conſortio coniugali, vel expulſum recipiat. quoniam hoc eſt manifeſtum amicitiæ ſignum ex *l. crimen* 11. *C. ad legem Iuliam de adulter.* & docent plerique ex DD. ſupra allegatis .

11 Dixi ſi adulterum publicum , qui nullo modo excuſari poſſit domi retineat in conſortio coniugali cenſeri factam reconciliationem, nam ſi adulterium non eſt tale innocens non habet ius celebrandi propria authoritate diuortium , & poterit accuſari , & ſi domi retineat adulteram non alloquens cum illa , & diuiſus à lecto , & menſa non retinet illam tamquam coniugem ; vnde non cenſetur facta condonatio , vel ſi breui tempore retineat expectans commoditatem expellendi .

Tertius actus , per quem cenſetur facta reconciliatio .

12 Eſt, ſi coniux innocens ſponte , & ſcienter adulterum etiam occultum familiariter tractet cum eo ludendo, ridendo , comedendo &c. & à fortiori ſi oſcula , & amplexus habeat , intellige quando hæc non fiunt ex quadam neceſſitate honeſtatis, vt ſi maritus reperiatur coram alijs cum coniuge , & ſimul comedat ne videatur illi inimicus , aut ſi poſtquam Eccleſia præcepit , vt redderet debitum adulteræ , ille haberet amplexus , & oſcula quia ſunt acceſſoria copulæ , per quam diximus non cenſeri fieri remiſſionem , ita docet Faber. *inſt. de iniurijs §. fin. nu.* 1. & alij ex doctrina Gloſſ. *ver. diſſimulatio* docentes iniuriam remitti quando eam paſſus ſimul riſit, vel comedit cum illo, a quo habuit iniuriam tamen excipiunt niſi hic actus fiant ex quadam neceſſitate honeſtatis .

QVAERES I.

An prædicta locum habeant in ſolo foro externo ita vt non obſtante copula habita poſt ſcientiam diuortij poſſit coniux innocens in conſcientia celebrare diuortium cum adultero vel illum accuſare criminaliter .

13 REſpondeo affirmatiuè , quare ſi coniux innocens poſitiuè habeat animum non remittendi iniuriã, etiam ſi copulam habeat cum adultero ſiuè petendo , ſiuè reddendo ipſi debitum , poteſt nihilominus illum accuſare de adulterio, ratio potiſſima eſt quia tam textus , quam Doctores loquentes de hac re oſtendunt per copulam , & alios actus amicitiæ præſumi condonationem , at que adeò ſolũ pro foro externo loquuntur. ita *l. quæ-*

ſitum

ſitum 40.*§.item quæritur ff. ad legem Iuliam de adulterijs*,& Doctores ſupracitati, qui ſemper vtuntur hoc modo loquendi *cenſeri condonationem aut videri condonationem &c.* quæ verba ſignificant præſumptionem, & expreſsè docet Em.Sà verb. *diuortium nu.* 7. vbi ait poſſe peti debitum abſque animo reconciliandi. Neque verò innocens tenetur ratione contractus inclu ſi in redditione debiti facta ſibi ab adultero, nempè reddo vt tu condonata iniuria reddas mihi in poſterum ; quia contractus ille eſt fictus, neque ratione iuſtitiæ, quia iuſtitia non obligat ad reſtitutionem ſupra damni eſt imationem,& cum in hoc caſu modicum ſit damnum adultero debitum reddenti, peccabit innocens ſolum venialiter;ſicuti venialiter etiam peccabit ſi eligat petere, & non reddere animo non condonandi adulterium,& interrogatus à Iudice an copulam habuerit, poterit negare cum iuramento, quia vera eſt reſponſio ſecundum mentem debitam Iudicis, qui debet petere an habuerit copulam, per quam diuortium fuerit condonatum.

14 At ſi innocens ſcienter, & ſponte copulam habeat cum adultero,& negatiuè ſe habeat, ſcilicet neque habēs animum condonandi, neque non cōdonandi iniuriam, tunc erit vera remiſſio, tam pro foro externo, quam interno; etiamſi non cognoſcat expreſsè,& diſtincte copula, aut alijs actibus extingui ius diuortij, aut quid ſit diuortium; nam ad hanc condonationem non requiritur tanta volūtas, & adeò expreſſa,vt requiritur in emittenda profeſſione, & contrahendo matrimonio, ſed ſufficit ſcire omnes hos actus eſſe ſignum amicitiæ, & pacis, quod nemo ignorat.

15 Atque hæc quæ dicta ſunt quoad condonationem celebrandi diuortiū poſt matrimonium, applicanda ſunt quoties poſt ſponſalia oritur aliquod vitium, ob quod poteſt alter reſilire, ſi enim ſponſalibus non dum ſolutis, habeat ſponſus copulam cum ſponſa, vel alios amicitiæ actus ſponte,& ſciēter memorque ſponſalium exerceat, cenſetur illud vitium remittere,etiāſi ſponſa norit talem remiſſionem, at ſi animo non remittendi,eos actus exerceat; poteſt à ſponſalibus reſilire(quā uis contrarium dictum ſit cum aliquibus Doctoribus *lib.* 1.*diſ.*66.) & ſolum tenetur compenſare iniuriam, habita ratione diſparitatis poſt vitium ortum & quoties non tenetur perficere ſpōſalia poteſt negare cum iuramēto Iudici petenti copulam, aut alios actus habuiſſe iuxta dicta *num.præcedenti*

DISPVTATIO XV.

An ratione adulterij ſpiritualis nempè ob hæreſim vel apoſtaſiam à fide vnius cōiugis, poterit alter Catholicus diuortium celebrare, ad religionem tranſire, vel ordines ſacros ſuſcipere.

1 AD primum quæſitum in titulo Reſpondeo affirmatiuè, ſcilicet poſſe Catholicum celebrare diuortiū non ſolum quoad cohabitationem, ſed etiam quoad debiti redditionem cum hęretico perſiſtente in hęreſi etiā non notoria. neque eſt concedenda reſtitutio hæretico ſpolium alleganti, quod poſſit celebrari diuortium ob hæreſim:probatur ex capite *fin.de conuer. coniug.* & ex D.Paulo ad Titum ibi (*Hæreticum hominem poſt vnam, & ſecundam monitionem deuita*)non tamē diſſoluitur ob hæreſim vinculum matrimonij, vt definitum eſt in Concilio Trid. *ſeſſ.* 24. *de matr.can.* 5. quidquid dicat Kemnitius hęreticus in contrarium carpens Eccleſiam eo quod pluribus ex cauſis quam ob adulterium diuortium concedat.nam hæc veritas definita eſt in Concilio Trid. *ſeſſ.* 24. *de matr.can.* 8. ſcilicet ob aliquas etiā alias cauſas permitti diuortium.neque obſtat teſtimonium Chriſti Matt. 5.& 19. concedentis diuortium ob ſolam fornicationem, nam intelligitur de diuortio perpetuo, quando ſit altero inuito,hoc enim ob ſolam fornicationem ſemel admiſſam perpetuo conceditur,at in alijs criminibus licitum eſt

diuor-

diuortium, donec ea durant, vt dicunt Bellarminus *l.1.de matr.c.14.* Ledesm. *1.p.4.q.61.ar.6.* Maldonadus *c.6.Matth. num.* 32. vel dici potest ex eodem Bell. & Maldon. solam fornicationem esse causam diuortij coniugibus, vt coniuges sunt, quia ea sola obstat fidei debitæ matrimonio: alia autem crimina esse causam diuortij quatenus consortium delinquentis est perniciosum alteri quod autem catholicus possit propria authoritate alium expellere, nec hæreticus non resipiscens restituendus sit ratione spolij, probatur cap. *de illa de diuortijs*, à contrario sensu, vbi Præp. Alex. de Neuo & Ant.

2 Verum est differentia inter diuortium celebratum propria authoritate à catholico, & celebratum authoritate Ecclesiæ, si enim celebretur propria authoritate tenetur cõiux catholicus recipere hæreticum verè resipiscentem; ratio est quia ideò catholicus ob hæresim alterius potest celebrare diuortium ob periculum ne labatur in hæresim ob familiaritatem cum hæretico, quod periculum moraliter semper est, dum ille non resipiscit; ergo cessante tali periculo ex eo quia coniux hæreticus resipiscit, tenetur illum recipere. ita omnes docent. Quod verum est quamuis factus sit professus, vel sacerdos, quia professio non valuit, cum nec facta fuerit Ecclesiæ authoritate, nec ordo sacer impedit restitutionem, sed solũ talis non potest petere debitum, nec eo matrimonio soluto, aliud inire, quia votum castitatis tenuit in sui præiudicium. ita Abulensis *cap.* 19. *matt. qu.*76. Contra Abbatem *c. fin. num.* 4. *de conu.coniug.* Supp. Gabri. 4. *d.*32. *qu. vni.a.*1. Angelum *matrim.*4. putantes non tenerirecipere si iã professus est. At si diuortium celebratum sit Ecclesiæ iudicio, in quo non est necesse vt detur sententia: sed vt declaretur hæreticus, etiam si statua non sit combusta, & quamuis postea fuerit reconciliatio in occulto per inquisitores vt aiunt Sotus, Couarr. Castro Lud. Lopez *infra cit.* quidquid dicat Ouandus 4.*d.*39.*disp.vni.prop.*13. putans requiri vt statua comburatur, & Barb. *rub.*2.*p.nu.*21. *ff. sol. matr.* vbi ait non sufficere si hæreticus reconcilietur in occulto per Inquisitores, in prædicto in quam casu.

3 Probabilior sententia vult non teneri amplius hæreticum recipere, etiã si postea resipiscat, & cum Ecclesia reconcilietur. habetur cap. *fin. de hær. in 6.* vbi fidelis omninò absoluitur a debito fidelitatis hæretici iam damnati, nec cap. *fin. de conuer. coniug.* hunc textum corrigit, quia ibi solum datur optio fideli; an velit ad religionem transire, & iuris correctio tamquam odiosa est vitanda in quantum fieri potest cap. *cum dilectus de consuetud.* Et ratio differentiæ est, quia Ecclesia in pœnam hæresis concessit hoc diuortium perpetuum. vnde etiam emendatum pœna sequitur. hanc sentẽtiam putat probabilem Tabiena *matrim.*4. *q.*5. Riccard. *d.*39. *q.*1. *a.*2. tenet Laur. apud Glo. *c. quanto fin. de diuo.* Monal. *sum. de dispar. cultus* Ang. *matr.* 4. *Abul. c.*19. *matt. qu.*72. Couar. 4. *decr.*2.*p.c.*7 §.5. *nu.*5. Castro *l.*2. *de iust. hær. punit. c.* 7. Lud. Lop. 2 *p. instr. de matrim. c.* 54. Barbosa *rub.*2.*p.num.*20. *ff. sol. matrim.* & alij.

4 Est etiam in hac re alia sententia communis, & valdè probabilis, quæ putat catholicum diuertentem ab hæretico post iudicium Ecclesiæ, teneri illum admittere si resipiscat, quando vellet in sęculo manere, at si vellet fieri religiosus non teneri admittere: ducitur ex *cap. finali de conuer. coniug.* vbi diuertenti post Ecclesiæ iudicium nõ conceditur plena, sed limitata libertas, vt ad religionem transeat, & per hunc textũ putat ceteros in contrarium corrigi: ita ex Theologis Sotus 4.*d.*39. Astensis Abulensis Manuel Vega Bart. à Ledesma & alij apud Sanc. *num.*18. cum Hostiense *C. fin. d. num.* 1. *fin.* Io. And. *d. cap. quanto fin.* vbi alios citat. Surd. *de alim. ti.*7. *qu.*21. *num.*7. Card. *d. c. quanto nu.*3. Henric. *num.* 7. Præp. *C. de illa de diuor. n.*7. Alex. Neuo *n.*3. & 8. Iul. Clar. *l.*5. *recep.* §. *hæresis n.*15

Hen-

5 Henriquez *l.11. de matr. c.* 17. alios citans putat teneri catholicum recipere hæreticum resipiscentem, si vnius, aut alterius hæresis damnatus sit; si verò variarum hæresum damnatus sit tenetur expectare biennium, intra quod si verè resipiscat debet illum recipere, sin minus potest ad religionem & ordines transire, nec huius sententiæ affertur ratio.

Inferuntur multa scitu digna.

6 Ex dictis patet, primo diuortium ante Iudicium Ecclesiæ declarantis hæresim competere innocenti iure naturali diuino, quia tale ius concedit posse vitari proprium periculum animæ, & sic non est sicuti diuortium carnale, quod conceditur innocenti, statim ac alter labitur in adulterium, nam non sufficit vnus, vel alter actus hæresis adhoc vt diuertat; sed requiritur vt ille nolit resipiscere; quia tunc est periculum. quare si sit pertinax in quacumque alia excommunicatione, non poterit celebrari diuortium; quia non est tale periculum; at quando celebratur post sententiam hæresis competit iure Ecclesiastico, quo vt diximus in pœnam hæresis priuatur hæreticus iure exigendi etiamsi postea resipiscat.

7 Patet secundo si ante sententiam Catholicus diuertat non posse ad religionem ordinesue sacros transire, at si post sententiam, posse quia tunc est licitum omnimodum diuortium, & quamuis alia sententia probabilis concedat ingressum religionis, idem etiã dicet de susceptione ordinis, cum eadem sit ratio, & multi ex illis DD. id explicant. quod verum est quamuis sententia damnans hæreticum sit post quam ipse emendatus est, quia sicuti in tali casu non euitat alias pœnas, neque hanc euitabit: neque hæreticus damnatus, adhoc vt alter fiat religiosus, aliquid debet præstare v. g. vouere castitatem &c. quia alias non esset liberum catholico transire ad religionem iuxta cap. *fin. de conuer. coniug.* ita Sotus *loc. citato*.

8 Contra verò hæreticus damnatus non potest antequam catholicus professus sit, vel ordines sacros susceperit, inuito eo, & sine eius licentia ad ordines, religionemque transire, & si transeat nulla est professio: quamuis teneatur seruare castitatem, quia pœna diuortij imponitur propter delictũ hæresis, & ipsum necessariò comitatur, etiamsi catholicus non petat; ergo ex eo quod catholicus diuortium celebrauit non potest ille ad religionem transire absque eius licentia, quæ sola sufficiens est etiamsi catholicus votum vllum non emittat, adhoc vt hæreticus iam conuersus possit ordines suscipere: quantum est ex vi contractus matrimonij (non enim hic ago de irregularitate, quam incurrit ob sententiam) cætera vide in *disput.* 10. huius libri, nam eodem pacto discurrendum est. ita Sylu. *v. diuor. quæst.* 10. Armilla ibi *num.* 8.

9 Denique hic nota quod si coniux catholicus sciens hæresim, sponte habeat copulam cum hæretico siuè ante sententiam siuè post si habeat animum condonandi, videtur remittere ius diuertendi in perpetuum, quod ipsi vel competet post sententiam dandam, vel per datam iam competit, quia hoc ius non est mera pœna, sed etiam est in fauorem catholici, ergo potest ipse remittere. si verò ficto animo condonat non peccat nisi ad summum venialiter, vt *disput. præc.* dictum est in adulterio carnali non tamen tenetur illam sibi reconciliare. si verò nec animum habet non condonandi, neque condonandi non censetur condonare, quia in hoc casu ratio potissima diuortij, non est iniuria illata coniugi, vt est in adulterio carnali; sed est in pœnam fidelitatis Deo debitæ violatæ, & sic per ea signa amicitiæ non censetur condonatio huius iuris, cum non tantam habeat connexionem, sicuti neque esset condonatio iuris celebrandi diuortium ob hæresim, si coniux innocens sciens adulterium alterius, nesciẽs verò

verò hæresim copulam habeat; & contra si sciens hæresim, & nesciens adulterium copulam habeat, quia sunt diuersa iura prouenientia ex diuersa ratione. At non potest vllo pacto remittere ius, quod habet diuertendi ad tempus donec hæreticus manet in suo delicto; quia ratione periculi tenetur recedere. Vide *disput. præced.* vbi aliqua circa hanc rem, quę pari passu procedunt in remissione diuortij carnalis explicantur.

DISPVTATIO XVI.

An si vterque coniux in hæresim lapsus sit aut vnus in hæresim, alter in adulterium detur compensatio, ita vt neuter possit ab altero diuertere.

1 REspondeo non dari compensationem in his delictis, quare si hæreticus sit iam damnatus, potest diuertere ab altero coniuge, qui adulterium commisit, & adulter ab hæretico, si verò hæreticus non est damnatus poterit ab adultero diuertere, at adulter non potest diuertere ab hæretico, si velit hæresim deponere. Similiter si ambo in hæresim labantur, & damnati sint tamquam hæretici ab Ecclesia tunc poterit vterque eorum ab altero in perpetuũ diuertere.

2 Si verò vnus tantum damnatus est poterit alter non damnatus in perpetuum diuertere ab ipso; at ipse non poterit nisi ad tempus ratione periculi diuertere à non damnato. ratio horum est, quia his casibus, quando vnus coniugum adulterium carnale commisit; alter verò spirituale nempè hæresim diuersa est ratio diuortij; nam in adulterio carnali est fides matrimonij violata, & iniuria, illata coniugi, in hæresi verò non damnata, est periculum lapsus, post sententiam verò est pœna hæresis ob iniuriam Deo illatam, & fidem ipsi non seruatam, quod autem nec detur compensatio, quando ambo in hæresim lapsi sunt, probatur, quia in hæresi non datur diuortium principaliter in fauorem alterius, vt datur in adulterio; sed in pœnam delicti, ergo quod vnus incurrat pœnam diuorrij non debet alter eximi à simili pœna, dum committit idem delictũ; neque semper paria delicta compensari debent; sed quando pœna delicto correspondens directe, & principaliter infligitur in fauorem alterius delinquentis docent in fornicatione spirituali, & carnali non dari compensationem. Baldus *cap. 1. qualiter debet Vassallus domino fidelit.* & Gregor. Lopez *l. 8. t. 9. par. 4. ver. porfiando* aduertit.

3 Contra Goffredum *sum. tit. de adul. num. sexto* vbi Host. *nume.* 10. Ioann. Andr. C. *fin. numero* 4. *de conu. coniug.* Anton. ibi Abb. & alios, qui putant dari compensationem inter adulterium, & hæresim damnatam, si hæreticus velit resipiscere; quia vtraque fornicatio est causa diuortij; ergo etiam debet esse causa reconciliationis. Et contra Palud. & Ouand. 4. *d.* 35. *quæst.* 1. Gaeta *rep. C. ad limina* 30. *quæst.* 1. §. 4. *num.* 217. qui putant adulterium posse compensare suum adulterium cum hæretico, at hæreticum quamuis sit correctus, non posse vti compensatione cum adultero. Ratio horum est, quia maius peccatum est hæresis, quam sit adulterium; ergo non est iusta compensatio ex parte hæretici cum adultero. Sed hęc ratio iam corruit ex dictis *disputat. præced.* nam in ordine ad matrimonium grauius est adulterium, quam hæresis.

DISPVTATIO XVII.

An possit dari diuortium ob alia crimina præter adulterium, & hæresim.

1 REspondeo si coniux criminosus non pertrahat coniugem alterum ad peccatum non potest dari diuortium ob alia crimina quamuis grauissima præter adulterium, & hæresim

de quibus ſupradictum eſt, vt conſtat ex *cap. 2. de diuort.* ibi (*mulier pro furto, vel alio crimine viri (niſi fidei ſuæ religionem corrumpere velit) ab eo ſeparari nõ debet.*) & Doctores omnes docent.

2 Verum tamen eſt poſſe virum, vel vxorem (ſi opus ſit) ad tempus recedere à conſortio coniugali ad hoc vt ipſa eo ſolatio deſtituta corrigatur; pertinet enim ad virum vt pote caput corrigere vxorem, & etiam ad vxorem corrigere virũ, quando ſpes eſt emendæ, vt docent Sotus 4. *d.* 39. *qu. vnic. ar.* 4. *ad* 4. & Ludou. Lopez. 2. *p. inſtr. de matr. c.* 53. *ad finem* & loquẽtes de viro docent D. Thomas 4. *d.* 39 *qu.* 1. *ar.* 6. *in fine* Corp. Rayn. 2. *p. ſum. ti. de matr. c.* 20. Emm. Sà *diuortium num.* 9. & alij: quando verò teneatur remedium adhibere, vel ratione ſcandali, aut correctionis fraternę habes *diſ.* 12. nam quæ ibi diximus de adulterio applicanda ſunt in alijs criminibus publicis.

3 At ſi coniux, ſiue is ſit maritus, ſiue vxor, ſuis criminibus protrahat alium ad peccatum; v. g. quia vir eſt leno vxoris, vel ſi domi admittat viros impudicos, relinquat illos ſolos cum vxore, quibus illa ſollicitetur ad peccandum, nec vir rogatus vult illos expellere, vel denique ſi coniux non vult habitare cum altero niſi ſub conditione committendi peccatum; tunc poteſt alter ab hoc criminoſo; immò tenetur diuertere, ante iudicis ſententiam, neque poteſt per copulam hoc ius diſcedendi remittere. ratio eſt, quia iure naturali, & diuino cuique permiſſum eſt cauere periculum animæ, & ad id tenetur nulla expectata ſententia iuxta dicta *diſput. præced.* neque obſtat, quod *d. c.* 2. *de diuort.* dicat non concedi ob alia crimina diuortium; nam is textus attendit ea, quæ ſolent regulariter accidere ex l. *nam ad ea ff. de legibus* & cum regulariter ob alia crimina prætet hæreſim non ſit periculum infectionis, inde eſt vt dicat non concedi ob alia crimina diuortium. Verum quidem eſt, quod ob hæreſim ſtatim ac ille non vult reſipiſcere tenetur alter diuertere, nec expectare donec hæreticus pertrahere conetur illum in hæreſim, nam tale periculum ſemper eſt, quando verò coniux alia delicta committit debet expectare innocens, donec alter tentet ipſum pertrahere, quod rarò accidit ob alia crimina coniugis periculum, atque dari diuortium ob alia crimina, quando coniux pertrahere nititur alterum ad peccandum docent D. Thom. 4. *d.* 39. *quæſ.* 1. *ar.* 6. D. Anton. 3. *par. t.* 1. *ca.* 21. §. 4. Sotus *loc. citat.* Bellarm. *l.* 1. *de matr. ca.* 14. §. *ſecundo ſine conſ.* Emm. Sà *l. c. numero primo* Gaet. Ludou. Lopez *loc. citat.* cum alijs multis.

4 Hinc deducitur primo hoc diuortium eſſe ad tempus, donec duret illud periculum, vt patet ex dictis *diſputat. præced.* & in proprijs terminis docent Card. C. *de illa fin. de diuort.* Sylu. *matrimon. 9. quæſt. vltim.* Ludo. Lopez *loc. citat.* Aſtenſis *ſum. ſecundæ parte l.* 8. *t.* 21. *artic.* 2. *quæſt. fin.* Contra Innoc. *d. c. de illa* putantem eſſe perpetuum.

5 Infertur ſecundo non poſſe vxorem à marito diuertere eo, quod ipſe ſit vſurarius, & eam alat nummis ex vſura ex actis; quia ipſa excuſatur à peccato ſi non viuat ſumptuoſius, quam eius ſtatum decet, & maritus magis tenetur eam alere, quam reſtituere ſecundum Nauarra ſumma *cap. ſeptimo numero* 268. & ſecundum alios excuſatur *ſi ijs bonis parce vtatur cum animo reſtituendi.* Vide circa dicta Burſatium *conſ.* 218. *numero ſexto vol.* 2. Barbatium *conſ.* 64. *numero ſept. vol.* 1. Nauar. *c. vigeſimo ſecundo numero vigeſimo ſecundo.*

(†††)

DIS-

DISPVTATIO XVIII.

Explicantur ea, quæ dubitari poſſent circa diuortium ratione ſæuitiæ, vel furoris alterius coniugis.

QVAERES I.

An ob coniugis ſæuitiam poſſit alter ab eo, diuertere donec cautio ſibi præſtetur ſecuritatis.

1 DIco primo. poteſt coniux ſiue maritus, ſiue vxor diuertere propria authoritate, quando periculum eſt in mora, vel non eſt aditus facilis ad Iudicem, nec coniux ſæuus præſtat cautionem ſufficientem, (de qua infra) à coniuge ob eius ſæuitiam, qua vel ſibi timet vitæ periculum, vt quia venenum parat dare, vel aliquod malum graue ſufficiens ad metum viri conſtantis, etiam ſi cauſa huius ſæuitiæ fuerit ipſe coniux mitis, quia v.g. vxor adulterium commiſit, ob quod vir in illam indignatus eſt, & tentat mortem parare, quod poſſit ob ſeuitiam diuertere: habetur expreſsè *cap. literas de reſt. ſpol.* & *cap. tranſmiſſa eod. tit.* qui textus quamuis loquantur de vxore, quæ ob ſæuitiam viri poteſt recedere, aut illum nõ acceptare, tamen intelligi etiam debent de viro, quando ipſi eſſet ſimile periculum. nam verba poſita frequentioris vſus non limitant legem iuxta dicta *lib. 6. diſp. 19.* vt eſt in caſu noſtro nam frequentius accidit ſæuitiam eſſe virorum, vt docent Bart. *l. qui bona §. ſi quis iuxta. nu. 1. ff. de dam. inf.* vbi Alex. Ripa *c. nu. 14. de iudi.* Iaſon. *l. ſi ſuper poſſeſſ. nu. 6. C. de tranſ.* Menoch. *conſ. 299. n. 5. vol. 3.* Pariſius *conſ. 54. n. 3. vol. 4.* Auileſ. *c. 6. prætorum gl. pobres num. 13.*

Quod verò poſſit diuertere, vel ob timorem vitæ, vel ob aliquod malum graue probatur, quia diuortium hoc eſt res grauiſſima, ergo non debet fieri ex timore mali leuis, & docet Maſcardus *de probation. concluſ. 1376. numero ſecundo.*

2 Vnde infertur primo non dari reſtitutionem ratione ſpolij ſi probationes ſæuitiæ afferantur in continent iuxta dicta *diſp. 12.*

3 Infertur ſecundò non poſſe maritũ diuertere ex eo, quia timeat ſe illam interfecturum, vel ob aliam cauſam non ſufficientem ad diuortium, poteſt enim cum diuina gratia à tali cogitatione ſe remouere, etiam ſi vxor eam cohabitationem non exigat, vel nolit illum ſequi, caſu quo vellet domicilium mutare ad vitandum dedecus, v.g. quia inuenit vxorem non Virginem contra ſuam exiſtimationem; quia tunc mulier metu adducta recuſat, nec tenetur illum in tali caſu ſequi ita Nauar. *l. 5. conſ. tit. de diuort. conſ. 2. à nu. 2.* Manuel *ſum. 1. ti. 2. edic. c. 240 numero ſecundo* Vega *1. t. ſum. 2. edit. c. 13. caſu 1.*

4 Infertur tertio non ſatis eſſe minas ad hoc vt fiat diuortium ratione ſeuitię, ſed requiritur, vt minans ſolitus ſit illas exequi, & Iudicis arbitrio videndum, quando ſint ſufficientes ad metum incutiẽdum. ita Maſcardus *de prob. con. 137. n. 2. & 3* vbi alios refert.

5 Infertur quarto nõ ſufficere ad diuortium ſi vir leuiter, & moderatè vxorem ex cauſa, vel ſine iuſta cauſa verberauerit, aut ſi atrociter, ſed ex quodam impetu, cum non ſolitus ſit id facere; quia ſi caſtigatio eſt iuſta viro permittitur, ſi verò ex cauſa iniuſta adhuc eſt rei modicę, denique ſi grauis fuit, & iam præterijt, nec eſt timor in futurum ſimilis verberationis attenta viri natura non debet dari diuortiũ ita Rolandus *conſ. 27. n. 12. t. 3.* & Rimi naldus iunior multis alijs allegatis *con. 174. n. 31. vol. 2.* Contra verò ſufficiens cauſa diuortij erit ſi verberatio ſit grauis excedens limites correctionis, & ſępius fiat erit cauſa diuortij. quamuis ex ea non timeatur mors, ſicuti etiam ſufficit ſi moleſta ſit cohabitatio; diſcordiæ, & grauia frequenter accidant; quia horum metus cadit in virum conſtantem, vt *libro quarto diſ. 6.* dictum eſt, & tenent Vincentius de Franchis *deciſio. 244. parte ſecunda* Ioan. Lupus *C. per veſtras*

de don.inter. vir.& vx not.3.n.6. Sebaſt Monticulus *de patria poteſt. v. matrim. num.* 78. Peguera *deciſ.crim.c.*20. *num.* 9. Tiraq. *l.*1.*conn.glo.*1.*nu.* 24. Catellianus *v.actio iniuriarum in ſuis memorabilibus.* Placa *de delictis l.*1.*c.*7.*n.*3. qui tres vltimi putant vxori dari actionem in factum contra virum, vt ſoluat iniuriæ æſtimationem. vel ſi maritus ob ſæuitiam tres infantes in vtero vxoris necauit, poteſt ea diuertere, vt docet Palud.4.*d.*39.*qu.vni.ar.*3.*nu.*14. Gaeta *rep.c.ad limina* 30.*q.*1.§.4.*num.*235.

6 Similiter ſufficiens cauſa diuortij erit ex parte mariti ſi ab vxore veneficа ſuæ perſonæ malum timet, vel filiorum interfectionem quia eſt metus cadens in virum conſtantem & abſolute quoties vxor tendit ipſi inſidias, nec poteſt à viro id malum caueri: quia contractus matrimonij non tollit ius naturæ, quo vnuſquiſque ſibi mortem caueat: ita Gaeta. *l.c.* Gutier. *l.*1.*q.canon c.*24.*nu.*8. Hyppol. *l.*1.*nu.fin. c.de raptu virg* Dionis. de Franciſ. *inter conſ.matr. conſ.*58. Barboſa *rubr.ff. ſol.matr.*2.*p.n.* 23. Lancel. *inſt.iur. can. l.*2.*tit.de diuor.* §.*præſtando tamen* Immo Sotus 4.*d.* 39. *q.*1.*a.*4. & Lud. Lop.2.*p.inſtr. de matr. ca.*35. putant poſſe diuertere, quando vxor eius ſubſtantiam furatur. ſed intellige quando furtum eſt notabile, vt eius timor cadat in virũ conſtantẽ.

7 Infertur 5. non eſſe iuſtam cauſam diuortij ſi vir exigat debitum coniugale vi: quia poſito quod vxor neget habet ius maritus. nec exceſſus erit alicuius momenti contra Anton. *cap. literas n.*30.*de reſt.ſpol.*

8 Simili modo furor ſuperueniens coniugi non erit cauſa diuortij, quando abſque graui periculo poteſt alter ſanus habitare: humanum quippe eſt coniuges participes eſſe ad inuicem humanis caſibus *l. ſi cum dotem* 23. *ſi maritus ff.ſol.matr.*

At ſi ſit periculum grauiſſimum arbitrio prudentis ex illo furore, vel ex eo quia maritus, vel vxor ſæpius inebriatur cum periculo vitæ, vel alio graui alterius poteſt hic diuertere, & petere cautionem in poſterum abſtinendi ab ebrietate, ita Henriq. *l.* 11. *cap.* 19. *num.* 7.

QVAERES II.

An ſit concedendum diuortium vel cautio ob timorem futuræ ſæuitię, & quomodo Iudex ſe geret in hac re.

9 DIco ſecundo cauſa diuortij vel petendæ cautionis poteſt eſſe ſæuitia viri quæ timetur merito, & ex iuſta cauſa in futurum v.g ſi litem habeat cum vxore de maiori bonorum parte, vel ſi retineat concubinam ſiue domi ſiuè extra domum; tunc enim &ſi vxor ſit adultera poteſt à viro diuertere, vel petere cautionem dimittendę concubinæ; quia hoc diuortiũ non intenditur ob adulterium, in quo compenſantur delicta; ſed ob malum quod timet vxor è concubina, & ex moleſta habitatione cum viro in tali caſu, quæ cauſant probabilem timorẽ tali proximè inferendi, qui cadit in virum conſtantem, vt *lib.*4.*diſ.*1. dictũ eſt. ita Couarr. Barboſa *loc c* Aymon. *conſ.*31.*nu.*2.*vol.*1. Bald.*c.*1.*nu* 3.*vt lite non cont.* Decius *conſ.* 530. *vol.* 4. Theſau. *l. c. num.* 4.

10 Immo etiamſi vxor malum timeat non ex viri ſæuititia precisè, ſed ex alijs ſceleribus, vt quia eſt latro, & illa timet ne vt conſentiens furtis viri puniatur. vt docet D. Ant. 3.*p.t.*1.*c.*20 §.10. & Barboſa, *l.c.nu.*29. aut ex viri parentibus quando ipſe in culpa eſt illius ſęuitiæ, vt ſi vxorem retineat in domo parentum, vel parentes in propria domo, aut eos non expellat, ſi frequenter veniant, & ſæuiant contra vxorem ita Abbas Ant. ex cap. *tranſmiſſa de reſtit.ſpol.* ibi *vel parentes eius*.

11 Hinc debet Iudex interrogare coniugem petentem diuortium ob ſæuitiam alterius cauſas quas allegat. & videre an ſufficiant, neq; ſtare debet iuramento allegantis timorem ſuſpicionis, ſed debet cauſa talis ſuſpicionis probari teſtibus omni exceptione maioribus, niſi euidenter de cauſa ſuſpicionis conſtet ex cap. *Benedicto* 32.*q.*1.

vt

vt multis citatis docet Padilla *l. ſi ſuper poſſeſſione . numero 26. Co. de tranſac.* & Maſcard. *de probat. conſ.* 1376. *num.* 4. nec poteſt procedere concedendo diuortium, aut cogendo coniugem, vt preſtet cautionem non premiſſa cognitione iuridica, etiamſi ex officio agat: quia non debet preſumi quempiam ſeuum, vel ad dandam cautionem, que eſt res grauis, niſi conſtet de ſeuitia. ita Imola *l. 2. §. ff. ſol. matrim. in fine* Auiles *cap. 6. prætor. gloſ. pobres. nu. 9.* & videntur tenere Bar. *l. capitalium §. ad ſtatus num. 1. ff. de pæniſ.* Menoch. *de arbitr. l. 2. con. 2. caſu* 140. *nu.* 4. Maſcar. *de prob. conc.* 1376. *num.* 1. vbi dicunt requiri cauſę cognitionem ad cogendum vt cautio de non offendendo detur contra Iulium Clarum & Felinum putantes non requiri iuridicam cauſę cognitionem, quando ex officio procedit iudex.

12 Et ſic praxis eſt hęc: petit coniux diuortiam ob ſeuititiam alterius, & iudex petit informationem teſtiū; ea peracta ſi eſt ſufficiens iubet per actum interloquutorium coniugem in loco tuto deponi dum lis decidatur, & prohibet ſub pœna excommunicationis &c. ne moleſtia inferatur illi in tuto poſito, atq; litis expenſas, & alimenta præſcribit. ita Guttierez. *lib. 1. q. canon. cap.* 24. nam ſeparatio ad tempus ſolā informationem ſummariam poſtulat ex Nauar. *lib. 3. conſ. 2.*

13 Dico 3. quando ſæuitia coniugis eſt adeò magna vt nulla ſecuritatis cautio ſufficiens præſtari poſſit (quod iudicis arbitrio iudicandum committitur argumento *l. 1. ff. de iure deliberandi*, & docent Baldus *con. 176. n. 2. vol. 1.* Couar. *4. decr. 2. p. c. 7. §. 5.* Menoch. *l. c. caſu* 138 *fine & caſ.* 139. *n.* 4. Burzatus *conſ.* 207. *n.* 29. *vol.* 2. debet pronunciari ſententia diuortij ante reſtitutionem coniugis *cap. literas de reſtitut. ſpol.* neq; cōiux debet fidere cautionis fragilitati, vbi odium eſt capitale, vt ſi lis agatur de maiori bonorum parte ſecundum Aymonem *conſ* 31. *vol. 1.* vel ſi de adulterio mulier fuerit accuſata, quo in caſu probat Cephalus *conſ.* 384. *vol.* 3. mulierem non teneri ad maritum redire lite pendente, quamuis ille cautionē, & fideiuſſores præſtet.

QVAERES III.

Qualis cautio à coniuge, cuius ſæuitia probanda eſt, debeat præſtari, ne celebretur diuortium, & reſtituatur interim coniux, qui ob timorem receſſit.

14 Dico 1. ad hoc vt coniux timens alterius cōiugis ſæuitiam teneatur cum illo habitare; requiritur cautio pignoratitia, vel fideiuſſoria probatur, quia *cap. lit.* & *cap. ex tranſmiſſa de reſtit. ſpol.* dicitur præſtandam eſſe cautionē ſufficientem; ſed quando verbo cautioni adduntur hæ particulę, ſufficiens, idonea, plena, recta, diligens, vel eam cautionem quamquis præſtare poſſet requiritur cautio pignoratitia, & fideiuſſoria, vt docent permulti Doctores vt videre eſt apud Albericum *l. ſancimus fine C. de verb. ſignif.* vbi Barth. Pau. Salic. Iaſa *n.* 3. Quæſada *quæſt. tur. c.* 11. *nu.* 1. ergo &c.

15 Vnde non ſufficit hypotheca bonorum, quia vbi deſideratur ſola cautio requiritur obligatio omnium bonorū & vt contineatur pœna frangenti fidē cautionis, vt ex Gloſſa *l. 2. verb. ſola promiſſ. ff. de iudic.* & Iaſon. *l. ſancimus C. de verb. ſignif.* ergo vbi deſideratur cautio ſufficiens &c. non ſufficit ſola hypoteca, ſeu obligatio bonorum.

16 At ſi coniux qui debet dare talem cautionem non habeat pignus, nec fideiuſſorem, vel ſi timeat iuramentum vtpote diſcretus, & bonæ famæ ſufficit ſola cautio iuratoria, vt ſcilicet iuret ſe indemnem ſeruaturum alterum. ratio eſt tum quia generaliter quando quis ex neceſſitate compellitur dare cautionem pignoratoriam, vel fideiuſſoriam, & non poteſt, ſufficit dare iuratoriam *auth. generaliter C. de Epiſc. & Cleric.* neq; ad hoc alia probatio requiritur, ſed ſtatur iuramento dicentis ſe non habere pignus, vel fideiuſſorem, vt docent Baldus *conſ. 176. n. 2. vol. 1.* Hyp. *l. 1. §. præterea num. 113 ff. de quæſt.*

Rolan-

Roland.*conſ.*433.*n.*21.*vol.*2.Ant.Gomez *l.*3.*var.c.*6.*n.*17.Barboſa *l.diuortio* 8.*§.interdum n.*26.*ff.ſol.matr.* vbi alios citat,& Iulius Clar. *l.rec.§.fin.q.*47.qui benè addit hoc eſse intelligendū,quando iurans eſt bonæ famæ, alias potius debet cogi,vt exulet. tum quia ſi præſtito iuramento ſatis conſulitur incolumitati coniugis petentis cautionem nil aliud requiritur,&cum totum hoc Iudicis arbitrio remittatur,ipſe debet diſcernere quo caſu iuramentum ſuffi ciat,quo vero non attenta coniugis ſæ ui qualitate.ita Ronald.exBartholi do ctrina.*l.quicumq;*2.*C.de fundis patrimo. lib.*11.vbi ait obligatum ſatis dare,ſa t isfacere generali hypoteca omnium bonorum,ſi idoneus ſit.

17 Hinc ſiuè Iudex agat ad partis inſtantiam,ſiue ex officio debet cautionem pignoratitiam , & fideiuſſoriam petere quando aliter non ſatis conſulitur incolumitati petentis cautionem contra verò ſufficit petere iuratoriam quando ea ſufficit,quamuis aliqui putent ſufficere meram cautionem iura toriam quando agit ex officio , non verò quando ad inſtantiam , vt Felin. *rubr.de tregua & pace num.*20.*declar.*2. Sylu.*matr.* 10.*q.vlt.* Placa.*de delic.l.*1. *c.*7.*num.*2. alij vero putant ſemper requiri pignoratitiam, & fideiuſſoriã, ducuntur,quia quoties petitur cautio ob ſuſpicionem perſonæ ſemper debet eſſe cum pignore , & fideiuſſoribus. *l.ſi fideiuſſor* 3. *§.fin.ff.qui ſatis dare cogantur.* & docent Albericus *l.Sancimus fin.C.de ver. ſign.*Bald. *nu.*5. Iaſa. *nu.*5. Sanci *n.reg.* 43. *fall.* 1. ſed in hoc caſu petitur cautio ob ſuſpicionem perſonę; ergo. ita Padilla cum multis , quos refert *l.ſi ſuper poſſeſſ. C. de tranſac.*

Denique hic nota cautionem debere eſſe generalem non ſolum de non offendēda vxore ob adulterium commiſſum ; ſed neque ob delicta in futurum,nam ius canonicum non concedit viro propria authoritate capere vindictam, non tamen ob eam cautionem impeditur vir,quo minus corrigat vxorem intra limites aut alias licitum ipſi erat.ita Abbas *C. ex tranſmiſſa de reſt.ſpol.nu.*3.Lancellottus *inſt. ca.l.*2.*tit.de diu. §.preſtanda tamen* Pariſius *conſ.*44. *nu.*34.*vol.* 4.

QVAERES IV.

An celebrato diuortio Iudicis authoritate poſſint coniuges vel alter religionem in gredi , vel ordines ſuſcipere .

18 REſpondeo ſi diuortium fuit ob furorem coniugis, cum quo ſanus non poteſt ſine periculo habitare, nec eſt ſpes vt redeat ad ſanitatem medicorum iudicio , aut ob ſæuitiam data ſententia abſoluta abEccleſia,eo quod deſperata ſit reconciliatio ſequētis ; poteſt ſanus ingredi religionem , & ordines ſacros ſuſcipere . neque vlla licentia requiritur,aut votum coniugis ſæuientis ; neque innocens profeſſus , aut in ſacris conſtitutus poteſt reuocari : ſi verò præter ſpem coniux furioſus redeat in priſtinum, an ſit reuocandus profeſſus conſule *diſp.*9.huius libri , nam idem dicendum quod dicitur ibi quando Eccleſia eſt decepta in ſententia diuortij ferenda. & in prædicto caſu poſt ſententiam abſolutam diuortij, an ſæuus poſſit tranſire ad religionem:vide *diſp.*10 huius libri, nam idem eſt dicendum quod diximus de ingreſſu religionis coniugis adulteri, quamuis Henriquez *l.*12.*ca.* 5.*nu.*10. Nauarr. *l.*4. *conſ.tit. de diuor. conſ.* 5. abſolute concedant eum poſſe profiteri , nec poſſe ab innocente reuocari.

19 At ſi ſanus poteſt habitare cum furioſo, neque diuortium ob ſæuitiam fuit niſi ad tempus , non licet tranſire ad religionem , quia ius coniugale non eſt amiſſum , vt docet Barboſa.*rubr.ff. ſol. matrim.* 2. *p. num.* 25.

(†)

DIS-

DISPVTATIO XIX.

An ſententia diuortij inter Indos ferenda ſit ſeruato ordine Iudiciali, & quid poſſint religioſi ibi commorantes, & quomodo in accuſatione procedendum.

1 REſpondeo conſentaneum eſt nõ teneri Iudices Eccleſiaſticos, vel religioſos, quibus cura Neophytorum data eſt in celebrando diuortio, inter Indos & causis matrimonialibus ſeruare integram Iudicij formam. vide Veracruc. *tertia parte ſpecul. ar.* 10. *&* 11.

2 Neque quando vir accuſat vxorem siue ob celebrandum diuortium, siuè ad aliam pœnam, & vxor accuſat virum, debet præmitti fraterna correctio, quia ea debet præmitti quando proceditur via, quæ tendit ad emendationem, non autem quando via accuſationis, quæ tendit ad punitionem ad conſeruandum bonum commune. ita D. Thomas Paludanus 4. *d.* 35. *qu.* 1 *art.* 3. *&* 4.

3 Neque requiritur libellus, quo accuſans obliget ſe in pœnam talionis, ſiuè accuſatio ſit ſolum ad celebrandum diuortium. vt docet D. Thomas Riccar. *loc. cit.* ſiue ſit in foro ſæculari criminaliter, vt habetur lege *quamuis* 30. *Co. ad legẽ Iuliam de adult.* & docet Gloſſa ibi cum Barboſa. *l.* 2. 1. *p. num.* 105. *ff. ſol matr.*

DISPVTATIO XX.

Explicatur apud quem ex coniugibus, & cuius expenſis filij ſint alendi facto diuortio, vel ſoluto matrimonio ob impedimentum irritans.

1 REſpondeo attento iure nouo authenti. ſi diuortium factum eſt culpa alterius coniugis: tunc filij ſunt alendi apud innocentem expenſis patris, quando ipſe fuit in culpa, vt diuortium celebraretur, habetur expreſſè auth. *licet matri. aut auiæ* §. *illud coll.* 8. & *l. regia* 3. *tit.* 19. *par.* 4. exceptis tamen tribus caſibus. primus eſt ſi parens innocens ſit fidelis, & qui dedit cauſam infidelis. Secundus quando mulier innocens tranſijt ad ſecundas nuptias. Tertius quando mater cauſam dedit, & ipſa pauper eſt, pater verò diues. ita habetur authentica *ſi pater C. diuortio facto*, & contra ſi pater eſt pauper, mater verò innocens diues, ea debet pueros alere: nam militat eadem ratio *d. auth.* ſi verò neutrius culpę celebratum eſt diuortium, vt ſi mutuo conſenſu amore caſtitatis ſeparentur, vel amborum culpa, tunc puer minor triennio à matre debet educari, maior vero à patre niſi Iudex aliud arbitretur inſpectis particularibus circumſtantijs, ita ex *l. vni. C. diuortio facto*, & idem erit ſeruãdum, quoties non conſtat cuius culpa celebratum eſt diuortium, vt docet Henricus *C. fin. nu.* 7. *de conu. inf.*

2 Denique quando matrimonium omninò bona fide initum eſt, & reperitur nullum, debet communibus expenſis proles ali, quamuis filius minor ſit triennio, quia cum iam vterque coniux fuerit bona fide non eſt maior ratio cur vnus potius grauetur, quam alius. ita Surdus *de alimentis tit.* 1. *qu.* 14. *nu.* 8. & *t.* 7. *qu.* 13. *num.* 18. Vitalis *trac. de clauſulis tit. ſed an iuri aliment. nu.* 6. *caſu* 3 *habetur t.* 18. *nouior trac. ad finem* ſi verò alter tantum fuit in mala fide ipſe ſolus debet alere filium, niſi ſit pauper, & alter cõniux diues, ſi ambo verè fuerunt in mala fide tunc iudicandum erit iuxta alimenta illegitimorum.

3 Vbi nota ſi diuortium celebratum ſit culpa matris magnam eſſe controuerſiam apud doctores num eius expenſis ſit proles alenda. nam *d. auth. matri, vel auiæ* ſolùm dicitur patris expensis alendam eſſe, nec alius textus reperitur id decidens. Dico tamen de iure Caſtellæ eſſe alendum apud matrem eius expensis, vt conſtat ex *l.* 3. *tit.* 19. §. 4. & etiam de iure communi probabilius eſt alendum eſſe matris expensis, vt docent hara *l. ſi quis a liberis* §. *ſi mater num.* 12. *ff. de lib. agn.* Bartol. *l. alimenta nu.* 1. *Cod. de nego. geſt.* vbi

Paul.

Paul. *nu.* 1. Hen. *cap. fin. nu. 7. de conue. infid.* vbi Ant. *num.* 11. Car. *qu.* 6. Gutier. *q. can. l.* 1. *c.* 24. *nu.* 19. Atque hanc sententiam putat in praxi retinẽdam D. Ioseph. de Piscibus de hac re a me consultus vir sane ingenio, ac sapientia nulli ex antiquis Doctoribus secundus, inter nostræ vero ætatis causidicos decus, & ornamentum eximium contra Salicet. *d. l. alimenta nu.* 3. Alex. *nu.* 6. & Boerium *cons.* 17. *num.* 11. Ad rationem in contrarium adductam dicas id haberi d. auth. *matri, & auiæ*, nam in correlatiuis dispositum in vno intelligitur in alio quando militat eadem ratio; ergo dispositum in parte delinquente, & dante causam diuortij intelligitur in matre etiam, quia militat eadem ratio, & cum hæc decisio sit pœnalis neuter coniux tenetur ante sententiam præstare alias expensas educationis, præter eas, quas secluso delicto proprio tenebatur; quia in pœnalibus iuxta omnium sententiam pœna non debetur nisi post sententiam Iudicis. Atque hæc satis sint ad laudem Dei Optimi Maximi, & Sanctissimæ Virginis sine labe conceptæ.

LAVS DEO.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA DE GRANADA

Universidad de Sevilla

Nº A
17-173